DECISIONES
S. ROTAE ROMANAE
CORAM
R. P. D. COSMA DE CURSIIS

FLORENTINO

EJUSDEM S. ROTAE OLIM DECANO

MODO S. R. E. CARDINALI EMERITISSIMO

E TITULO SS. JOANNIS ET PAULI

AC PISIS ARCHIEPISCOPO

ARGUMENTIS, SUMMARIIS ET INDICE LOCUPLETISSIMO EXORNATAE

CURA ET STUDIO

ALEXANDRI ADVOCATI CAVALLINI.

TOMUS TERTIUS.



ROMAE MDCCCLV.

EX TYPOGRAPHIA CAJETANI CHIASSI

SUPERIORUM PERMISSU

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

Lunae 9 Februarii 1825.

ARGUMENTUM

Donec inter socios perdural commanio, eedum singulis sociis snat attribuendae portiones, capitis socialis, sed insuper fructus, et accessiones pro rata dominii. Et unicuique ex sociis praesteri debet ille portio lucri, quae occasione rei, fuerit alter socius assequutus.

SUMMARIUM

1. Divisione perfecta, novae divisioni locus fieri nequit.
2. Qui divisionem super re mercatoria iniit, quamvis caput sociale non subtulerit, non ob id jus acquirit ad lucra socialia.
3. Divisione rei socialis expleto, nisi singulae portiones earum dominis tradantur, fructus et accessiones inter dominos pro rata dominii sunt partiendae.
4. Communione admissa, semper est locus judicio communi dividendo.
Effectus hujus judicii est, ut actori praestetur quidquid ex re, vel occasione rei, fuerit assequutus reus conventus - ibidem. -
5. Qui de re mercatoria rationes reddere tenetur, tradere consocio debet fructus qui respondent portioni ejus capiti.
In rationum redditione veniunt etiam emolumenta, quae in negocium derivarunt ex depositis, et commissionibus - ibidem. -
6. Divino, humanoque juri relactat, quod quis locupletetur cum aliena jacturo.

DECISIO CCXLIX.

Divisio Mercatoriæ substantiæ, quæ ad annum usquo 1803. socialis in Urbe extiterat inter Fratres Aloysium, Bonifacium, et Perfectum Samonati, et deinceps, Aloysio defuncto, inter Bonifacium, et Perfectum tantum, cum fuisset anno 1813. legitime trifariam peracta, et Tribunalis Sententia probata, inter filios et hæredes Aloysii, filiam et hæredem Bonifacii, atque filias hæredesque Perfecti, exequutionem tamen haud mereri visa fuit anno 1822. Juridico A. C. Conventui, quia Aloysii filii propriam portionem haud secreverunt ab illa obventa filiabus et hæredibus Perfecti, et alia, quæ obtigit filiæ et hæredi Bonifacii, quæve per emptionis rite perfectum contractum fuerat ab iis Perfecti filiabus, et hæredibus acquisita, sed eam cum bisce commixtam in mercatoriis Tabernis reliquerunt ab eo usque anno 1813. Hinc, cum Johanna del Negro, Perfecti Vidua, filiarumque tutrix, quæ, harum nomine, a Balthaxare altero e filiis Aloysii, legitime, Judice, ac Notario adstantibus, acquisiverat omnia ejus jura ad *trientem* paternae portionis super ea mercatoria substantia, instantiam promovisset, ut alii duo Aloysii filii Petrus, et Johannes Baptista intra terminum præfiniendum adigerentur ad recipiendum illius portionis *bessem* ad tramites prædictæ divisionis anni 1813., detractis pecuniis ipsis præter debitum persolutis, ac ipsis reservato jure exigendi super reliquo ejusdem portionis capite mercatorias usuras, prædicti A.C. Juridici hanc rejecerunt instantiam Sententia lata die 8. Junii illius anni 1822 atque decreverunt novam ineundam esse totius mercatorii capitis divisionem, juxta illius præsentem statum, præeunte ratione de ipso ab eadem Johanna reddenda, ac relicto Perfecti filiabus uno illius capitis *triente*, alterum citatis, ut Aloysii filiis, et hæredibus tribuerunt, et quoad illum ad Bonifacii filiam spectantem, et a filiabus Perfecti emptum, cum dubium videretur cujus pecunia fuisset acqnisitum, in posterum sibi judicandum reservarunt, an et hic *triens* dividi inter partes deberet, sive integer esset Perfecti filiabus addicendus.

Ab hac Sententia provocante Johanna, quæstiones omnes ad Sac. hoc Nostrum Tribunal definiendæ venerunt, atque in tria dispertitæ dubia *primum* super *Divisione* anni 1813., *alterum* super *Portione* Bonifacii, tertium super *Redditione* rationis, Patrum judicio a me subiectæ fuere, et Ipsorum suffragia semel iterumque in diversa adiere, donec in Comitiis diei 26. nuper elapsi Januarii Universa Aula *primo dubio*, ita concepto = *An, et quomodo sit exequenda divisio anni 1813.*, *seu potius constet de continuatione, vel renovatione*

societatis, et quomodo sit locus divisioni in casu etc. = respondit = *Affirmative ad primam partem, imputatis solutionibus, Negative in omnibus ad secundam*; ac *alterum Dubium*, nempe « *An , et cujus favore constet de proprietate tertiæ partis haereditariae Bonifatii* = dimisit responso = *Affimative ad primam partem favore haeredum Perfecti, Negative ad secundam* =; uti patet ex binis Decisionibus a me ad eam diem editis, quarum, quæ de *primo* agit *Dubio* factorum omnium seriem, ac judicii progressum exponit. Resolvendum vero hac mane cum fuerit *tertium* ad rationis redditionem pertinens *Dubium* = *An, quomodo, et a quo sit reddenda ratio in casu* = Patres Omnes de Sententia rogavi, ac responsum mihi fuit datum = *Affirmative ab haeredibus Perfecti de omnibus Lucris, et utilibus.*

1 Definitum quidem fuit a Sac. Ordine firmam manere debere divisionem mercatoriæ substantiæ anno 1813. perfectam inter filias Aloysii Samonati, et filiam Bonifacii, filiasque Perfecti, et, qualibet inter dividentes Societatis continuatione, renovatione, ac institutione exclusa, constitutum fuit, quod novae divisioni locus esse nequeat juxta præsentem negotii statum, sed prædictis Aloysii filiis, Petro nempe, ac Johanni Baptistæ jus tantum sit ad assequendum *bessem* capiti tributi in prædicta divisione anni 1813., ac cum imputatione in hujus imminutionem totius pecuniæ; quam, præter præstationes in Ivonensi concordia conventas, ipsi exegerunt, reliqui illius portionis *triantis* acquisitione probatu favore filiorum Perfecti, quæ hunc a Balthaxare emerunt; ac harum favore probata pariter emptione partis hæreditariæ Bonifacii. Exinde tamen Patres, præ ipsorum sapientia, consequi haud posse putarunt quod iidem Aloysii filii, qui, ea divisione expleta, non secreverunt, uti facere poterant, a mercatoria substantia, ad Perfecti filias prædictis nominibus spectante, illud ad illos pertinens reliquum caput, jure destituantur repetendi ab iis omnia lucra, et utilia, quæ ex capite, quo super, cum propriis mercibus commixto, eae, vel earum Mater Johanna, negociationem exercuerunt, obvenisse dignoscatur ex rationibus de hac negociatione ab iis reddendis, ac quod dumtaxat mercatorias ejusdem capitis usuras obtinere valeant, ut eae contendunt.

Prudentissime enim animadverterunt 2
post eam anni 1813. divisionem liberum prorsus fuisse Aloysii filiis prædictum caput ipsorum portionis sumere, ac de eo ad libitum disponere dominii jure, quia, cum *Petrus*, anno 1790. natus jam fere exegisset *vigesimum quartum* ætatis suæ annum, amplius perdurabat effectus Ivonensis concordiæ, ex qua illud caput penes Bonifacium, et Perfectum, vel eorum hæredes manere debebat cum omnibus = *utili*, *e discapiti a carico* = eorum, qui præstationes tantum, illa concordia conventas, erga nepotes, horumque Matrem implere adstringebantur; et quia Perfectus suo Testamento confirmaverat ejusdem concordiæ finem, statim ac Nepotes pervenissent = *all' età di ventiquattro anni* = Ac optime perpenderunt etiam, quod ipsa anni 1813. divisio, a Johanna, filiarum nomine, petita, ac cum Judiciali auctoritate expleta, illam Ivonensem concordiam funditus sustulit: quare, nec præstiationes statutas juxta eam amplius exigere poterant iidem Aloysii alii, nec relinquere apud ipsas Perfecti filias cogebantur caput portionis, ex hac divisione eis obventæ, ut ad easdem pertinerent hujus capitis utilia, ac damna: quo posito, planum consequens erat, quod hæc utilia, et damna, si quae evenissent, post eam divisionem sentire tantum deberent, ii Aloysii filii, quamvis illud caput a reliqua mercatoria substantia haud deduxissent.

Et sane, si dominium prædicti ca- 3
pitis non fuit unquam ab Aloysii filiis dimissum, ac in filias Perfecti translatum, uti factum fuit a Bonifacii filia, ac hærede, sive ejus matre, et tutrice; et si eæ Perfecti filiæ illud caput cum propria mercatoria substantia commixtum retinuere, et super eo negociationem exercuere, aut id evenerit

ex earum voluntate, aut ex voluntate filiorum Aloysii, vel etiam ex communi placito, absurdum omnino esset, et ab Juris Naturalis, et Civilis præceptis Legibusque prorsus devium, quod lucra ex eo capito, vel ejus capitis occasione, obventa post divisionem anni 1813. addicerentur Perfecti filiabus, quæ nullum super eo jus habebant, et auferrentur filiis Aloysii, qui ejus erant domini. Est quippe juris compertissimi, dissoluta societate, ac divisione rei socialis expleta, nisi hujus portiones secernantur, et singulæ earum dominis tradantur, quidquid ea res, quæ commixta remansit, fructuum, accessionum, et emolumentorum gignore potuit, in judicio familiæ erciscundæ, vel communi dividundo inter dominos pro rata ipsorum dominii esse partiendum *ad Text. in Leg. Verum. §. in hæredem ff. pro Socio*; *Leg. Actiones §. morte ff. Eodem Mantic. de Tacitis, et ambiguis Lib. 6. tit. 25. numer. 30., et seq., et Rot. Decis. 224. numer. 8. coram Bichio, et Decis. 350. numer. 3. part. 3. Recent.*

4 Hinc itaque, si Perfecti filiæ caput portionis ad filios Aloysii pertinens separatum retinuissent a reliqua ipsarum substantia, et super eo negotiationem exercuissent, atque illud administrassent, de omnibus lucris exinde obventis rationem reddere adstringerentur ex judicio negotiorum gestorum per *Text. in Leg. 6. §. hoc autem ff. communi dividundo, et Donell. in Comment Juris Civilis lib. 15. Cap. 23. §. 6. Cujac. in Lib. 10. ff. Communi divid. tit. 3. Leg. 14. decis. 7. Col. 576. litter. D. Edit. Neap.*; Sed cum illud apud eas manserit unitum, ac commistum cum omnibus earum mercibus, et indiscriminatim super hisce omnibus negociari perrexerint, lucra omnia et utilia, quæ ex hac negociatione perceperunt, communicare cum Aloysii filiis tenentur in judicio communi dividundo, habito respectu ad sortem, seu caput eorum portionis, ad tramites divisionis anni 1813., quæ dum firmo manet quoad eam sortem, nil afficere potest lucra ex ea in posterum obventa; quod enim Perfecti filiæ gesserunt super universa mercatoris substantia post eam divisionem, fieri non potuit citra communionem, quæ admissa, semper locus est judicio communi dividundo quia = *Nihil autem interest cum Societate, an sine Societate res inter aliquos communis sit, nam utroque casu locus est communi dividundo judicio* = uti ait *Text. in Leg. 2. communi dividundo.* Hujus vero judicii effectus sunt ut actori præstetur quidquid ex re, vel occasione rei ipsius, fuerit assequutus reus conventus, qui eam una cum propria administravit, sicuti post *Text. in Leg. 3. ff. communi dividundo*; *Leg. 24. ff. eodem Leg Si quis §. Si quid ff. eodem Leg. 11. ff. eodem, et Gloss. ad dictam Leg. 3. ff. communi dividundo, tradit Brunemann. in Pandectas ad hanc Leg. 3. ff. communi dividundo.* Quin rem mutet, quod ex filiorum Aloysii voluntate prædictum eorum portionis caput separatum non fuerit a mercatoria substantia ad Perfecti filias spectante, quia ipsis liberum erat illud secernere, ac sumere. Hoc enim bona fide, sine dolo, communi partium placito, factum fuisse censendum est, et fieri ex Lege poterat; quare effectus omnes exinde provenientes probandi, ac servandi sunt per *Text. in citat. Leg. ff. communi dividundo*, quæ statuit quod = *Si quid ipsi* = nempe qui rem communiter possident = *inter se sine dolo pepigerunt, id in primis, et familiæ erciscundæ, et communi dividundo, judex servare debet* =.

Hæc quoad obligationem filiarum Perfecti ad roddendas, post divisionem anni 1813., rationes de omnibus lucris, 5
et utilibus capitis portionis mercium filiorum Aloysii *in genere.* Quo vero ad hæc utilia, et lucra *in specie*, de quibus eæ sunt reddendæ rationes, omnis quæstio tollitur ex superius dictis; nempe quod, qui rem communem retinet, eamque administrat, ac super ea negociationem exercet, tradere debet domino portionis ejusdem rei omnia emolumenta, quæ ex ea *re*, vel ejus *rei occasione*, pro rata illi respondente portioni, percepit. A filiabus itaque Perfecti, sive earum matre Johanna, ra-

tiones exponendae sunt, primum de utilibus omnibus, et lucris obventis ex negociatione mercium omnium in tabernis existentium, ut ea pro rata prædicta Aloysii filii assequantur. Deinde rationem reddere debent de aliis utilibus, et emolumentis, quæ in negocium derivarunt a depositis, et commissionibus, sive a venditione mercium, quas exteri negociatores, ejusdem negocii fidem sequentes, illius administratoribus, certo sub præmio, ipsorum nomino distrabendas crediderunt. In dubium enim revocari nequit quod portio filiorum Aloysii, remanens commixta cum aliis mercibus ad Perfecti filios spectantibus, negocii existimationem servaverit, quæ detrimentum haud leve sensisset, si ea portio fuisset ab ejus dominis separata, et recepta: ac fieri etiam facile poterat quod ii exteri negociatores deposita, et commissiones dividerent inter Perfecti filias, et filios Aloysii; si bi separatam instituissent negociationem: ex quo lucra exinde proficiscentia fuissent divisa.

6 Id vero eo magis tenendum est, quia Petrus, dum Romæ fuit post annum 1813., semper suam in taberna operam præstitit, ac negocio præfuit: quare ejus etiam nomen illius depositis causam dedisse negari nequit. His igitur omnibus perpensis, merito Patres audiendam haud esse censuerunt Johannam, filiarum nomine, contendentem reddendum tantum esse Aloysii filiis caput prædictæ ipsorum portionis cum mercatoriis usuris a die expletæ divisionis illo anno 1813. ad hoc usque tempus, easque damnarunt ad tradendum Petro, ac Johanni Baptistæ *bessem* portionis hereditariæ patris Aloysii, cum hujus *triens* translatus in illas a Balthaxare fuerit, et portio filiæ Bonifacii fuerit ab illis empta, et præter hoc caput, ac Johanni Baptistæ; vel ipsorum matri, ultra debitas præstationes fuerunt suppeditatæ, vel fuerunt ab ipsis eorum nomine exactæ, eisdem addixerunt omnia negociationis, ac commissionum lucra, et utilia pro rata huic capiti respondente: secus enim eveniret quod eæ Perfecti filiæ ex se alterius lucrum assequerentur, et cum aliena locupletarentur jactura. Divino, humanoque jure prorsus reluctante.

Atque ita, cum omnium Patrum suffragiis, jus redditum fuit: Utraque etc.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 18 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXLIX. -

SUMMARIUM

1. *Etiam post expletam divisionem, si socius caput sociale non secreverit, habet jus ad lucra, et utilia*

   Merces in negocium immissae, fructus ex ipsarum indole, afferunt - *ibidem*. -
2. *Post perfectam divisionem, societas resolvitur.*
3. *Semper est locus communi dividundo, quoties quis plures substantias commixtas retinuit, ac administravit.*
4. *Qui rationem reddere debet de re sociali, nedum lucra rependere tenetur, quae ex assueta mercium negociatione directe, sed etiam quae indirecte proveniunt.*
5. *Accessoria obligatio de fructibus inter mercatores, ubi agitur de capite immisso, cohiberi non debet intra limites mercatorias usurae.*
6. *Codicum rationalium neglecta conscriptio, non liberat a rationum redditione.*
7. *Debita et credita inter socios compensanda, spectari debent, non in judicio redditionum, rationum sed in judicio liquidationis.*

DECISIO CCL.

Postquam in Comitiis diei 4 hujusce mensis Sacer Noster Ordo, omnibus suffragantibus Patribus, binas omnino confirmari voluit a me editas Decisiones, die 26 Januarii superioris anni 1824, quarum *altera* firmam esse debero constituit Mercatoriæ Samonatæ substantiæ divisionem, die 16 Decembris anni 1813, initam inter filios Aloysii Samonati, et filios illius fratrum Bonifacii, et Perfecti, ac, rejecta Societatis super ea substantia continua-

tione, et renovatione, seu nova institutiona, aliam quamcumque divisionem exclusit, filiisque prædictis Aloysii jus tantom tribuit ad caput *bessis* trientis illius substantiæ, juxta illius statum de tempore dictæ divisionis anni 1813, probata acquisitiona per filias Perfecti reliquæ ejusdem trientis partis a Balthaxare, altero ex iidem Aloysii filiis, et deductis ab eo capite pecuniis ab hisce perceptis, vel exactis præter præstationes ex Ivanensi concordia eis debitas; *altera* statuit triantem universæ illius substantiæ particulariter ad Perfectis filias spectare, quæ illum legitime emerunt die 1 Martii 1814 a filia, ac hærede Bonifacii, hodie ad trutinam revocata est alia a me edita Decisio, die 9 Februarii prædicti anni 1824, qua Perfecti filiæ damnatæ fuerunt ad reddendam rationem filiis Aloysii de omnibus lucris, et utilibus, obventis post annum 1813 ex negociatione, pro rata capitis ad ipsos spectantis, quodve ipsi haud secreverunt a longe, majori illa mercatoria substantia ad easdem Perfecti filias pertinente, sed cum ea commixtum reliquere. Hanc etiam Patres confirmandam censuere; adjecto tamen modo. Videntes enim Petrum, alterum ex Aloysii filiis universæ negocationi per aliquot annos præfuisse, qua institorem, obstrictum itaque ipsum agnoverunt ad reddendas de ea rationes pro tempore gestæ Administrationis; atque ideo assueto a me proposito Dubio=*An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = responderunt = *In decisis, reservato filiabus Perfecti jure agenti adversus Petrum pro redditione rationis gestæ administrationis* =.

1 Quamvis enim perspectissimum Sacri Nostro Ordini semel, iterumque fuerit nullam unquam inter Aloysii filios, et filias, hæredesque Bonifacii, et Perfecti extitisse Socialatem, vel communionem negocistionis ante divisionem Anni 1813, e conspectu præsertim Juanensis concordiæ, cujus existentia, ac omnimoda exequutio haud amplius in dubium revocatur, et novum Societatis super ea contractum nunquam inter eosdem Aloysii filios, at filias, hæredesqua Perfacti post illam divisionem anni 1813 fuisse initum; ita ut, firma manente hac divisione, omniqua alia exclusa, Petro, et Joanni Baptistæ addici tantum possint, nomine capitis ad eos spectantis supar universa mercatoria Samonata substantia, *duos* ex novem hujusce partibus, et ad tramites ejus status, dum illa divisio fuit expleta; non tamen idcirco consequi putarunt Patres, quod deneganda sint eisdem omnia lucra, et utilia, quæ post illam divisionem gignere potuit caput illud, quod ipsi, quacumque ex Causa id factom fuerit, haud secreverunt, et commixtum reliquere cum universa illa mercatoria substantia, qua super Perfecti filiæ, vel earum mater, ac tutrix Joanna negociationem indiscriminatim exercere perraxerunt. Merces enim Venales, in Negocium immissæ haud sunt res steriles, sed fructum, et lucrum ex ipsarum indole afferunt, sicuti advertit *Magon, dec. Lucens.* 1 *numer.* 36. *Decian. resp.* 60 *numer.* 3 *volum.* 2. *Constantin. Vol.* 30 *numer.* 243. *Zanch. de Societate part.* 1 *cap.* 3 *numer.* 117. 118. *Rota in Romana Societatis* 7 *Junii* 1743 § 8 *coram Molino, in confirmatoria* 26 *Junii* 1747 § 6 *coram Peralta, et in Fulginaten. Pecuniaria* 19. *Februarii* 1759 § 7 *coram Paraccian.* = Quamobrem, si ad Aloysii filios dominium pertinebat illarum mercium, quas in tabernis negociatoriis penes Joannam, vel hujus filias reliquerant, lucra etiam, et utilia ex illis obventa, quæ illarum sunt accessoria, debent ad eosdem procul dubio spectare.

2 Esset vero omnibus Juris naturalis, et Civilis præceptis, legibusque adversans, si Perfecti filiabus addicerentur hæc lucra, et utilia mercium, quarum dominium semper apud Aloysii filios permansit, nec unquam in eas translatum fuit, uti evenit quoad illam mercium portionem, quæ erat filiæ, et hæredis Bonifacii, quamve ipsæ legitimo, solemnique emptionis contractu acquisiverant. Nec audiri meruerunt ipsæ Perfecti filiæ, dum contendebant

prædicta lucra, et utilia mercium ad Aloysii filios spectantium non hisce, sed ipsis esse tribuenda, quia Aloysii filii, eas merces haud secernentes a reliqua mercatoria substantia, voluerunt ideo progressum habere Ivanensem concordiam, quæ resolvi poterat statim ac ipsi, vel ipsorum alter, *rigesimum quartum* explevissent ætatis annum; sed non erat per se ipsam, et absque ulla ipsorum declaratione, hoc tempore advento, illico resolvenda. Plura namque prætensum hunc Ivanensis concordiæ progressum manifestissime excludunt. *Primum* nempe mercatoriæ substantiæ divisio anno 1812, dum Petrus fere ad prædictam ætatem pervenerat, a filiabus Perfecti judicialiter petita, et judiciali auctoritate expleta; dein assignata Aloysii filiis ipsorum portio juxta eam divisionem, et filiarum Perfecti liberatio a quolibet quoad eam periculo, cum ex Ivanensi concordia Bonifacius, et Perfectus, eorum veri hæredes de illa deberent esse = *responsabili sino al tempo della restituzione*; = *demum* omnimoda, post eamdem divisionem, cessatio præstationum, in ea Ivanensi concordia conventarum, tam erga Cæciliam Aloysii Viduam, quam erga hujus filias, quibus plena debebatur exhibitio, quam ab anno 1813 haud amplius assequuti fuere.

3 Cum itaque Ivanensis cessaverit concordiæ quilibet effectus, et cum mercatoria substantia anno 1813 divisa fuerit inter condominos, prætermissa per Aloysii filios ipsorum portionis segregatio actionem præbuit eis condicendi a filiabus perfecti, prætor filius caput, in judicio familiæ erciscundæ, vel communi dividundo, quidquid ex integra negociatione pro rata illius capitis, fructuum, accessionum, et emolumentorum obvenire potuit, ut, adductis auctoritatum exemplis probat, ac firmat superior in hac Causa Decisio, quæ confirmatur § 5. Quo posito, si perfecti filiæ super Aloysii filiorum portione separatam exercuissent negociationem, de omnibus ejus accessoriis rationem ipsis reddere debuissent, uti negotiorum gestrices; sed cum eam cum propria substantia commixtam retinuerint, ac indiscriminatim super omni mercatoria re negociationem exercuerint, id fieri non potuit citra communionem, qua admissa, semper locus est judicio communi dividundo, quia = *nihil interest cum societate, ac sine societate res inter aliquas communis sit, nam utroque casu locus est communi dividundo judicio* = siculi perpendit præcedens Decisio § 6. Communio vero seclusa quavis conventione, secus ac societas, admittenda est semel ac, uti in themate, res plurium personarum sunt inter se commixtæ, et communiter administrantur ad *Text. in Leg. ut sit* 31 *ff pro socio Cajac. in lib.* 32 *ad Pauli Edictum ad L.* 65 § *si post distractum Donell. in Comment. ad tit. Instit. de Actionibus, et in Comment. Juris Civilis lib.*16 *cap.* 23 § 6 *et Vinn. ad tit. Instit. de Action.* § 9.

Horum consequens est teneri in genere Perfecti filias ad reddendas filiis Aloysii rationes de quibuscumque utilibus ex negociatione mercium derivatis, pro rata capitis mercium ad eosdem spectantes, quæque provenerunt, vel ex ipsis mercibus, vel earum occasione, uti appositis innixa Legibus, ac doctorum traditis, superior statuit *Decis.* § 6. Quo autem ad earum obligationem reddendarum rationum in *specie*, comprehendere hæ debent, tam utilia omnia, et Lucra ex assueta mercium negociatione allata, atque ab hisce directe provenientia, quam alia Lucra, et utilia, earum occasione, vel ab iis indirecte derivata; præsertim ex depositis, et commissionibus, sive ex venditione rerum, quas exteri, Samonati negocii fidem sequentes, hujus negocii Administratoribus, certo constituto præmio, distrahendas, ipsorum committentium nomine, crediderunt. Merces enim, quarum Aloysii filii erant domini, in negocio relictæ ejus existimationem apud illos exteros negociatores integram servarunt, et deposita, ac commissiones fiunt, habito respectu, tam ad personas, quibus 4

res creduntur, quam ad horum conditionem in commercio, atque divitias. Id vero eu magis tenendum est, quia Petri etiam nomen qui, dum Romæ erat, negocio, uti institor, præerat, eisdem depositis, ac commissionibus causam dedisse dubitari nequit, et quia, si hic una cum fratribus merces, quæ ipsorum erant, sibi sumpsisset, et separatam, particulari ipsorum nomine, negociationem instituisset plures e committentibus, sequendo Petri, ipsis noti, fidem ad eum, ejusque fratres procul dubio sese convertissent, ex quo, nedum negociationis, sed depositorum etiam, et commissionum utilia, ac lucra eos inter; et filias Perfecti divisa extitissent.

5 Sentiunt quidem Perfecti filiæ, earumve mater Joanna, jus filiorum Aloysii ad assequendum, præter capitis mercium restitutionem, hujus etiam accessoria, et ideo propriam quoad hæc accessoriam obligationem cobibere student intra limites mercatoriæ usuræ, pro eo capite repræsentandæ. Perperam vero. Non agitur enim de mercibus ipsis ab Aloysii filiis venditis certo constituto pretio, ex quo ipsi, earum dominio abdicato, bujus pretii Creditores evaserint, ex eo non soluto compensativos fructus repetere possint. Sed res est de mercibus in taberna mercatoria ab ipsis relictis, earum semper dominio retento; de mercibus, quæ, uti reliqua mercatoris substantia ad Perfecti filias spectans, utilia, et lucra attulere, ad eos pernecesse pertinentia, qui mercium, e quibus derivarant, domini erant. A themate autem extranea prorsus est S.N. Ordinis Decisio, a me vulgata, in causa *Romana Fructuum*, *damnorum*, *et interesse* 6 *Maii* 1823 inter filias Mariæ Annæ Petrarca, et filias Mariæ Theresiæ Maggi. In hac enim Causa res erat de mercibus in mercatoria taberna defuncti Caroli Tritonii, illarum Mulierum parentis, existentibus, quæ pro portione ad filios Mariæ Annæ spectante, emi poterant a filiis Mariæ Theresiæ, ex facultate ipsis ab eodem Carolo tributa, qui eisdem, prælegati nomine, reliquerat tabernæ avviamentum, et Stylia, et præterea constabat in facto Mariæ Annae filios sponte libenterque exegisse filiis Mariae Theresiae mercatorias usuras, pro rata capitis ad illas pertinentis super iis mercibus: Creditores itaque negocii, non mercium condomini, quales sunt Aloysii filii pro rata mercium in mercatoria Samonata taberna relictarum, erant fratres Petrarca; hinc nil mirum, quod Patres aliam, ac in praesenti causa, super mercium accessoriis sententiam tunc pandiderint.

Nec melius ad redditionem rationum 6
de omnibus praedictis lucris, et utilibus declinandam, ac ad mercatoriae usurae solutionem tuendam, proponunt Perfecti filiae, sive earum Mater, impossibile prorsus esse ipsis rationem exponere de utilibus, et lucris implexao negociationis, res etiam perexiqui valoris comprehendentis, cum praesertim ipsae sub bona fide, ac justa credulitate, quod omne negociationis commodum, vel damnum spectare ad ipsas deberet, Codices de ea rationarios conscribi neglexerint; addentes praeterea nullam, quavis in hypothesi, posse per ipsas rationem de negociatione reddi, nisi eam reddat etiam Petrus, qui eidem negociationi per plures annos, dum Romae erat, praefuit, qua institur, et mercatoriam substantiam administravit. Quo namqae ad *primum*, seposita quaestione an ea neglecta rationalium Codicum conscriptio praesidii esse possit filiabus Perfecti ad ipsas a rationum redditione liberandas, si constabit, cum ad hanc devenictur, de Codicum illorum inexistentia, ad S.N. Tribunalis sapientiam, prudentiamque spectabit modum praescribere, quo haec rationum redditio expleatur, Quo vero ad aliud, satis jam Perfecti filiabus indemnitati consultum fuit Patrum Responso, quo ipsis reservatum fuit jus agendi in congruo judicio adversus Petrum, ut et ipse rationem reddit de exercita super universa Mercatoria substantia negociatione ejusque gesta administratione.

Demum ad praesens judicium Patres 7

baud spectare optime censuerunt indago de praetensa absumptione maximae partis, vel totius capitis, et accessionum mercium ad Aloysii filios pertinentium ob pecunias ipsis a filiabus Perfecti suppeditatas vel ab ipsis, harum nomine, exactas, quam hac allatis calculis probare nituntur. Id enim videbitur, dum de liquidatione res erit. Nunc vero statuendum est, quantulum cumque esse possit illud caput, Aloysi filiorum proprium, hoc eis esse restituendum una cum omnibus quibuscumque lucris, et utilibus ex eo derivatis.

Et ita, Patribus omnibus suffragantibus, jus redditum fuit. Utraque etc.

ROMANA REDUCTIONIS

Veneris 14 Januarii 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXCIII.

SUMMARIUM

1. *Anno 1789, abjecta, et vilis nummorum species nostrae regiones infecere caepit.*
2. *Dotalia interusuria, juxta Constitutionem Innocentii XI, ad trientem mensuram cohibentur.*
3. *Edictum* 15 Februarii 1800, *Ducis Nasellii, solutiones aenea moneta peractas, reductioni subegit.*
4. *Sublata moneta ex commercio, peraequatio inter viliorem monetam, ac pretiosorem, perfici debet habita ratione ad tempus initi contractus.*
5. *Ubi stipulatio unam tantummodo monetae speciem complectitur, nullus relinquitur deligendi locus inter varias monetae.*
6. *Optio decrescit, quemadmodum decrescunt species sub optione compraehensas.*
7. *Testi licet mediatori, si unico, nulla fides est adhibenda.*

   Pariter non est adhibenda fides testi, qui morte praereptus, formali examini subjici non potuit - ibidem. -
8. *Ubi non constat de voluntate contrahentium, id semper conventum censetur, quod minimum est.*

   Nunquam praesumitur, quod diversam dotem pater filiabus suis assignare voluerit - ibidem. -
9. *Sententia, in parte dispositiva, non in narrativa attendi debet.*
10. *Praescriptionis exceptio deduci non potest in casu, in quo nulla dies praefinita fuit solutioni.*

DECISIO CCLI.

Conquerenti Comitissæ Franciscæ Giraud, injuria reductioni obnoxiam ex Sacri Nostri Ordinis Decreto factam fuisse dotem quam paulo ante, probata A. C. Sententia a defuncto patre in scutis *bis millibus* æneæ monetæ ei constitutam, et partim etiam solutam, Idem Sacer Noster Ordo declaraverat, ius concessum est a Signaturæ Justitiæ Tribunali peculiarem agendi adversus nepotem suum, ac patris hæredem Vincentium Trojani, coram Eodem Nostro Sacro Ordine quæstionem an esset nec ne eadem dos reductioni subjicenda. Mihi deinde commissa causa, cum in Comitiis habitis die 4 Junii superioris anni dirimendam Patribus omnibus exhibuissem Dubii formulam = *An sit procedendum ad legitimam exequutionem super reductione tontum in casu etc.* =, certamen Comitissa refugiente, Responsum retuli = *Pro informante* =, idest = *Affirmative ad formam Decreti Rotalis diei* 8 *Januarii* 1823 =, prout ostendit edita ad dictam diem decisio coram Me, quæ factorum historiam latius enucleat. Nec secus hodie res cessit post factam Franciscæ potestatem jura sua deducendi; quamvis enim multa cumulaverit, ut rationum momenta convelleret, quibus innititur ipsa Decisio, dimoveri Patres non potuerunt, quin rescriberent = *In Decisis* =.

Quo magis perspecta, et cognita ha- 1
bentur hujusce Responsi justitia, recolendum in facto est, tres ab uxore sua suscepisse liberos Dominicum Trojani quorum unus masculus, scilicet Joseph Philippus, cui immatura morte prærepto superstes fuit filius nomine Vincentius, ac duæ fœminæ, nempe Clementina, et Francisca. Dum nullum adhuc aderat monetarum discrimen, et proba

argenti, aurique moneta in commercio unice versabatur anno 1789, Clementina, quæ sorori præcellebat ætate, matrimonium contraxit cum Camillo Sartorio, cui propterea a sponsæ patre persoluta dotis nomine fuerunt scuta *millia et quinquaginta*, ope publicarum tabularum, quas contrahentes ea occasione celebrarunt. Decennio post, eoque precipue tempore, quo abjecta, et vilis nummorum species has nostras Regiones infecerat, altera Dominici filia Francisca nupsit viro Nobili Comiti Francisco Giraud, nulla constituta dote, nullisque confectis nuptiarum tabulis. Cum tamen ipse Dominicus animo præconcepisset suo, parem, ac alteri filiæ dotem ei constituere, in hanc propterea causam illico cæpit summam aliquam rependere, sive in numerata pecunia, sive in rebus certo pretio æstimatis, quousque tandem, ætate gravis ac sentiens futuræ mortis periculum, postremum condidit elogium, in quo ex prædefuncto filio nepotem sibi ex asse hæredem instituit, atque hæc quoad filias adjecit = *Avendo si all'una, che all'altra di dette mie figlie assegnata, e respettivamente sborsata la loro dote di scudi* 1050 *da me creduta corrispondendente alle proprie forze; così intendo, che dalla mia eredità niente più possano pretendere.*

2 Elato nihilominus patre, inter nepotem Vincentium, et amitam Franciscum, quæ ob paternam reverentiam eo usque ab judiciali certamine sese abstinuerat, acris exarsit controversia coram Tribunali A. C. de dotis quantitate, de monetæ specie, in qua fuerat dos ipsa promissa, de dotalibus inter usuriis, ac de solutionibus demum in eorum causam expletis. Magnis animis, viribusque agitata lis fuit, donec ex diuturno rerum examine constituit = *che nell'anno* 1793, *quando fu la seconda dote constituita, poteva questa pagarsi in moneta erosa, ragguaglio vantaggiosissimo per chi pagava: vantaggio di cui realmente il padre si valse, valutando nei pagamenti in conto di dote le piastre a ragione di paoli diecisette* =. Quæ cum fuerit animadversa; in Inceem hinc prodiit die 9 Septembris anni 1818 illorum Judicum sententia, in qua hoc præcipue definitum fuit, = *che la dote fù constituita in moneta erosa nella quantità di scudi duemila, che i frutti sono dovuti dal giorno, che il marito assunse i pesi del matrimonio, e perciò non debbano calcolarsi per quei mesi, che gli sposi dimorarono, e furono alimentati in casa del padre; che la tassa legale, su cui dovranno calcolarsi quelli della presente causa, sarà del cinque per cento* =. Nec Vincentium, qui nihil aut fere nihil prædictæ dotis nomine, amitæ debere putabat, juvit provocasse ad Sacrum Nostrum Ordinem, coram quo, dilata prius definitione, quousque testes formali examini subjicerentur, iis dein auditis probata omnino fuit A. C. Sententia, si dotalia excipias interusuria, quorum modum juxta Constitutionem S. M. Innocentii XI. ad trientem mensuram Patres Domini cohibuerunt.

Initis vero calculis, factaque ratiocinatoris ope monetæ reductione, cum reliquum evinceretur Comitissæ creditum; tam in causam capitis, quam in causam fructuum dotis in nummis argenteis *quingentum septuaginta septem*, hinc illico sese paratum exhibuit Vincentius accedente Rotali Decreto, de quo mentio initio dicendi facta est ad repræsentandam fructum quantitatem, reliquum dotis caput soluturus, postquam in ipsius securitatem amitæ vir prædium aliquod ostendisset, super quo inscribi rite valeret hypotheca, ut fusius hujusce primi judicii originem, progressum, atque exitum refert alia mea Decisio, quæ hodie confirmatur § 2 3 et 4. His itaque præmissis, semel ac ambigi nequit, constitutam Comitissæ fuisse dotem in scutis *bismillibus* vilioris illius, ac abiectæ æneæ monetæ, necessario concludendum est, dotem ipsam reductioni subesse, veluti jussit Rotale Decretum. Pluribus enim Edictalibus Legibus ob notissimas tunc temporis rei monetariæ vices evulgatis ac Edicto præsertim, quod anno 1800 sub die 15 Februarii publici juris fecit Dux Nasellius = *in coerenza degli Editti del dì* 13 *Decembre* 1799 *risguar-* 3

danti il modo di pagare, e dell'altro ultimamente emanato circa la riduzione delle monete erose e plateali » retundis verbis sancitum fuit » *che i pagamenti prescritti, o convenuti in moneta erosa, o plateale eseguendosi presentemente in moneta ridotta, subiscano quel medesimo ribasso che avrebbero dovuto subire prima della riduzione, ragguagliando sedici paoli per ogni scudo, ed ogni scudo per sedici paoli*.

4 Id ipsum statuit neva Lex die 19 Martii ejusdem anni evulgata, quam una cum aliis præ oculis habens Sacrum Nostrum Auditerium, reductioni subjecit nomina omnia in viliori ænea moneta ante Kalendas Aprilis ipsius anni contracta, quæmadmodum menet præterita decis. § 7. Dum igitur ex diserta Legum sanctione, tum ex consuetudine Sacri Nostri Ordinis, qui ad tramites prædictarum legum constantissime judicavit, obnoxium est reductione creditum, quod Francisca adversus nepotem experitur. At accedit etiam Juris Communis disciplina. Si enim constet, viliorem monetam, ut aena est, in contractum deductam fuisse, sublata hac monetæ specie ab hominum commercio, et intrinseca ejus bonitate in pristinum restituta, ex eadem Juris disciplina inspciendum unice est in implenda data contractuum fide tempus initæ obligatienis, ac peræquatio facienda est, habita ratiene inter viliorem monetam, quæ promissa fuit, ac monetum aliam pretiosorem, quæ solvenda esset, ut probat, adductis auctoritatum exemplis, superior Causæ *Decis.* § 6. Si secus porro res esset, illud oriretur absurdum, ut is, qui *decem*, exempli gratia, sese solutorum premisit in aenea, abjectaque moneta, si eamdem quantitatem in proba moneta auri, et argenti rependere cogeretur, plus reapse solveret, quam ex contractu teneretur. Nullum binc dubium, quin reductioni sit obnoxium reliquum dotale creditum Comitissæ Franciscæ, ac illius residua quantitas, in aurea, argenteaque pretiosiori moneta, apprime respondeat quantitati, quam ratiocinator constituit, quamque Patres eidem Comitissæ persolvendam esse prælaudato Decreto censuerunt.

5 Qui tamen a Comitissæ partibus erant, reductioni resistentes longa oratione contendebant, deficientibus nuptialibus tabulis, quid promiserint, ac voluerint contrahentes, eruendum a testibus esse, ac præcipua a teste *mediatore*, et Presbytero Ignatio Colenna qui pro rei veritate, antequam in fata concederet, testatus maxime fuit, dotem scutorum bismillium = *di moneta sonante* = a defuncte patre Fancisae promissam fuisse. Non leve hinc esse subdebant discrimen, qued ex lapsu temporis intercessit inter stipulationem conceptam in aenea meneta, atque aliam, quæ de *sonanti* meneta loquatur. Prior namque stipulatio, ut prosequebantur Comitissæ defensores, unam tantummodo menetæ speciem complectitur, nullusque ex ea sponsori relinquitur diligendi locus inter varias menetas, quæ in commercio reperiantur, cum e converso stipulatio altera, papyraceis monetis rejectis, omne monetarum metallicarum genus late complectatur. Concludebant idcirco, quod quamvis utraque stipulatio indifferens fuisset, monetis in eodem statu manentibus. cum tam is, qui *ænam* monetam nominatim, quam, qui generatim *sonantem* spoponderat, uterque infimam æneam monetam persolveret, quia primus seligere poterat, alter vere eam monetæ speciem præfitito promisit; e commercio tamen sublata *ænea* moneta nen est amplius ei licitum, qui *sonantem* menetam in contractum deduxit, a proprio debito subducere valoris discrimen, quod intercedit inter monetam, ex qua nomen dimittit, illiusque arbitrium, ac seligendi potestas intra eas tantum monetas coerceter, quae adhuc in commercio versantur,

6 Distinctionem banc inter promissam monetam *æneam*, et monetam *sonantem* comparabant iidem Comitissæ Defensores cum iis stipulationibus, illisque contractibus, qui optionem continent. Si qui enim *Stichum*, aut *decem* spopondit, optione potitur, ut de duebus alterutrum praestet, et si Stichus mi-

noris aestimatur, quam decem, facultas ei est dandi Stichi, qui inferioris valoris est. Quod si Stichus moriatur, tunc dare decem oportet quia semper in optionibus idem obtinet principium ut optio decrescat, quemadmodum decrescuat species sub optione comprehensæ *Leg.* 13 § 6 *ff. de acceptilationibus, leg.* 34 § 6 *ff. de contrahen. empt., leg.* 11 § 1 *ff. de legat.* 2. *Voet in Pandect. lib.* 33 *tit.* 5 *de optione legis Num.* 7., *Bruneman. in Pandect. lib.* 46 *tit.* 5 *leg.* 13 *Num.* 4., *Forster in observ. subseciv. de Jurisprudentia cap.* 15 *Num.* 7., *Rota in Verulana Reductionis* 6 *Februarii* 1803 § 5 *cor. Resta*. Ita demum affirmabant a Sacro Ordine constantissime fuisse reductionem admissam, ubi in contractum deducta proponebatur aenea moneta; eamque vicissim negatam, quotiescumque in stipulationem venisset genus universum sonantis, seu metallicae monetae, nec secus ad impsria contrahentes judicarentur, veluti in *Romana Reductionis* 27 *Junii* 1803 *cor. Tassoni, in Perusina Reductionis* 17 *Februarii* 1806 *cor. Eminentissimo Serlupi, in Fulginaten. Reductionis* 7 *Martii* 1706 *cor. resta*, *et in Interamnen. Dotis super Repuctione* 2 *Martii* 1807 *cor. Eminentissimo Rusconi*. Quemadmodum enim, vilioribus nummis existentibus, debitoria commodo, damnoque creditoris fuit, ut enm his obligationi fieret satis, peraequatis ita monetis, jus acquiritur creditori integram summam exigendi ex probis nummis, qui in commercio supersunt. Ea siquidem quae initio ita constituta sunt, ut aeque ad lucrum, ac damnum utrinque sese habere possint, nunquam immutantur, si posita rerum eventus uni potius ex contrahentibus, quam alteri faveat.

7 Verum haec omnia huc usque deducta quantum scite, et subtiliter in jure disputabantur, tantum erant a faeti specie, in qua versamur, prorsus extranea. Atque, ut singillatim omnibus responsio sit, exploratum quidem in jure est, deficienta contractus scriptura, maximam sibi fidem vindicare testium dicta, tem quoad perfectionem ipsius contractus, quam quoad ejus pacta, et conditiones *Cap. per tuas de probat. leg. Cum te Cod. de transact.*, *Constantin. Vot. decis.* 370. *Numer.* 14 *Rota decis.* 26 *Numer.* 2 *cor. Olivatio*. Explorati pariter juris est, testem conciliatorem, ac mediatorem, qui ea pandit, quae ex officio gessit, absolvitque fidem omnem in judicio mereri, veluti prae caeteris monet Rota in *Romana, seu Londinen. Rescissionis Contractus* 16 *Junii* 1823 § 8 *cor. Mc.* At Præsbyter Ignatius Colonna, licet in eo, de quo in præsens agitur, dotis negocio testem mediatorem, et concilietorem sese fuisse affirmet, ideo tamen minus credendum ei est, quia *singularis* est, et humani aliquid passum eum fuisse testes alii fide dignissimi perhibent: quia rursus morte præreptus formali examini subjici non potuit: quia demum ajus assertio nullo modo conveni cum cæteris testibus, qui formale subierunt examen, quique ea occasione affirmarunt, dotem in scutis *bismillibus* Franciscæ constitutam fuisse, quin ostenderent, in qua monetæ qualitate dos ipsa fuerit promissa. Qua propter merito intelligendum est, dotis debitum solvere voluisse defunctum Dominicum in ea moneta, quæ sibi utilior erat, quæque pariter in commercio versabatur.

Non modo namque in contractibus, 8
ubi non constet de voluntate contrahentium, id semper conventum censetur, quud niminum est; verum etiam eo jure infimam solvendi monetam usus fui ipse Dominicus, qui, si aliquid solvit in argentea moneta, dum æneam rependere poterat, tanto minus in argento numeravit, quo majus erat discrimen inter argenteam, æneamque monetam. Contrahentium autem voluntas dotem in aena moneta solvendi ex testamentariis quoque Dominici tabulis eruitur; ex eo nimirum actu gravi, et serio, in quo neminem, de operibus suis rationem Deo prope redditurum mentiri velle præsumitur. Hæredem quippe ex asse sibi scribens ipse ex prædefuncto filio nepotem, impendissime vetuit ne super haereditate sua fi-

liæ jam nuptae qoidqoam juris sibi asserunt = *avendo si all'una, che all'altra di dette mie figlie assegnata, e respettiramente eborsata la loro dote di scudi* 1050 *da me creduta corrispondente alle proprie forze* =. Quod si secundo nata Francisca dotem scutorum *bismillium* in proba auri, argentiqne moneta fere in totum modo assequeretur, maxima adesset inaequalitas inter unam, et alteram filiam, quae certe non adest, si in scutis *bismillibus* æneæ monetae dotem fuisse Franciscæ promissam retineamus, dum hæc secunda dos, inita reductione vix primam excedit in scutis *viginti* supra *centum*. At præterquam esset contra naturalem pietatem, ac paternum amorem, quo parentes erga filios aeque feruntur, vel a louge suspicari, diversam dotem filiabus suis assignare voluisse Dominicum; neque illud præterea omittendum est, plures in judicio de quantitate dotis acto recognovisse Franciscæ defensorem dotem ipsam in viliori ænea moneta constitutam.

9 Sic enim edisserebant, ut æqualem dotem, perpensa diversitate temporum, utramque filiam habuisse revincerent = *La dote costituita alla nostra Cliente nel* 1798 *fu im moneta erosa, che allora era vilissima, e nella maggior sua depressione. Il padre difatti non altrimenti che in moneta erosa inteee doverei pagare. Tant'egli è vero, che di dote in rame e'intese parlare. Perciocchè ebbe una figlia mille, e cinquanta, l'altra due mila: quella annoverando ogni piastra per paoli dieci: questa per diecisette* =. His quoqoe prætermissis quæ caeteroquin maximi momenti sunt, in aenea moneta dotem fuisse promissam dubitari non sint Resjudicata, quae super hac ipsa re orta jamdiu est. Nam primum A. C. Sententia anno 1818 die *nona* Septembris evulgata, non quidem in parte, ut inquiunt, *narrativa*, sed imo in parte *dispositiva*, quae maxime attendi debet, aperte decrevit = *che la dote fu costituita in moneta erosa* =. Idipsum deinde definivit Sacer Noster Ordo, qui propositae in gradu provocationis Dubii formulae = *An, et in qua eumma, et in qua monetae qualitate constet de credito dotis in casu etc.* = incnlcanter respondit = *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiae A.C.* =, quæ scilicet Sententia dotem in aenea moneta constituerat. Cum autem acquievisset huic judicio litigantes, orta ideo est Resjudicata, cujus vi Comitissa ipsa petiit, ut reliquum dotis creditum ad liquidum perduceretur. Donec igitur ex beneficio restitutionis in integrum non obtineat, ut novo ea subsit examini, obiter revocanda non est, sed jugiter imo servanda ex deduetis in præteriti *Decis.* § 6 et ideo hæc etiam Resjudicata maximi semper quousque stet, erit obicis ejus actioni præsertim quia Signaturæ Tribunal, non aliter provocandi Comitissæ jus tribuit, nisi = *super reductione tantum* = quod impedit quominus de caeteris obloqui valeat.

Quo cum res perdueta sit, nullius 10 momenti Patribus visum fuit quidquid addebant, qui Comitissæ patrocinabatur, non solum de Edictali lege Ducis Nasellii anno 1799 die *decima tertia* Decembris in vulgus edita, quæ a reductione immunes fecit = *le doti le sopradoti, i lucri nuziali* =; verum etiam de exceptione praescriptionis, in quam indicisse Dominici hæredem objiciebant etiamsi ei reductio competeret. ad primum quippe quod spectat, Naselliana Lex, sub dicta die *decima tertia* Decembris ejusdem anni 1799 lata, non agit de nominibus in aena moneta contractis, sed dumtaxat de aliis conventis in tesseris, = *cedole ed assegnati* = vnlgo nuncupatis. Eadem imo Lex omnia ea nomina in certa ae determinata tunc vigentis monetae specie conventa expresse excepit, ut latius ostendit prima *Decis.* § 9. Ad præscriptionem vero quod pertinet, licet Edictales Leges dieram *decimae tertiae* Decembris anni 1799 ac 28 Septembris anni 1800, altera mensem, altera exitum anni 1800 pro termino præstituissent reductioni petendæ quoad ea nomina, quorum dies jam cesserat, et venerat editae legis tempore, recte tamen animadverteruot Patres Domini,

præscriptionis exceptionem ex harum Legum censura nullo modo deduci posse in hoc casu, in quo nulla dies praefinita fuit solutioni, cum praecipue una Comitissa Francisca primum extrajudicialibus jactationibus, dein litem instruens de quantitate dotis, in causa fuerit, dur dos ipsa opportuno tempore non solveretur. Caeterum, posthabitis nonnullis Decisionibus, quae una tantum parte jura sua deducente, prodierunt, veluti in *Romana Reductionis* 22 *Junii* 1801 *cor. Emo Cesarei*, in *alia Romana reductionis* 3 *Julii* 1803 *cor. Resta*, in quibus a scribentis calamo aliquid excidit præter jus sæpe a Sacro Nostro Ordine definitum est reductionis beneficium, uti invectum ad servandam inter contrahentes aequalitatem, quæ ipso juris ministerio inducitur etiamsi aliquandiu neglectum, nullo modo amitti, prout patet ex *Deci. in Perusina Reductionis* 5 *Junii* 1801 § 5 *cor. de Alteriis, in Camerinen. Reductionis* 12 *Martii* 1802 § 4 *cor. Emo Serlupi, in Romana Caducitatis* 3 *Aprilis* 1802 § 5 *cor. De Bayane et in Senogallien. Reductionis* 29 *Junii* 1823 § 7 *cor. Strasoldo.*

Et ita in reliquis probata superiori Decisione, ac Universa Aula una mecum suffragante in strenuo partium conflictu jus redditum est.

ROMANA REFECTIONIS DAMNORUM

Lunae 6 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Perspicuis argumentis demonstrari debet, damna ex culpa illius evenisse contra quem actio instituitur.*
2. *Factum principis, nullum ei, qui damnum passus est, jus praebet refectionem ejusdem damni repetendi.*
3. *Singuli magistratus, singula, et propia sibi vindicant officia.*
4. *Non modo spectacula, verum etiam qui spectaculis dant operam, non judiciariae, sed gubernativae potestati subsunt.*
5. *Actionem in rem scriptam, exercere quis non potest, nisi postquam definitum sit, injuria aliquem fuisse exturbatum.*
6. *Quicumque rei licitae dat operam, etsi ex ejus facto, damnum aliquod in alium derivet, ad illius refectionem nunquam tenetur.*

DECISIO CCLII.

Petrus Cartonius, publicis scriptis tabulis, anno 1815. die 30. Decembris, Theatrum a veteribus Dominis dictum = *della Valle* = ad ludricis, scenicisque hystrionum, et pantumimorum spectaculis exhibendis satis accomodatum, in annos utiles novem, qui a Vere anni 1816. ducerent initium, a Nobilibus viris Bartholomeo, ac Dominico germanis fratribus Capranica, ea lege conduxit, ut, si Supremi Principis jussu theatris aliquo anno esset interdictum, recideret annus vel anni portio in annum, vel portionem subsequentem. Quo autem magis re locata frueretur, majusque lucrum ex ea sibi pararet, redemit deinde Cartonius a spectaculorum theatralium Curatoribus jus privativum exercendi theatra, et nocturnas larvatorum choreas usque ad baccanalia anni 1819. in annum 1820., adjecto præcipue pacto, ut, si novus postea iniretur juris privativi contractus, æquis conditionibus cuicumque alteri licitatori esset præferendus. Ad exitum vergebat jus istud privativum a Cartonio redemptum, cum anno 1819. die *decima quarta* Decembris locatum illud fuit ad annos sex ab iisdem Curatoribus Joanni Paterno, qui conditiones admodum utiles proposuerat; tum vasa scilicet Hetrusca *biscentum*, *quinque* tabulas pictas, æneam cervam, veteremque mysticum calathum ad ornatum Vaticani Musæi dono dandi; tum argenteis nummis *sexmillibus* nuncium mittendi, qui in subsidium ex ære publico quotannis spectaculorum redemptori numerabantur. Lex tamen dicta est, ut infra unius diei spatium de novo contractum Curatoribus gesto certior

fieret Cartonius, ut infra biduum declararet an præferri nec ne vellet.

Reservato prælationis jure sese uti valle intra terminum præstitutum, atque propositas a novo redemptore pollicitationes æquare, palam ille quidem dixit, nonnullis additis conditionibus, quæ, cum fuissent rejectæ, promptum se exhibuit præstandæ cautioni, quæ magis Curatoribus placuisset. Sive vero quod impletæ a Cartonio non fuerint condictiones, sive alia gravior accesserit ignota ratio, hoc utique certum est, jubente cl. me. Cardinali Consalvio ab arcanis Imperii Pontificii, nedum repulsum eum fuisse a spectaculorum redemptione, ac ab exercendo prælationis jure; sed vetitum ei quoque fuisse, quominus jura sua in judicium proponeret ad prælationem viudicandam. Cum imo renueret conducti a Capranicensibus theatri claves ex æquo, et bono tradere Paternio, ac superiori auctoritate obtemperare, ex potestate ab Urbis Præside facta, ac adhibitis stationariis militibus, effractæ per vim fores theatri fuerunt, quod comædiis agendis, civiumque commoditati magis aptum visum fuit. Tunc Cartonius, tam jure privativo, quam re locata amissa; consilium coepit protestationem contra Capranicenses solemniter emittere super damnorum emendatione, at continuationa, ac observantia contractus locationis conductionis Theatri usque ad exitum, prout conventum fuerat, annorum *novem* utilium. Aliam protastationem claussm, et sphragide obstructam ad instar Testamenti apud acta retulit adversus quamlibet damnorum, quæ patiebantur auctorem: quam contra Capranicenses postea palam iteravit, quo tempore isti ex supremi Principis jussu vetus theatrum, quod proximam minabatur ruinam, et ligneum erat, solo æquare, ac novum, magisque amplum, et lateritium a fundamentis excitare coacti fuerunt.

Sed has molestias ægre ferentes Capranicenses, transmisso apud abrogatos A. C. Triumviros monitorio libello, quem pragmatici *jactationis jactationum* nuncupant, non modo ex notissima *leg. Diffari Cod. de ingen. manumis.*, verum etiam *ex art*, 60. *Cod.* judiciarii voluntarios sese reos constituerunt, ab interpositis protestationibus liberari postularunt. Antequam exorta controversia definiretur, jusserunt primo Judices A. C. ut ad judicium accederet Paternius, ac jura sua adversus Cartonii protestationes, et ipse deduceret, audito postea Paternio, Sententiam pronunciarunt, qua Capranicenses, usque dum ille in nostra redemptione juris privativi versaretur, absoluti fuere a Cartonii jactationibus, cui reservata sunt jura adversus Paternium *prout, et quatenus de jure* exercenda. Duo hic litium capita ad Sacrum nostrum Ordinem pervenerunt: *primum* nempe *tamquam in prima* ex Signaturæ Justitiæ Rescripto agendum, quod Cartonius instituit contra Paternium, ut damna ex privativi juris defectu sibi obvanta ab eo condiceret, ad quod spectat præsens Decisio: *Alterum* super continuatione locationis conductionis theatri, quod in Capranicenses instruxit ipsa Cartonius, et quod constituit subjectum secundæ Decisionis. Cum itaque quoad priorem Patarulum intar, ac Cartonium quæstionem de damnis hodia mane Dominis mei exhibuerim Dubii formulam bisce verbis conceptam = *An sit locus refectionis damnorum in casu etc.* = incunctanter *Negativum* retuli Responsum.

1 Caput ei erat, ut constitueretur, jure ne, an injuria adversus Paternium urgeret Cartonius refectionem damnorum ex amisso privativo jure exercendi theatralia spectacula. Actio in primis proponebatur nimis ardua, difficilis, salebrosa, odii plena, quæ adeo claras exigit probationes, ut in qualibet dubitatione a petita damnorum refectiona reus conventus absolvendus sit. *Rota in Ravennaten. Refectionis Damnorum* 6. *Aprilis* 1753. §. 4. *cor. Elephantutio in Camerinen. Refectionis Damnorum* 25. *Februarii* 1793. §. 6. *cor. Acciajoli, et in Romana, seu Prænestina super Emendatione damnorum* 15. *Junii* 1803. §. 3, *coram Emo Bussi*, Ut rursus damnorum refectio rito petatur, haud sufficit eorum existentiam evincere, sed demonmonstrandum præterea est perspicuis

argumentis damna ipsa ex culpa, factoque ejus evenisse, contra quem actio damnorum instituitur *Leg.* 7. *qu.* 44. *ff. de obligat. Rota decis.* 452. *num.* 2. *cor. Benincasa, decis.* 183. *num.* 44. *cor. Lancetta decis.* 120. *num.* 23. *cor. Ansaldo decis.* 171. *num.* 2. *coram Herzan, in Romana Refectionis Damnorum* 20. *Junii* 1795. §. 4. *coram Strasoldo, et in Romana Pecuniaria* 21. *Aprilis* 1806. §. 7. *coram Emo Cesarei.* Etsi vero concedatur, detrimentum aliquod passum Cartonium fuisse ex defectu privativi juris, nonnulla tamen afferebatur probatio, ex qua revera constaret, quod Paternius facto, culpaque sua hisce damnis causam præbuerit. Quin imo omni culpa carere Paternium, ac insontem omnino esse hac in re ex Cartonii ore colligebatur.

2 Hic siquidem bona fide falcebatur, vix accepta notitia novi contractus juris privativi a Paternio cum spectaculorum curatoribus initi, amplissimum adiisse Cardinalem Consalvium, ut jus prælationis in priori stipulatione reservatæ sustineret, ab eoque responsum accepisse = *che il Governo non poteva permettere ch'egli fosse più l' Impresario* = Non negabat hic denuo in alio colloquio, quod aliquot post dies cum eodem Cardinali habuerat, expressius monitum se fuisse = *ch'egli non permetterà mai, nè che sia l'Impresario, nè che si valga in Giudizio di sue ragioni per asserlo* = Non inficiebatur denique, his verbis auditis, de utroque colloquio participes se fecisse tam spectaculorum Curatores, quam ipsum Præsidem Urbis, tunc temporis, qui postremus ei suasit, ne pene Judices jura sua periclitaretur = *Dopo ciò che ha detto Sua Eminenza* (ita laudatus Urbis Præses) *si rende inutile qualunque passo giudiziale per di lui parte* = Quæcumque fuerit ratio, quæ prudentissimum, recens defunctum S. R. E. Cardinalem impulit ad jus prælationis Cartonio denegandum, hoc exploratum est, non ex facto privati homini, ut est Paternius, sed ex facto Cardinalis Consalvii, qui Supremum ipsum Principem in eo munere, quo fungebatur, certe repræsentabat, jua privativum exercendi theatralia spectacula Cartonium amisisse, hoc satis erat, ne ad refectionem damnorum, quæ ex hoc facto sibi obvenisse ille autumabat, Paternius ullo modo teneretur. Nam factum Principis inter fortuitos, et inexcogitatos casus recensetur, qui nullum ei, qui damnum passus est, jus præbent refectionem ejusdem damni repetendi *Leg. Lucius Titius* 11. *ff. de evict. leg. Contractus* 23. *ff. de Reg. jur. Pacion. de locat. et conduct. cap.* 49. *num.* 10. *Rota coram Ubago decis.* 3. *num.* 29. *coram Molino decis.* 60. *num.* 27., *et seq. coram Riminaldo decis.* 785. *num.* 7. *et in Ferrarien., seu Mantovana Evictionis* 1. *Aprilis* 1711. §. 7. *cor. Origo.*

Si itaque ex vi majori, factoque Principis, vel eorum qui rerum summam in Urbe tenebant, jus privativum Cartonius amisit, nulla ratio suberat Paternium persequendi pro obtinenda refectione damnorum. At qui a Cartonii partibus erant, summopere contendebant, haud potuisse eum jure privativo spoliari, nisi juris ordine, ritaque judiciorum servato: ideoque afferebant S. Nostri Ordinis oracula *in Romana Aperitionis Oris quoad decretum* 30. *Maii* 1804. *dierum.* 21. *Aprilis* 1825. 5. *Julii* 1823. *et* 28. *Februarii hujusce anni coram me*, ex quibus beneficium Aperitionis oris filiis, atque hæredibus defuncti Equitis Vincentii Pacetti concessum fuit adversus Æconomicam jussionem Cardinalis Camerarii a Pontificia auctoritate probatam, quæ prædictum Equitem damnaverat ad nonnulla restituenda, triduo minus, marmorea signa, a cl. me. viro Principe Carolo Barberini coempta, quin datum ei esset Judicium, et Tribunalium implorare præsidium. Hæc tamen frustra proponebantur adversus Paternium, qui nullam in hoc toto negocio ex demonstratis partem habuisse compertum est. Si læsum se repetat Cartonius, quod ex facto Principis jus Prælationis ei fuerit denegatum, et adempta facultas jura sua apud Tribunalia deducendi, actionem illam, quam magis ei lubet, aut damnorum, aut spo- 3

lii, adversus Supremum Principem experiatur. Cæterum, ut in omnibus bene moratis Civitatibus, ita in hac nostra Urbe, singulis Magistratus, singula, et propria sibi vindicant officia. Judiciaria quippe potestas distinguitur *a potestate administrativa, politica, et directiva*, quibus omnibus sua adsunt jura, suæque partes tribuuntur; illudque maximum inter has potestates discrimen intercedit, quod ab judiciariæ potestatis Decretis recte provocatur, ac nefas e contra est obsistere publicæ potestati, cui si privati, quotquot sunt, cives illico non parerent brevi totum Reipublicæ corpus dissolveretur.

4 Rectissime propterea factum est, ut omnibus temporibus Optimi Principes, qui bono publico prospicere voluerunt non modo spectacula, verum eos quoque, qui spectaculis dant operam, non judiciariæ, sed *gubernativæ, et administrativæ* potestati subiici jusserint. Sic, veteri florente Romanorum Republica Ædilium potestati subiiciebantur, et spectacula, et spectaculorum actores, ut testantur *Franciscus Modius, et Brissionius de spectaculis in collect. Gronov. tom.* 8. *pag.* 2338. *et tom.* 2. *pag.* 691. *Calliachius, et Fabricius descen. lud. apud eumdem Gronov. Tom.* 8. *pag.* 1714., *et supplemen. Poleni tom.* 5. *pag.* 461. Sic etiam binæ extant in *Theodosiano Codice* leges, quarum prima *Trupp. Valentiniani Valentis, et Gratiani*, alteram *Honorii*, *et Theodosii*, ubi vetitum est ne Judices ludis publicis sese immiscant, et = *ne spectacula in potestate Judicum sint* = Sic tandem Constitutione S. M. Leonis X. publicorum spectaculorum jurisdictio Urbis Præsidi tributa fuit. Hæc autem omnia non modo recens rovocata non tunt, sed electi præterea a recolendæ mem. Pontifice Pio VII. spectatissimi quidam viri, qui ludis publicis præsint, eorumque munia, et jura ab auctoritate suprema probata exhibet = *il Regolamento per li publici spettacoli del giorno* 15 *Maggio* 1818= Nulla ergo injuria facta est Cartonio, si non ax Tribunalium, sed ex Supremi Principis jussu, jus prælationis exercere non potuit.

Qua de re nemo non intelligit, quam 5 extranea a themate sit facti species illarum Decisionum inter Equitem Pacetti, et virum Principem Barberini, quas ego evulgavi. In illo enim casu reapse agebatur de legittimo contractu emptionis venditionis inter privatos cives inito; in quo nullam auctoritatem sibi poterat vindicare Cardinalis Camerarius, et cujus justitia, atque æqualitas ab Ordinariis Judicibus ad trutinam revocari debebat. Nequibat igitur emptore re justo titulo sibi quæsita expoliari, nisi plenissima judicis Ordinarii, ac competentis Tribunalis Rejudicata damnatus. At vero in ea, de qua agitur, quæstione nulla Judices Ordinarii jurisdictione potiebantur, ejusque definitio, vel ad spectaculorum Curatores, vel ad ipsum Supremum Principem unice pertinebat. Corruunt, hinc ea omnia, quæ depassavi ex *leg.* 7. *Cod. Unde vi*, *et ex leg.* 1. §. 31. 40. 41. *ff. de vi, et vi armata* disserebant Cartonii defensores. Corruit pariter quidquid addebant, *ex Corradin. de jur. prælat. quæst.* 4. *num.* 3,, *et seq.*, *et Rota decis.* 52. *num* 5. *cor. Durano*, de actione *in rem scripta*, qua enm pollere dicebant, qui prælationis jus habet in venditione, aut locatione alicujus rei, ut a tertio possessore eam vindicet. Etsi enim in jure notissima hæc sint, nullam tamen damnorum ex prætenso spolio sibi obventorum refectionem Cartonius urgere potest, quia nec spolium passus est, nec damnum aliquod ex Paternii culpa in eum venit. Actione autem *in rem scripta* uti ipse adversus Paternium hodiernum Theatri conductorem non poterit, nisi postquam a legitimo aliquo Tribunali definitum sit, injuria exturbatum ipsum fuisse a jure exercendæ prælationis, de quo nullum in præsenti judicio, et cor. S. Ordine Nostro licet examen instituere.

Quo cum perducta sit quæstio, irrito studio subdebant Cartonii oratores, 6 si non *directam*, saltem *indirectam* Paternium damnis præbuisse causam, dum locationem conductionem juris privativi exercendi theatralia spectacula, utilibus propositis conditionibus, ab eo-

rum Curatoribus, aut ab ipso Supremo Principe redemit. Industrius enim pater familias non prohibetur, quominus meliorem faciat, rei licitæ dans operam, conditionem suam. Rei autem licitæ dedit operam Paternius, semel ac locatio conductio juris privativi cum primo redemptore facta ad exitum properabat, et ex legibus *quilibet de populo* jus privativum exercendi theatra sibi quærere valebat. Quicumque vero rei licite dat operam, etsi ex ejus facto damnum aliquod in alium derivet ad illius tamen refectionem nunquam tenetur *Leg. Gracchus* 4. *Cod. ad leg. Jul. de ad ult. leg. si sterilis* §. *Cum per venditorem ff. de Contrahen. empt. Rot. in Recen. dec.* 289. *num.* 10. *part.* 2. *coram Bichio decis.* 185. *num.* 8. *et decis.* 189. *num.* 24., *et* 25. *coram Ansaldo.* Non erga violentiam, si quam unquam passus fuit Cartonius, quod nullo modo probatur, ratam habuit Paternius, dum, privativo jure redempto, exercere illud cæpit; sed jure suo usus est, ex quo nemini injuriam fecisse dicendum videtur. His ita se habentibus, inhumanum, atque asperum fuisset, innocuum patrem familias ad damni refectionem cogere, quod citra factum, et culpam suam evenisse, cuncta suadebant.

Et ita, utraque parte sua jura deducente Definitum est.

ROMANA REINTEGRATIONIS

ET

RESTITUTIONIS MONUMENTORUM

Veneris 21 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Donec transactio, manet in suo robure, parit exceptionem litis finitae. Centenaria observantia facit praesumere condominium in via vicinali, super qua, quilibet ex vicinis et finitimis, habet jus ad ejus partem. Neque sepis, aut murus designant fundi terminum, cum haec custodiae gratia potius censeantur constructa.

Coram De Cursiis Tom. III.

SUMMARIUM

1. *Qui reintegrationem petit, veterem penes se, novissimam apud adversarium, possessionem evincere debet.*
2. *Error, et falsa causa, nunquam praesumuntur, nisi invictissime probentur.*
3. *Donec in suo robore manet transactio, exceptionem parit Rejudicatae, ac litis finitae.*
   Ex centenarii temporis possessione, condominium acquiritur - ibidem. -
4. *Centenaria observantia, facit praesumere, in transactione Apostolicam auctoritatem intercessisse.*
5. *Via vicinalis ea dicitur, quae communis est inter vicinos, et finitimos, adeo ut, quilibet eorum jus habet ad ejus partem.*
6. *Sepis non pro designando fundi termino, sed custodiae potius causa construitur.*
   Muri, parietes, licet lybicis columnis, et lapidibus suffulti, agri terminum non costituunt, nisi alia signa concurrant - ibidem. - Et num. 7. -
8. *Thesaurus, in proprio fundo inventus, cedit inventori.*

DECISIO CCLIII.

Ad primum fere ab Urbe Lapidem extra Portam Portuensem Nobilissima Gens Crescentia, ex qua modo est Dux Pius Bonelli, vincam sepe clausam ab antiquo tempore possidebat, cui finitima est alia muro vallata, quæ olim ad quemdam Joannem Bodesson ex Lotharingiæ Provincia pertinebat. Has inter vineas aderat vicus vicinalis a publica via Portuensi incipiens, per quem patebat aditus ad superiorem vineam illustris Matronæ Paulinæ Maffei de Cavaleriis. Ut majori utentium commodo, ac securitati prospicerent, eum consilium iniissent anno 1640 cl. me. Petrus Paulus Crescenzi Sac. R. E. Cardinalis, ac ipsa Paulina ad caput vici cancellos apponendi, plane intelligebant; nihil posse innovari, nisi Bodessonii consensus accederet, qui æquali jure, ac vici condominio potiebatur. Obtenta propterea ejus approbatione, privata subscripta utrinque syngrapha fuit in qua ultro etiam sivit Bodessonius, ut structile coementum cancellorum constructioni necessarium, adhaereret propriæ vineæ mu-

ro, hoc tamen adjecto pacto, ut facultas sibi esset aperiendi in eodem muro ostiolum, ac transeundi per vicum, retinendique demum pro suis usibus cancellorum clavem. Ita non modo consultum fuit omnium securitati, sed integra quoque servata fuere uniuscujusque jura, tum quoad usum, tum quoad vicinalis vici condominium.

Cum ad plures anno 1656 transiisset Paulina Maffei, ejusque vineam jure retractus adeptus fuisset Bodessonius, duabus idcirco vineis in unam conflatis, et ad eumdem dominum pertinentibus, quamvis nulla amplius necessitas ei esset utendi vico vicinali, super eo tamen jus ipse Bodessonius exercuit, quousque vixit, tam ex propria, quam ex predefunctæ Paulinæ persona. Quin imo, vindice Prætore, Familiæ de Crescentiis ausus repressit, cujus Coloni; disjecta sepe, tentaverant vicum ipsum culturæ subjicere. Mortem deinde obiit anno 1682 Bodessonius, eique superstes fuit uxor Beatrix Arci hæres a viro ex testam ento scripta. Tunc iterum Crescentii, ignorantia, ac imbecillitate illius foeminæ forte abusi, vici proprietatem usurpare conati sunt, cancellos auferentes, qui vici caput ad viam publicam obstruebant, ac sepe illum occludentes. Hæc autem usurpatio inulta mansit usque ad annum 1700 quo tempore Bodessonii vidua ab his curis liberari cupiens, utramque vineam Rev. Sacerdotibus Piæ Domus Missionis Urbis, publicarum Tabularum ope, divendidit. Rebus a novis possessoribus bene perspectis facile ii cognoverunt injuria sibi usurpasse Crescentios vicinalis vici dominium, qui prius communis erat tam Paulinæ Maffei, quam Bodessonio, in quorum jura, Sacerdotes ipsi ex celebrata emptione venditiona successerant.

In irritum hinc cessisse videntes urbanitatis officia, quæ cum Crescentiis adhibuerant, ut res in pristinum statum restituaretur, judicium hac de causa instituere coacti fuerunt coram Urbis Vicesgerente. Interpositis tamen amicorum precibus, litem omnem transactiu diremit anno 1702 inita, ex qua cautum, ut, mutuis sumptibus eversa denuo sepe, ligni cancelli pro possessorum usu ad vici caput erigerentur. Hoc unum in ea concordia obtinere Crescentii potuerunt, ut si in posterum pateret nullo jure condominii Sacerdotes Missionis super eo vico gaudere, tunc statim eisdem Crescentiis liceret ad primæva jura redire. Ita per *centum et viginti* annos sese res habuerunt ad concordiæ tramites, quin in tam diuturna annorum serie unquam ausi fuerint Crescentii jus, et condominum Sacerdotum Missionis vel leviter perturbare; quin imo libentissime passi sunt, et arundines in vico communi sponte enatæ, alternis vicibus quolibet anno a condominis reciderentur. Sed nuperis annis vir industrius Cajetanus Pestrini, qui inter Laicos est Piæ Familiæ Missionis, hujusque Negocia summa cum diligentia, fideque gerens, vineæ Culturæ præest, recte animadvertit, majorem ex inculto vico fructum percipi posse, si quisque divisione facta terrae, propriam partem exerceret, cum praecipue per vicum transeundi necessitas jamdiu desiisset.

Egit hac da re ipse Pestrinius eum nobilissimo viro Duce Bonellio, qui vineam Familiæ de Crescentiis hæreditario jure modo possidet, et ab ejus humanitate facile obtinuit, ut Peritis agrariis, Josepho Piccirilli, ac Joanni Gabrielli vici divisio committeretur, qui die 10 Augusti anni 1823 in rem præsentem sese contulerunt, retentaque, et cognita vici communione, suam utrique possessori, juxta artis regulas, partem addixerunt. Post peractam vici divisionem, quam ratam, probatamque habuit uterque possessor, non modo operam illico dedit Pestrinius exculendae vici parti, quæ Piæ Familiæ Missionis tributa erat, verum etiam excavationem veterum monumentorum illuc produxit, quam prospere jam inceperat in alia vineæ parte vico finitima. Narrant publicæ ephemerides, quod in effudenda terra simulacra aliqua, et marmorea signa inventa fue-

rint, quæ hodiernæ quæstioni ansam postea præbuerunt. Qui enim Ducis Bonellii negocia curant, sub ejus nomine, qui valetudinarius est, et propemodum coecus, occasionem arripuerunt vexandi Sacerdotes Missionis, quasi imitati sint illius exemplum, qui Thesauro inventu, ut referunt Sacræ Pàginæ, lucri faciendi animo, coemit agrum, quo occulebatur, ab inscio Domino.

Ut ab immeritis hisce jactationibus redimerentur integerrimi Sacerdotes Missionis, *praeventivum*, ceu dicunt judicium adversus Bonellium ex censura notissimarum Legum *diffamari. Cod. de ingen. manumis*, *et si contendat* 28 *ff de fidejussoribus* coram Judicibus A. C instruxerunt, manutentionem petentes in possessione medietatis prædicti vici jam ad culturam redacti, et consonam votis suis Sententiam retulerunt. Dum tamen pacate, et libere sese deinde possessuros sperabant Sacerdotes Missionis, improviso vocati fuerunt a Bonellio coram iisdem Judicibus A. C, quos apud reintegrationem postulavit ad integram vici possessionem, unaque simul restitui sibi petiit vetera monumenta, quæ inventa fuisse in ea vici parte, Missionis Sacerdotibus tributa, contendebat. Inimica Sententia repulsus provocavit ad Sac. Ordinem Nostrum, coram quo tamen meliorem sortem experiri datum ei non fuit. Cum enim in hodiernis Comitiis definiendam Patribus exhibuissem Dubii formulam = *An sit locus reintegrationi*, *et restitutioni monumentorum in casu etc.* = responsum retuli = *Negative in omnibus*=.

1 Quicumque postulat reintegrationem ad rem aliquam, is certe tenetur, tum veterem suam, tum novissimam ejus possessionem evincere, adversus quem reintegrationem urget. Nisi namque haec duo concurrant extrema, nunquam concedi debet petita reintegratio. *Cap. Conquerens. cap. Cum ad sedem cap. Reintegrandae de restit. Spoliat.* 15 *Recuperandae Instit. de interdict. leg.* 1 *ff de vi, et vi armat. Rot. in Recen. decis.* 270 *numer.* 11 *part.* 19 *decis.* 871 *num.* 2 *coram Mazzanedo decis.* 61 *num.* 1 *coram Olivatio*, *et decis.* 381 *num.* 1 *coram Riminaldo.* Quominus autem vetus apud Bonellium integri vici, ac recens ejusdem vici possessio, vi, aut clam a Sacerdotibus Missionis occupata probetur, quam maxime obstat divisio communi contrahentium placito inita anno 1822, in qua adhibita fuit agrimensorum utrinque electorum opera, qui in faciem loci profecti, ac re sedulo perpensa, plane cognoverunt controversum vicum = *essere di commune uso tanto all' una*, *che all' altra delle due vigne sopradette* =, ideoque judicarunt = *in regola di arte*, *che la proprietà del medesimo dovesse spettare per metà a ciascuno degli adjacenti padroni* =. Ut vim nihilominus, et auctoritatem huic judicio, quod acceptum ratumque habuit utraque pars, Bonellius adimeret, inductum ad vici divisionem sese fuisse excipiebat ex errore, et falsa causa, ex qua putabat, æquo reapse conduminii jure Sacerdotes Missionis super vico pollere.

Praeterquam vero error, et falsa causa nunquam præsumuntur, nisi invictissime probentur *ad Text. in leg. Errore Cod. de Testam.*, *Rota coram Merlino decis.* 641 *num.* 1, *coram Bichio decis.* 329 *num.* 16, *et decis.* 904 *num.* 6 *coram Ansaldo*, nemo profecto negabit, recte expletam vici divisionem fuisse, si communis, seposito etiam agrimensorum judicio, vici usus utrique parti patebit ante divisionem. At communem finitimis possessoribus fuisse vici usum, dubitare nullo modo sinit transactio anno 1700 inter Crescentios, ac Sacerdotes Missionis post contestatam litem de vici condominio celebrata, qua hoc præcipue convenit = *che la fratta esistente nel principio del vicolo* =, cujus opo vicum occludere, disjectis cancellis antea positis, Crescentii ausi fuerunt = *si debba affatto levare*, *ed in luogo di essa mettervi*, *e piantarvi un cancello nuovo di legno con farvi due chiavi per ritenersi una per parte con spianare*, *ed in somma ridurre nel pristino stato il sudetto vicolo* =. Cautum utique fuit in eadem transactione, ut si in posterum constitisset 2

nullo condominii jure super vico frui Sacerdotes Missionis, restituti illico intelligerentur Crescentii ad primævum jus sepe vicum obstruendi. Nihil attamen in tot annorum fuga, quot a die concordiæ ad hoc usque tempus effluxerunt, aut Crescentii, aut qui ab eis causam modo habet Bonellius, attulerunt ex quo privatum jus ostenderent vico ad libitum utendi.

3 Donec igitur in sua robore manet transactio, religiose custodiendum est quidquid in ea fuerit conventum, cum etiam exceptionem pariat Reijudicatæ, ac litis finitæ *leg. fratris tui* 10 *leg. non minorem* 20 *leg. Nec insentio* 23 *lege causas Cod.de Transact. Ureeol. de Transact. quæst.* 80 *num.* 6. *Rota decis.* 71 *num.* 10 *coram Olivatio*, *et decis.* 10 *num.* 1, *et* 6 *coram Herzan*. Transactioni adstipulatur observantia, et quidem plusquam centenaria. A die enim concordiae anno 1702 initæ, in qua constitutum fuit utriusque possessoris condominium, usque ad vici divisionem recentissimo factam inter condominos, non modo nunquam turbarunt Crescentii possessionem SacerdotumMissionis, nec ullo modo pacta transactionis infringere tentarunt, sed etiam ultro libenterque siverunt, ut arundines in vico sponte enatæ, vicissim colligerentur, ut de facto proprio vinitores deponebant, nec pro honestate sua Bonellius inficiabatur. Neminem autem latet ex ceutenarii temporis possessione, et usu, præsumptionem oriri cujuscumque validioris tituli, cujus vi condominium vici acquisivisse Sacerdotes Missionis dici oportet *leg.* 3 *ff de loc.*, *et init. publ. leg. hoc jure §. Ductus aquæ ff de aq. quotid.*, *et æstiv. Paciehell. de distant. eap.* 7 *memb.* 9 *num.* 34. *Zaul. ad Statut. Favent. rubr.* 33 *lib*, 5 *num.* 19. *Card. de Luca de Regal. disc.* 137 *num.* 3 *et* 4. *Rot. in Recen. decis.* 185 *num.* 7 *part.* 16 *coram Molines decis.* 496 *numer.*6, *et in Reatina Manutentionis super bono jure* 7. *Maii* 1770 § 9 *coram Riccio.*

4 Subsequens hæc imo transactionis observantia, quæ per annos *centum*, *et viginti* excurrit, tanti ponderis est, ut ex ea facile præsumatur, Apostolica auctoritate transactionem ipsam fuisse firmatam *Marescott. Var. resolut. cap.* 13 *num.* 6. *Peregrin. de jure Fisc. lib.* 6 *tit.* 19 *num.* 14. *Gratian. discept., forens.* 871 *num.* 56. *Rot. decis.* 102 *numer.* 5 *coram Herzan.* His vero in jure, et facto animadversis, nullo in calculo habuerunt Patres quidquid oggerebant Bonellii defensores, ut privatum ejus super vico dominium suaderent. Inquiebant ipsi quidem, murum adjectum vineæ, quæ olim ad Bodessonium spectabat, illius terminum efficere: sepem vero, quæ Bonellii vineam claudit, non ad designandum, statuendumque fundi terminum, sed tutelæ, ac custodiæ causa appositam fuisse. Addebant etiam, Paulinam Maffei simplex jus transitus per vicum obtinuisse in vim notissimæ *leg. si quis sepulchrum ff de relig, et sumpt. fun.*, cum nullus alius ei præsto esset aditus ad vineam. In medium rursus afferebant peritum Philippum Bondelli, qui nuper extra ullum judicii ritum, ac ex jussu tantum Bonellii, ad vineas accessit, et ex eo præcipue deduxit, murum vineæ Bodessonii terminum ipsius vineæ constituere, quod initio, hujus muri vineæ Bodessonii prope cancellos adhæret columna ex pretioso numidico lapide, quam aptissimam dicit ad designanda confinia. Ex his omnibus concludebant, vix simplici transitus jure per vicum gaudere Sacerdotes Missionis, ejusque dominium apud Bonellium unice esse.

Hæc tamen, et alia hujus generis 5
evertere non poterant transactionis, et observantiae vim, nulliusque roboris essent, etiamsi transactio, et observantia deficeret. Primo enim loco nullo probatio afferebatur, ex qua revera constaret, jus transitus per vicum sibi quaesivisse Paulinam ex sanctione praedictae legis *Si quis sepulchrum*. Nullum siquidem aderat judicium, in quo hac de re actum fuerit, nulla Judicis Sententia, quae Crescentios coegerit ad servitutem in proprio fundo ferendam: nulla stipulatio, in qua, soluto ad legis tramites pretio,

de jure transitus inter Crescentios, et Paulinam convenerit. Quousque itaque haec servitus invictis probationibus non evincatur, retinendum jugiter est, jure condominii gavisam fuisse Paulinam, ac deinceps Piam Missionis domum in ejus jura successione ex contractu cum Bodessonii haerede inito super vico, de quo agitur, cum praecipue Crescentii, dum voluerunt Cancellos erigero ad vici caput, cum illa agere debuerint, ac illius probationem referre. Ipsa vero qualitas vici *vicinalis*, qualem cum pluries, et in concordia praesertim nuncuparunt contrahentes, quorum confessiones in re finium plurimum valent, ut monet *Rota decis.* 486 *num.* 6. *cor. Olivatio*, privatum Bonellii dominium prorsus excludit. Nam via vicinalis ea dicitur, quae communis est inter vicinos, et finitimos, adeo ut quilibet eorum jus habeat ad ejus partem *Leg. Prætor ait* 2 § *si quis nemine in fin. vers. Privatæ viæ*, *ff. ne quid in loc. publ. molfes. ad consuetud. Neap. tom.* 3 *part.* 12 *quæst.* 10 *num.* 23 *Constantin. vot. decis.* 473 *num.* 1., *et ad Stat. Urb. annot.* 22 *art.* 1 *num.* 27, *et seq. Rot. decis.* 7 *num.* 1 *tit. de servit. cor. Falconerio.*

6 Nec quidquam detrahit vici condominio, quod vinea ad Bodessonium antiquitus pertinens; muro sit vallata, cum e converso Bonellii vinea sepe tantum claudatur. Sepis revera non pro designando, statuendoque fundi termino plantatur, et instruitur, sed custodiae potius causa, ne furibus, pecorique sit pervius aditus, ac ut ob eorum incursu sit fundus immunis, ut docent rei rusticae Scriptores, et praesertim *Colummell. de re rustic. lib.* 10 *de cult. hort.*, *et lib.* 11 *in Rec. de cult. Hort. Hortens. Pallad. lib.* 1 *tit.* 34 *de hoc nort. et pomar. et sepit. Plin. lib.* 17 *cap.* 24, quibus concinunt Juris Consulti, inter quos *Panichell. de distant. cap.* 4 *memb.* 1 *et Sacer Ordo cor. Riminaldo*, *decis.* 193 *num.* 30., *et decis.* 10 *num.* 1 *cor. Veri.* At nec murus, aut paries, qui agrum circumdet, licet lybicis columnis, et lapidibus suffultus, quae passim, aut casu, aut ob elegantiam, et ornatum extolluntur, ejusdem agri terminum constituunt, nisi alia signa concurrant. Nam ipsa quoque maria, flumina, et rivi perpetuo fluentes, quae aeterna nuncupantur confinia juxta *de Luc. ad Gratian. discept. forens. cap.* 595 *num.* 11 *vers. fines. Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 393 *num.* 9 *Rot. decis.* 433 *num.* 9 *cor. Ansaldo*, apta quandoque non sunt ad statuendum agri terminum, nisi communis circumcolentium opinio, atque alia argumenta insimul accedant. *Surd. cons.* 459 *num.* 10 *Card. de Luc. de Regal. disc.* 136 *num.* 1 *Sperell. decis.* 178 *num.* 3 *Rot. dec.* 1308. *num.* 6 *cor. Lancellotta.*

Non solum vero haec in re nostra 7
signa, et argumenta omnino desiderantur, sed illud quoque dignum animadversione est, jus condominii ante initam concordiam, et subsequutam observantiam jam exstitisse, quamvis pariete occluderetur Bodessonii vinea, eique adhaereret numidicus lapis. Porro post annum 1656, quo decessit Paulina. cujus vinea jure retractus in Bodessonium transivit, cum Crescentii propriae vineae sepem removere tentaverint, insurrexit illico Bodessonius, ac Judicis implorato praesidio, obtinuit, ut omnia in pristinum statum restituerentur, veluti patebat ex testibus, qui ea occasione de vici condominio fidem perhibuerunt. Nec secus accidit post Bodessonii mortem, quo tempore abutentes denuo Crescentii imbecillitate illius foeminae, quae, uti uxor, atque haeres Bodessonii, utramque vineam possidebat, cancellos, ex conventione facta anno 1640 cum Paulina, et Bodessonio, ad vici caput erectos, demoliti fuerunt. Nam impetum Familiae de Crescentiis cohibere volentes Sacerdotes Missionis, et itidem comprobantes ex testium dictis vici condominium, judicium, hac de re, instituendum curarunt coram Urbis Vicesgerente, ex quo dein orta est transactio anni 1702 quae omnia in pristinum restituit, integrumque servavit utriusque partis condominium.

Si itaque ante initam transactionem, 8

et anteqnam inciperet observantia, quae omnem ambiguitatem de medio removent, *possessorios* actus Sacerdotes Missionis exercuerunt, et eo omnia egerunt, quae ratione rei communis eis competebant, denegari jam amplius nequit temporis spatio, quod excedit hominum memoriam, gavisos fuisse finitimos possessores vici condominio. Spernendum ideo erat quidquid Rondellius adversus concordiam, saecularem observantiam, et invictas has condominii probationes asseruit, ut Duci Bonellio privatam vici proprietatem adstrueret. Quod si nuperis annis, cessata utendi necessitate, condominis placuit vicum dividere, illumque culturae subiicere, ne id, quod communiter possidebatur, communiter negligeretur, ut passim usuvenit; nulla ratio suberat, cur ipsa divisio tanta solemnitate peracta, religiose servanda non sit. Haec praetensam a Duce Bonellio reintegrationem prorsus eliminant. Ad vetera autem monumenta quod pertinet, eorum restitutionem Bonellius injuste postulabat. Nullum enim adest indicium, ex quo pateat reperta ea fuisse in ea vici parte, quae ex divisione contigit Sacerdotibus Missionis, cum ipsae publicae ephemerides, testentur, effossa fuisse » *in varj punti della Vigna de' Signori della Missione* «. Etsi vero in ea punctim vici parte, modo divisa, marmorea signa inventa fuissent, postquam tamen pars ipsa eisdem Sacerdotibus obventa ex divisione est, optimo jure ad eos monumenta pertinerent, quia ex Civilibus legibus thesaurus in proprio fundo inventus cedit inventori *ex §. thesauros instit. de rer. divis.* ubi scriptum est » *thesauros, quos quis in loco suo invenerit, Divum Adrianum, naturalem æquitatem sequutum ei concessisse, qui eos invenerit* «.

Et ita jus redditum est, Utraque ec.

ROMANA REINTEGRATIONIS

ET

RESTITUTIONIS MONUMENTORUM

Lunae 27 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CCLIII.

SUMMARIUM

1. *In judicio redintegrationis probari debet, vetus actoris, et recens rei conventi possessio.*

   Error, et falsa causa nunquam praesumuntur - ibidem. -

2. *Transactio, et observantia, invictissime probant rei communem usum.*

3. *Centenaria observantia, praesumptionem secumfert cujuscumque validioris tituli.*

   Ubi servitus non probetur, praesumitur quis possidere jure condominii - ibidem. -

4. *Sepes, parietes, columnae, apta non sunt ad constituendum agri terminum, nisi alia accedant argumenta.*

5. *Animadversiones periti, extra ullum judicii ritum quaesitae, nihil probant.*

6. *Testis unicus, et in aestu litis expiscatus, non est attendendus.*

   Expleta divisione, nemo cum primaevo possessore, tenetur communicare quidquid pretiosi in suo fundo invenit - ibidem. -

DECISIO CCLIV.

Nullam non modo redintegrationem Nobilissimo Viro Pio Crescentio ex Ducibus Bonelliis competere ad integram vici possessionem, qui ejus vineam dividit ab alia, qnam extra Portam Portuensem possident Rev. Presbyteri Piæ Domus Missionis Urbis in Monte Citatorio; verum etiam nullum jus eum habere vindicandi lapides elaboratos, et sculptiles, quos asserit a prædictis Presbiteris egestos, ac defossos in parte ejusdem vici, quæ eis contigit ex divisione, communi placito, adhibitaque agrimensorum opera, ad augendam vinearum culturam anno 1822

cum ipso Bonellio inita, definitum fuit ab abrogatis A. C. Triumviris anno superiori. Nec secus censuit Sacrum hoc Auditorium die 21. Januarii bujusce Anni. Commissa enim mihi causa, cum Dubii formulam Dominis Meis exhibuissent bis verbis conceptam = *An sit locus reintegrationi, et restitutioni monumentorum in casu etc.*, illico *negativum* retuli Responsum, veluti pandit mea Decisio ad dictam diem edita, ubi rerum gestarum series latius enarratur. Licet vero Dux Bonellius, impetrata novæ Audientiæ venia, post velitationes quasdam in Tribunali Signaturæ Justitiæ perperam factas, summis hodie viribus oppugnaverit avulgatam Decisionem, nihil tamen profecit, et in eadem sententia perstitom est Responso » *In Decisis* »

1 Non enim ea duo hoc in casu concurrunt extrema, quæ in judicio redintegrationis omnino desiderantur, et vetus scilicet Actoris, et recens rei conventi possessio. Vici dimidium, ad quod redintegrari postulat Dux Bonellius, usque ab anno 1822, a Rev. Presbyteris Piæ Domus Missionis possideri, et non clam, nec vi, nec precario, sed rite, ac legitime, plenoque jure probat divisio eo tempore inter eumdem Bonellium, et Missionis Presbyteros, non tam mutuo consensu, quam ex aperta agrimensorum peracta, qui in loci faciem sese contulerunt, et, peculiaribus animadversis rerum circumstantiis, cum cognovissent ad communem utriusque vinearum possessoris usum effectum vicum illum fuisse, juxta artis agrariæ regulas suam cuique portionem assignarunt, tum Duci Bonellio, tum Missionis Sacerdotibus. Si itaque ad augendam vinearum culturam, cum jam desiisset necessitas transeundi per vicum, ejus divisio facta est, nihil jam proponitur, cur ipsa divisio servanda non sit, quia, quod semel placuit, displicere amplius nequit *Cap. Quod semel de Reg. Jur. in* 6. Erroris quidem incusabat Dux Bonellius peractam vici divisionem, ac ex falsa causa ad vicum ex æquo dividendum se inductum fuisse dicebat: at nullam erroris, falsæque causæ, quæ nunquam cæteroquin præsumitur, adbuc usque probationem adduxit, quamvis ex Rescripto Tribunalis Signaturæ Justitiæ, quo rejecta fuit ejus petitio injungendi Sacro Nostro Ordini facultates, ut *tamquam in prima* de objecta cognosceret nullitate præstiti a Bonellio consensus, plane intellexerit de hac re disputari non posse.

Validitatem vero peractæ divisionis, ejusque justitiam nemo inficias ire poterit, si perspectum babuerit, communem finitimis possessoribus fuisse vici usum, antequam divideretur. Hujusce indolis, atque naturæ tunc temporis fuisse vicum, de quo quæritur, duo sunt, quæ invictissime demonstrant; transactio nempe Anno 1702. inter Crescentios Bonellii auctores, et Piam Missionis Domum per publicas tabulas celebrata, et subsequuta observantia, quæ, quantum transigentium voluntatem explicavit, tantum novum communionis vici titulum, si opus esset, omnino præbet. Ad transactionem Anni 1702. quod pertinet, recolendum in facto est, post obitum cujusdam Joannis Bodessonii, cui dein successerunt Sacerdotes Missionis, ausos fuisse Crescentios, disjectis cancellis ad vici caput ex conventione antea pusitis, sepe vicum ipsum occludere. At, rei communis condominium vindicaturi, tunc statim in aciem venerunt Sacerdotes Missionis, ac judicio coram Urbis Vicesgerente adversus Crescentios instructo, merito postularunt, ut res in statum pristinum restitoeretur. Videntes tunc Crescentii se in malo jure versari, quæstionem componere curarunt, ut reapse composita fuit, ope prædictæ transactionis anno 1702 stipulatæ, qua præcipue cautum, ut lignei cancelli, eversa sepo pro possessorum usu, et securitate an vici caput erigerentur. Voluerunt sibi quidem Crescentii in ea transactione consulere, et expressa pactione cavero, ut sibi denuo liceret sepe vicum obstruere, integrumque dominium vindicare, si tractu temporis probari po- 2

tuisset, perperam jus condominii sibi assererе Sacerdote Missionis. Procul vero ab ulla vel levi probatione, ex qua Crescentii evincerent, ad se vicum illum omnino pertinere, per *centum*, et ultra annos, quanti nimirum effluxere ab ea transactione usque ad diem initæ divisionis, bono animo tulerunt Crescentii, eorumque successores, jure condominii super Vico frui Sacerdotes Missionis, quin ullam amplius eis molestiam creaverint.

3 Quin imo adeo persuasum Crescentiis fuit, se ex æquo cum prædictis Sacerdotibus vicum possidere, ut ultro siverint, arundines, sylvestresque calamos sponte in eo enatos alternis vicibus ab utroque possessore recolligi. Hæc itaque observantia plusquam centenaria novum exhibet titulum ad communionem, et condominium vici demonstrandum. Sciunt enim omnes centenariam temporis possessionem cujuscumque validioris tituli præsumptionem secumferre, tantique ponderis esse, ut ex ea facile credendum sit, præcedentem transactionem Apostolica auctoritate fuisse firmatam, ut late arguit prima *Decis* §. 8., et 9. His constitutis, absurdum prorsus esset vici communionem in discrimen adducere. At, qui Bonellii, causam orabant, ad veteres redeuntes exceptiones in prima mea Decisione funditus explosas, ut jus condominii convellerent, denuo regerebant, Paulinam Maphejam, cujus vinea alteri conjuncta, quam possidebat Bodessonius, ab ea postea transiit in Presbyteros Missionis, non jus condominii habuisse; sed jus transitus, activam scilicet servitutem, obtinuisse ad tramites celeberrimæ legis. *Si quis sepulcrum ff. de relig., et sumpt. fun.*, cum nulla alia præsto ei esset via vineam suam adeundi. Sed eadem occurrebat responsio, nullam de hoc probationem afferri; non judicium, in quo de hoc jure transitus disputatum fuerit: non Judicis sententiam, quæ vicinum possessorem compulerit ad suppeditandam constituto pretio, viam, non ullam denique stipulationem, cujus ope hoc jus transitus fuerit conventum Maphejam inter atque Crescentios. Utcumque vero res fuerit, sive quod Mapheja, et Bodessonius jure condominii ab antiquo tempore pollerent, sive quod jus transitus tantum haberent certo pretio acquisitum, optime censuerunt Domini, haud illicitum fuisse Crescentiis, et Missionis Sacerdotibus, qui Maphejam, et Bodessonium modo repræsentant, inita transactione, constituere, ut lignei cancelli ad vici caput extollerentur, et vicus ipse in posterum retineretur utrisque possessoribus communis.

Nihil autem detrahit vici condominio, quod vinea ad Bodessonium antiquitus pertinens circumvallata sit muro, qui plerumque possessionis confinium, et terminum indigitat: Vinea vero Bonellii sola sepe claudatur, quæ, procul ab ullo constituendo termino, ad custodiam tantum, et ad præcludendum pecori, et furibus aditum apponi solet. Si enim confinia ipsa, quæ æterna in jure nostro nuncupantur, ut sunt maria, flumina, rivique perpetuo fluentes, apta quandoque non sunt ad constituendum agri terminum, nisi alia accedant argumenta, quæ hunc proprietatis, et dominii terminum constituant, multo minus simplex murus, aut paries agrum circumdans ejusdem Agri confinium constituit, nisi alia concurrant signa, quæ murum ipsum ad terminum agri constituendum extructum fuisse demonstrent. Parum hinc refert, quod ad parietis initium, ubi extant cancelli, Numidica quædam columna ab antiquis temporibus erecta inspiciatur. Nam lapides hujusmodi aut casu sæpe, aut ob elegantiam, et ornatum extolluntur, quin ullum, seorsim ab aliis præsumptionibus, vineæ confinium evincant, ut latius animadvertit prior Causæ *Decis*. §. 9 *ad* 12 At in themate, de quo res est, præterquam præsumptiones ista, et argumenta deficiunt, ex quibus probetur ædificatum fuisse murum ad præfiniendum vineæ terminum, illud etiam accedit, quod in eodem muro ostium extat, ex quo potest vineæ dominus per vicum ad libitum transire, eoque 4

uti, et frui eodem modo, quo utebantur Crescentii, et ante initam divisionem Bonellius usus fuit.

5 Quod demum totam conficit quæstionem, et vicum finitimis possessoribus communem semper fuisse demonstrant, illud est, murum, sepem, et lapides ab eo tempore extitisse, quo celebrata fuit transactio, et initium duxit observantia. Invictam hujusce rei probationem constituit judicium a Bodessonio adversus Crescentios institutum post Paulinæ Maphejæ obitum, ut sepes ab eis disjecta iterum extrueretur. Idipsum melius eruitur ab alio judicio, quod transactionem præcessit, quodque ipsemet instruendum curarunt Missionis Presbyteri, ut impetum reprimerent Familiæ de Crescentiis; quæ, Bodessonii obitu iterum abusa, sepem propriæ vineæ destruens, totum vicum occupare, illumque sibi addicere tentaberat. In uno, alteroque judicio tam Bodessonium, quam Missionis Presbyteros jure, meritoque vindicasse vici condominium, invictum præbet argumentum transactio inita anno 1702., ex qua denuo erecti ad vici caput Lignei cancelli fuerunt, et divisæ cancellorum claves ad mutuum ejusdem vici usum, et commoditatem. Quod si hæc ante transactionem illam evenerunt, dubitari profecto nequit, quin ab eo usque tempore reputaverint Crescentii, æquali jure finitimos omnes possessores super vico potiri. Crescit ergo vis transactionis, et subsequutæ observantiae plusquam centenariae, quam infringere certe non poterant quaedam Agrimensoris Philippi Rondellii animadversiones, a Bonellio extra ullum judicii ritum quaesitae, quippe qui ad excludendum vici condominium illis ipsis innititur parietis, sepis, lapidis argumentis, quae nihil ad hanc rem conferre ex demonstratis constat.

6 Firma itaque manet vici divisio inter Bonellium, et Missionis Sacerdotes anno 1822 peracta. Non minus tamen exploratum erat Patribus, injuria Bonellium urgere restitutionem veterum monumentorum, si quæ forte in effodenda terra a prædictis Sacerdotibus Missionis inventa fuerunt. Contemnendum siquidem visum est quidquid testis unicus, et in æstu litis expiscatus deponebat Joannes quidam Caravaggius, et attendendæ unice erant Romanæ ephemerides, quae retulerunt sculptiles lapides, et marmorea signa egesta fuisse variis in locis vineae Sacerdotum Missionis. Si ergo non in ea parte vici, de qua disputatur, occulebantur simulacra, jam omne jus corruit illorum restitutionem petendi. Etiamsi vero eadem simulacra reperta fuissent in ea punctim vici parte, quae ex divisione contigit Sacerdotibus Missionis, id tamen nullo impedimento esset, quominus Sacerdotes ipsi illorum monumentorum dominium sibi vindicent. Absoluta enim praedii divisione, unusquisque portionem suam cognoscere debet, ejusque arbiter, et moderator est, nec tenetur communicare cum primaevo possessore, si quid pretiosi in eo repertum est, quia notissimum in jure est, ad monitum *Imp. Adriani*, de quo disserunt *Instit.* §. *Thesaurus de rer. divis.* thesaurum in fundo meo inventum meum omnino esse. Consulatur praeterita mea *Decis.* §. 13. Servandos propterea esse Sacerdotes Missionis Urbis in possessione, tam medietatis vici, quam veterum monumentorum, loci, seu vinearum indoles, transactio, divisio denique nuperrime facta necessario requirebant.

Et ita, confirmata in caeteris priore Decisione, judicatum fuit. Utraque ec.

ROMANA

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM
QUOAD
DECRETUM DIEI 30 MAII 1804

Lunae 28 *Februarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori. quae confirmatur - DECISIO CXCIV. -

SUMMARIUM

1. Judicii ordo postulat, ut prius in primaevum statum spoliatus restituatur, ac separato de-

inde judicio ad examen revocetur quaestio, quae spolio causam praebuit.

2. *Ubi Signatura nihil de nullitatibus judicavit, totumque negotium ad Tribunal appellationis remisit, hoc de nullitatibus cognoscere etiam potest.*
3. *Si ex Pontificia delegatione, quaestio remissa fuit, Tribunali ordinario,* prout de jure, *revocari ad trutinam debet nedum, justitia, aut injustitia, sed etiam validitas aut nullitas actus.*
4. *In judicio laesionis, ad tempus semper stipulationis remeandum est.*
5. *Gallica durante dominatione, artium monumenta, quanti minimi aestimabantur.*
6. *Qui tanti emit, quanti res in commercio veniebant, exulat laesionis quaerela.*
7. *Pecuniae qualitas in calculo haberi debet, ad effectum laesionis.*
8. *Detrahi debet a valore rei emptae, quidquid impendit emptor pro re restauranda.*
9. *Si pretium non fuit ab emptore oblatum, quodlibet excluditur praefocationis genus.*

DECISIO CCLV.

Semel, atque iterum judicavit Sacer N. Ordo, beneficio restitutionis in integrum succurrendum esse filiis, ac hæredibus defuncti Equitis Vincentii Pacetti adversus æconomicam jussionem Cardinalis Pro-Camerari, a S. M. Pontifico Pio VII, approbatam, quæ eum adegit ad restituendas intra triduum Viro Principi Carolo Barberini nunc pariter vita functo, coempta nonnulla simulacra, sculptaque marmora, veluti ostendunt binæ meæ Decisiones dierum *vigesimæ primæ* Aprilis Anni 1823., et *vigesimæ quintæ* Junii superioris anni. Impetrata tamen a Barberinii hæredibus novæ Audientiæ venia, adeo ipsi convellenda curarunt editarum Decisionum fundamenta, ut bis anceps hæserit. ampliatumque fuerit ad totam Aulam RR. Patrum judicium. At ita demum cum Justitia, et æquitate congruere visæ sunt præfatæ meæ Decisiones, ut hodie, re denuo expensa, confirmationis robur eis adjecerit, quod retuli, Responsum » *In Decisis.* »

1 Non abs re primo animadvertendum erat præsentem controversiam ab altera omnino pendere, quam pariter hodierna die Patres Domini definierunt juxta vota filiorum, et hæredum Pacetti nimirum super Aperitione Oris adversus hoc ipsum Cardinalis Pro-Camerarii Decretum. Si enim, ope hujusco aperitionis Oris, implicite constitutum est, defunctum Equitem Pacetti immane spolium, et violentiam passum fuisse, dum rebus sibi legittimo titolo quæsitis, et bona fide possessis absque ulla defensione expoliatus fuit; ipsa profecto spolii indoles, ac judicii Ordo postulat, ut prius in primævum statum spoliatus restituatur, ac separato deinde judicio ad examen quæstio revocetur, quæ spolio, ac violentiæ causam præbuit *Rot. decis.* 223 num. 8 *cor. Rotto*, *in Aesina, seu Fanen. spolii* 5 *Junii* 1751 §. 10 *coram Bussio*, *in Eugubino Spolii* 15 *Januarii* 1805 §. *cor. Reverendissimo P. D. meo Isoard Decano, et in Romana Cloacæ super Spolio* 15 *Junii* 1821 §. 4 *cor. R. P. D. meo Spodo.* Quamobrem prius essent hæredibus Pacetti reddenda marmorea signa, eorum patri per vim erepta, aut illorum pretium persolvendum, ac postea disquirendum esset de controversia ipsa, de objecta scilicet læsione contractus, ac de justitia, vel injustitia Decreti. Quod si in præsens hac inire placeat disputationem, non melior fit hæredum Barberini conditio. Primo namque loco illud sese offert, quod Decretum a Cardinali Pro-Camerario anno 1804. tertio Kalendas Junii latum, irritum prorsus, ac nullum renunciandum est, semelac bonæ fidei possessorem absque citatione, re non discussa, judicii ritu posthabito, ad restituenda simulacra damnavit.

Qui autem ab hæredum Barberini 2
partibus erant, maximopere contendebant, nunquam solere Sacrum Nostrum Tribunal de nullitate disputare, et multo minus de ea quærere in themate posse, in quo commissa rei cognitio Sacro Nostro Ordini fuit cum clausula » *de Causis sine præjudicio Reijudicatæ* » At is omnibus adversatur constans, ac perpetua Sacri Nostri Auditorii consuetudo de validitate primum anteacti judicii, ac de illius

justitia postea cognoscendi. Si enim præcedens judicium nullitata laborat, nunquam solet Sacrum N. Tribunal judicium ipsum probare, uti innumera fere monstrant exempla, in quibus de Reijudicatæ Viribus, ac de restitutione in integrum agitur, et de quibus edisserit prima *Decis.* §. 2 Nihil vero nocet controversiæ cognitionem a Pontificio Auditore delegatam Sacro Nostro Ordine fuisse cum illa Clausula » *De Causis sine præjudicio Reijudicatæ* » Non leve siquidem discrimen adest inter illas quæstiones, quæ cum hujusmodi clausulis a Tribuuali Signaturæ, et alias, quæ a Præsule, qui vice Sacra fungitur, Sacro Nostro Ordini definiendæ committuntur; Cum in Tribunali Signaturæ revera disputetur de nullitate, et circumscriptione actorum, si idem Tribunal appellationem supplicanti largiatur *in devolutivo* tantum, ut inquiunt forenses, evidens sane est, nullitatem, et circumscriptionem penitus rejectam fuisse. At vero in casu, quo nihil de nullitate disputatum, judicatumque fuerit coram Auditore Pontificio, totumque negocium Sacro Nostro Tribunali fuerit commissum, dubitari profecto nequit, quin de tota controversia judicium ferendum sit, ut hoc ipsum judicium ferre potuisset Pontificius Auditor; et clausula illa » *De causis sine præjudicio Reijudicatæ* » nil aliud secumferat, nisi ut interim, et lite fervente præcedens judicium, aut Sententia, aut denique Decretum supponendum sit.

3 Cæterum valde repugnaret, quod in hac controversia validum renunciaretur æconomicum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii, eum e contra inter alia rationum momenta ideo censuerint Patres Domini adversus idem Decretum a Summo Pontifice prolatum aperitionis oris veniam germanis fratribus Pacetti tribuere, quia viderunt, proculcatis judiciorum regulis, possessore indefenso, eoque non vadato jussionem illam prodiisse. Etiamsi igitur in *genere* loquendo, affirmari velit, nullitatis examen suscipere N. Sacrum Ordinem baud solere; semelac tamen ex Pontificia delegatione, prout de jure cognoscenda quæstio est, non una profecto Reijudicatæ justitia, aut injustitia, sed ejus quoque validitas, aut nullitas ad trutinam oportet revocari: cum præcipue contra jus, et legem sit, indefensum aliquem condemnare, et nulla major dari possit injustitia, quam nullitas, qua si Sententia aliqua, ant Res judicata inficitur, eo ipso injusta nuncupari debet: consulantur præteritae Decisiones, utraque §. 3. et 4. Sat ergo esset ad hæredes Paeetti in integrum restituendos nullitas æconomici Decreti Cardinalis Pro-Camerarii; quam, nec ipsi quidem rei conventi, evidentia perculsi, poterant inficiari. Verum, scorsim etiam a nullitate idem requirebat remedium ejusdem jussionis injustitia. Non enim verum est, quod summa confidentia hæredes Barberini modo propinabant, enormissimo læsionis vitio coinquinari contractum emptionis venditionis statuarum, quod æconomica jussio irritum, nullumque declaravit.

Multa quippe sunt, quæ incivilem objectionem eliminant. In primis nulla mentio, aut vola invenitur in eo Decreto Cardinalis Pro-Camerarii, qui non alia de causa, nisi ob multas Viri Principis Barberini preces, et ex proprii muneris auctoritate, contractus rescissionem indixit. De acerbissima rursus actione agitur, quæ crimen, dolumque sapit, quæque nunquam recipitur, nisi cum evidentes afferantur de contractus in æqualitate, et læsione probationes. In hoc demum examine ad tempus semper stipulationis remeandum est, illudque præ oculis habendum, ut de læsione judicetur, quæ nunquam a futuro pendet rerum eventu, cum non minus ex Philosophorum, quam ex Juristarum adagio de futuris contingentibus nulla detur legitima determinatio. His sedulo perpensis, quæ fusius tractant præcedentes Decisiones, et prima præcipue §. 4 et 5, ineptum esset ex eo læsionem arguere, quod Fauni dormientis simulacrum inter primas, ac nobiliores Atticorum artificum statuas numera- 4

batur, illudque postea, restitutis rebus publicis, coemerit Bavariæ Rex soluto pretio argenteorum nummorum *octomillium*. Nam, si ad tempus gesti contractus oculos convertamus, nemo est qui sine mærore non recordetur infelicem illam temporum conditionem, in qua ex Gallorum invasione, bellique tumultu diminutam agricolationem, intercæptum commercium, auctas intributiones, collapsam veterum monumentorum æstimationem, papyraceam, cupreamque monetam publice receptam, pecuniæ fœnus ad ingentem mensuram adauctum, magnam bonorum Ecclesiæ, et Fisci colluviem venum expositam lugere debuimus.

5 Quo circa non erat ad arguendam laesionem amplificanda simulacri Fauni præstantia. Scimus omnes marmoreum illud signum a Greco sculptore elaboratum summo in pretio fuisse. At id ostendit felicioribus, pacatisque temporibus majori pretio vendi potuisse: non autem læsionem contractus evincit eo tempore, quo pulchrarum artium monumenta in maxima jacebant abjectione, et quanti minimi æstimabantur, veluti, et multi testantur artifices, et ipsa docet experientia. Constat enim a Nobilissimis Urbis Familiis, quas inter Bourghesia, Columnensis, Alteria, Ghisia, Bonellia, simulacra summi valoris, et sculpta sub Attico coelo, Democratici Regiminis tempore distracta vili admodum pretio fuisse. Refragabantur hinc experientiæ publicæ testes illi omnes a Barberinii hæredibus adducti, qui deponebant, suum semper honorem, et æstimationem servasse vetera monumenta, nec pretium quidem simplicis, ac rustici, et nondum elaborati marmoris Pacettum numerasse, dum nummos argenteos *milletercentum* tantum persolvit. Bonarum quippe artium cultores eodem semper in pretio habent vetera monumenta, quamvis infortunia publica illarum æstimationem diminuant: At iidem testes neque probabant idem pretium, nullo discrimine facto, vetera monumenta eo tempore retinusse, quod ab emptoribus antea solvebatur, quemadmodum in judicio læsionis evincendum est. *Zanch. de læsion. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 82 *Constantin. ad Stat. Urb. adnot.* 46 *num.* 260 *Rot. decis.* 686 *num.* 12 *cor. Dunozzet Jun*; nec probare id poterat.

6 In æstimanda læsione omnen fert punctum temporum conditio, adeo ut mirum non sit, si Sacer N. Ordo in Decisione, cui titulus *Fulginaten.* 30. *Januarii* 1809 *coram Gardoqui*, libratis temporum circumstantiis, ab omni læsionis labe immunem declaravit contractum duorum bobum nummis argenteis *septingentum* divenditorum, qui, si hodie gestus fuisset, enormissimae laesionis vitio infectus ab omnibus existimaretur. Leve est autem marmoris pretium, donec Artifex opus aliquod in eo non perficiat, quod materiam superare solet. Caeterum nullam Barberinii haeredes probationem attulerunt, nec unquam afferre possent ex qua conjicere liceat, hujusmodi simulacra duplo, aut triplo pluris rei gestae tempore valuisse. Quod si majori pretio distrahi potuissent, non est certe praesumendum, defunctum Virum Principem Carolum Barberinium, qui caeteroquin admodum cautus, et prudens erat in rerum suarum administratione, cum Pacetto contrahere voluisse. Si ergo tanti emit Pacettus, quanti hujusmodi monumenta in commercio veniebant, nemo sane dixerit emptionis venditionis contractum odioso laesionis vitio coinquinatum, ut fusius ostendunt praeteritae meae Decisiones prima §. 7, secunda §. 6 Praeterea ad avertendam objectam laesionem illud etiam accedebat, pretium monumentorum ab ipso Barberinii mandatario, et procuratore constitutum fuisse: neminem alium, si Pacettum tum excipias, ad emendum accessisse, quamvis res ageretur in Urbe Roma, ubi bonae artes semper floruerunt: pretium denique ab emptore solutum fuisse in nummis Argenteis *mille tercentum*, qui *sexies* ex publicorum proxenetarum testimonio excedebant tempore contractus aestimationem aeneae, ac papyraceae monetae, quae tunc in

commercio vigebat, et recusari, invita lege, non poterat, etiamsi ageretur de rebus intrinsecum, realemque valorem babentibus, ut latius evincunt praedictae Decisiones; et prima praecipue §. 10

7 Quocirca, dum Pacettus nummos argenteos *mille tercentum* in numerata pecunia in pretii causam pensitavit, idem est, ac si scuta *septemmillia octingentum* in currenti generica moneta solvisset, quæ quamlibet laesionem excludunt, tam ex qualitate, quam ex quantitate pecuniæ; Quoniam pecuniæ qualitas ex demonstratis læsionem non inducebant, cum rite, ac ad legum tramites tunc temporis scutis, exempli gratia *bismillibus* papyraceæ etiam monetæ prædium frugiferum emeretur, cujus intrinsecus valor ad nummos argenteos *bismille* perveniret. Non item ex quantitate pecuniæ, quia secus ad adstruendam læsionem probare oporteret dormientis Fauni simulacrum una cum aliis statuis, sculptisve marmoribus in contractu comprehensis multo pluris valuisse, quam scuta *septemmillibus octingentum*, aot etiam *octomillibus*, quanti simulacrum ipsum emit Bavariæ Rex. At ne ipsi quidem Barberinii hæredum oratores asserebant majus pretium meruisse marmoreum illud signum, qoamquod ab eodem Bavariæ Rege persolutum fuerit. Nullo præterea pacto a pretio, quod solvit Bavariæ Rex argui potest pretium a Pacetto antea solvendum, cum nullum a diversi trahi valeat argumentum *Leg. Papinianus* 20 *ff. de Minor. leg. Naturaliter* 12 § 1 *ff. de acquiren. possess. leg. Iaser stipulantem* 8 §. *Sacrum ff. de verb. obligat.*

8 Nam Bavariæ Rex Fauni simulacrum sibi comparavit post publicas restitutas res, post restitutum veteribus monumentis bonorem, post instaurationes ab ipso sculptore Pacetto in eodem simulacro factas, quas celebriores Urbis artifices scutis argenteis *bismillibus*, et periti homines in illo rerum tumultu a Cardinali Pro-Camerario electi scutis *sexcentum* æstimaverunt. Reque vera dormientis Fauni simularum, licet ab omnibus merito celebratum, erat tamen semi-Statua, dum ex una parte carebat femore, rure, et pede, et integer desiderabatur lacertus: parte vero ex altera non nihil ei deficiebat in crure pariter, et pede, praeter nasum in vultu restituendum. Celebris sculptor Eques Berninius bis mendis, et vitiis occurrere non potuit, dum ea supplevit ex fictili, fragilique creta: versa autem vice Pacettus forte fortuna Parium invenit lapidem similis coloris, ac tantum impendio, labore, artificio profecit, ut novum quasi signum emerserit. Quare mirum non est, et si Bavariæ Rex, mutatis circumstantiis, ac castigatis statuae vitiis, *octomille* nummos argenteos, quasi in pretium affectionis, quae nullum suppeditat laesionis adminiculum, postea persolvit. Non enim recte inferri potest, minus justum fuisse pretium cum Pacetto conventum. Irrito hinc studio haeredes Barberinii subdebant, ex necessitate comparandi quam cito pecuniae summam, ac ad effugiendum carceris, aut alterius infortunii periculum, marmorea signa fuisse distracta.

Non siquidem sine mora interposita, 9
et praepropere celebrata stipulatio fuit, sed postquam diu, multumque inter contrahentes tractatum, discussumque fuerat negocium. Pretium rursus, non ab emptore oblatum, sed ex venditoris mandatario propositum, si praecipue cum difficoltate conjungatur majus lucrum ab emptione venditione referendi, aperte demonstrat, abusum minime emptorem fuisse calamitate vendentis. Si denique Barberinius ope pecuniae, quam a Pacetto recepit, et a nemine alio invenerat, conjectionem in vincula, direptionis periculum, majora mala declinavit, non eum certe decebat tanti beneficii memoriam abjicere, Cum ergo aequalitati et justitiae niteretur inita emptio venditio, nullo jure poterat ea rescindi, ut factum fuit per Cardinalis Pro-Camerarii Decretum; a quo restitutionem in integrum concedendam esse germanis fratribus Pacetti, praeter alia omnia superius deducta, illud etiam suadebat,

ne scilicet in tanta multitudine similium contractuum ampla in privatorum incommodum jurgiis, dissidiis, et litibus via sterneretur.

Et ita, confirmatis praecedentibus Decisionibus, ac una mecum suffragium ferentibus OO.DD. in strenuo partium conflictu jus redditum est.

ROMANA

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM QUOAD REMJUDICATAM R. P. D. FERRARI ANNI 1806.

Veneris 4 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXCV. -

SUMMARIUM

1. Ex aequalitate rationum idem judicium ferendum est.

2. Ubi aperta injustitia deprehenditur, in integrum restitutione succurrendum est.

3. Nullo in casu emptor carere potest re et pretio.

DECISIO CCLVI.

Quod duabus meis Decisionibus dierum 25. Aprilis 1823., et 5. Julii superioris anni definitum fuerat, restitutionem nimirum in integrum concedendam esse filiis, et hæredibus defuncti Equitis Vincentii Pacetti adversus illud etiam Decretum Præsulis Ferrari, qua Auditoris Cardinalis Pro-Camerarii, in Remjudicatam prolapsum, cujus vi damnatus fuit idem Eques Pacetti ad reliqua simulacra, sculptave marmora restituenda in priori jussione non comprehensa, idipsum hodie, facta iterum potestate Nobilissimis Viris Francisco Barberini, ac Maphæo Sciarra Colonna jura sua deducendi, ampliatoque judicio, ut in aliis quæstionibus, ad universam Aulam, Patres Domini confirmarunt. Cum enim, vadimonio deserto, novæ Audientiæ beneficio usi ipsi non fuerint, ideo factum est, ut propositæ de more Dubii formulæ responderetur « *In Decisis* ».

Recolendum in facto est, post elapsum biennium a die primi Decreti Car- 1
dinali Pro-Camerarii, eodem urgente Barberinio, novum prodiisse Decretum Præsulis Ferrari, ex quo restitutio indicebatur illarum statuarum, ac marmorum, quæ sive ex errore, sive alia quacumque de causa in priori Decreto non continebantur, quæque interim ab emptore Pacetto una cum aliis simulacris privatis, et propriis Rev. Cam. divendita fuerant. Monendum rursus, ob hunc initum cum Rev. Camera contractum, coactum fuisse Pacettum ad pretium argenteorum nummorum *millium, et nongentorum octoginta quinque* Barberinio persolvendum, quanti Rev. Cameram eidem Pacetto numerasse dicebatur. Non denique prætereundum, ita non modo recuperasse Barberinium eam pecuniæ summam, quam Pacetti commodo, contractu temere rescisso, in publica nummularia Mensa depositi loco ipse reliquerat, sed eumdem prætérea Pacettum debitorem fuisse declaratum reliquæ summæ, quæ inter pecuniæ depositum, et pretium a Rev. Camera solutum intercedebat. His autem perpensis, nemo non videt, definitionem bujusce controversiæ ab altera omnino pendere, quæ super restitutione in integrum adversus primum Decretum Cardinalis Pro-Camerarii diei 30. Maii anni 1804. in superioribus Comitiis acta, et dirempta fuit. Cum itaque ex temporum conditione, ex qualitate pecuniæ, aliisque circumstantiis, quæ contractum emptionis venditionis inter Equitem Pacetti, ac Virum Principem Barberini gestum comitatæ fuerunt, demonstratum fuerit, quamcumque læsionem prorsus exulare, ideoque fuerit judicatum adversus illud Decretum restitutionis in integrum beneficio succurrendum modo esse germanis fratribus Pacetti, ex æqualitate rationum idem judicium ferendum est in hac altera secundaria quæstione, quæ eamdem respicit stipulationem, ut, adductis auctoritatum exemplis comprobat prima *Decis.* §.2.

2 Etiamsi vero causa cecidissent germani fratres Pacetti super altera controversia restitutionis in integrum quoad primum Decretum; non poterat tamen idem restitutionis in integrum beneficium eis non concedi adversus secundum Decretum, quod in impropriam Remjudicatam transiit. Nam semper, irrito etiam, et nullo ob læsionis enormissimæ labem, renunciato contractu, creditor Pacettus supererat, tam in causam pretii scutorum *mille tercentum* ab initio persoluti, eorumque fructuum, quos ipse Cardinalis Pro-Camerarius in scutis *tercentum nonaginta* constituerat, quam pro laboribus, et sumptibus in instaurationem simulacri Fauni dormientis insumptis, quos Artifices ab Eodem Cardinali, inaudito Pacetto, deputati scutis *sexcentum* æstimaverant. Si itaque hisce nominibus Equitis Pacetti creditum ad scuta *bismille biscentum nonaginta* assurgebat, ut ex erithmetico calculo patet, non poterat sane is debitor declarari in scutis fere *bismillibus*, ut depositam a se ipso pro pretii restitutione pecuniam Barberinius reciperet, et reliquæ summæ, quæ depositum excedebat pretium, idem Pacettus debitor constitueretur. Quare non ex eo solum, quod hæc quæstio alteri cohæret super primo Decreto, sed etiam quia major ex hoc alio capite injustitia in posteriori Decreto deprehenditur, in integrum restituendi germani fratres Pacetti videbantur.

3 Falso cæterum supposito laborat, quod alias ajebant, qui præclarissimis Viris Francisco Barberini, et Maphæo Sciarra Colonna patrocinabantur, pretium a Rev. Camera Pacetto solutum summam illam scutorum *millium*, *et nongentorum octoginta quinque* attigisse. Uti enim supra animadversum est, non ea solum signa marmorea, quæ licet in contractum cum Barberinio initum deducta, in priori nihilominus Decreto comprehensa non fuerant, sed alia etiam privata, et propria Pacettus Rev. Cameræ divendidit, pretio insimul convento scutorum *viginti sex millium septingentum quadraginta quatuor*. Necesse hinc erat periti hominis judicium exquirere, ut singulis simulacris pretium tribueretur, eoque inconsulto, cognosci nequibat, quanti valerent marmorea signa a Barberinio coempta, ac exinde erga Rev. Cameram a Pacetto distracta. Ad cæteras ergo calamitates accessit etiam, quod ex posteriori jussione contra omnem æquitatem, et justitiam Pacettus re caruit, et pretio: cujus rei nequitiam excusare non poterat pretium cum Rev. Camera conventum, quod post longum tempus ex stipulatu rependendum erat, et in nummariis tesseris exilem valorem babentibus subverso Pontificis Imperio a Gallicis Magistratibus æstimatum postea fuit. Ut igitur verum esset scuta *millia nongenta octoginta quinque* sese soluturam Rev. Cameram pro illis simulacris a Pacetto quæsitis spopondisse, non aliam tamen summam a nummariis tesseris Pacettus alicuisset, quam scuta *sexcentum quadraginta*, quanti videlicet nummariæ illæ tesseræ in commercio valebant. Quapropter, seposita quoque cohærentia hujus posterioris Decreti cum primo Decreto Cardinalis Pro Camerarii, abstergi nequaquam potest illius injustitia, ut animadverterunt superiores Causæ Decisiones prima §. 3. et 4, altera §. 4., et 5., ad quas omnimoda relatio habenda est.

Et ita, Me quoque una cum OO. PP. suffragante, decisum est, altera tantum etc.

ROMANA SEU ALBANEN
NULLITATIS DELIBERATIONIS

Lunae 24 *Januarii* 1825.

ARGUMENTUM

Laesionis quaestio, dijudicari debet, ad tramites legum, quae vigebant de tempore, quo expleta fuit subhastatio. At ex juris communis censura, laesio enormissima non admittitur, nisi infra bessem justi valoris.

SUMMARIUM

1. Beneficio restitutionis in integrum si est succurrendum, qui a rejudicata injusta est condemnatus.

Quilibet actus non a legibus, quae jamdiu exoleverint, sed ab iis, quae tunc temporis obtineat, regi debet - ibidem. -

2. *Subhastatio est actio realis, quae datur creditori in implementum actionis personalis.*

Subhastatio judicari debet iis legibus, quae tempore vigebant, quo absoluta est - ibidem. -

Jus commune enormissimam laesionem, infra bessem justi valoris constituit - ibidem. -

3. *Fundi empti sub hasta, ad effectum laesionis, aestimantur in tertia vera valoris parte.*

Canones, et servitutes juris pascendi praedii valorem in sexta parte diminuunt - ibidem. -

4. *Domus rustica colonorum, uti necessarium fundi considerari debet.*

Apud judices appellationis, de eo disputari nullimode potest, quod apud Judices primi gradus disputatum non fuit - ibidem. -

5. *Concipi nequit postremum oblatorem adesse nisi adsint alii, qui praecedant.*

6. *Quamvis ex veteri statutaria consuetudine, tres oblatores in subhastatione requirerentur, tamen id sublatum fuit per Motum proprium 6 Julii 1816.*

DECISIO CCLVII.

Cambiale nomen in sorte scut. 120 contraxerat jam usque ab anno 1800, favore cujusdam Thomæ Cajani Joannes Baptista Galantinius, fuerantque *semisses* usuræ conventæ. Pro Galantinio fidejusserat Josephus Carnevalius, Adventa vero solutionis die, ac Galantinio suam hauc implente obbligationem, Carnevalium creditor in judicium vocavit coram A. C. Ridulfi, ab eoque obtinuit, ut et sortem, et fructus sibi fidejussor rependeret. Ab hisce tunc molestiis liberationemCarnevalius contra Galantinium petivit, et usque ab anno 1807 mandatum contra ipsum ab Eodem A. C. Ridolfi assequutus fuit in scutis *centum et viginti* pro sorte recuperanda. At, ordine publico Judiciorum, rebusque universis ob Gallorum invasionem perturbatis, conticuit diu Carnevalius. Verum judicium reintegravit anno 1814, et tres tandem post annos mandatum iterum obtinuit in scutis 120 pro sorte, et aliud insuper in scutis *centum, quinque et obulis quadraginta uno* pro fructibus, et expensis, utrumque ab A. C. Cuneo de Ornano relaxatum.

In vim propterea utriusque bujusce mandati exequutioni deinceps Carnevalius supposuit fundum quemdam quem Galantinius in Agro Mareni jure utilis dominii possidebat in vocabulo *Marcandreola*, sive *Sassone*, qui fuerat ab Eusebio Galassinio Perito *scutis tercentis quinquaginta quatuor* et obulis *octuaginta* æstimatus; atque bic fundus pretio scutorum *tercentum* = quoad = l'*utile dominio*, *e con frutto pendente* = Carnevalio ipsi = *come ultimo*, *e maggiore oblatore*, *e faciente meglior condizione* = sub die 28 Novembris anni 1817 fuit deliberatus. Quapropter ex integro pretio scuta *ducenta quinquaginta quatuor* et obuli *octo* in crediti satisfactionem, et expensarum deliberationis cesserunt, reliqua vero scuta *quadraginta quinque* cum obulis *nonaginta duo* deposuit Apparitor in Æde Sacra Urbana favore ipsius Galantinii, qui ea deinde recipere non dubitavit.

At paulo post in mentem Galantinio venit hanc fundi deliberationem enormissimæ læsionis vitio infectam proponere proindeque diem Carnevalio dixit coram A. C. Cuneo, sive ejus Assessore Advocato Chiodi, ut deliberatio propter assertam hanc enormissimæ lesionis labem nulla declararetur, suique voti compos effectus est. Judex enim ille, deputato prius Perito judiciali Tobia Sani cum facultate assumendi peritum alium cæmentarium, postquam ab his audivit fundi valorem cum rustica domo, aliisque ad nexis ad scuta *hexcenta octuaginta quatuor* et obulos *sex* assurgere enormissimam Læsionem = *In conformità dello Statuto di Roma* = intervenisse in deliberatione favore Carnevalii peracta, sub die 13 Septembris anni 1821 decrevit.

Ab hac Sententia cum ad Triumviros A. C. Carnevalius Appellationem detulisset, ejusdem audire debuit confirmationem, tum ex ænormissimæ læsionis titulo, tum ex noviter a Galantinio proposito ac probato per eos Judices trium oblatorum defectu. Hinc de nullitate deliberationis orta est adversus eum Res Judicata Tunc ipse

ad Supremum Signaturæ Tribunal recursum habuit, a quo ei devolutiva fuit appellatio concessa cum clausula = *De Causis sine præjudicio rei judicatæ* = Ad nostrum igitur Sacrum Ordinem rei cognitione delata, dubioque concinnato = *An constet de re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Patres omnes a me rogati, ac me quoque suffragante, respondere hoc mane non bæserunt = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

1 Beneficio restitutionis in integrum ei succurrendum esse, qui a Re judicata injustitia laborante condemnatur, *ad Text. in cap. ex literis de in integrum restit. et Ulpian. in L. 4 condemnatum ff de re judicata* semper Sacer Noster Ordo firmavit. Cum nullam vero læsionem in deliberatione, de qua agitur, locum habuisse Patres perspexerint, nulla superesse poterat dubitatio quin injusta declararetur Resjudicata, quæ læsionem enormissimam in ea intervenisse definivit. Jam vero id primum erat inquirendum, ex cujus legis censura ipsa mensuranda fuisset, ex Communi nempe, vel ex Statutario Urbis Jure. At in eo maxime erratum fuisse in utraque Sententia Patres censuerunt, quod utraque ab Urbani Statuti Sanctione læsionis mensuram quærendam esse judicavit. Quemlibet enim actum, sive contractum non aliis formis, et regulis, quam iis, quæ a Legibus præscribuntur, perfici debere, nec aliis subesse legibus, quam eis, quæ vigent tempore, quo perficitur, compertissimi juris est, nec unquam in dubium revocari potest. Nam, sicut nemo sanæ mentis profecto diceret, actum, qui in præsens expletur, posse a lege, vel alio eventu futuro normam, et modum accipere, ita pariter concipi nequit actum aliquem legibus, quæ jamdiu exoleverint, non iis, quæ tunc temporis obtinent, quo hic actus expletur, regi debere. At deliberatio, de cujus validitate disceptatur, anno 1817 ad exitum vergente, perfecta est; quo quidem temporis non Urbani tantum, sed omnium Municipalium Statutorum Sanctiones fuerant e medio sublatæ, et Juris Communis dispositiones ex Sacratissimi Principis notissimo Motu Proprio anni 1816 servandæ erant. Ad tramites ergo juris Communis de læsione quærendum erat, ut in aliis casibus Sacra Rota definivit, et præsertim in *Romana Nullitatis Deliberationis* 1 *Martii* 1822 *coram Me.*

Nec probandum Patribus visum est, 2
quod a Galantinio propositum, ac ab Assessore prius exceptum, Triumviris etiam A. C. arrisit, ideo nempe, eum læsionis modum esse tenendum, quem Urbis Statutum constituerat, quia ab anno 1807. Carnevalium inter, et Galantinium lis fuerat contestata, eademque anno 1814 revixerat, quo scilicet tempore, eo Motu Proprio a S. M. Pio Septimo P. M. nondum in vulgus edito, Municipales Sanctiones vim adhuc suam obtinebant. Quamvis enim subhastatio, et deliberatio a judicio originem ducat, non ita ab eo pendet, ut, mutatis legibus ante ejus exequutionem, bæc legibus anterioribus regi debeat. Judicii enim actio in casu nostro erat mere personalis, subhastatio vero est actus realis, qui datur creditori in implementum actionis personalis, subhastatio vero est actus realis, qui datur creditori in implementum actionis personalis, Judicium lata Sententia perficitur, Subhastationi deinde fit locus, quæ propterea judicari debet iis legibus, quæ tempore vigebant, quo absoluta est. Nil ergo refert litem ante Motus Proprii publicationem fuisse contestatam; id sufficit, quod post ejus promulgationem, anno scilicet 1817 subhastatio locum habuerit, ut procul omni dubio concludatur, ab ejusdem Motus Proprii, sive Juris Communis per eum ad observantiam revocati, Sanctionibus læsionis mensuram fuisse quærendam; omnemque Urbani Statuti censuram ab hac cognitione prorsus extraneam esse, et alienam. Atqui jus Commune enormissimam læsionem, non infra *dimidium*, sed infra *bessem* justi valoris constituit, nec scuta *tercentum* sunt infra *bessem* scutorum *Sexcentum*

octuaginta quatuor, et obul. *sex*; ænormissima ergo incassum hic quæritur læsio, et in propatulo est, injustitia Remjudicatam laborare, quæ de ea = *in conformità dello Statuto di Roma* = constare decrevit.

3 Id verum quoque Patres animadvertendum censuere, quod, etiamsi jure omni contradicente, dici vellet ex Statuti Urbani censura, læsionis modum quærendum esse, exularet tamen læsionis vitium, ex eo, quod Fundi prætium in Scutis *Sexcentum octuaginta quatuor* et obul *sex* a Peritis constitutum quam maxime imminni debeat. Agitur enim de emptione bonorum publicæ hastæ a debitore suppositorum. quæ quidem compertissimi juris est ita vilescere, ut minoris emi possint, quam reapse valent sine ullo injustitiæ vitio; et hanc vilitatem in tertia veri valoris parte communiter æstimari docent *Pasch. de Subhast. insp.* 49 *nuwer.* 1 *Zanch. de laesione par.* 2 *cop.* 6 *num.* 76, *et Rota in Tolentina laesionis* 22. *Junii* 1807 § 6 *coram Eminentissimo Cesarei in Centumcellarum laesionis* 13. *Decembris* 1822 *coram R. P. D. meo Tiberio*, *in Romana Nullitatis Deliberationis* 1. *Martii* 1822 § 3 *coram Me*, *et in confirmatoria* 17 *Januarii* 1823 *coram R. P. D. meo Tiberio* § 6. Quemadmodum igitur licuisset creditori, qui sibi ex bona adjudicari obtinuisset, *trientis* pretii lucrum asseqni, quin vel minima injustitiæ labe infecta adjudicatio ipsa dici posset, sic profecto Carnevalio acquirenti ad hastam, *trientis* ejusdem lucrum pro compendio tribuendum esse apertissime liquet. Gravatus insuper erat fundum ipse, deliberationi subjectus, canono scutorum *sex* et obulorum *quinquaginta duo* atque onere jurispascendi favore Columnensium, qui directi dominii, et pascui jure super eo potiebantur. Cum itaque iisdem oneribus gravatus in Carnevalium pertransierit, directi dominii, alteriusque juris antedicti valorem e pretio detrahendum esse nemo non ambiget. Hunc vero ultra Canonis et pascui caput in sexta totius valoris parte existimari docent *Constantin. ad Statut. Urb. annot.* 46 *art.* 2 *num.* 17., *et num.* 269; *Cancer. var, resolut. part.* 1 *cap.* 13 *numer.* 47. *Osasch. decis.* 91 *num.* 10. *Fontanell. decis.* 62 *num.* 17, *et Sac. Rot. decis.* 573 *ibique adden. num.* 15 *vers. Surdus*; *coram Gregor. decis.* 179 *num.* 7 *et* 8 *coram Card. Ubaldo decis.* 94 *num.* 13 *part.* 15, *et decis.* 283 *num.* 6 *part.* 16. *Recen.*

Quibus sane binis tantum detractionibus *trientis* scilicet pretii ob vilitatem bonorum, quæ sub hasta veniunt, et *sextantis* ob directi dominii, jurisque pascendi onus in calculo habitis, jam plus dimidio imminutus ex iis duliberati fundi valor dignoscitur. Ad id accedit, quod et domus rustica colonorum usui inserviens separatim a fundo veluti urbana domus sit æstimata, dum uti accessorium tantum considerari debebat, ideoque tanti minoris existimari, uti testantur *Constant, ad Statut. Urb. annot.* 46 *art.* 2 *num.* 100, *et Rota coram Seraphino decis.* 1377 *num.* 3, *et coram Merlino decis*, 449 *num.* 4 *et* 5. Vectigalia tandem, annuæque responsiones si demantur, demenda autem esse tradit *Rota in Romana*, *seu Nepesina Læsionis* 4 *Martii* 1810 § 14 *coram Eminentissimo Serlupi*, *et in Romana Nullitatis Deliberationis* 17 *Januarii* 1823 § 6 *coram R. P. D. meo Tiberi*, jam tanti imminutum fundi valorem reperiemus, ut plus etiam eo, quod reapse solvi deberet, Carnevalium solvisse fatendum sit. Utcumque igitur res expendi velit, sive ad juris Communis tramites, sive ex Urbani Statuti censura, nunquam læsionis vitium in peracta deliberatione deprehenderc datum erit. Ex alio etiam cupite deliberationis nullitatem scatere contendebat Galantinius, ex deficientia scilicet trium oblatorum, sine quibus emptionem sub hasta perfici posse negabat. In qua quidem quæstione id prius animadverterunt Patres hujuscemodi objectionem nihili faciendam esse ex eo, quod in prima Assessoris Sententia nulla de ea mentio exciderit. Obvium enim in jure est apud Judices Appellationis de eo disputari nullimode posse, quod apud Judices

primæ Actionis disputatum non fuit, ceu docent *Scacc. de Appellat. quæst.* 11 *num.* 17 *Rocca num.* 1 *et seq. Rota in Recen. decis.* 231 *part.* 17.

5 Præterea nec id ullimode verificatur. Re enim vera haud a Galantino probatur trium oblatorum deficientia. Nec recte hæc deducitur ex eo, quod Oblatorum nomina, nen in Magistri apparitorum cedula, quæ licet penesActa producta probetur, inveniri nequivit agnoscere datum fuit, nec in Instrumento deliberationis expressa reperiantur. Nulla enim lex unquam præcepit, ut ea referrentur. Eamdem imo omnino excludunt deficientiam, tum facta dictæ cedulæ subhastationis productio, quæ nil aliud quam tres nominatim oblatores, et ab ipsis oblatas summas continebat, *tum* Cursorum Magistri testimonium super ejusdem cedulæ subjecto, ac scopo; *tum* instrumenti ipsius verba, quæ fundum favore Carnevalii deliberatum esse testantur = *come ad ultimo, e maggiore Oblatore, e faciente miglior condizione* =, Jam vero, cum concipi nequeat postremum adesse, nisi adsint alii, qui præcedant, nec majorem nisi minores, nec qui meliorem faciat alicujus conditionem, nisi quis extet, qui deteriorem eam facere nitatur: nec factam fuisse hujusce cedulæ productionem, qnin desideratum oblatorum numerum, et per ipsos oblatam pecuniæ vim exhiberet, concludendum omnino est e cedula ipsa subbastationis, et ex instrumento constare non solum plures, verum etiam tres adfuisse oblatores; idque retinendum, donec non conjecturis, et argumentis quæ vocant negativa, sed concludentissimis probationibus a Galantino excludatur. Verum posita etiam trium oblatorum deficientis, non ideo nullitate laborare deliberatio dici posset.

6 Quamvis enim ex veteri consuetudine plerumquo de stylo Tribunalis A C, tres requirentur oblatores dum de jure Communi unica tantum oblatio sufficeret, *Posthius de Subhast. insp.*33 *num.* 38. *Rot. coram Bichio decis.* 477 *num.* 4 *coram Dunozzet. decis.* 868*num.* 7, *et in Romana Nullitatis Subhastationis, et deliberationis* 8 *Maii* 1786 *coram Malvasia* § 15, hanc tamen consuetudinem, et differentiam e medio sustulit notissimus Motus Proprius diei 6 Julii 1816, per quem veteres consuetudines prorsus abrogatæ fuere, fuitque præscriptum, ut Communis tantum Juris Sanctiones servarentur. Nec obstat ipsum met creditoremCarnevalium ad hastam accessisse, atque fundum uti tertium quemlibet – *come ultimo, e maggiore Oblatore* – consequutum fuisse; Non enim dubium licitationem Creditoris etiam una cum aliis omnibus Oblatoribus admitti posse, ut firmant *Ridolh. Prax. Judic. part.*1 *cap.* 13 *num.* 136. *Rota in Rec, part.* 14 *decis.* 388 *num.* 9, *et coram Emerix decis.* 1041 *num.* 7. Illud vero etiam præter hucusque deducta maxime faciendum Patres censuerunt, quodGalantinus ipse deliberationis validitatem suo facto probavit. Deposuerat enim Carnevalius, ut supexius dictum fuit, in Æde Sacra Urbana scuta *quadraginta quinque*, et obulos *nonaginta duo*, quæ ex pretio fundi ultra ejus creditum supererant. Galantinius autem non dubitavit, quin Procuratorem eligeret, eique ad exigendam eam pecuniæ vim mandatum daret. Quo quidem facto ipsemet deliberationis nullitatem penitus excludere visus est.

Et ita a cuneta Aula; me quoqno suffragante jus redditum est, utraque.

ROMANA SEU ALBANEN

NULLITATIS DELIBERATIONIS

Veneris 10 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur – DECISIO CCLVII. –

SUMMARIUM

1. *In judicio subhastationis, eas tantum normas sunt servandas, quas in actibus exequutoriis peragendis leges de hoc tempore praescribunt.*

2. *Ex valore bonorum publicae hastae suppositorum, detrahi triens pretii debet.*

Detrahi deinde debet valor canonis, et pascui in sextante totius pretii - ibidem. -

Domus rustica referri non debet inter praedia Urbana - ibidem. -

3. *Actio diversa nunquam proponi potest, praesertim in gradu appellationis.*

4. *Non est quaerendum de Oblatorum numero, ubi creditor non ut deliberatarius, sed uti adjudicatarius ad hastam accessit.*

5. *Dedecet ejus deliberationis nullitatem jactare, cujus quis validitatem probavit.*

DECISIO CCLVIII.

Quæ facta huic controversiæ, Galantinium inter, et Carnevalium ortum dederit, quæve in hac Judicate prodierint, late exponit Decisio, quam die 24 Jannarii hujusce anni vulgavi. Ex eo siquidem patet Galantinium prius ab A. C. Cuneo, sive ejus Assessore Advocato Chiodi suis votis censonam Sententiam retulisse, qua ex enormissimae laesionis vitio nulla declarata utii deliberatio Fundi *Marcandreola*, sive *Sassone* adversus eum instante Carnevalio expleta, die 28 Novembris 1817, hanc deinde Sententiam a Triumviris A. C. confirmata Reijudicatae robur accepisse: proindeque ex supremæ Signaturæ indulto rem ad S. N. Ordinem conscendisse, qui propositæ dubii Formulæ *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = omnibus Dominis. ac me quoque suffragium ferentibus = *Negative ad primam partem affirmative ad secundam* = respondit. Instaurato hodie certamine, cum quæstio absolvenda sit præviis duabus Decisionibus ab Universa Aula, absque ulla ulteriori appellatione, quæsitum est de more = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = Parum vero juribus suis confidere visus est Galantinus; vadimonium enim deseruit, eoque non contradicente, præcedenti Decisione confirmationis robur Patres adjecere consultissime Response = *In decisis* =

1 Et re quidem vera eo deducta res est, ut nullus amplius dubitetieni locus superstit. Undequaque enim controversia dirimenda inspiciatur, deliberatio firmiter viribus suis consistere dicenda est, ideoque revocandam esse remjudicatam, quæ de illius nullitate constare definivit. Nam læsionis modus ex juris communis sanctione, non ex Urbeni Statuti censura quærenda eret ut Resjudicata perperem stetuit, quæ de ea = *in conformità dello Statuto di Roma* = judicium tulit. Nil enim refert litem ante Motus Proprii, quam pro Jure Communi accipimus, promulgationem fuisse contestatam, anno scilicet 1807, et enno 1814 revixisse, nec inde licet inferre ad Municipalium Legum tramites, quæ tunc temporis vigebant, deliberationem anno 1817 peractam esse dijudicandam. Pendet siquidem a judicio deliberetio, et subhestetio, at non ita pendet, ut hæc iisdem legibus sit exequenda, quibus illud fnerat inchoatum Late Sententia judicium perficitur, nec ulteriorem a deliberatione perfectionem recipit. Hæc siquidem sententiæ potius exequtio dici debet, quæ effectus est judicii, quam judicii ipsius nacessarium consequens. Neminem enim latet quamplura absolvi, et perfici judicia, quin ulla locum habeat deliberatio. Quocumque igitur tempore, quibusvis sub legibus inchoatum, absolutumque fuerit, nil de iis quærendum, cum ad deliberationem ventum fuerit, et eæ tantum erunt normæ sorvandæ, quas in actibus exequutoriis peragendis leges hoc tempore vigentes præscribunt. Redeunt igitur, quæ in citata Decisione § 6 animedversa fuere. Jus Commune enormissimam læsionem non infra *dimidium* sed intra *bessem* justi valoris constituit. Fundum de quo res est, *sexcentis octuaginta quatuor scutis, et sex obulis* æstimetum, pretio oblato *scutorum tercentum* Carnevalius obtinuit; incassum hic igitur quæritur læsio ad tramites Juris Commnnis.

At Decisionis justitia magis etiam 2
elucet ex eo quod etsi a Statuti Urbani censura læsionis modus qnæratur, ea tamon abest quam longissime ab hac deliberatione, cum integris *scutis*

sexcentis octuaginta quatuor, et sex obulis fundi valor constitui nequeat; Triens enim totius pretii detrahendus primum erat, quia bona publicæ bastæ supposita ita vilescere censentur, ut qui *besse* pro *asse* rependerit„ quod reliquum est ulla læsionis labe sibi jure retinere compertum sit, pront præter adductos in citata Decisione § 7 docuit Sacer Noster Ordo in nuperrima *Romana Nullitatis deliberationis* 18 *Februarii* 1825 *coram R. P. D. meo Spada* § 1. Cum præterea utile dumtaxat dominium Carnevali acquisiverit fundi quo super directo dominio, et pascui jure Colamnenses fruuntur, quibus annuum scutorum sex canon persolvitur, altera ex ejus valore detrahenda pars erat, quam ultra canonis, et pascui caput in *sextante* totius pretii extimari *Constantini, Cancerii, Osaschii, Fontanellae, et Sacri Ordinis* auctoritati innixa *eodem* § 7 *praecedens Decisio* demonstrat. Imminuendus insuper erat rusticæ domus valor, quæ erronet, uti urbana fuit æstimata, et demenda tandem vectigalia, annuæque responsiones; quae omnia si detrabas, non solum nec Statuti Urbani censura læsionem invenies, sed justum fortassis fundi valorem Carnevalium excessisse compertum erit.

3 Læsionis eliminato objecto ad formæ defectum confugiebat Galantinius, et deliberationem nullitate laborare contendebat ex eo, quod tres in ea defecerant oblatores. Intempestiva tamen hæc primum Patribus visa est contentio; de hac enim nullitatis causa nulla excidit mentio in prima Assessoris Sententia, ideoque Judices Appellationis, de ea cognoscere baud debuissent, per tradita a *Scaccia de Appellat. quæst.* 11 *num.* 17 *Rocca num.* 10, *et seqq.*, *Rota in decis.* 231 *part.* 12 *Recent.* Nullum vero dubium quin apud Primæ Instantiæ Judicem bujusmodi quæstio haud fuerit reapse proposita, dum deliberationis nullitatem *generice* tantum postolavit Galantinius nulla facta trini oblatoris defectus mentione, cæterisque prætermissis solemniis, quæ servanda fore præceperat *Art.* 48 *Codic. Praxeos*. Longe insuper deterior evasit hac ex parte Galantinii conditio coram Secundæ Actionis Judicibus quia unam tantum Laesionis disceptationem novo eorum judicio subiiciendam, dirimendamque detulit, nec aliud eidem tribuendum censuere Judices ipsi, dum primam Assessoris Chiodi sententiam probaverunt. Quod si neque primus Causæ Judex, neque Collegium Appellationis A. C. ullam aliam agnovit, diremitque nullitatis querelam, quam quæ enormissimam læsionem respiciebat, ita S. Noster Ordo, ad quem eadem in gradu restitutionis in integrum pervenit controversia, nullo in calculo a se baberi posso vidit hoc sero propositum actionis Galantinii prætensum fundamentum.

Præterea assertum formae defectum 4 et trium oblatorum prætensa deficentia nostro in themate induci non posse optime etiam PP. perspexere. Lex enim, quae illos necessario requirit, non omnibus, est Tribunalibus communis, sed unum tantum Tribunal A. C. eam respicere docet, praeter adductos in altera Decisione sub § 10 *Rota in supradicta Romana Nullitatis deliberationis* 18 *Februari* 1825 *coram R. P. D. meo Spada* § 8 dum de jure Communi unica tantum sufficit oblatio. Stylum hunc tamen, et hanc differentiam merito e medio substulit notissimus Motus Proprius diei 6 Julii 1816 dum Art. 1384, nec verbum faciens de oblatorum numero jussit = *la delibera dovrà farsi al maggiore oblatore* =. At etiamsi res vellet ad tramites obsoletæ illius Tribunalis A. C. praxeos dijudicari, nequiret tamen in subjecta specie trium oblatorum defectus opponi, nec casui nostro aptari posset, quæ idem Motus proprius *Artic.* 1395 præscripsit. Hæc enim casum dumtaxat respiciunt, in quo creditor non uti adjudicatarius fundi possessionem nancisci velit. Extat vero quam maxima inter unam, et alteram bypothesim differentia, et creditorem uti tertiam quamlibet personam ad licitandum admitti, aliis etiam omnibus oblatoribus deficientibus, firmant adducti in § 10

prioris meae Decisionis, eamque doctrinam nuperrime Sac. Ordo confirmavit in sæpius citata *Romana Nullitatis Deliberationis* 18 *Februarii* 1825 *coram R. P. D. meo Spada* § 8. Cum igitur Carnevalius utile fundi dominium sub hasta, uti tertius, et = *come ultimo e maggiore oblatore* = fuerit consequutus, jam nil de oblatorum numero quærendum supererat.

5 Quamvis in re adeo perspicua sat hæc, snperque essent ad excludendam a deliberatione, de qua agitur, objectam nullitatem ex trium oblatorum asserto defectu, accedit etiam, ut id firmius teneatur, ex tabulis ipsis deliberationis aperte in facto constare, alios non defuisse oblatores, sicuti demonstrat præcedens mea Decisio §§ 9 et 10. Demum decet Galantinium ejus deliberationis nullitatem jactare, cuius ipsemet validitatem probavit, et agnovit, dum mandatum Procuratori dedit ad pretii residuum, in Æde Sacra Urbana sui favore depositum, exigendum.

Et ita, relatione in reliquis habita ad praecedentem Decisionem, quæ confirmatur, resolutum fuit Altera tantum etc.

ROMANA SEU FLORENTINA

EXPENSARUM

Die 4 *Julii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur in parte, et in parte revocatur. - DECISIO XVII. -

SUMMARIUM

1. *Nemo debet judicari ad imparia.*
   Temere litigantium pœna, est expensarum refectio - ibidem. -
2. *Illius judicii expensas reficere quis non debet, in quo succumbuit.*
3. *Non aliud repeti potest, nisi quod quis impenderit ob necessitatem litis.*
4. *Recte expensarum refectionem postulat qui in aliqua causae propositione succumbens, tamen ultimo victoriam obtinuit, rebus eodem statu manentibus.*
5. *Damnorum nomine, qualibet expensa venit* - Et num. 6.

DECISIO CCLIX.

Ab Equite Pistoriensi, Petro Banchierio, Laurentius Mencaccius, Eques Romanus, Latifundium = *Pescarella* = una cum altero = *Vallelata* =, anno 1809. coemit: cumque Latifundium illud =*Pescarella* = esset tunc temporis cuidam Lillio locatum, sese obstrictum voluit venditor ad conductorem ante exitum mensis Septembris sequentis anni ex eo latifundio arcendum, ut = *a detta epoca possa esso Signor Mencacci disporre di detta Tenuta liberamente* =. Die tamen 10. Februarii anni 1810. alias eis placuit conventiones inire. Banchierius, sive ejus procurator Riccius, aliis distentus negociis, se vacare baud posse cognovit remotioni Lillii, qui conductionem relinquere renuebat: ac propterea omnia contra eum jura Mencaccio cessit, et in hunc onus transtulit fundum a conductore liberandi, solutis ad litis sustentationem scutis 320. Expresse tamen convenit, Mencaccium ad primæva jura regressurum fore, quoties a Lillio actus quicumque proferretur, per quem dijudicari posset, Banchierium Lillii jus in conductione manendi probasse, et agnovisse.

Lillium tunc Mencaccius coram judice pro conciliatione, juxta illius temporis praxim, vocavit. At, vix ejus cognita mente ab omni conciliatione abhorrente, conticuit, nec illum ultra persequutus est: fructus imo compensativos, quos pro ea pretii parte, quam nondum solverat, depactus fuerat, Banchierio rependere recusavit, donec hic liberum ei traderet a Lillii conductione fundum *Pescarella*. Hinc duplex orta est controversia judicialis. Banchierius siquidem a Mencaccio interusuria sibi solvi postulavit, ac per Sententiam R. P. D. Piccolomini, quam binæ Decisiones coram nunc Emo Cesarei confirmarunt, obtinuit: unde etiam ei rependere coactus fuit Mencaccius expensas omnes, tum judiciales, tum ex-

trajudiciales in exequutionem Sententiæ ab eodem Emo Cesarei signatæ, cui robur addidit R. P. D. Mei Tiberi Decisio diei 5. Decembris anni 1817 Mencaccius e contra judicium adversus Banchierium instituit ad damnorum emendationem obtinendam, ob non libere traditum Latifundium: et Dubium S. Ordini *die* 27. *Februarii* 1815. definiendum proponi curavit « *An, et in qua summa sit locus refectioni damnorum, itaut sit relaxandum Mandatum in casu* = Hæsere Patres, et suffragia ad *Quintum, et Sextum* fuere ampliata, quibus votum ferentibus die 12. Maii ejusdem anni Responsum prodiit = *Negative in omnibus* =. Novæ audientiæ beneficium in Rota Memorialium 7 Julii 1812. petiit, obtinuitque Mencaccius. Intera ipse judicium contra Lillium reassumpsit et hunc Patres haud esse a conductione expellendum definiere. Instaurata tunc pugna super emendatione damnorum a Mencaccio petita, Banchierium Patres = *ob non factam libere traditionem Latifundii Pescarella de Mense Septembris anni* 1810. *ad damnorum emendationem, et in omnibus expensis* = condemnarunt; transiitque Sententia in Rem judicatam.

1 Tunt exorta lis super expensis a Banchierio reficiendis. Harum taxationem confecit R. P. D. Meus Tiberj in Scutis 700. eumdemque. Banchierio a judicio absente, probavit Sacer Ordo die 24. Novembris anni 1820. Dubio enim a me proposito « *An constet de excessivitate taxae in casu etc.* « *Negative* » responderunt Patres, ut videre est in Decisione, quam ea die vulgavi. At Novæ Audientiæ indulto beneficio usus Banchierius, iterum Patres de re a me interrogari curavit sub asspeto Dubio « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* » die 23. Februarii anni 1821, cui Responsum dedere « *Dilata, et ad D. Ponentem deputatione Periti Curialis ad effectum taxandi, et liquidandi computa* =. Peritus Curialis, cui hoc fuit datum munus, taxationem, et liquidationem peregit in scut. 672. 68.½ accurate singulorum judiciorum expensas per capita dividens: nec sibi facultatem competere existimavit dijudicandi, utrum, nec ne = *dovessero togliersi le spese delle prime proposizioni in Rota, nelle quali il Signor Cavalier Mencacci fu soccombente, perchè non aveva fatto la causa contro Lilli* =. Id vero, quod prudenter sane Peritus indecisum reliquit, definiere hoc mane Patres, qui rursus quæsiti = *An sit standum, vel recedendum a Decisis*. Responderunt = *In Decisis pro Summa scutorum* 394. *in reliquis recedendum a Decisis* =.

Æqualitas enim, quæ ubique servanda est, in Judiciis maxime debet obtinere, ne quilibet ad imparia judicetur *L. non debet Actor. ff. de reg. jur. L. cum oportet. Cod. de bonis, quæ lib. et L. fin. Cod. de fruct. et lit. Expens. Cap. in judiciis, et Cap. non licet de reg. juris in VI.* Quo ergo justitia expensæ cuilibet reficiendæ sunt, quæ in iis judiciis locum habuere, e quibus victor discessit, eadem prorsus, jure, meritoque, ei denegatur quidlibet in judiciis impenderit, quorum exitum suis votis contrarium expertus est. Temere enim litigantium pœna est expensarum refectio. Cui quidem fundamento hujus innititur causæ definitio.

Unum quidem, idemque judicium refectionis damnorum adversus Banchierum Mencaccius instituit, illudque ob unicam causam, ob non factam scilicet liberam traditionem latifundii *Pescarella*, prosequutus est. Diversa tamen tempora, quibus is refectionem damnorum expostulavit, diversam ejus petitioni naturam tribuunt. Cum enim ipse per contractum diei 10 Februarii an. 1810 onus in se suscepisset Lillium a fundo expellendi, et in id a Banchiero Scuta 320 recepisset, non prius in hunc ad damnorum sarcitionem agere poterat, quam a Lillio judicio victus discessisset, vel hic Banchierii consensum de locatione servanda intervenisse solemniter demonstrasset. Non tamen judicio, uti debebat, adversus Lillium egit Mencaccius, qui conticuit imo, statim ac Lillium a conciliatione abhorrere perspexit. Atqui Bancherius, non id ei commiserat, ut conciliationem tantum cum conductore fieri curaret; 2

sed ut illum expelli omnino a Latifundio judiciali auctoritate adniteretur. Non igitur Judicem adiisse pro conciliatione sat erat: sed formale exfractationis judicium in Lillium institui debebat, quo absoluto, licuisset Mencaccio, si inferior discessisset, jura sua in Banchierium experiri. Is vero, vix Conciliatoris Judicis officium inutile novit, statim venditorem pro damnorum refectione vadatus ast: et id in causa fuit, ut eam Sacer N. Ordo die 12 Maii Anni 1815 denegaverit, ut aperte testatur Decisio ejus diei coram R. P. D. Piccolomini §. 2. 4. et 5. Quod quidem et ipse probe novit Mencaccius, qui idcirco judicium, sero tamen; contra Lillium instauravit, ne dicam, institui, in quo deinde succubuit. Eoque factum est, ut Patres deincaps refectionam damnorum, ipsi prius jure denegatam, merito tunc indulserint. Tunc enim Mencacci jus adversus Banchcrium ortum habuit, cum Lillium in conductione manutenendum esse Judices definiere: indequa præsto et fuit actio adversus ipsum Banchierium, qua fuerat antaa destitutus.

3 Ex quibus omnibus aperte patet, expensas illas; quæ judicium respiciunt a Mencaccio adversus Banchierium institutum, prosequutumque ante litem contra Lillium rite instauratam, haud esse reficiendas. Inconsulto enim, temere, inutiliterque illud suscepit Mencaccius; et compertissimum in jure est, non aliud repeti posse, nisi quod quis impenderit ob necessitatem litis, minime vero quidquid ex arbitrio et sine juxta causa impensum sit, prout totidem fere verbis firmavit Sacer Ordo *in Forolivien: liberationis a molestiis super expensis* 5 *Julii* 1789 §. 3 *coram Malvasia, et post Text. in Leg. Si mandavero* §. *qui eadem ff. mandati docent Bartol. ad eam L. Soccin. secons. Tom.* 1 *lib.* 1 *Gratian. discept.* 33 *num.* 8. *Vespignan. de expensis, quae fiunt in causs. civ. Consult.* 1 *n.* 1. *Queman. de evict. quaest.* 13 *n.* 39 *et* 74 *adden., ad Buratt. decis.* 325 *n.* 16. *Magil· de evict. quaest.* 185 *n.* 1., *et rota cor. Falconerio tit. de expensis decis.* 14 *num.* 3.

Nec objiciendum est, ex praxi receptum esse, eum, qui postremo judicio victus discedit, expensas rependere debere factas ab initio litis, ac per totum illius progressum, licet in aliqua dimicatione vicerit, veluti *in Romana, seu Florentina Expensarum* 5 *Decembris* 1817 § 6. *cor. R. P. D. meo Tiberi*, dafinitum legitur. Cum aliqua enim limitatione veniunt hæc accipienda. Et sane: si quis in aliqua Causæ propositione succubuerit, in qua tamen Causa definitivam victoriam, rebus in eodem statu manentibus, quo erant, dum lis primum incæpta fuerit, obtinuerit, recte expensarum omnium refectionem eum postulare dicendum est. Si enim, factis non immutatis, eodemque jure victor tandem evaserit, per eum haud stetissa, quin prius vicerit, nec eumdem temere, imo merito, usque ab initio litem instituisse, atqua eamdem fuisse prosequutum, in propatulo est. At longe alia res est in themate, de quo agitur. Non enim iisdem fundamentis innixus semper petiit Mencaccius refectionem damnorum: quin imo omni fundamento destitutus eam sibi concedi contendebant, antequam judicium contra Lillium absolvisset, ideoque rejactus a Judicibus fuit: post vero idem absolutum, recte, meritoque iterum eam expostulavit, et justitiæ consonam, eique secundam Patres sententiam emisere. Nec priorum in causa propositionum inanitas per sequentium justitiam sanata dici potest: quod enim ab initio non valuit, tractu tempris non convalescit. 4

Perperam tandem a Mencaccio obtruderetur, vel pactum, quod se ad damna omnia ei sarcienda Bancherius adstrinxit, vel decretam adversus eum a S. N. Ordine condemnationem = *in omnibus expensis* =, quasi ex his concludi deberet, reficiendas ab eo esse etiam expensas, de quibus hactenus sermo fuit. Damnorum enim nomina quaslibet expensas venire nemo inficiatur, nec infra arctiores limites Sacri nostri Ordinis damnatio cohibenda est. At semper de expensis illis sunt hæc intelligenda, quas *in genere* reficiendas 5

constet: ita nempe, ut, dum eæ in genere debentur, de iisdem *in specie* quærendum sit. At dum evidens est, quidlibet in genere sub expensarum reficiendarum nomine non venire, frustra contenderetur, quidquam *in specie* esse rependendum. Congrua enim congruis sunt referenda,

Hisce constitutis, quæ in dubium revocari nequeunt: superest nunc, ad evincendam editi responsi justitiam, ut ad horum tramites expensarum partitæ a Mencaccio prolatæ expendantur. Et sane *tresdecim* capitibus hæ distinguuntur. Ex his *quatuor* ad eas referuntur Causæ propositiones, in quibus pro refectione damnorum Mencaccius contra Bancherium egit, antequam lis contra Lillium esset absoluta, eaque capita sunt, quæ in Periti Curialis relatione adnotantur. = *Conto della proposizione in S. Rota dei* 27 *Febrajo* 1815 = item = *dei* 12 *Maggio* 1815. = item = *dei* 9 *Febrajo* 1816 =, ac omninm expensarum in bis Causæ propositionibus expletarum summa ad sc. 273 assurgit. Demenda hæc igitur sunt ab integro expensarum calculo, quo universi judicii prædicti expensæ comprehenduntur. At has omnes expensas Patres in sc. 667 constituendas esse censuere: demptis itaque ab hisce iis Scutis 273 reficienda a Banchierio supersunt sc. 394 pro quibus erga Mencaccium damnatus fuit.

Et ita partim confirmata, partim re vocata fuit præcedens mea decisio.

Utraque etc.

ROMANA SEU NEAPOLITANA

CREDITI

Lunae 4 *Julii* 1825.

Tria sunt probanda, ut – *Marcelli aequitas in leg qui decem ff. de solut et liberat*, – recipi valeat primum scilicet, ut debitor non verbis, aut scripto, sed facto nummos offerat: alterum, ut oblatam summam creditor recuset sine justa causa: tertio, ut nummi apud debitorem absque ulla ejus culpa perierint.

Coram De Cursiis Tom. III.

SUMMARIUM

1. *Si quis pecuniam in cedulis recipere procrastinavit, et damnum interea vel lucrum super cedulis contigit, hoc creditoris commodo, vel incommodo semper cedit.*
2. *Ubi debitor non verbis, aut scripto, sed facto nummos offerat, et creditor sine justa causa recuset, ejus damno pereunt, si sine culpa debitoris perierint.*
3. *Non juris dispositio, sed partium conventiones quas juri contrariae non sint, inspici debent. – Epistolae inter Mercatores, publicis aequiparantur instrumentis – ibidem. –*
4. *Depositarius de casu fortuito, veluti est Principis factum, minime tenetur.*
5. *Expressum si non fuerit, cujus esset pecuniae periculum, praesumitur debitorem suscipisse morae periculum.*
6. *Cedulae deponi debebant apud quaestores Municipales, et permutari ad rationem unius scuti pro quindecim.*
7. *Reproba pecunia dici non poterant cedulas tempore quo in commercio vigebant.*
Deposito rite expleto, cessant ab eo disfructus – ibidem. –
8. *Contra aequitatem esset, in debitoris perniciem vertere cedularum proscriptionem, si is illas retinuit ad creditoris commodum, ac periculum.*

DECISIO CCLX.

Multa inter negocia, quæ intercesserunt inter defunctum Joannem Tocci, domo Cappadocia apud Samnites, et nostræ Urbis nummularium Franciscum Romanelli, pariter vita functum, illud etiam fuit, quo primus nummos Argenteos *bis mille quindecim*, *obulosque octoginta*, ineunte Majo 1795, alteri dedit, ut eos negociaretur, vel saltem fænori collocaret. Perturbato verum ex publicis calamitatibus, bellorumque tumultu commercii ordine, cum quælibet pecuniam negociandi Romanellio defuerit occasio, ut nonnullos post menses inter ipsum, et Toccium conventum fuit, ut hic scuta *bismillia* ex ea summa relinqueret in sua Mensa Argentaria, depactis usuris *quincuncibus* usque ad capitis restitutionem. Syngrapham idcirco Romanellius in hanc causam signavit, eamque ad Toccium misit. Sed, auctis postea infortuniis, abjectaque magis in dies singulos ex

Democratico Gallorum furore mercatura, facile Romanellius intellexit, sibi amplius non expedire interusuria illius summæ rependere. Quocirca anno 1798 die 13 Januarii, epistolam Toccio scripsit in hæc verba = *Non più mi comple di ritenere li connoti scudi* 2000 *moneta, sopra dei quali vi pagavo un frutto. Potrete dunque mandare quì subito la mia obligazione, ed ordinarmi a chi debba fare il pagamento; servendovi, che tengo pronto il denaro in tutte cedole di corso, vale a dire sotto gli scudi cento*=. Non obstitit Toccius oblatæ pecuniæ restitutioni: missis attamen ad Romanellium literis eodem mense, atque anno, summopere deprecatus eum fuit, ut restitutionem ipsam differret ad mensem Martium illius anni, quo tempore aliorum quoque negociorum causa petere Romam debebat, ita ut ipse met pecuniam recepisset: idque ab amico suo se flagitare dixit, ne secus de negociis propriis fama in Patria esset.

Verum Romanellius, qui multum periculi in mora timebat, datis denuo ad Toccium literis, non abnuit, ut rem gratam ei faceret, retinere pecuniam ad illud usque tempus, dummodo cunctatio hæc nullum sibi detrimentum afferret = *Quando vogliate ricevere* (ita in epistola Romanellii) *gli scudi duemila sui primi di Marzo, ed in occasione della vostra venuta quì in Roma, a me sarà indifferentissimo, purchè questo ritardo non abbia ad apportarmi alcun danno, mentre come vi dissi, sono pronti, e spedibili* =. Ab hoc tempore usque ad obitum suum altum semper silentium Toccius servavit, nec unquam, seu sponte id fecerit sua, seu publicis rumoribus coactus, Romam accedere curavit ad recipiendam pecuniam, quamvis eum latere non possent monetariæ vices, et discrimina omnia, quæ schedæ nummariæ, *cedulæ* vulgo dictæ, ex Edictalibus legibus passæ fuerant. Qua de re, postquam Gallica prodierat lex, quæ cedulas omnes delevérat, oblata facultate eas deponendi penes Municipales Quæstores, et permotandi cum aliis chartulis monetariis = *Assegnati* = et = *Resti* = vulgò nuncupatis, ad rationem scuti unius pro *quindecim*, e re Toccii esse duxit Romanellius parere legi, et cedularum ad ipsum pertinentium depositum conficere. At Toccius, non modo sollicitum, atque anxium se nunquam præbuit de ea summa scutorum *bismillium* Romanellio fænori data, aut de ejus fructibus petendis; sed ne ullam quidem de hoc credito mentionem in posterum fecit, licet veterem, fugatis Gallis, rebusque publicis restitutis, negociorum consuetudinem cum eo redintegraverit.

His ita se habentibus, mortem deinde obiit Romanellius, cui hæres extitit ejus filius Septimius. Hic vero paterna prosequutus negocia, cum immanes pertulerit in commercio jacturas, publice decoxit. Sed cito res cum creditoribus composuit, ac ad bonorum suorum administrationem ex Judicis decreto rediit. Tunc Toccius, qui nunquam adfuerat judicio *concursus* a Septimii creditoribus excitato, diem ei dixit anno 1816 Mense Maii coram defuncto A. C. Mastai, exhibitaque crediti syngrapha cui subscripserat Franciscus Romanelli, rei conventi pater, solutionem urgere cæpit scutorum 2755 pro capite, et fructibus ejusdem crediti, a die prima Augusti anni 1801 petitis. Actionem tamen hanc primum rejecit prædictus A. C. Mastai; et Juridicum deinde, recens abrogatum, Triumvirorum A. C. Collegium, ad quod mortuo Toccio, provocaverat ejus Causidicus, tamquam Dominus litis effectus. Eamdem itidem sortem expertus ipse est coram Sacro Nostro Ordine, cui in novo appellationis gradu rei cognitio commissa est. Quamvis enim in Comitiis diei *decimæ tertiæ* Maii anno 1822 proposito Dubio = *An constet de credito, et in qua summa, ita uta sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = responsum fuerit = *Dilata, et ad Dominum Ponentem pro deputatione Periti ratiocinatoris ad effectum inspiciendi libros Romanelli cum omnibus facultatibus* =, hodie tamen, postquam relatio Josephi Caporri, Periti ratiocinatoris, ex meo Decreto electi, apud acta relata est, eamdem Dubii formulam superius ex-

positam Patribus exhibui, Responsumque accepi = *Negative in omnibus* =.

1 Quæstio in eo unice versabatur, ut cognosceretur, cujus damno, an Romanellii, an Tocii, perierint cedulæ, quas primus obtulit ad sui nominis satisfactionem. At Toccii damno, non autem Romanellii cedulas periisse, Patres Domini censuerunt. Hic enim, tempore non suspecto, se promptum exhibuit solutioni debiti, ideoque ad Toccium scripsit = *Non più mi comple di ritenere li connoti scudi duemila moneta, su de'quali vi pago un frutto. Potrete dunque mandare qui subito la mia obligazione, ed ordinarmi, a chi debba fare il pagamento, servendovi, che tengo pronto il denaro in tante Cedole di corso, vale a dire sotto gli scudi cento* =. Et recte dictum est, tempore non suspecto animum suum pandidisse Romanellium æris alieni dimittendi. Nam, quamvis Pontificia lege abrogata, et e commercio sublatæ fuissent cedulæ illæ, quæ summam excedebant scutorum *centum*; adhuc tamen cedulæ aliæ, quæ infra summam scutorum *centum* nominalem valorem præseferebant, prout erant illæ, quas Romanellius obtulerat = *tutte cedole di corso* =, in eodem bonore manebant, et in contractibus invicem recipiebantur, nec rejici, salva legum reverentia, ab aliquo poterant. Quod si post hanc acceptam epistolam Toccius non recusavit oblatam pecuniam, sed rogavit tantum debitorem, ut illius restitutionem differret usque ad Mensem Martii illius anni; si debitor hoc pacto retinere penes se pecuniam obtestatus fuit, ut nullum scilicet ex mora detrimentum sentiret: jam nemo non intelligit, ex mutuo isto liberarum commercio cautum inter Romanellium, et Toccium fuisse, ut omne damnum, vel lucrum, quod super cedulis forte contingeret, commodo, vel incommodo Toccii cederet.

2 Plura adversus hæc opponebant qui a Toccii partibus erant. Dicebant enim, pecuniæ oblationem extra judicii ritum expletam debitoris liberationem secumferre non posse, atque ad eam inducendam necessario requiri judicialem oblationem una cum pecuniæ deposito, ex auctoritate Prætoris facto, per *Leg. Si per te* 9 *Cod. de Usur.*, *et leg. Acceptam* 19 *Cod. eod. tit.* Addebant etiam, ne ipsam quidem prodesse Romanellio *Marcelli* æquitatem *in Leg. Qui decem ff de solut. et liberat.*, ex qua sancitum est, ut is = *qui decem debet, si eadem obtulit creditori, et ille sine justa causa accipere recusaverit, deinde debitor ea sine culpa sua perdiderit, doli mali exceptione possit se tueri, quamquam aliquando interpellatus non solverit* =, etenim = *non est æquum teneri pecunia amissa, qui non teneretur, si creditor accipere voluisset* =. Nam tria esse probanda juxta receptam legis interpretationem asserebant, ut *Jurisconsulti Marcelli* æquitas recipi valeat: *primum* scilicet, ut debitor non verbis, aut scripto, sed facto, et reipsa nummos offerat: *alterum*, ut oblatam summam creditor recuset sine justa causa: *tertio*, ut nummi apud debitorem absque ulla ejus culpa perierint *Rot. in Lugdunen. Pretii mercium* 18 *Junii* 1801 § 7 *coram Emo Bardaxi*, *in Cornetana Pecuniaria* 30 *Aprilis* 1802 § 4 *coram Emo Bussio*, *in Romana Cambiorum* 10 *Maii* 1802 § 5 *cor. clar. mem. Card. Guardoqui*, *in Assisien. Dotis* 17 *Januarii* 1803 § 3 *coram Resta*, *in Civitatis Castellanæ, seu Viterbien. Contractus super Restitutione Cedularum* 27 *Junii* 1803 § 7 *coram Emo Rusconi*, *in Romana Pecuniaria* 7 *Maii* 1803 § 4 *et* 5 *coram Emo Serlupi*, *in Spoletana Nullitatis Extinctionis Cambii* 17 *Martii* 1806 § 3 *coram Eodem*, *in Romana Census* 14 *Januarii* 1807 § 4 *cor. Emo Cesarei.*

Verum sapienter animadvertebant 3
Patres, hanc Juris dispositionem, et adducta Sacri Nostri Ordinis oracula, et quotquot alia afferri possunt, vires suas exercere, dum pecuniam sponte oblatam a debitore creditor accepto habere recenset, ut patet ex ipsis verbis prædictarum Legum, et Decisionum. Tunc sane oportet, *ut* debitor judicialem expleat nummorum oblationem; *ut* rursus Judex terminum creditori præstituat ad deliberandum, an sibi expediat nec ne pecuniam accipere; *ut* hic injuste recuset accepto habere

pecuniam; *ut* demum Judex injuste a creditore recusatam pecuniam deponi jubeat. At res secus se habuit in casu, de quo agitur. Etenim non recusavit Toccius obletas, quæ tunc in Commercio vigebant, Monetaries Chartas accipere, sed dumtaxat creditorem enixe obsecravit, ut cedularum traditionem protraberet usque ad Mensem Martii illius anni 1798, quo tempore Romam se conferre debebat aliorum Negociorum causa. Atqui hoc pacto huic moræ assentitus fuit Romanellius, dummodo scilicet cunctatio hæc nullum sibi detrimentum afferet; quod sane et ipse probavit Toccius, qui post hanc acceptam epistolam nihil Romanellio respondit. Non ergo juris dispositio, sed partium conventiones, quæ juri contrariæ non sunt, inspici debent. Neque enim obstat, quod nulla de hac conventione conscripta fuerit syngrapha, cum satis sit eam erui ex epistolis, quæ, si probent inter quoscumque, multo plus vim, et auctoritatem habere debent inter Mercatores, quos inter immo epistolæ, per quas absens cum absente loquitur, et contrahit, publicis æquiparentur Instrumentis *Rocc. respons. legal. tom.* 1 *Notabil. de Litt. Camb. Notabil.* 45 *num.* 125, *Gratian. Discept. Foren.* 500 *num.* 2, *Gait. de Credito cap.* 2 *tit.* 7 *num.* 2372, *Constantin. Vot. Decis.* 403 *num.* 3, *Ansald. de Commerc. et mercat. Discept.* 61 *num.* 2, *Rot. Januen. Mercat. Decis.* 2 *num.* 9, *et Decis.* 142 *a num.* 1 *ad* 5, *in Recent. Decis.* 15 *num.* 15 *par.* 11, *et Dec.* 364 *num.* 2 *et* 3 *cor. Ansaldo.*

4 Inter Negociatores siquidem, et Mercatores, remotis subtilitatibus, atque apicibus juris, bona fides, et rei veritas solum spectanda est, et judicium de bono, et æquo ferendum *Leg. Quoties abrupta* 5 *Cod. de Naufrag.*, *Marquard. de jure Mercat. lib.* 3 *cap.* 7 *num.* 5, *Strucc. de Mercat. par.* 4 *n.* 1, *Jorio Giurisprudenza del Commerc. par.* 1 *lib.* 7 *del Proc. Mercant. tom.* 4 *pag.* 12, *Casareg. de Commerc. disc.* 1 *n.* 5, *Rot. in Romana, seu Liburnen. Pecuniaria* 17 *Martii* 1806 § 5 *cor. Resta, et in Anconitana Pecuniaria* 5 *Junii* 1820 § *ult. cor. Me.* Ab eo igitur tempore, quo Toccius sivit, ut papyracei nummi penes Romanellium manerent, absque ullo tamen ejus periculo = *purchè questo ritardo non abbia ad apportarmi alcun danno* =, evasit hic sane depositarius, ut inquiunt Forenses *regularis*, qui pro domino, et deponente possidet. Quidquid ideo non ex depositarii lata culpa, aut dolo, sed ex facto Principis, cui resisti non poterat, de depositis accidit nummis, id omne a deponente subeundum est ex juris regula, ex qua depositarius de casu fortuito, veluti est Principis factum, minime tenetur, imo nec de levi culpa, sed tantum de dolo, culpaque lata, quæ dolum sapit, *Leg. Sicut certum* § *Nunc videndum ff. commodati, leg. sine dolo* 20 § *Quod Nova ff. depositi*, *Leg.* 1 *Cod. eod. tit.*, *Mozz. de contract. tract. de Deposit. tit. de divis. deposit. num.* 1, *Constantin. Vot. decis.* 501 *n.* 3. Nec rem turbat *Scævolæ* responsum *in leg. Creditor.* 102 *ff. de Solut. et liberat.*, quæ hæc habet = *Creditor oblatam a debitore pecuniam alia die accepturus distulit: mox pecunia, qua Respublica utebatur, quasi ærosa, jussu Præsidis sublata est. Quæsitum est, cujus detrimentum esset. Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, non creditoris detrimentum esse* =.

Non modo enim in casu prædictæ 5 legis, ut explicant Interpretes, et præcipue *Bruneman. ad dict. Leg. num.* 3 creditor justa et rationabili causa ductus, pecuniæ receptionem distulit ad aliam diem; sed nullo modo præterea conventum fuerat, ut interea temporis moræ periculum ad creditorem spectaret. At vero nec justam causam procrastinandi pecuniæ receptionem habuisse Toccium in præsenti casu probatur, nec ita conciliata fuit solutionis cunctatio, ut nihil fuerit dictum, cujus esset interea periculum: quo casu ex prædictæ legis ratione præsumendum est, debitorem sibi suscipere moræ periculum voluisse. Quin imo Romanellius, qui eam, quam magis sibi libuisset, legem creditori suo dicere poterat, disertis verbis assentitus fuit

retinere pecuniam, dummodo tamen = *questo ritardo non abbia ad apportarmi alcun danno* =. Poterat utique Toccius aut banc legem omnino rejicere, aut pecuniam illico recipere. At ille ex his duobus extremis, jugiter observato silentio, primum sibi maluit eligere. Ergo non ei amplius licet cedularum proscriptionem in depositarii damnum vertere, quem immo voluisse dicendum est ab omni detrimento prorsus immunem. Ratio itaque decidendi, quæ Dominos meos merito impulit ad absolvendum Romanellium, in eo potissimum stetit, quod pecuniam ab eo oblatam tempore integro non recusavit Toccius, nec recusare valebat, et hoc pacto apud Romanellium reliquit, dummodo hic nullum ex hoc facto damnum perferret. Quare si Romanellius Creditoris precibus inductus pecuniam retinuit, non ideo minus sublata ab eo tempore dici potest illius obligatio, qui ex debitore factus depositarius, ex jure teneri nequibat de iis infortuniis, quæ procul ab ulla ejus culpa super re deposita deinde evenerunt.

6 Quemadmodum imo, si forte durante deposito, potiusquam imminueretur, auctus fuisset cedularum valor, hoc augmentum et lucrum commodo deponentis cessisset, ita sane, imminuto non modo earum valore, sed his prorsus abrogatis, atque proscriptis, infortunium hoc percellere unico deponentem debet, ne secus deponens, ac depositarius ad imparia judicentur, et res ad iniquitatem vergat. Bona autem fides, quam comitem, et socium in hoc toto negocio habuit Romanellius, ex eo etiam melius patet, quod, edita Gallorum lege de Cedularum abrogatione, in qua potestas facta est possessoribus eas deponendi apud Quæstores Municipales, et cum aliis hujus generis papyraceis nummis, quæ numine tantum a cedularum indole discrepabant, *Assegnati* scilicet, et *Resti*, permutandi, ad rationem unius scuti pro *quindecim*; statim ipse sategit rem utilem deponenti genere, et cedulas deponere apud Gallicos Quæstores, ut alios papyraceos nummos acciperet. Hoc cedularum depositum non solum ex Argentariæ Romanellii Mensæ libris, a Judiciali ratiocinatore inspectis, apparebat, sed ex ipsis quoque Reverendæ Cameræ Apostolicæ Codicibus, ubi Municipalium illorum Quæstorum notulæ descriptæ sunt. Contorquebant porro Toccii Defensores hoc depositum tamquam non integrum, et in reproba pecunia factum, illudque confundebant cum alio pecuniæ deposito, quod explere debuisset Romanellius, si ipsius pecuniæ restitutionem Toccius recusasset. At depositum, quod Romanellius explevit, factum unice ab eo fuit in vim Gallicæ legis, quæ cedulas abrogaverat, eisque subrogaverat nummarias alias chartas = *Resti, ed Assegnati* =. Quod si hoc depositum confectum a debitore fuisset, post pecuniam oblatam, et ante Cedularum abrogationem, quia forte creditor recusasset pecuniæ receptionem, ne in hoc quidem casu, in reproba pecunia factum, et mancum posset renunciari.

Reque vera, reproba pecunia dici non poterant cedulæ, quæ in commercio tunc erant, et a nemine recusari valebant. Neminem latent, emptiones venditiones, non modo rerum Sterilium, sed bonorum quoque rusticorum, et Urbanorum cum cedulis fieri consuevisse, vel cum pecunia numerata, quæ tamen cedularum valori responderet, quin ullus postea locus læsionis quærelæ datus fuerit, ut late probat Sacer Ordo *in Romana Restitutionis in integrum quoad decretum* 30 *Maii* 104 *diei* 21 *Aprilis* 1823 § 10 *cor. me.* Nec mancum pariter appellari debet depositum ex ea ratione, quod una cum capite conjuncti fructus non fuere usque ad diem confecti depositi. Nam si ex demonstratis jamdiu, ob factam a debitore, atque a creditore acceptam pecuniæ oblationem, omnis evanuerat obligatio, atque omne Creditum, et debitum hoc titulo sublatum fuerat, nullus amplius locus esse poterat solutioni fructuum. Non in alium tamen finem facta est de deposito mentio, nisi ut bona Romanellii fides cognosceretur, et insimul constaret, cedulas semper penes eum usque 7

ad expletum depositum fuisse, nec nlium de illis lucrum in creditoris perniciem fecisse. Tam longe imo abest, ut lucrari Romanellius voluerit cum Toccii cedulis, quas ex ejus placito usque ad diem depositi penes Municipales Quæstores initi retinuit, ut, post illius obitum, non levis proscriptarum cedularum acervus in ejus hæreditatis inventario fuerit descriptus.

8 Fastigium his omnibus imponit ipsius Toccii factum. Is enim, postquam papyraceæ monetæ cladem agnovit, nihil umquam de proprio credito Romanellio amplius dixit, quamvis veterem, atque intermissam negociorum consuetudinem, rebus pnblicis restitutis, cum eo redintegrasset. Non fructus umquam illins summæ postulavit: Non caput condixit: non in Concursus judicio comparuit, quod Creditores Septimii Romanelli excitarunt. E contra hæc omnia peragere debnisset Toccius si ullum adversus defunctum Romanollium crediti tum expertus fuisset. Si hæc vero omisit, hoc ipsum non indubium suppeditat argumentum, quod probaverit quidquid de cedulis egerat Romanellius, et pactionem præcipue illam, ut nullnm, ex mora solutionis, detrimentum ipsi Romanellio inferretur. In eumdem scopum amice conspirant Codices, et libri Argentariæ Mensæ Romanelli, in quibus, post diem initi penes Municipales Gallorum Quæstores depositi, nulla amplius vola, aut vestigium illarum Cedularum, earumque crediti invenitur, ut retulit ratiocinator Joseph Caporri, cui commissum librorum examen fuit. Nedum ergo contra justitiam, sed contra ipsam æqnitatem esset, defuncto Francisco Romanellio jacturam proscriptionis cedularum adscribere, qui retinere illas voluit ad Creditoris commodum, ac periculum absque ullo suo detrimento, quique præterea bonam fidem, atque honestatem in hoc toto negocio semper præ oculis habuit. Si autem non debetur caput scutorum bismillium, nec ipsi quoque fructus debentur, qui eamdem capitis sortem sequuntur *Rot. dec.* 16 *cor. Arguelles et decis.* 188 *n.* 8 *cor. Herzan*.

Et ita, utraque parte jura sua deducente, definitum est.

ROMANA SOCIETATIS

SUPER SECUNDO DUBIO

Lunae 4 *Martii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CC.

SUMMARIUM

1. *Ille emptor existimatur, qui talis in actu emptionis apparet.*
2. *Dicitur particularis societas, cum ad quamdam tantum negociationis speciem cohibeatur.*
3. *Commune esse debet, quidquid communi pecunia acquiritur.*
4. *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi actionem et dominium acquirit.*
5. *Si quis ut Institor negocio praeest, nullum jus ad lucra acquirit.*
6. *Praesumi non potest, ut qui aliquo jure pollet, pecuniam emendicat.*

DECISIO CCLXI.

Altera, quam hac die vulgavi, Decisio, inscripta *Romana Societatis super I. Dubio*, præcedentem, pariter a me editam, confirmavit, die 16. Jannarii elapsi anni 1824., revocatoriam Sententiæ, nunc abrogati Collegialis Tribunalis A. C., et divisionem probantem, die 16. Decembris anni 1813. inter filios Aloysii Samonati, et filias Perfecti, et Bonifacii Samonati initam de universa mercatoria Samonata re, et excludentem quamlibet inter illos, atque Perfecti filias societatem, novamque divisionem per illos petitam. Cum vero una simul examini hodie subjecta fuerit alia a me sub prædicta dio. 26. Januarii 1824. Decisio vulgata, quæ absolvens controversiam, quam indefinitam reliquerat idem Juridicus A. C. Conventus, an scilicet portio filiæ, et heredis Bonifacii, ab Johanna,

filiarum nomine, legitimo solemnique emptionis contractu die 1. Martii anni 1814 acquisita, hisce esset tribuenda, vel cum Aloysii filiis partienda, integram eam portionem Johannes, et Perfecti filiabus addixit, aa etiam Decisio fuit omnino ab Universa Aula confirmata, quæ, me quærente = *An sit standum vel recedendum a Decisis* = firmiter = *In Decisis* = perstitit.

1 Solemnes die 1. Martii 1814. tabulæ demonstrant Annam Mariam Morganti, matrem, et curatricem ejus, ac Bonifacii filiæ, ac hæredis, una cum contutore Antonio Pozzia vendidisse, et cessisse = *con atto, e titolo di perfetta, ed irrevocabile vendita, e cessione alle minori Signore Violante, Appollonia, e Maria Samonati, la Signora Giovanna del Negro, qual di loro madre, e tutrice, e sotto la di lei sicurtà, e mallevadoria solidaria, accettante, tutte le Merci, generi, e crediti esigibili, che alla detta Signora Margherita sono toccati in divisione, mediante l'atto accennato passato avanti il detto Notaro Canfienti nel giorno 15. Decembre prossimo passato* 1813. = atque id constituta pretia in scutis 1679., et obulis 78., ratatim ab ipsa Johanna solvendo cum usura *semissi*. Constat pariter solutiones in hanc caussam expletas fuisse = *dalla Signora Giovanna del Negro come Madre, e tutrice delle Signore Appollonia, Violante, e Maria Somanati* » uti probant accceptilationes pro filia Bonifacii emissæ. Quare, cum in jure certissimum sit eum rei alicujus emptorem existimari, qui talis in actu emptionis apparet, ac preterea proprio nomine ejus pretium solvit, inutiliter prorsus contendunt Aloysii filii sese bujusce emptionis fuisse participes, sicuti advertit præcedens in hac Caussa Decisio §. 3.

2 Verum, ut hunc emptionis contractum sibi communem cum Perfecti filiabus, quamvis ab his particulariter, ac proprio nomine initum, asserant Aloysii filii, prætensam cum eis Societatem portendunt, et quidquid ab uno e sociis contrahitur, si ad commune spectet negocium, communiter contractum intelligi debere proponunt. At eis et *jus et factum* ineluctabiliter obstat. Quamvis enim falsissima admitteretur hypothesis existentiæ inter eos, et Perfecti filias societatis in mercium negociatione, *de particulari, non de universali, vel generali* societate res esset, in quarum prima omnia fiunt communia bona, quamodocumque, et quandocumque quæsita; in altera bona omnia ex quolibet quæstu provenientia, seclusis iis tantum ex hominum vel fortunæ beneficio obventis; quapropter, cum *particularis* societas ad quamdam tantum negociationis speciem cohibeatur, oporteret in themate ab Aloysii filiis avinci emptas a filiabus Perfecti fuisse merces alias ad eam particularem societatem spectantes, præter illas in mercatoriis tabernis extantes. Certum vero est Johannam filiarum nomine, subingressam tantum fuisse in jura filiæ Bonifacii pro *triente* mercatoriæ Sarmanataa substantiae ad aam pertinente, ex quo negocii conditio eadem semper mansit, ullum obtinuit augmentum; idemqua erat Aloysii filiis portionem Margharitæ ab hac retineri, vel in filias Perfecti fuisse translatam, uti in quemlibet extraneum transferri jure poterat; frustra itaque, in prædicta falsissima etiam particularis societatis hypothesi, illum filiarum Perfecti in Margharitæ jura subingressum communicandum cum ipsis esse Aloysii filii contenderent, uti probat, ac appositis firmet auctoritatibus superior Decisio §.45.

Eliminarent hæc prorsus quodlibet 3 filiorum Aloysii jus ad filiæ Bonifacii portionem in casu etiam existentiæ assertæ societatis. Omnis autem, si quæ esse posset, dubietas removetur, dum in *facto* firmissimum est, uti semel, iterumque S. Noster Ordo constituit, nullam unquam inter eosdem Aloysii filios, et filias Perfecti extitisse societatem, uti ex contemporanea patet Decisione *Romana Societatis super primo Dubio*. Irrita etiam conatu Aloysii filii; ad incitas redacti, communem cum ipsis esse debere contendunt eam portionis filiæ Bonifacii acquisitionem, quia,

ut asserunt, expleta fuit communi pecunia; nam Johanna pro illius pretio, et usuris negocium obligavit, in quo merces etiam erant ad ipsos Aloysii filios spectantes; in hac enim etiam contentione *factum, et jus* adversum habent. Ad *factum* quippe quod spectat, negocii quamvis *generalem*, per Johannam obligationem cohibitam fuisse ad portionem ejns filiarum propriam, ac illam etiam a Bonifacii filia acquisitam firmissime tenendum est, nisi contrarium luculentissime probetur sicuti firmat præcedens Decisio, Doctorum traditis, et S.N. Ordinis definitionibus suffulta §. 6.

4 Qualibet vero in falsissima facti hypothesi, repellerentur Aloysii filii per *juris* sanctionem, quod nempe = *qui aliena pecunia comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei tradita fuerit possessio, quaerit cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum quaedam comparasse contendas, de sua pecunia hunc conveniendo facies consultius: nam in rem de rebus ab eo comparatis tibi contra eum petitio non competit* = quæ sunt verba Imperatorum *in Leg. qui aliena* 8. *Cod. si quis sibi vel alteri*. Quod procedit etiam in durioribus terminis, pecuniæ nempe alicujus fidei creditæ, depositi nomine; nam *si ex pecunia, quam deposueras, is, apud quem collocata fuerat, tibi possessiones comparavit, ipsique traditae sunt, sibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his, compensationis causa, ab invito eo in te transferri injuriosum est* = respondit pariter Imperator in *leg. si ex ea pecunia* 6. *Cod. de rei vindicatione*. Quibus consonant aliæ leges, Doctorum Sententiæ, et S. N. Tribunalis oracula. quæ a Superiori afferuntur Decisione §. 6. Et in casu etiam alicujus particularis societatis statuitur quod = *Si Patruus tuus ex communibus bonis res comparavit, sibi negocium gerens, non omnium bonorum socius constitutus, pro competentium portionum modo indemnitati tuæ consuli oportet, et ideo rem emptam eum communicare contra juris formam postulas* =quæ sunt verva legis *si Patruus* 4. *Cod. Comm. utriusque judicii*, cui adhæret *Leg. si unus* 68. §. *si unus ff. pro socio*, atque innumeræ auctoritates relatæ ab eadem præcedenti in hac Causa Decisione §. 8.

Quin rem, vel minimum, mutare valeant epistolæ ab Johanna ad Petrum, Roma absentem, missæ, quibus eum de contractu emptionis ineudo quoad portionem Bonifacii filiæ certiorem faciebat. Satis enim superque ad hæc respondent, ea, quæ contemporanea Decisio *Romana Societatis super I. Dubio* animadvertit §. 23, nempe Joannam scribere Petro assuetam fuisse de rebus ad negocium spectantibus, et filiarum interesse respicientibus; quia ipse, uti institor, ei negocio, ex Perfecti voluntate, præerat, dum Romæ erat, et quia ei fidens, ejus consilium in filiarum rebus exquirendum putabat. Exinde igitur nil argui potest pro prætensa illius acquisitionis communicatione; quæ præterea manifestissime excluditur ex eo, quod Petrus præsens erat in Urbe, dum ea acquisitio fuit perfecta, Johannae tantum, vel ipsius filiarum nomine, et inverisimile omnino est ipsum omnia scientem, et videntem hoc sinere voluisse, si ad ipsum etiam, et fratres ille contractus spectare potuisset. 5

Plures ipse insuper proprio charactere conscripsit acceptilationes pro pecuniis a Margaritae matre receptis in caussam illius contractus = *dalla Signora Giovanna del Negro, come Madre, e Tutrice delle Signore Violante, Appollania, e Maria Samonati* =, nec unquam in illis conscribendis de asserto proprio fratrumque jure mentionem fecit. Epistolæ demum ab ipso ad Joannam missae post divisionem anni 1813., et illum expletum contractum, nedum nullum de asserto eo jure verbum habent, sed hoc jus evidenter excludunt. Fieri enim haud potuisset, ut ipse, si eo polluisset jure, suam semper egestatem plorans. Johannam precibus, simulatisque blanditiis ad misericordiam inducere studeret, et ab ea quodammodo pecunias emendicaret, potiusquam, quod 6

suum fuisset firmiter, ac animose peteret. Sicuti ergo perspicuum est nullam qnovis tempore inter Aloysii filios, et filias Perfecti societatem extitisse, ut contemporanea demonstrat Decisio; ita merito Patres presenti Decisione qnodlibet ipsorum jus ad portionem hæreditariam Bonifacii iterum excluserunt.

Et ita Patres omnes, nna mecum suffragia ferentes, definierunt hanc controversiam: Utraqoe etc.

ROMANA USUSFRUCTUS

Lunae 28 *Februarii* 1825.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCUI. -

SUMMARIUM

1. *Cessat dispositio, ubi ejusdem ratio cessat.*
2. *Alimentorum legatum si fuit relictum institutionis titulo, cessat Bulgari Theorica.*
3. *Nequit cujusquom voluntas ita interpretari ut id per interpretationem evertat ir quod expresse ipse disposuit.*
4. *Legitimae praedeductio tunc solum obtinet, si minus legitima filiis relictum sit, vel si conjugi superstiti plusquam filiis sit tributum.* - Et *num.* 5. -
6. *Ex lege,* hac oedictali Cod de secund nuptiis *inter secundum virum, et filios ex prima connubio servanda est aequalitas.*
7. *Qui sexagesimum naaum explevit, qainque tantum nnnos ndhnc vivere praesumitur*
8. *Frustrn quis petit, quod iatus habet.*
9. *Cadit ab emolumento usufructus, qui hereditatem expilat.*
10. *Expilatum ab haereditnte dici nequit, quod quis abstulit, vivente adhuc testatore.*
11. *Si occultatio fuit perncta citra animum fraudandi proprietarium, id non repellit usumfructuarium ab hereditatis compendio.*
12. *Qualibet credulitas, et opinatio, excusant a crimine expilatae hereditatis.*
13. *Haeres usufructuarias cautianem emittere debet de re haereditnria bene ndministrnnda.*
14. *Ab hac sanctione, pater et mater n bonis liberorum excipiuntur.*

DECISIO CCLXII.

A Cæsare Ginocchio, viro suo, Catharinam Cassinelliam unicam filiam, Mariam Barbaram, auscepisse, ac illo deinde viduatam secundas nuptias cum Josepho Marrè contraxisse, cni universæ substantiæ suæ usumfructum moriens reliquit, dum prædictam filiam ex primo conjugio ortam, jam nuptam Joanni Baptistæ Fontanarosa, in proprietate instituit, et in partiali nsufructu tabernæ pastillorum sitæ ad Theatrum Marcelli, jam fuse expositum est in superiori decisione, quam die 22 Martii nuper elapsi vulgavi. Patet item ex ea vix Catharinæ voluntate perspecta, conjuges Fontanarosa, juxta notissimam Bulgari Theoricam, Josephi, usumfructum ad sola alimenta cohiberi debere contendisse, eorumque votis consonam Triumviros A. C. Sentiam dixisse, qua omne Marrè jus ad menstruam scutorum *decem* præstationem reducendum esse definerunt, A quai Sententia cum Josephus ad Nostrum Ordinem appellationem detulisset, Patres propositæ Dubii formulæ = *An*, *quomodo*, *et in qua summa*, *et super quibus bonis debeotur usufructus in casu etc.* =, Conjugibus Fontanarosa certamen refugientibus, responderunt = *Pro Informante* =, nempe = *Affirmative, et usumfructum deberi super omnibus bonis hæreditariis, excepta toberna: ad Theatrum Marcelli.* Corruere enim existimarunt, ac nihil esse facienda, quæ Sententiæ Triumvirorum A. C., basem, ac fundamentum constituebat, eam Theoricam scilicet, quæ a Bulgaro nomen invenit, et sanctionem Legis *Hac edictali Cod. desecund. nuptiis*, ex eo quod ex omnibus facti circumstantiis usumfructum ad alimenta cohiberi induci nequiret, et æqualitatem inter vitricum, et filiam ex primo matrimonio haud fuisse servatam ad tramites dictæ legis non appareret.

Cum hodie vero de illius Decisionis viribus ageretur conjuges Fontanarosa in arenam descendere, et novas veteribus exceptiones superaddere non

dubitarunt, ut, si fas esset, non ad sola alimenta usumfructum vitrico res lictum cohibendum esse, sed omni eum jure cecidisse, nihilque ex uxoris hæreditate condicere posse Patribus suaderent. Quod ut consequerentur maximas excitarunt de expilatione hæreditatis per Josephum patrata querimonias; capsam, vulgo = *baulle* =, argenteis, gemmis, aliisque id generis pretiosis rebus repletam cum abstulisse; magnam insuper pecuniæ vim abscondisse collusisse eum creditoribus; ac etiam cum quodam Torsegnio, cui acceptilationes scutorum 350 pretii ab uxore sua ante obitum solnti, ad Domum quamdam ab eo emendam restituit, aliisque *centum* scutis superadditis cambium sui favore efformavit; dolo malo tandem hæc omnia, ac furandæ, expilandæque hæreditatis animo cum patrasse dictitarunt: ideoqne ab omni hæditario Lucro rejiciendum esse contenderunt: Rebus itaque hinc indo perpensis Patres, quos hoc mane interrogavi = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* =; præcedentem Decisionem confirmandam putarunt Responso = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum* = *facta* = *scilicet* = *per Josephum obligatione de bene fruendo, et de restituendo chartas, et pecunias haereditatis amotas, et praestita cautione* =.

1 Qua quidem Sententia nihil consultius, ac magis utrorumque juribus consentaneum desiderari posse videtur. Usumfructum enim a Catharina dilectissimo viro suo honorifico institutionis nomine relictum juxta famigeratam Bulgari Thoricam ad alimenta cohiberi non posse ipsi quoque noscere visi sunt Conjuges Fontanarosa, qui hoc defensionis caput omnino ferme relinquendum hodie satius duxerunt. Tam enim firma, veraque sunt ea rationum momenta, quæ in priori Decisione *diei* 22 *Martii* 1824 ad Bulgari Theoricam excludendum *a* § 3 *ad* 11 deducta fuere, ut nulla ea posse ratione convelli facile perspexerint. Cessat enim dispositio, ubi ejusdem ratio cessat; rationem vero Bulgarianæ illius consuetudinis, ne scilicet filii in paupertate sordescant, dum conjux divitiis effluit, in Catharinæ dispositione incassum quæri proprietas universæ hæreditatis, et usufructus tabernæ ad Theatrum Marcelli Barbaræ filiæ relictus satis superque demonstrant. Et hanc Doctorum omnium, et Sacri hujus Tribunalis Sententiam esse per adductos *in fin.* § 3 præfatæ Decisionis jam in tuto fuit positum.

Accedebat etiam ita pandita et expressa Catharinæ voluntas de formali usufructu viro suo relinquendo, ut numquam alimentorum legato ejusdem liberalitas posset æquiparari. Effrena enim, amplissimaque verborum conceptione = *In tutti, e singoli miei beni stabili semoventi, crediti, azioni, e ragioni presenti, e future, ovunque poste, ed esistenti* =, nec legati nomine, sed honorificentissimo institutionis titulo quoad illum disposuit = = *Erede Usufruttuario di lui vita naturale durante, instituisco, e nomino colla propria mia bocca il mio dilettissimo Consorte Giuseppe Marrè* = Eam enim verborum latitudinem quamlibet consuetudinem eisdem adversam penitus excludere, præter adductos in priori Decisione ad § 5 firmat *Rota in Romana Usufructus* 6 *Martii* 1722 *cor. Calcagnino*; eidemque Adversarii institutionis titulum docent *Bertrand. consil.* 57 *num.* 2 *Lib.* 18 *cap.* 21, *Calder. Resol.* 90 *num.* 14 *part.* 1., *Rota in Nullius, seu Sublacen. Cauthelæ Angeli* 14. *Februarii* 1716 § *nihil vers. etenim cor. Crispo, et in cit. Romana Ususfructus* 0 *Martii* 1722 § 5 *cor. Calcagnino.* 2

Quod si argumentis opus esset, ubi tam clara ex litera prodit dispositio, satis profecto esset hæc duo perpendere: quod, quoties usumfructum filiæ relictum testatrix ad tabernam pastillorum prope Theatrum Marcelli cohibuit, exclusit ideo eam frui posse reliquis bonis, quæ utenda fruenda marito reliquerat. Nequit enim cuiuscumque voluntas ita interpretari, ut id per interpretationem evertatur, quod expresse, nulloque jure refragante, ipse disposuit: ut ad rem nostram do- 3

cuit *Bersan. de Viduis cap.* 2 *quæst.* 2 *num.* 17 aliique, quorum tradita sub § 8 prioris Decisionis relata fuere. Alterum vero, maximi quidem ponderis, argumentum ex causa eruitur, in quam ejusdem tabernæ usumfructum Mater filiæ concessit; nempe loco fructuum, *quincuncium* pro dote, quæ eidem solvenda in sc.3000 supererat. Jam vero si Barbara, non nudam proprietatem, sed cum ea bonorum omnium usumfructum ex matris testamento fuisset consequuta, itant usufructus Josepho relictus in legatum alimentorum resolveretur, hæres ipsa universalis, plenoque jure extitisset et crediti, et debiti confusis actionibus, nullum amplius ei jus pro dote ejusque fructibus condicendis reliquum fuisset: unde inutilis, et frustranea dici deberet Catharinæ dispositio. Hisce si addas oneroso titulo ususfructus compeodium uxorem viro reliquisse, et = *i pesi della condotta del negozio* = inter onera numerasse; nequis ex creditoribus eum divexaret expresse cavisse, aliaque innumera hujusmodi, jam, nisi evidentia in dubium adducatur, quodlibet testamenti verbum vel separatim adhibitum, vel ad alia relatum, Bulgari consuetudinem in themate penitus excludere tenendum est. Quin juvet regerere Catharinam usumfructum viro suo ac tribuere declarasse = *in titolo e luogo di alimenti, giacchè la mia volontà precisa è che ei non debba mancare dei necessari alimenti* = Duo enim dumtaxat ex his deducere fas est, eum scilicet bene perspexisse tot oneribus gravatum virum relinquere, ut ex integro ususfructus compendio iisdem detractis, ei alimenta haud superessent; et hunc alimentorum titulum maximis privilegiis fulcitum ideo apposuisse, ut = *niun creditore possa falcidiarlo, e percuotere i miei beni* =, quod statim addidit, eodemque orationis contextu·

4 Nil mirum itaque, quod hoc Bulgarianæ consuetudinis objectum coram A. C. a conjugibus Fontanarosa propositum nunc ab eis negligatur; oportuit tamen, ne ad illud iterum redeant, de eo etiam disserere, ejusque inanitatem rursus demonstrare: Nec quidquam ipsi proficere potuerunt dum ad dispositionem Legis *Hac aedictali Cod. de secundis Nuptiis* confugere satius duxerunt, ac in id totis viribus nisi sunt, ut ostenderent æqualitatem inter secundum virum, et filiam ex primo connubio suo testamento Catharinam despectam habuisse. Quod ut evincerent, contendebant detrahi prius ex toto hæreditatis asse debere tum paternæ substantiæ emolumentum, tum legitimam, quæ super bonis maternis Mariæ Barbaræ competebat affirmabantque, hisce peractis detractionibus, quam maximam inæqualitatem inter virum, et filiam induxisse Catharinam. Rationem tamen, qua ipsis calculos, supputationesque inire placuit, haud probandam Patres censuere, qui perspexerunt imo, quacumque in hypotesi, Legis *Hac Edictali* censuræ Cassinolliæ dispositionem non adversari sivo scilicet detrahenda prius, sive non detrahenda dicetur filiæ portio legitima. De iis enim, quæ ex hæreditate Patris adhuc postulat erit infra dicendum. Tum vero id primum Patres animadverterunt, legitimam a Maria Barbarà hoc in casu minime fuisse præcipiendam, ut de æqualitate inter eum et vitricum deinde cognosceretur. Hæc siquidem legitimæ prædeductio tunc solum locum sibi vindicare potest, cum alterutrum ex hisce concurrit, vel ut minus legitima filiis relictum sit, vel ut conjugi superstiti plusquam filiis sit ex hæreditate tributum: Quo casu duo suppetunt filiis ex jure remedia: querela scilicet inofficiosi, per quam ad supplementum legitimæ contra hæredes agunt; et remedium legis = *Hac edictali* = quo ab hæreditata sibi avocant excedentem portionem vitrico, vel novercæ relictam. Quod si ex æquis partibus filii, et conjux superstes sint instituti, vel filiis aliquid ultra legittimam relictum sit jam primum exulat ex hisce remediis. Alterum ergo restat tantummodo exercendum legis *Hac edictali* quod cum primo nequit confundi, et in cujus vim de æqualitate

quærendum est, imputata tamen non detracta legitima portione.

5 Quam sane doctrinam juri apprime consonam tradunt *Surdus Cons.* 422 *num.* 9. *Bertrand. ad leg. Hac edictali in vers. ita tamen num.* 26 *et seqq.*, *Bursat, in cons.* 211 *num.* 4 *et* 5, *Cuccus in tract. legitimæ fol.* 56., *Fabr. in suo Cod. lib.* 5 *titt.* 9 *definit.* 6 eamque contra aliter sententies uti æquiorem, receptioremque defendunt *Carp. cons.* 74 *ad Cravet. cons.* 524 *num.* 3 *Rovit cons.* 58 *Vol.* 2. *Fontanell. de pact. nuptial. claus.* 5 *gloss.* 8 *part.* 4 *num.* 60; *Argel de acquirenda possessione quæst.* 3 *art*, 19 *num.* 985 *Cavalch. decis.* 25 *num.* 59 *part.* 3. *Gratian discept. forens.* 300 *num.* 39 *et* 43. Atqui Catharina filiæ, quam in integra proprietate instituit, usumfructum insuper instructissimæ tabernæ adTheatrum Marcelli reliquit, quæ duo legitimæ ejus debitæ vires, æstimationemque quam maxime excedebant: ad inquirendum igitur an sit inter eam, et vitricum nec ne servata æqualitas, nulla prius legitimæ portionis detractio locum habere potest. Quod si statuatur, jam omnis legis = *Hac edictali* = censura a themate prorsus aliena dignoscitur. Ni enim legitima detrahatur, jam valde meliorem filiæ, quam vitrici conditionem ex Catharinæ testamento evasisse, et ipsi norunt conjuges Fontanarosa, qui propterea detrahendam prius omnino eam esse contendebant.

6 At ne quavis ex parto deserta optima causa videatur; id etiam Patres sane consilio perspexere,detracta etiam, ut ii conjuges vellent, legitima portione, æqualitatem tamen a lege volitam haud fuisse despectam; quod ex simplici calculorum deductione apertissime patet, integrum enim Casinelliæ patrimonium ad scuta 6212 et ob.81½ assurgere compertum habuere, a qua summa detractis scutis 2154 72¾ quibus ejusdem et alienum contineri ex inventario patebat, reliqua erant scuta 4058 11½ Ex his Maria Barbara scuta 1687 51 pleno proprietatis, et usufructus jure percep:t, quæ scilicet valorem constituunt, tum tabernæ ad Theatrum Marcelli; tum quinquaginta *rubrorum* frumenti, quæ in eodem tempore apertæ successionis servabantur. Quidquid ergo ultra bona pleno jure fruenda filiæ relicta, in hæreditateCatharinæ reperiebatur vim scutor. 2371 70 efformabat: Atqui ex ea detrahendum procul dubio erat quidquid ad Josephum ipsum separata ratione pertinere demonstraretur: cujusmodi sunt torcularia duo, quæ ad pastillorum fabricationem ipse Januæ conficienda curavit suisque pecuniis acquisivit, et ligna, quibus eadem erant instructa; formæ insuper, vulgo = *stampe* = molæque marmoreæ, quarum partem Janua Romam invexit, partem, in ipsa Urbe cudenda, perficiendaque commisit; quæ quidem omnia scutorum 881 78 valorem efformantia hæreditati Catharinæ per errorem, et Josepho absente fuerunt adscriptæ. Hac igitur etiam detractione peracta, ad scuta 1489 92. Cassinelliæ hæreditas erat cohibenda, quæ, junctis scutis 1687 81 filiæ, ut supra dictum fuit relictis, universum ejus assem in scutis 3176 73 constituebant. Ex his itaque præsumenda fuisset Mariæ Barbaræ legitima, sive integra summæ triens in scutis 1059 24. Habuit vero 1187 81, ultra legitimam ergo scuta 628: 57 percepit. 7

Videndum nunc superest quid ex usufructu reliquorum bonorum Josepho obvenerit. Jamvero ut ex censura legis = *Hac edictali* = expendatur an binubus moriens primi conjugii liberis alterum conjugem Superstitem prætulerit, ususfructus æstimationem ex norma *legis Haereditatum Computationi ff ad leg. Falc.* sumendam esse docet *Voet in Pandect. lib.* 33 *tit.* 2 *num.*120 *Gratian. discept.* 762 *num.* 206., *Capyc. Latro Cons.* 118 *num.* 19. *Rota dec.* 429 *num.* 29 *cor. Riminaldo*; *et decis.* 112 7 *cor. Olivatio*. Ex hac notissima legis dispositione eum, qui *Sexagesimum* ætatis suæ annum explevit, *qu'nque* tantum annos adhuc victurum esse præsumi debet. Sexaginta jam annos natus erat Josephus: totius ergo

ususfructus compendium ejus favore ad *quinque* annorum fructus una sumptos reduci debet; cumque sc. 1489: 90; si quincuncem usuram ad normam taxao legalis parere supponantur, scuta 84 50 in singulos annos reddant, patet; Josephum, nil aliud ex uxoria haereditate, quam eamdem summam *quinquies* sumptam, sive scuta 372 50 ac guttatim quidem et intra quinquennium percipere posse: filiaeque propterea, quae, ultra legittimam, scuta 628 57 obtinuit, non solum quid quam ex jure suo detractum haud fuisse, verum favorabilius, ac liberalius, quam cupere posset, a Matre fuisse cum ipsa actum. Eo vero magis si proprietatis emolumentum ei a matre relictum, cui post vitrici mortem ususfructus coalescere debet, supputetur; ac si animadvertatur quam bene de re familiari, de negociatione, de uxore, do filia ipsa oneruerit Josephus, qui rem familiarem, ob mulieris infirmitatem fatiscentem. sublevavit, et auxit; negociationem in pristinum splendorem, majoremque reposuit; uxori continuo morbo laboranti, expensis haud indulgens, farmacis, itineribus, quantum potuit prodesse voluit; filiae denique, quam hodie Adversariam experitur dotem ultra paterni patrimonii vires, et conditionis spem, fuit elargitus. Si simul haec omnia colligantur legis *Hac edictali* exceptionem prorsus evanescere apertissimum fit.

8 Nec ultra legitimam aliam ullam detractionem Mariæ Barbaræ addicendam esse patres censuere. Nam, cum Cæsaris Ginocchio integrum patrimonium, die mortis ejus scuta vix 1230 77 attingeret, cumque ex his *ducenta* pro aere alieno dimittendo, *triginta* saltem pro sumptibus postremi morbi, et funeris essent detrahenda, ac ideo ad scuta 1000 redigeretur, jam nil amplius scutis *quingentis* Maria Barbara petere potuisset: cohæredem enim pro virili matrem ei dedit genitor. *Quingenta* vero ex paterna hæreditate scuta obtinuit, dum nuptias iniit cum Joanne Baptista Fontanarosa, ac *termine* insuper habuit etiam ex matris, ac vitrici liberalitate, ita ut ei jure, meritoque responsum dare posset Josephum = *frustra petit quod intus habes* = et incivile prorsus sit ulteriores etiam super paterna hæreditate contentiones, et jura ab ea in medium proferri.

Hisce constitutis et legis *Hac edictali* censura qualibet in hypotesi eliminata, ad ea nunc veniendum est, quæ altis undique querimoniis de expilatione hæreditatis per Josephum dulo malo patrata dictitabant conjuges Fontanarosa. Et hæc precipue ea est controversiæ pars, in qua, ut supra dictum fuit, cognoscenda Patres utriusque partis juribus perbelle consulere voluerunt. Perspectum enim primo loco habuerunt odii plenam actionem esse, quam conjuges Fontanarosa in Josephum senem proponebant dum in caducitatem ab omni ususfructus jure eum cecidisse ob criminosam expilationem contendebant, ideoque concludentissimas ab iis probationes, omnique dubio carentes adduci debere, ad effectum eum repellendi ab emolumento, quod ipsi = *come dilettissimo consorte* = uxor reliquit, *ad Text. in leg. quoties quæ dolo ff. de probat. Castill. usufr. lib.* 2 *cap.* 21 *N.* 17., *Rota post Farinac. decis.* 9 1 *cor. Bachio decis.* 393 *n.* 9 *decis.* 73 *n.* 1 *part.* 19 *tom.* 1 *rec. et dec* 69 *n.* 7 *cor. Caccino*, constabat quidem ex plurium testium depositionibus Josephum capsam quamdam, vulgo = *baulle* = ab ædibus quas ad Pantheon Agrippæ inhabitabat, ad ædes S. Luciæ *in selci*, ubi aegrotans uxor morabatur, asportasse, itemque in ea argenta, et gemmas, contineri. At vivente adhuc uxore, eiusmodi asportationem locum habuisse bajulus ipse deposuit = *che lo fece condurre nella casa a S. Lucia in Selci, dove io lo scaricai, e lo posai, accanto al letto dell'inferma* =

10 Hanc primam igitur exportationem haud hæreditatis, sibi nondum in usufructu delatæ, expilandæ animo effecisse dicendus est Josephus, sed potius ne pretiosum depositum in ædibus, a quibus uxor recesserat, derelinqueret. Eademque ratio esse potuit, ob quam post uxoris obitum, capsam eamdem

ad Aracoelitanorum Caenobium prope Capitolium transtulerit. Quam quidem præsumptionem Josepho favorabilem, omnemque in eo doli exclusionem id maxime demonstrat, quod, cum, exequutore Testamentario commonefaciente, reddita est capsa, argentum et gemmae in ea repertae sunt, quas liberum Josepho erat, si voluisset, auferre, nec tamen fuerant ablatæ. Nec magni facienda esse Patres duxeront, quæ conjuges Fontanarosa de pecunia in ea non inventa objiciebant. Primum enim eam extitisse, non aliunde probatur, quam ex ipsius Josephi asserta confessione, quam testis quidam audivisse referebat, qui = *intese dallo stesso Marè, che dentro il baulle vi era denaro bastante per comprare il grano* =; ac ex alia, de qua exequutor testamentarius fidefaciebat = *Lo interpellai a portare il denaro, ed esso rispose che rimaneva presso di lui la somma di se.* 300. = Quæ deo testimonia in re tam gravi, ac ad assertum unius Josephi dictum relata, haud certe sufficiont, ut præcedentem pecuniæ existentiam certam efficiunt. Deinde vero, si hæc Josephus palam ac exequutori ipsi testamentario, quin fateretur non dubitavit, jam quidquam subtrahendi in ipso voluntatem per id excludi consequens est.

11 De aliis etiam dolosis occultationibus Josepho appictis, haud satis liquere Patres censuere. Quoad mobilia incerta nimis sunt testimonia eorum, qui deposuerant in ædibus S. Luciæ recuperatam fuisse = *roba di cui non mi ricordo* =; vel = *a me pare, che fosse riportato meno di quello che fu portato* = vel tandem = *non so che quantità fosse, se fosse riportata tutta non lo sò* =, dum e contra affirmabant alii, quod = *furono mandati a riprendere tutti i mobili, che vi sono stati trasportati* =, et de quandam ex ipsis præcipue = *pesato molto, tanto quando lo caricai, che quando lo ricaricai* = Ex quibus induxere Patres de criminosa rerum per Josephum expilatione haud constare, liquere dumtaxat de occultatione aliquali, forsan circa consilium fraudandi proprietariam, quae tanti facienda non est, ut ab hæreditatis compendio usufructuarius repellatur, ceu docent *Paul. Christin. dec. Belgic.* 230 *n.* 18, *et seq. vol.* 1 *Ricc. collect.* 3189; *Sabell. in Summ. verb. usufructus* n. 25. Ablationem vero pecuniarum, quæ ex negociatione pastillorum, Catharina adhuc ægrotante, retrahebantur, atque ad ejus ædes per negocii institores quotidie afferebantur, omni pariter concludenti probatione carere in aperto erat. In sumptibus scilicet, et farmacis pro morbo ejus curando, ac in aliam quamcumque causam cum impendi potoerint, id sufficit ad expilationis crimen rejiciendum; accedente præsertim quod eorum existentia evidenter non sit probata, ad *Text. in Leg. decem* 117 *ff. de verb. obligat. Rota in Decis.* 73 *n.* 18 *part.* 19 *Tom.* 1 *Recen.*

Inpromptu etiam, qualibet in hypotesi, juxta esset causa, ex qua ad nonnullas occultandas hæreditarias res impulsus Josephus fuerit; animus scilicet illas a suorum creditorum impetu eximendi. Quam quidem, haud tamen laude prosequendam, consuetudinem Josepho fuisse ii, qui pro eo causam orabant, satis manifeste fatebantur, dum præter plures alios actus, societatem etiam cum uxore eum simulate iniisse, ad creditores fraudandos, affirmabant. Et ad hunc quidem effectum has omnes de quibus nunc uti dolosis incusatur, occultationes patrasse, ipsi demonstrabant testes a conjugibus Fontanarosa in medium adducti, qui capsam, de qua superius dictum fuit: ad ædes S. Luciæ in Selci illum asportasse deponebant = *motivo dei Creditori che lo perseguitavano* = Ad hæc pro hærede usufructuario ab ejus patronis adjiciebatur, ipsum maximam substantiæ ab uxore relictæ partem juræ proprio vindicare posse, multis ad id demonstrandum rationibus allatis. Quodquid vero de hoc sit, vel una credulitas, et opinatio, quamvis erronea fuisset, quod ea ad ipsum pertinerent, si cætera conjungantur, que memorata superius fuere, sat esse visum fuit, ut is expilatæ hæreditatis insons habendus sit, ad of- 12

fectum præsertim odiosæ, et criminosæ caducitatis effugiendæ. cum ab ea quævis etsi levi, et haud satis recto fundamento fulcita causa semper excuset, uti docent unanimiter, post *Leg. penult. Cod. de crim. exilat. hæred. Bald. in summa ad hanc Leg.*, *Cuiac. in Cod. Tit.* 34 *lib.* 9 *Tam.* 9 *Col.* 1375 *litt. B, Perez. in Cod. lib., et tit. eod. n.* 5 6 *Cyriae eantrav.* 189 *n.* 14. *Tranchedm. consult.* 51 *n.* 15 *Card. de Luca de Fideicomm. disc.* 154 *Num.* 4., *Rota decis.* 68 *n:* 3 *penes controv. diseept.*, *Decis.* 118 *n.* 11 *cor. Arguell. Decis.* 69 *Num.* 14 *cor. Peutiger. decis.* 119 *n.* 215 *part.* 9 *et Decis.* 677 *n.* 17 *part.* 49 *Recen. in Ramana Caducitatis* 3 *Julii* 1702 § *sub nixu coram Molines*, *in Romana Hæreditatis de Ruspolis* 13 *Junii* 1704 *et* 30 *cor. ead. et in Romana Cambiorum* 10 *Decembris* 1706 *n. cor. Olivatia.*

13 Attamen si hereditariorum rerum aliqualis subtractionis modus, et causa excusationem Josepho præbent, ut ab odiosa caducitate eximatur, non ideo a quavis ipsum erga hæredes proprietarios obligatione expeditum esse definiri potuit. Criminis enim non probata existentia, ac doli mali suspicione exclusa, pænam expilatoribus indictam illum effugere posse justitia quidem suadebat, quæ nullum insontem pæna affici sinit. Eadem vero justitia, quæ in civilibus quemvis vetat cum aliena jactura locupletari eumdem quidquid ex hæreditate amovisse probari posset restitutorum praecipiebat: cumque nimis fortasse callidus in rebus suis gerendis compertus fuisset, ac veteres mores, et collusio præsertim cum Torsegnio quoad domum ab uxore coemptam adhibita de quo judicialia acta fidem faciunt, probabilem suspicionem inducerent, quod ipse hæreditaria re bene, ut pars est, haud sit fruiturus, sanissimo Padres consilio, inherentes traditis per *Fab. in cod. tit.* 17 *Defin.* 2 obligationem ab ipso emittendam esse de pecuniis, et chartis amotis restituendis, et beno fruendo re hæreditaria, et idonea cautione hanc esse vallandam jusserunt. Nonnulla enim eum ab haereditate abstulisse cum suspicari possit, et ideo re baereditaria male fuisse usum; et cum quemquam, qui male se gessit in utendo fruendo rebus ipsi hoc relictis, ad damna et id quod intererest sarcienda proprietario haeredi obstringi debere doceant *Angel. in* § *fin. num.* 3 *inst. de servit. Afflict. cap.* 1 § *licat. n.* 14 *si de feudo, Ruin in L. divost.* §. *Si fundus n.* 2 *ff. sal. matrim, Beraus. cons.* 54 *N.* 19 *lib.* 3, *Castill. de usufr. Lib.* 1 *Cap.* 21 *n.* 4 = postulat igitur justitia, ut per praedictam cautionem ab Josepho exhibendam indemnitati proprietariae haeredis consulatur, ut integra ad ipsam materna baereditas, post usufructuarii obitum, perveniat.

Quo vero ad obligationem de bene 14 utendo fruendo, et cautiane ad id præstanda, juri omnino consonum Patrum Responsum fuisse quisque facile videt Et juris enim communis sanctione quilibet usufructuarius. vix patre, et matre, quoad bona liberorum exceptis, se fruiturum usurum boni viri arbitratu, et finitu usufructu rem eamdem in specio restiturum, dolumque malum abesse, et abfuturum esse cavere tenetur, ceu per *Text in l.* 1 *princ. et l. huic stipulatiani S. L. quemadmodum caveat, et l. si cujus rei* 13 *ff. de usufr. Pand. iisdem titulis.* Haec autem; si de quolibet usufructuario dicenda veniunt potiori ratione Josepho sunt applicanda, quem huc usque temporis nedum astute sese in rebus suis gessisse, sed etiam haud optime re haereditaria usum fuisse dubitari posse jam supra vidimus. Quem semel enim simulate egisse compertum est, cum id iterum facere posse quilibet absque injuria metuere potest. Quapropter, ne per callidas artes baereditaria res, qua interea uti frui ex uxoris liberalitate ei concessum est deterior ab ipso efficiatur, eum in id ubbligationem emittere et obbligationi cautionem adjungere prudenti consilio Patres voluere. Hoc enim, dum nullum ei detrimentum infert in fructibus haereditatis percipien-

dis, proprietariae juribus sartis, tectisqua, ut par est, servandis quam maxime prodest.

Et ita, utraqna parte strenue dimicanta, jus hoc mana redditum est etc.

ROMANA USUSFRUCTUS

Lunae 4 *Julii* 1825.

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO - CCLXII.

SUMMARIUM

1. *Testes, qui referunt de rebus a themate extraneae, spernendi sunt.*
2. *Quidquid secundo conjugi plusquam uni ex liberum relictum fuerit, ad liberos ipsos pertinet.*

   Legitima aequiparatur ueri alieno respectu legatorum, et institutionis haeredum extraneorum tantum - ibidem. -
3. *Ad normam legis* haereditatum ff. ad leg. falcid., *hominum vita usque ad annum sexagesimum quintum computatur.*
4. *Etsi homo perventus sit ad annos sexagiata ejus vita computatur od annos quinque.*
5. *Haereditas expilata dici non potest, quousque is vivit, cujus bona expiluta dicuntur.*

   Non quavis subtractio, sed expilatio tantum dolosa, et fraudolenta caducitatem infert - ibidem. -
6. *Haeres usufructuarius, cautionem praestare debet de bene administrando.*

DECISIO CCLXIII.

Primo vero Cæsare Ginocchio viduata Catharina Cassinellia, superstite filia ex hoc matrimonio orta, Maria Barbara, secundas cum Jesepho Marrè nuptias contraxit. Hunc, decedens, usumfructuarium hæredem universalem sibi dixit, filiam vero Joanni Baptistæ Fontanarosa jam desponsatam, in proprietate universa hæredem instituit, ac etiam in partiali usufructu tabernæ pastillorum, sitæ ad Theatrum Marcelli. Exorta controversia super Mareî jure ad hunc usumfructum, Triumvirule, nunc deletum, A. C. Collegium Sententiam protulit, qua eumdem usumfructum ad sola alimenta coercendum esse constituit. Hanc tamen Sententiam S. N. Ordo infirmavit, dum die 22 Martii 1824 Mareo = *Usumfructum deberi super omnibus bonis haereditoriis excepta taberna od Theotrum Marcelli* = statuit, Decisionem tunc editam, Conjugibus Fontanarosa ab judicio absentibus, in nova Caussæ propositione, iisdem acriter contradicentibus confirmavit idem S. N. Ordo dia 28 Februarii hujusce anni responso = *In decisis* = modo tamen adiecto = *facta*, scilicet, *per Josephum obligatione de bene fruendo, et restituendo chartas, et pecunias haereditotis amotas, et praestita cautione* = uti monstrat altera mea Decisio ad eam diem vulgata. Hanc hodie conjuges Fontanarosa cunvellere conati sunt. Frustra tamen. Rogati enim Patres sub assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = persistendum esse putarnnt = *In decisis* =.

Et merito sane. Nam in ea, quæ 1
nunc exibetur a conjugibus Fontanarosa defensione, nil prorsus novi adductnm Patres invenere, præter nuperrime prolatas, quorumdam testium sibimetipsis contradicentium depositiones, seu potius retractationes, parvi semper faciendas, in subjecta vero materia despiciendas omnino, cum a themate extranea sint, atque ad judicium de controversia proferendum nihil directe conferre queant. Agitnr quippe da Usufructu, qui testamento non impugnato ab Uxore ralictus fuit suo charissimo viro, in privilegiatam etiam alimentorum causam, quæriturque dumtaxat sit nec ne ab eo repellendus Josephum ob violatam, ut asseritur ab ejus Uxore censuram Legis *Hac edictali Cod. de sec. nupt.*, et ob patratam ab eo assis hæreditarii expilationem. Bulgari enim vulgatissimam consuetndinem de usufructu ad alimenta coercendo, quam Triumviris A. C. placuit amplecti, locum haud sibi vindicare posse ipsi conjuges Fontanarosa cum in præterita Caussæ propositione cognovissent, tum luculentius persuasum habuere in præsenti disputatione, ne verbum quidem de ea proferentes. Supervacaneum igitur esset ad-

hûc super ea immorari, cum ejus excludendæ rationes ex jure, et facto manantes fuse expositæ fuerint in *prima* Decisione diei 22 Martii 1824 a § 3 ad 11., et in *altera* diei 28 Februarii hujus anni a § 3 ad 6.

2 Verum nec Legis *Hac edictali* sanctionem profuit conjugibus rursus implorare. Patres enim iterum definierunt æqualitatem inter vitricum, et filiam ex primo matrimonio susceptam in hujus detrimentum haud fuisse a matre violatam. In qua disquisitione id ipsi primum novo judicio confirmarunt, legitimam nempe filiæ debitam, non esse prædeducendam. Dum enim *Textus* aperte jussit = *non esse licitum Novercæ, vel Vitrico plus relinquere, nec conferre quam filio, vel filiae* = ita ut = *quidquid secundo Conjugi plusquam uni ex liberis ipsos pertineat* = nullum de hac prædeductione verbum fecit: eam igitur sub generali dispositione relictam intellexisse Imperator dicendus est, et in portione filio, filiæve debita computari voluisse. Nemo siquidem inficiabitur legitimam a parentibus filios accipere, quamvis ex legis imperio illam relinquere, nec ullimode minuere teneantur parentes. Nec ad illius prælevationem evincendam rite proponi Patribus visum est, quod legitima velut æs alienum consideretur. Non enim absolute id dici potest. Æquiparatur quippe legitima æri alieno respectu legatorum, et institutionis hæredum extraneorum, quia nec legata, nec hæreditas debentur, nisi e bonis, quæ supersunt post legitimæ deductionem. In cæteris vero eam ab ære alieno quam maxime differre id satis demonstrat, quod ad eam consequendam cum creditoribus non concurrunt legitimarii, qui imo eam non recipiunt, nisi prius ære alieno deducto. Quamobrem ex hisce, aliisque rationum momentis, quæ in præcedenti Decisione sub § 6., et 7 deducta fuere legitimam in portionem filiorum esse conferendam, dum de æqualitate servata ad trsmites prædictæ legis *Hac Edictali* quæritur, iterum Patres definierunt. Nec a nonnullis Sacri N. Ordinis Decisionibus in contrarium adductis se moveri passi sunt, perspicue agnoscentes casuum diversitatem, quos singillatim ad examen revocare supervacaneum esset, eas a subjecta facti specie alienissimas ostendere.

Hoc autem constituto, jam omnis evanescit filiæ quærela. Quod, ut pateat, non minutiores sunt calculi ineundi, quales initos etiam in hypothesi prædeductæ legitimæ in superiori *Decisionis* sub §§ 8 9., et 10,, videre est. Sat enim superque est animadvertere, quod integer Catharinæ assis hæreditarius, ære deducto alieno, scuta conflabat 4058 11 $\frac{1}{4}$. Ex his Maria Barbara scuta 1687 51 pleno proprietatis, et ususfructus jure percepit, tum in Taberna ad Theatrum Marcelli, tum in valore *quinquaginta* rubrorum frumenti, quæ in eadem asservabantur. Reliqua igitur erant scuta 2371 60 $\frac{1}{2}$ ex quibus ususfructus universalis compendium Josepho relictum capiendum erat. Horum tamen haud exiguam partem ad se pertinere separata ratione Josephus contendebat, ob plures machinas, et instrumenta, quibus ære suo pastillorum tabernam instruxerat. At hisce prætermissis, admitti in re prrspicua; quæ tantum ad præsens spectat judicium, potest, quod super integre scutorum 2371 72 $\frac{1}{2}$ quantitate ususfructus Josepho fuerit ab Uxore relictus. Cum jam *sexaginta*, et ultra annos natus ipse Josephus fuerit, et cum ex demonstratis in § 9., superioris Decisionis ususfructus bonorum secundo conjugi a binubo relictus ad normam Legis *Hæreditatum ff. ad L. Falc.*, quæ hominum vitam usque ad annum *sexagesimum quintum* generatim prætendit, sit æstimandus, unius anni ususfructus quantitas *quinquies* sumpta integrum ususfructus valorem Josepho ipsi relictum constituet. 3

Aperta sana est Legis dispositio = *ab annis sexaginta cujuscumque aetas sit annorum quinque* = Jam vero juxta legalem *quincuncem* taxationem ex scutis 2371., scuta tantum 118, circiter in singulos annos percipi possunt: quæ, si *quinquies* sumantur, universum *quinquennii* usumfructum ad scuta 590 cir- 4

citer assurgere comperitur. Dum igitur filia plenæ proprietatis jure scuta 1687 51 ab ipso apertæ successionis momento percepit, sexagenarius Vitricus guttatim, ut ita dicam, ac vitæ oventualitati commissa scuta tantum 590 circiter per quinquennium lucrabitur, quæ vix trientem portionis filiæ relictæ exequare compertum est. Verum non unam tantum prædictam summam scutorum 1687 51 a Matre filia est consequuta: totius enim hæreditatis proprietatem obtinuit: quam, etsi sterilem in præsentiarum experiatur, magni tamen existimari quisque noscit, cum divendi, et ad hæredes transmitti, et pignori dari, et alio quoquam etiam lucrativo nomine ab ea possit alienari. Quibus perpensis, non solum æqualitatem, in filiæ detrimentum pro Victrico haud fuisse a Casinellia despectam Patres definiore, sed probe sibi persuaserunt, ne comparationi quidem locum esse posse inter optimam filiæ conditionem, et tenue lucrum; quod ex Uxoris hæreditate superstes conjux obtinuit.

5 Superest nunc, ut de expilatione sit sermo, quam patrasse Josephus incusatur, et cujus causa misere ab usufructu ei relicto dejici vellet a Conjugibus Fontanarosa. Patens quidem Patribus est, ipsum non optima fide rebus Uxoris usum fuisse. Quidquid enim sit de chartis, et pecuniis, quas Sacer N. Ordo novit *in genere* amotas, ita ut pro earum restitutione cautionem a Mareo præstandam præceperit, colluisse ipsum cum Torsegno, cui acceptilationes scutorum 350. ab Uxore servatas restituit, et scutis aliis *centum* superadditis cambium sui favore efformavit, in propatulo est: non ideo tamen eum ab usufructu dejiciendum Patres censuere, odii enim plena actio est hæc, quam contra Vitricum exercet Privigna; nec admittenda, nisi luculentissimis undique probationibus fulcita. Has verum in casu deficere Patres noverunt. Plerique siquidem ex actibus, ex quibus expilatoris nota Josepho inuritur, Catharinæ obitum præcessere. Cum autem nulla viventis sit hæreditas ad *Text. in Leg. hæreditas ff. de reg. jur. leg.* 1 *ff. de hær. vel act. vend. Leg. neminem ff. de acquiren. hæred.. ibique Donnell. Comment. lib.* 2. *Edit. Luc. columm.* 358 *numer.* 5., nullius etiam hæreditatis dici potest expilatio quousque is vivit, cujus bona expilata dicuntur. Deteriorationes verum, et damna, quæ Josephum hæreditati intulisse conjuges contendunt, nec tamen evidenter, uti opus esset, demonstrant, non ea sunt, quæ durissimum caducitatis effectum parere queant. Fructus enim potius hæreditatis respiciunt, quam rem ipsam hæreditariam, ita ut, si adfuit quædam deterioratio modica certe dici debet, et temporanea, non gravis, et perpetua, qualem ad acerbissimam hanc poenam infligendam requiri doceat. *Castil. de Usufructu lib.* 1 *cap.* 21 *numer.* 17., *et seq. Paulus Cristin. Dec. Belgic.* 250 *numer.* 18., *et seq. vol.* 1 *Ricc. collect.* 3189., *Sabell. in summa verbo ususfructus numer.* 23. Dolum tandem, fraudem, et culpam in Josepho excluderet ipsa animi ingenuitas, qua sponte cor. teste fassum esse dicitur = *che dentro il Baulle vi era del denaro* = et qua, uti pariter asseritur; interpellatus ab exequutore testamentario = *rispose, che rimaneva presso di lui la somma di scudi trecento.* = Lucem enim reformidat quodlibet fraudandi molimen: nec quamcumque expilationem, sed dulosam, et fraudolentam tantum caducitati viam aperire, et ab ea causam quamlibet, etiam fatuam, ut dicitur, excusare statuunt DD. Sententia, et Sac. Nostri Ordinis oracula adducta in § 14 præcedentis Decisionis.

Quæ cum ita sint merito haud tam gravi poena plectendum Josephum Patres existimarunt. Hæreditati vero, et proprietariæ juribus satis superque consultum essu censuerunt, dum quoad chartarum, et pecuniarum amotarum restitutionem, et quoad rectum rei hæreditariæ usum cautionem a Josepho præstandam jussere. Cujus modi justitiam, et æquitatem ulterioribus argumentis ostendere supervacaneum nunc esset, cum satis ad id sint, quæ sub 6

§§ 15., et 16 superioris Decisionis, quæ una cum priore confirmatur, dicta fuere.

Et ita in cæteris ad præcedentes Decisiones relatione habita, definitum fuit: Utraque etc.

UTI PRAELATO

SPOLETANA IMMISSIONIS

Lunae 27 *Junii* 1825.

ARGUMENTUM

Si Emptio venditio inita fuit ad tramites prioris contractus locationis conductionis, tantum emptum venditumque censetur, quantum locatum conductumque fuit. Neque obstat, quod venditio peracta sit sub generico vocabulo - *poderi* - nam etsi hoc vocabulum omnia praedia complectatur sub ejus nomine contenta, tamen id fallit, quoties praedium fuerit designatum cum propriis vocabulis, ac confiniis.

SUMMARIUM

1. *Onus probandi, ei semper incumbit, qui agit.*
Possessor semper est in sua possessione servandus, usquedum contra ipsum titulus proferatur - ibidem. -
2. *Dictio* - in conformità - *relationem importat, exigitque ut subsequens praecedenti actus similis sit.*
3. *Quidquid legitur in relato, neque in referente scriptum intelligitur.*
4. *Censuales tabulae haud probant justam aestimationem.*
5. *Verbum* - podere - *praedia omnia complectitur sub illius vocabula comprehensa.*
Fallit id tamen, quoties praedium venditum sit cum vocabulis designatis, ac confiniis - ibidem. -
6. *In generica venditione fundi, non complectitur dos fundi, seu semina, armenta, et instrumenta culturae.*
7. *In qualibet antinomia inter tabulas contractus, ac Agrimensoris relationem, attenduntur tabulae.*
8. *Loci Pii Moderator, nequit inire contractum absque venia apostolica, et utilitate loci Pii.*
Transcriptio peracta in vim tituli nulli, nequit suum parere effectum - ibidem. -

DECISIO CCLXIV.

In postrema, et nunquam satis lugenda Pontificiæ Ditionis invasione per Gallos, ut cætera omnia Ecclesiæ, Piorumque Locorum, ita etiam bona, ad Presbiteros ex Instituto Divi Philippi spectantia in Civitate, atque Agro Spoleti, occupata ab eis fuerunt, ærique publico dimittendo addicta. Ne tamen illorum prædiorum possessionem amitterent, conciliandam per Interpositam personam locationem conductionem Presbiteri curarunt, quæ reapse Anno 1810 die 13 Septembris, fidejubente Comite Carolo Zaccheio, ad novem Annos cum Jacobo Marignolio a Gallico Fisco inita fuit. Sed non omnia Presbyterorum bona amplexa est locatio conductio, a qua exempta manserunt *decem, et novem* prædiorum frustula, quæ ad Religiosam illam Familiam pertinere Gallicum latebat Fiscum, quæque ideo ipsi libere semper, uti antea, possiderunt. Inter prædia vero a Marignolio conducta recensebatur prædium quoddam = *Colle Morozzo* = vulgo nuncupatum, *quinque* terræ frustulis constans, quorum *tria* ad locationem conductionem Marignolio data: cætera autem a Presbyterorum dominio nunquam fuerunt avulsa, ex ea punctim causa, quod ad eos illa spectare ignorabatur a Gallis.

Anno 1811 placuit Gallis, ut Ærarii publici Creditoribus satisfieret, bona omnia Ecclesiæ, Piorumque Locorum venum exponere. Factum hinc est, ut eodem Anno ad diem *decimam Octavam* Junii notula quædam hujusmodi bonorum emptioni venditioni ad hastam publicam subjicendorum in vulgus prodierit in qua sub numero 2087 prædium ipsum = *Colle Morozzo* = descriptum reperiebatur = *in conformità del contratto di Affitto per Anni nove al Marignoli* = ejusque pretium in nummis Argenteis 1721 10 præfinitum. Cæteros inter licitatores, qui bona ad Presbiteros Philippenses pertinentia emere cupiebant, maxime excelluit Eques Valerius Zacchei Travaglini, germanus Caroli frater, qui pro Marignolio conductore spoponderat; atque is bona prædicta sibi comparavit ope tot schedarum, quæ valorem conficiebant scutorum plusquam *viginti millium*, quæ-

que destinatæ erant ad hujus generis bona a Gallico Fisco emenda. Quoad prædium = *Colle Morozzo* = Equiti. Valerio, seu ipsi, sub ejus nomine, Comiti Carolo Zaccheio adjudicatum fuit ex publici tabulis diei *decimæ* Mensis Julii Anni 1811 pro pretio = *di Franchi* 34635. 27. ad tramites contractus locationis conductionis cum Marignolio gesti, qui tres tantum ex *quinque* terræ partibus illud componentibus continebat. Vix horum bonorum dominium nactus fuit Eques Valerius ea statim sub proprio nomine in publicas censuales tabulas descripsit, in quibus illa quoque terræ frustula recensuit, quæ sub emptione comprensa non fuerant.

Restituto postea, Deo bene juvante, Legittimi nostri, ac Sacratissimi Principis Imperio, ex Rescripto Sacræ Congregationis bonis Ecclesiasticis administrandis præpositæ, Anno 1814 die 24. Octobris edito, restituti Presbyteri Philippenses fuerunt ad possessionem, numquam cæteroquin amissam, illorum bonorum, quæ distracta a Gallis non fuerant. Cum hinc Anno 1819 ad exitum pervenisset locatio conductio, sub simulato Marignolii nomine ab ipsis Presbiteris Divi Philippi celebrata, solliciti ii illico fuerunt Equiti Valerio bona ab eo Anno 1811 a Gallis coempta restituere. Sed hic contendere cepit restituenda sibi quoque esse illa *decem, et novem* terræ frustula in locatione conductione non comprehensa, atque ea duo præsertim frustula prædii = *Colle Morozzo* = Super quibus hodierna controversia versatur. Re in judicium deducta, civilis Spoletanus Assessor absolvendos censuit Presbiteros Philippenses a petita restitutione, qui ideo sub proprio eorum nomine in Censualibus tabulis inscribi curarunt hæc duo etiam terræ frustula, quæ seu inconsulto Eques Valerius nomini suo adscripserat. Biennio post Presbyteri Philippenses obtenta Apostolica venia, cum pluribus vendidissent ea *decem, et novem* terræ fragmenta. tum ea duo, quæ prædii = *Colle Morozzo* = partem olim constituebant, acquisivit Anno. 1821. ad diem *Undecimam* Julii Antonius quidam Soldoni, constituto pretio nummorum Argenteorum *biscentum*. Tunc iterum excitatus Eques Valerius diem Soldonio dixit coram abrogatis Judicibus, qui de Primis Actionibus jus Spoleti reddebant, ac sibi restitui ea duo terræ frustula prædii = *Colle Morozzo* = postulavit.

Ejus votis annuerunt Judices Spoletani. At provocatione ab eorum Sententia interposita, judicium liberationis a molestiis Soldonius instituit Adversus Presbyteros Philippenses, qui eas in se reapse susceperunt. Ventum idcirco est ad abrogatos pariter Collegii A Triumviros, qui Anno 1823. die *Octava* Augusti pronunciata Sententia postulatam ad illa duo terræ frustula immissionem Equiti Valerio denegarunt. Appellatione deinde a Signaturæ Justitiæ Tribunali ei concessa, controversiæ definitio judicio commissa fuit peculiaris Congregationis trium Romanæ Curiæ Præsulum RR. PP. DD. Celestini, Cioja, et Santucci, qui tamen nullam Sententiam protulerunt, quia recens Motus Proprius Pontificis Optimi Maximi *Leonis XII.* cui ad civium bonum, et Catholicæ Religionis incrementum sit vita per quam diuturna, interea temporis publici juris factus peculiares hujusmodi Congregationis antiquavit. Ex Pontificio itaque Rescripto ad sacrum Nostrum Ordinem delata, mihique *uti prælato*, commissa causa proposui hodie mane dirimendam Dubii formulam = *An sit danda immissio, seu reintegratio, et a quo tempore, et in qua summa sint Restituendi fructus, ita ut sint Relaxanda mandata in casu etc.* = ac Responsum datum est = *Negative in omnibus.* =

1 Actor erat in hoc judicio Eques Valerius, ideoque invictis Argumentis, et probationibus ostendere tenebatur duo illa terræ fragmenta comprehensa reapse fuisse in emptione venditione bonorum cum Gallis inita. Cum enim onus probandi ei semper incumbat, qui agit, ex *Leg.* 23 *Cod. de probat. et Leg.* 2. *ff. eod. tit.* hinc sequitur, ut absolvendi, actore non probante, omnino sint Presbiteri Philip-

penses, quorum favore quælibet magis æqua sumenda semper est interpretatio ex *Cap. Dudum et Cap. Hoc consultissimo de Reb. Eccl. non alienan in 6. et Extravagan. Ambitiosæ eod. tit.* cum præcipua eis faveat Sententia Spoletani Assessoris, quæ in Remjudicatam transit, quæque manutentionem eisdem Presbiteris Divi Philippi concessit in possessione *decem, et novem* frustulorum terræ, quæ sub emptione venditione, Gallis imperantibus expleta minime venerunt. Quandoquidem ex compertissima juris regula, de qua loquitur. *Text. in leg. Cod. 2 de probat. et Rota en Tudertina Juris pascendi, lignandi, et venandi* 12. *Martii* 1823 *cor. Me*, possessor semper est in sua possessione servandus, usque dum is, qui exturbandum eumcurat, titulum non proferat, ex quo ejici a rei detentione possessorem petit. Jam vero deficiebat prorsus Eques Valerius in his probationibus, et res sistebat propterea tam notulae praediorum bastae publicae Subjiciendorum, quam ipsis emptionis venditionis tabulis, ex quibus planum est, ea duo terrae frustula in contractu comprehensa non fuisse.

2 Reque vera in notula bonorum, ubi descripta erant praedia, sive rustica, sive Urbana, emptioni venditioni obnoxia, palam expressisque verbis explicabatur, praediom =*Colle Morozzo*= cum aliis praediis adnexis, et nuncupatis = *Prata*=, *et Longoro* = eo modo vendi, quo jam locatum Marignolio fuerat, nimirum = *Podere denominato Colle Morozzo Proto, e Longara nella Commune, Circondario, e Dipartimenti sudetti in conformità del controtto di Affitto proveniente dal detto Convento, Affittato per anni nove dal* 1 *Settembre* 1810, *al detto Marignoli* = Nec secus in publicis tabulis Anni 1811, die *decima* Julii initis, in quibus melior licitator renunciatus fuit Eques Valerius, eique per consequens facta = *la definitiva cessione, e dazione con ogni trasloziane di proprietà del sud. podere denominato Colle Morozzo, Prata, e Longara nella Comune di Spoleto proveniente dal Soppresso Convento di S. Filippo di detta Comune, e dettagliato nel sud. Controtto di Affitto o favore di Giocomo Marignoli* = Quod si emptio venditio inita fuit ad tramitem prioris contractus locationis conductionis, jam illud necessario consequitur, ut tantum emptum venditum censeatur, quantum locatum conductum fuit. Ea siquidem dictio = *in conformità* = notulæ vendendorum bonorum adjecta, relationem importat, exigitque ut subsequens præcedenti actui similis plane sit *Rota in recen. decis.* 186., *et* 187 *part.* 19 *tom.* 1 *dec.* 32, *num.* 7 *coram Herzan, et in Anagnina Coppellaniarum* 3 *Junii currentis anni* § 5 *cor. R. P. D. Meo Ruspoli.*

Quin imo ea relatio, quæ in tabulis emptionis venditionis habita fuit ad contractum locationis conductionis, ex indole sua necessario exprimit, et repetit ea omnia, quæ sunt in relato cum omnibus suis qualitatibus, ita ut quidquid legitur *in relato* æquo *in referente* scriptum intelligatur *Roto in Recen. decis.* 369 *num.* 13 *tom.* 5., *et decis.* 232 *num,* 7 *corom Rotta*, Atqui exploratum est, ac inter litigantes incontroversum, in locatione conductione a Gallis cum Marignolio stipulata comprehensa non fuisse ea duo terræ frustula, de quibus orta contentio est Nam Marignolio locarunt Galli, et a Gallis conduxit Marignolius *tria* tantum prædia, primum scilicet = *in Vacobolo Colle Morozzo di Modioli* 45., *e Stare* 4 = alterum = *in Vocabolo Prata di Modioli* 3., *e Stara* 4 = *tertium* denique = *In Vocobolo Longara situato in Busano di Modioli* 4 *pog.* 3., *e piedi* 90 =. Nihil dictum in locationis conductionis contractu de illis duobus terræ frustulis, quæ licet unum, idemque vocabulum retineant = *Colle Morozzo* =, non modo tamen sub diversis jacent confiniis, ut patet ex censualibus Codicibus, sed etiam per publicam viam secernuntur ab alio prædio = *Colle Morozzo* =, quod et Marignolio locatum, et Equiti Valerio revera divenditum fuit. Id ipsum patet ex relatione Agrimensoris Francisci Cortecci, quæ, tum locationi con- 3

ductioni, tum emptioni venditioni addita fuit, quæque tantum descripsit prædia = *Colle Morozzo* = *Prato e Longara* =, eorumque qualitatem, quantitatem, ubicationem, et confinia retulit, ut relata in locationis conductionis contractu fuerunt.

4 Ergo dubitari nequit in emptione venditione duo illa terræ frustula haud contineri, ita ut nullum jus habeat Valerius ad ea vindicanda. Nihil attamen intentatum ipse reliquit, ut contrarium suaderet. Opponebat enim venditum prædium fuisse ad tramites Censualium tabularum, una cum duabus aliis Prædiolis scutis 755, 11, æstimabatur. Idcirco inferebat, quod si geminato valore tabularum Censualium, juxta Gallorum morem in hujusmodi licitationibus adhibitum; integrum pretium prædii = *Colle Morozzo* = constitutum fuit in scutis *viginti unius* supra *bismille*, obulique *decem*, necessario dicendum est, duo quoque terræ frustula vendita fuisse. Sed hæc irrito conatu proponebantur, semel ac millenis ferme exemplis comprobatur ultra etiam duplicatam tabularum censualium æstimationem, et modo divisim, modo conjunctim Ecclesiæ bona Gallos distraxisse, ac ad libitum eis pretium addixisse, ut in hoc casu ad libitum addixerunt, in quo ultra etiam duplum æstimationis Censualis, sicut calculanti patet, prædii pretium extulerunt. Nullum ergo argumentum ex constitutione pretii erui potest, ut cognoscatur, quid et quantum fuerit a Gallicano Fisco divenditum; secus enim, si suis staro viribus posset hæc argumentatio, ex pretio Censualium Codicum deducta, non solum binos illos fundos trans viam publicam positos, quærere sibi posset Eques Valerius, sed alios quoque fundos, qui sub uno Vocabulo = *Colle Morozzo* = ac sub una eademque æstimatione, quamvis deinde duplicata in Censualibus Codicibus descripti fuere.

5 Nec obstat, quod decempedator Petrus Sterbinius, quo in licitationibus utebatur Gallorum Magistratus, publicis nominibus dimittendis præpositus, in relatione sua dixerit = *che il detto poders e realmente composto di numero sei pezzi sopra descritti nell' accennata misura* =. Quidquid sane Sterbinius effutiverit ad præsentem casum referri nequit, quia, non ad tramites relationis ab eo confectæ, sed ad normam locationis conductionis cum Marignolio initæ, ac relationis Francisci Cortecci prædia Galli vendiderunt. Atqui nec in una nec in altera continebantur fragmenta terræ, quæ in disquisitionem modo veniunt. Ergo nec in emptione venditione comprehensa ea dici possunt. Frustra vero confugiebat actor ad veterem destinationem patris familias, ex qua duo illa terræ frustula ab iisdem exercebantur colonis prædii = *Colle Morozzo* =, et ad germanam, ac grammaticam significationem Itali verbi = *poderes* = quæ prædia omnia complectitur sub illius vocabulo comprehensa Quamvis namque vera hæc in *genere* sint, fallunt tamen *in specie*, quoties nimirum, ut in præsenti contigit themate, designata tum vocabulis, tum confiniis prædia vendita fuerunt; quo casu id tantum venditum censetur, quod designatum est, etiam si partem tantum ampli alicujus latifundii constituat, non integrum latifundium.

Responsionis honore indigna visa 6
sunt cætera, quæ licet coram S. Tribunali reticita, magnis tamen animis objecta fuere coram abrogatis A. C. Triumviris. Neque enim officit in emptionis venditionis tabulis exclusa tantum fuisse armenta, semina, ac fundorum instrumenta, adeout ex juris regula, ex qua docemur, *exclusionem unius esse inclusionem alterius*, cætera omnia, quæ ad prædium = *Colle Morozzo* = pertinent, in emptione venditione necessario comprehensa renunciari debeant. Nam in omnibus fere adjudicationibus, Gallorum tempore factis, constantissime excludebantur semina, armenta, et instrumenta fundorum, quæ secus, uti dotem fundi constituentia, in emptione venditione comprehensa intelligebantur. Oportebat igitur de iis mentionem facere, ut cognosci posset, an ea nec ne compleeteretur emptio venditio. Non eodem

tamen modo oportebat ab emptione venditione nominatim excludere ea duo terræ frustula, quæ licet partem antiquæ coloniæ prædii = *Colle Morozzo* = ex destinatione patris familias efficerent, intelligi nihilominus non poterant in emptione venditione comprehensa, quoties nulla de illis excidit mentio, et quoties imo ad tramites prioris locationis conductionis tria tantum prædia nominatim expressa empta vendita fuerunt. Nec officit pariter nuperrima declaratio Agrimensoris Francisci Corteccii, in qua professus fuit se se in relatione sua, emptionis venditionis tabulis adjecta, duo illa prædiola una cum majori prædio conjunxisse, atque extimasse.

7 Declaratio quippe ista referens est sine relato, quod nullum ex jure constituit probationis monumentum, donec ex eadem relatione constet, prædiola una simul cum majori prædio = *di Colle Morozzo* = vere comprehensa fuisse; quod sane nunquam evinci poterit. Etiam si autem hoc ex illa veteri relatione pateret, adhuc tamen in qualibet antinomia inter tabularum literam, et Agrimensoris relationem attendendæ unice essent tabulæ, quibus adjecta fuit periti hominis relatio, non ad *taxative* evincendum quid, et quantum sub emptione venditione veniret, sed ad *demonstrative* tantum ostendendum prædiorum, quæ vendebantur valorem. Non officit demum, *tum* eumdem Corteccium in relatione sua numerasse *tercentum* olearum arbores, quæ haberi nequeunt, nisi prædiola quoque in contractu comprehensa dicantur: tum Equitem Valerium prædiola ipsa nomine suo in Censualibus tabulis inscripsisse, vidente, patiente, et consentiente Joanne Carolo Scaramuccio Presbyterorum Philippensium Præside. Ad primum enim quod attinet, fatetur ingenue Agrimensor se se ad prædium = *Colle Morozzo* = non contulisse, nec illud perlustrasse, ac olearum arbores numerasse, sed in iis recensendis unice inspexisse notulam quamdam informem, quam multis mendis, atque erroribus infici, nec ipse quidem Eques Valerius inficiabatur.

Ex alia præterea relatione Agrimensoris Dominici Galli constabat, arbores olearum tam in majori prædio = *Colle Morozzo* = quam in aliis ejusdem Vocabuli prædiolis ad numerum evehi *sexcentum sexagintanorem*. Longe ergo erat quod Agrimensor Corteccius, dum numerum *tercentum* olearum constituit, ad prædium, et prædiola respexerit. Nec objiciendum Corteccium magnas tantum olearum arbores descripsisse, nec de minimis fuisse sollicitum. Id enim repugnat declarationi alteri, quam idem emisit vir peritus, et in qua professus fuit, nullo facto discrimine, se solere tam magnas, quam minimas olearum arbores æstimare. Ad secundum demum quod pertinet, nimirum ad descriptionem utriusque prædioli nomine suo ab Equite Valerio in Censualibus tabulis, consentiente Scaramuccio, Præsbyterorum Philippensium moderatore, et Præside, factam, nec poterat ipse Presbyteris suis præjudicium ullum inferre, nec revera intulit. Non poterat præjudicium inferre quia nequibat ipse, absque Apostolica Venia, et nonnisi cum evidenti Presbyterorum utilitate, in re ad Monasterium spectante assensum præbere, ut ex Sacrorum Canonum dispositione notissimum est. Non revera intulit prædicium, quia sicut Censuales tabulæ non probant rerum dominium ex doctrina Sacri Tribunalis *decis.* 42 *num.* 36 *coram Ansald., decis.* 1789 *num.* 4. *coram Ratto, et decis.* 552 *num.* 3 *coram Riminaldo*, ita simplex utriusque prædioli transcriptio ab Equite Valerio in prædictis tabulis nomina suo peracta, nec exturbare Presbyteros poterat ab eorum possessione, nec titulum obliterare, ex quo legitimo possident. 8

Et ita, me quoque suffragium ferente decisum est, utraque parte informante.

UTI PRAELATO

VELITERNA TAXAE

Lunae 13. *Decembris* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

1. *Pro expensarum taxationis justitia semper stat praesumptio.*
2. *Ex motu proprio* Pii VII, *non amplius quam scuta quinque, victor a victa assequi poterat pro Decisionum impensis.*
3. *Eadem onoraria nequeunt, quamvis sub diverso titulo, bis exigi.*

DECISIO CCLXV.

Absoluta per rem Judicatam S. N. Ordinis, post Sententiam a Rmo P. D. Meo Isoard, nunc S. ejusdem N. Ordinis Decano, signatam, prævia ejus Decisione, vulgata die 26. Aprilis anni 1822, diuturna lite, quæ summa utrinque contentione acta fuit inter Velitrenses Fratres Petrum, et Joannem Corsettios, ac Josephum Mancinium, super ab iis contra hunc prætensa restitutione scutorum *Mille*, quot huic ex Velitrensis Vicarii rejudicata solvere debuerunt, in dimissionem residui crediti, quo hic eum hypotheca pollebat super prædio = *Invialata* =, quod ad debitorem Antonellium pertinuerat, quodve iidem Corsettii sub corona acquisiverant; qua in Lite plures inter se pugnantes sententiæ, *ne resjudicatae* prodiere; et ideo, ob hujus litis terminum, nam Corsettiis novam restitutionem in integrum, quamvis pluries petitam, assequi impossibile fuit, eum locus factus fuerit pro Mancinio exactioni sumptuum ejusdem litis, quos R. P. D. Gamberini, nunc a secretis S. Congregationis Concilii, sub die 12 Januarii 1821 taxaverat in scut. 330 37 usque ad Sententiam ab ipso signatam, post decisionem editam die 3 Julii 1820; et cum ab hac taxatione indulta Corsettiis fuisset a Signaturæ Tribunali Appellatio cum Clausula » *ab excessiva* » proposui ego, uti Prælatus, Patribus Dubium » *An constet de excessiva taxatione expensarum in casu etc.* »; ac die 26 Martii superioris anni 1824, facile, Corsettiis silentibus, responsum accepi » *Negative* », ut monstrat ad eam diem a me publici juris facta decisio. At eum hoc mane ex indulta Corsttiis Nova Audientia, ad trutinam hæc mea fuerit Decisio revocata, sub assueto Dubio » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, auditis Corsettiis, superiorem definitionem S. Tribunal moderandam censuit responso » *Quoad scut.* 284 *et obul.* 17 *in decisis, in reliquis recedendum a decisis* =.

1 Et merito. Cum enim pro taxationis expensarum justitia semper sit præsumptio, eamque servari oporteat, nisi de ejus injustitia evidentissime doceatur, ut semper tenuit S. N. Ordo, ac signanter *in decis.* 373 *num.* 1 *coram Benincasa, decis.* 400 *num.* 2 *coram Molines, decis.* 158 *num.* 1 2 *cor. Olivatio, in Romana Honorarii super Expensis* 14 *Maii* 1705 §. 2 *coram De Vaiis, in Romana Liberationis a Molestiis super excessiva Taxatione Expensarum* 4 *Junii* 1821 §. 2 *coram R. P. D. Meo Martinez, in Romana Expensarum in Judicio restit. in integrum super* 1 *Dubio* 3 *Decembris* 1824 §. *fin. coram R. P. D. Meo Muzzarelli, et in Romana Assecurationis super Expensis quoad Taxationem R. P. D. Tiberj super* 1 *Dubio* 3 *Decembris* 1824 §. 3 *coram mecum aliis ibi citatis*; hinc Patres probandam esse censuerunt taxationem, de qua est quæstio, quoad summam scutorum 284, et obul. 17. quia quoad partitas hanc summam conficientes, nihil a Corsettiis affertur, ex quo pateat in eis æstimandis peccatum fuisse vel *in genere*, vel *in specie*; atque ideo in hac parte Decisio confirmari meruit. Secus vero rem se habere visa est quoad scuta 96 et obul. 20, ad quæ ascendunt quædam partitæ in taxatione admissæ, quasve expungendas esse in propatulo fuit; et ideo quoad hanc pecuniæ vim, quae, admissis scutis 284 17, deesset ad conflandam scutorum 384 17, quantita-

tem in taxatione comprehensam, superior Decisio fuit infirmata.

2 Quotnor siquidem sunt partitæ, quas Domini demendas esse voluere. *Prima* est scutorum 26, quæ expensas complectitur *primæ*, *secundæ*, *et tertiæ* instantiæ, quæ a Corsettiis fuerunt Mancinio solutæ, uti pstet ex acceptilatione, ac in controversiam baud adducitur. *Altera* est scutorum 40. detrabenda ex honorariis solutis DD. Advocatis Corradini, et Savorelli, Adjutoribus tunc a studiis R. P. D. Mei Marco, et R. P. D. Gamberini, pro extensione binarum Decisionum. Articulo namque 374 Regiminis super Taxa Expensarum in Judiciis, adnexi notissimo Motui proprio S. M. Pii VII. super Praxi Civili diei 22 Novembris 1817., statuitur, quoad expensas in S. Rota, quod » *la spesa della Decisione nel medesimo Tribunale sarà rifattibile secondo la Tassa minima, che viene presentemente fissata in scudi cinque per l' effetto della rifazione* = Si itaque Mancinius extensorum Decisionem labores, ac studia pensanda esse duxit scutis 25 in quamlibet Decisionum, non integram summam scutorum 50; sed *decem* tantum scuta, *quinque* nempe in ntramque Decisionem, juxta » *la tassa minima* » repetere a Corsettiis valet; quod ægre ferre non debet; nam ante eum Motum proprium editum, quidquid pro S. N. Ordinis Decisionibus honorarii datum fuisset earum extensoribus, nihil boc nomine victor a victo in judicio assequi prorsus poterat.

3 Delenda est etiam *tertia* partita obulorum *viginti*, quia Mancinius sibi addixit obulos 60 » *pro repetitione in actis in termino contra jura coram R. P. D. Meo Marco* = cum ex Articnlo 361 prædicti regiminis super Taxis pro hujusmodi actibus debeantur tantum obuli 40 Demum *quarta* accedit subducenda partita in scutis *triginta* pro honorariis, quæ sibi Mancini Procurator adscripsit in *sexta, septima, et octava* Caussæ propositione: quia, postquam Codex Judiciarius Victori facnltatem dedit conficiendi taxationem functionum, et expensarum, quæ olim dicebantur *extrajudiciales*, ab Aula recessisse dicendum est eam in Foro consuetudinem adscribendi victori scuta *decem* in qnavis Caussæ propositione coram S. N. Tribunali, pro expensis *extrajudicialibus*; secus quippe duplicem ex eadem caussa refectionem Mancinius obtineret. Deductis igitur ex R. P. D. Gamberini taxatione in scut. 380 37 *quatuor* hisce partitis, scuta in totum conficientibus 96 20, remanent scuta 284. 17. quorum refectio Mancinio a Corsettis debetur.

Et ita me quoque suffragante definitum fuit utraque etc.

VERULANA CREDITI

Lunae 14 Martii 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Accuratae Periti relationi, fides est adhibenda.*
2. *Quid in locatione fuerit comprachensum, demonstrat locationis apoca.*
3. *Testis unicus, et pendente lite expiscatus, nullam meretur fidem.*
4. *Non meretur pariter fidem, si sit in apertissima contradictione cum aliis testibus* » Et num. 5. –
6. *Quæcumque fuerit debiti confessio a tertia persona emissa, nullum detrimentum irrogat debitori.*
7. *Prodesse nequeunt confessiones, quibus error, ignorantia, metus vel falsa causa locum praebuere.*

Enormissima laesio, removet consensum ab actu – *ibidem.* –

DECISIO CCLXVI.

Nicolaus Franchi, qui in secunda Gallorum invasione redemerat vectigal = *del macinato* = in Signium Civitate, aliisque quatuor finitimis oppidis nuncupatis = *Gorga, Sgurgola, Gavignano, e Montellanico* =, cessit privata syngrapba die 30. Junii 1810. confecta partem ejus

redemptionis Dominico Valletta suo Creditori scutorum quatuor centum pro pretio venditæ quantitatis olei. Hujus singraphæ autographum, quod sibi retinuit Franchius relicto dumtaxat exemplo penes Dominicum, nunquam fuit exhibitum, sed aliunde constat, eumdem Valletta recepisse vectigal in tribus solum oppidis = *Gavignano*, *Sgurgola*, *e Segni* = exigendum, pro eoque rependere debuisse summam scut. 166. 66. ⅔ in singulos Menses, ita tamen ut ratam partem scutorum triginta sibi retineret usque ad integram extinctionem scutorum quatuor centum, reliquam vero persolveret publico emptori in partem longe majoris summæ a Franchio debitæ pro universa vectigalis redemptione. Orta autem est longa, ac deploranda malorum series, quæ diu, multumque afflixit familiam Valletta. Nam paucos post menses Franchius postulavit apud Tribunal Primæ Instantiæ Frusinonis deputari Dominico administratorem ad vectigal exigendum, oditaque abusus sententia, qua Judices petitione loco protestationis accepta demandarunt, eumdem uti jure suo = *a termini del patto inserto nell'articolo quarto dell'apoca* = missis undique literis quemque monuit, ne quid amplius Vallettio solveret, sed iis potius, quos ipse administratores proprio arbitrio deputavit.

Hac itaque intercepta die 11. Martii 1811. vectigalis exactione aliam Franchius occasionem nactus, quod Dominicus Valletta peregre aberat, adversus ejus filium Ignatium sese convertit, expeditoque fiscali mandato in summa scutorum *mille*, ac *centum* eumdem minis terruit, et divexavit. Quamobrem timidus, reique paternæ ignarus Adolescens syngrapha die 1 Decembris 1812 obsignata illud debitum fassus est, et tempus quinquennii petiit ad solvendum cedens prædium = *Collefano* = asserto creditori Franchio, ut exinde fructus interim perciperet loco usurarum. Hoc autem acceptum prædium postea Franchius eidem Ignatio Valletta locavit indicta lege, ut quotannis in antecessum solveret pensionem scutorum triginta quinque. Præter hæc vero novas etiam adhibuit fraudes ad alias possessiones auferendas. Alterum enim paucis post diebus venditans creditum in summa scutorum 629. 16. aliud fiscale mandatum expedivit, atque imparem solvendo Ignatium statim in carcerem conjecit. Preces tunc detentus Ignatius adhibuit, omniaque tentavit ad leniendum durissimum hominem; sed nihil profuit, donec ad extremum vendere coactus fuit idem prædium = *Collefano* = Comitissæ Dorotheæ Pandolfi, tum alterum = *Vallerano* = eidem Franchio pro pretio, quod periti statuerant. Atque ita sane libertatem recuperavit, sed cum postea pretium a Peritis præfinitum satis non fuisset ad debitum integrum dissolvendum, vendere Franchio coactus est fundum nuncupatum = *il Bruceto* =.

Ita quidem se res habuerunt sub Gallorum dominatu, sed cum postea rebus publicis restitutis primum apud A. C. Mastai, mox apud Ordinem Nostrum Ignatius postularet nullitatem contractuum, et actorum, ejus pater Dominicus Valletta causam super credito instituit adversus Franchium, eamque obtinuit a Signaturæ Tribunali remitti = *Eidem Auditori Rotæ in statu, et terminis, et amplius* =. Quare cum mihi causæ super nullitate commissæ fuissent, hoc quoqua proposui dubium = *An, cujus favore, et in qua summa constet de eredito, in casa etc.* =, atque in contumaciam Nicolai Franchi responsum fuit, constare de credito favore Dominici pro summa liquidanda, veluti adparet *ex Veralana Crediti* 22. *Julii* 1821. *coram me* = Hac edita Decisione cum tributa fuerit Franchio obloquendi potestas, plures vices causa subiit. Nam primum re nondum satis illustrata responsum fuit = *dilata, et coadjuventur probationes* =, mox autem scissa in utramque partem suffragia, donec ampliato ad *Quintam*, *et Sextam* judicio rescriptum prodiit = *dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis ad effectum recipiendi redditionem rationis a Nicolao a die* 11. *Martii* 1811. *cum omnibus facultatibus necessariis, et oppor-*

tunis =. Electus hinc fuit in peritum Advocatus Nicolaus Ferrarelli Archigymnasii Antecessor, qui accuratissimam fecit relationem, ex eaque cum adparuerit, creditorem esse Dominicum Valletta in scutis 279. 86., idcirco bodie Patres causa rursus proposita in contumaciam Franchii, respouderunt = *In decisis pro summa scutorum* 279. 86.

1 Et sane novum hodie causa aspectum sumere visa est post confectam, editamque periti viri relationem. Cum enim primum proposita, et acta fuisset quæstio tot, tantisque non bene cognitis factis, determinare certe non potuit quid, et quantum deberetur, quia tametsi certum foret creditum Dominici Valletta in summa scutorum quatuorcentum ob pretium quantitatis olei Franchio venditi, siculi constat ex hujus obligatione, non satis tamen liquidum, perspectumque erat, quid contra ipse Dominicus Franchio deberet ob causam vectigalis moliluræ. Nunc vero postquam Peritus omnia explanavit, exhibitaque accuratissima relatione omnia suo lumini restituit, non est amplius hærendum super præcisa crediti quantitate. Constat enim, ob venditionem olei creditorem esse Vallettam scutorum quatuorcentum, sed æque clarum, atque evidens est, eumdem debere Franchio summam scutorum 18. 86. pro residuo pensionis conducti vectigalis exigendi. Præterea ambigi non potest, quin ex eadem pensione in singulos menses persolvenda ad tramites conventionis sibi retinuerit Dominicus summam scutorum 30. in partem sui crediti. Ac tandem manifestum adparet, eumdem recepisse sex frumenti modios, qui ad pretium scutorum duodecim, quod adamussim vigebat tempore traditionis, alteram summam conflant scut. 72. Quamobrem si hæc tria nomina simul juncta detrahantur ex credito scut. 400., quemadmodum jam demonstravit Peritus in sua relatione, perspicuum erit, omne Vallettæ creditum redigi ad summam scutorum 279. 86.

2 Quibus positis inutiliter Franchius ad augendum Vallettæ debitum ex causa subconductionis obtruderet, pensionem a perito perperam fuisse computatam ex causa conducti vectigalis in summa scutorum 1999. 99, ½ in singulos annos, dum contra rependere debebat Dominicus Valletta vim scut. 3764. 96., compræbensa nempe exactione vectigalis Oppidorum = *Gorga, e Montellanico* =. Certum enim, exploratumque est, Franchium privata syngrapha die 30. Junii 1810. sublocasse Vallettæ redemptionem vectigalis exigendi in districtu Signino annua conventa pensione = *di franchi* 10700. = monetæ Gallicæ, quæ respondet adamussim Romanis scutis 1999. 99. ½. Siquidem, dum ipsa Apocha regestro fuit subjecta, ita fuit expressum = *on registre une adjudication du droit de moture fait par Nicolas Franchi de Morolo en faveur de Dominique Valletta de Veroli pour deux ans, six mois, et quinze jours moyennant la somme de dix mille sept cent francs par an sans caution passee devant S. S. P. a Morolo le* 30. *Juin* 1810. Neque insuper verum est, in hac sublocatione compræbensum fuisse etiam vectigal in aliis duobus Oppidis exigendum. Dum enim idem ipse Franchius postulavit a Præside Tribunalis Primæ instantiæ veniam citandi Vallettam, dum reapse eum in jus vocavit apud Judices Frusinonis enixe postulans, ut deputaretur administrator ad exigendum vectigal juxta Articulum IV. apocæ conductionis, dum præterea sententiam obtinuit, qua post acceptam loco protestationis petitionem bujusmodi decretum fuit, ut suo ipse jure uteretur ad formam præfati *Articuli quarti* conventionis, dum denique publicis affixis edictis Vallectæ abstulit exactionem vectigalis, non alia designavit oppida, quam = *Gavignano, Sgurgola, e Segni* =.

Nec quidquam proficeret testimonium afferendo cujusdam Bernardi, qui testatur, duas fuisse apochas sub conductionis initas inter Franchium, et Vallettam, quarum altera compræhendit = *Segni, e Montellanico* =, altera vero = *Gavignano, e Sqrgola* =. Is enim testis præter quod unicus est, ideoque minime audiendus *ad Text. in leg.* 9. *ff. de Testibus*, *et leg.* 1. *Cod. eodem*, 3

accedit etiam, quod expiscatus fuit pendente lite, ac proinde nullam meretur fidem = *Rot. in Recen. decis.* 145. *n.* 18. *Par.* 9. *coram Rezzonico decis.* 35. *numer.* 12., *coram Riminaldo decis.* 46. *num.* 10. Præterea cum ipse deponat exhibitas sibi fuisse geminas apochas, quas adnotavit in libris Demanii tamquam eidem addictus, ejus quidem depositio, si nec libri, nec apochæ proferantur, referens est sine relato, ac proinde nulla penitus in calculo haberi potest, *Rota dec.* 11. *num.* 7. *de Benefi. cor, Falconer. dec.* 840. *n.* 11.*cor. Ansaldo, et dec.*335. *n.*11.*cor.Riminaldo.*

4 Sed quod insuper gravius est, hujus testis depositio in apertissima contradictione reperitur cum ipso Franchio, et cum altero teste Sancte Acquista. Ac primo quidem cum Franchio, quia = *quando egli dimandò il permesso al Presidente di Frosinone di citare a breve termine il Signor Domenico Valletta per deputare un' amministratore al subaffitto, e lo citò in virtù di tale permesso per tal oggetto, e ne ottenne il giudicato in di lui contumacia, con cui gli venne ammessa la sua dimanda in luogo di protesta, e gli venne ordinato, che in quanto alla destinazione dell'Amministratore si valga delle sue ragioni, e gli si limitò sempre alle Comuni Gavignano, Sgurgola, e Segni, e ad ottenere tale suo intento richiamò, ed allegò l'Articolo* 4. *dell' apoca delli* 30. *Giugno* 1810. *Il che fa conoscere, che con quest'apoca, o fosse essa la prima, o la seconda di quelle che si asseriscono dal Signor Bernardi, erasi stipolato il subaffitto di tutte, e tre sì fatte Comuni Gavignano, Sgurgola, e Segni. Se dunque esisteva un'altr'apoca, conrien dire, che la medesima abbracciasse la sola Comune di Montellanico, ed il Sig. Bernardi all'opposto in detta sua deposizione divide la Comune di Segni da quella di Sgurgola, e Gavignano, e dice, che una, o sia la prima delle due apoche contenera il subaffitto del Capo Luogo di Segni, e Montellanico, e l'altra, o sia la seconda il subaffitto delle due Comuni di Gavignano, e Sgurgola* = quemadmodum inquit, et observat accuratissime peritus in sua relatione.

At nedum cum Franchio aperte contradicit Bernardius, sed etiam adversatur depositioni cujusdam Sanctis Acquista, qui fatetur, se recepisse anno 1810 sub conductionem vectigalis oppidi = *Montellanico* = ab ipsomet Franchio pro menstrua pensione scutorum quinquaginta, eamque retinuisse usque ad Mensem Januarii 1813 expresse etiam obtestans, pensionem continuo persolvisse Franchio, aut ejus mandatario. Inquit enim = *Dichiaro per la pura verità ricercato, come avendo preso il subappalto del Macinato di questa Terra di Montellanico fin dal Mese di Aprile* 1810 *dal Signor Nicola Franchi principale appaltatore per la mensuale corrisposta ad esso di scudi* 50, *però certifico, che in tutte le corrisposte sudette ho fatto li miei scadenti pagamenti, come da ricevute, che ritengo presso di me, al sunnominato Signor Franchi, o a chi per esso, e ciò per tutta la durata del mio subappalto terminato in Gennaro del* 1813. Nulla ergo ratione, nulloque pacto depositio hujus testis Acquista componi potest cum altera depositione Bernardii. Si namque ille retinuit subconductionem vectigalis in Oppido = *Montellanico* = exigendi a Mense Aprilis 1810 usque ad Mensem Januarii 1813, mendax quidem est testis Bernardius, nullaque idcirco fides eidem est habenda, dum inquit in prima apocha inter Franchium, et Vallettam inita, contineri exactionem vectigalis = *nel capo luogo di Segni, e nella Comune di Montellanico.* 5

Post hæc inutiliter objiceret Franchius aut quamdam Dominici Valletta epistolam, ubi se debitorem esse fatetur, aut confessionem debiti, cæterasque agnitiones filii Ignatii. Enimvero si quidquam generatim scripsit Dominicus Franchio, dum ab eo postularet quoddam dotale Instrumentum sibi expediri sine ulla impensa, hæc quidem generica confessio nullo expresso debendi titulo, nullaque designata debiti quantitate, nihil nocere potest, sed ea potius referenda est ad residuum ejus debitum scut. 18. 86 ex pensione subconductionis, ceu patet ex periti relatione, atque ad senos frumenti modios, 6

quos ipse receperat, præsertim, quia per id tempus, quo scripsit epistolam, nondum Franchius in Carcerem conjecerat filium Ignatium, nec Dominicus resciverat quid, quantumque ab filio extorquere antea potuerit sub fuco paterni debiti. Quod si hæc generica confessio nihil officit, multo sane minus nocere possunt confessio debiti, cæteræque agnitiones Ignatii. Nedum enim imberbis adolescens, qui propter absentiam Patris omnia penitus ignorabat, errore, et falsa causa inductus est ad confitendum debitum, sed præterea si qoid valeret ejus confessio, in ea quidem sibi reservavit Ignatius liquidationem, ac indemnitatem, si quid postea adparuisset indebite fuisse solutum. Cæterum quidquid Ignatius dixerit, aut fassus est, nullum profecto parentis Domiuici juribus inferre potuit præjudicium. Si enim certi, exploratique juris est, alteri per alterum iniquam conditionem inferri non posse, minime quidem dubitandum est, quin ea quæcumque fuerit debiti confessio a tertia persona emissa nullum detrimentum irrogare potuerit Dominico Valletta, veluti juxta novissimas regulas advertit *præterita mea dec.* § 8.

7 Accedit vero, quod prodesse Franchio nequeunt omnes, quotquot sunt, contractus, et confessiones Ignatii, quibus error, ignorantia, metus, et falsa causa locum præbuerunt. Non enim aliter potuit Franchius adolescentem compellere ad debitum paternum confitendum; idemque solvendum, neque aliter potuit eumdem inducere ad possessiones ipsi detrahendas ob causam ejusdem debiti, nisi quia Ignatius ob Patris absentiam in summa rerum omnium ignorantia versabatur, quia falsum sibi jactari ab eo neutiquam putabat, quia demum minas timebat, et denunciatam a Franchiu in Carcerem detrusionem. Cum igitur hodie pateat evidenter, nullum existere Franchii Creditum, cum contra imo adpareat, veluti supra demonstratum est, creditorem esse Dominicum in summa scutorum 279. 86 erga Franchium, hinc ignorantiæ, errori, falsæ causæ tribuendum est, quidquid egit Ignatius, non aliter quidem acturus, si rei veritatem potuisset agnoscere, si non errore ductus, nec per fraudes deceptus fuisset metu etiam carcerationis incusso. Quare nullum, et infectum est quidquid gessit Ignatius nedum ex jure Romano, sicut notat *prima decisio* § 8 sed etiam ex dispositione legum Gallicarum, quæ vigebant tempore confessionis, et contractuum. Cautum namque erat Artic. 131 Codicis Gallici. = *L'obbligazione senza causa, o fondata sopra una falsa causa non può avere alcun'effetto.* Quibus omnibus accedit etiam enormissima læsio, quæ dolum continet, removet consensum ab actu, et omnimodam nullitatem inducit, etiamsi renunciatione, aut jurejurando contractus sit communitus, velut firmat superior dec. 8. 9.

Et ita cum suffragio *Quinti, et Sexti* resolutum est, Altera etc.

ANCONITANA CONVOCATIONIS

CONCURSUS

Lunae 19 *Aprilis* 1826.

ARGUMENTUM

Nun solus creditorum uumerus, sed nominum item quantitas spectanda est in indicendo concursu, quae si superentur ab aestimatione patrimonii communis debituris nulla subest ratio, cur is e possessione bonorum suorum exturbetur, et substantiae suae jacturam patietur.

SUMMARIUM

1. *Ut concursus rite convocetur, tres saltem creditores, qui tribus polleant distinctis nominibus, id petere debent.*
2. *Rejicienda est actoris petitio, quamvis utiliter initio proposita, si debitum, pro quo in judicium quis trahitur, ante pronunciationem sententiae solvatur.*
3. *Regula* - Filius ergo haeres - *prodest filiis agentibus, eis autem non nocet dum conveniuntur.*

Legitima non intelligitur, neque illius solutioni est locus, nisi prius expungatur aes alienum - ibidem. -

Collusio nunquam in testamento praesumitur - ibidem. -

4. *Licet creditori actione personali utiliter agere contra debitorem sui debitoris, si confluant extrema a lege raequisita.*

5. *Ratio legis in illius interpretatione. attendi praecipue debet.*

   Non solum creditorum numerus, sed nominum item quantitas spectanda est in indicendo concursu - ibidem. -

6. *Si libralis Patrimonii viribus, indemnitati creditorum consultum constat, concursus est semper respuendus.*

DECISIO CCLXVII.

Pro credito argenteorum nummorum *mille sexcentum* quod in Hyeronimum Capoleoni experiebatur Octavius Constantini, judiciale hic mandatum obtinuit illudque executioni commisit super ædibus quibusdam Anconæ positis, et jam pro indemnitate creditoris hypotecæ subjectis, quas in hastæ, ac licitationis æstu sibi comparavit Petrus quidam Mariotti pro persona nominanda. Acris hinc exarsit controversia de nullitate hujusce deliberationis, quum ipsa excitavit debitoris mater Vittoria Petrozzi, non ex eo solum contendens irritam deliberationem fuisse, quod enormissimæ læsionis vitio inficiebatur, sed quia præterea ædes hastæ suppositæ ad se in usufructu pertinebant. Postquam hæc questio diu acta fuit, tam apud Judices Anconitanos, quam apud Tribunal Appellationis Maceratæ, cum denique definienda conscendcrit ad Sacrum Ordinem Nostrum, Res judicata, quam duo præiverunt Decisiones sub titulo *Anconitana Nullitatis Deliberatis*, prima ad diem 18. Aprilis Anni 1825., et altera die *decima septima* Martii insequentis Anni a R. P. D. Meo Pianetti in lucem editæ, objectam nullitatem penitus rejecit. Quoniam itaque victores ab hoc judicio discesserant tum creditor Constantinius, tum deliberatarius Mariottus, processerunt ambo ad taxationem supputuum litis, qui estimati, quoad primum fuere in scutis *tercento octoginta*, et quoad alium, in scutis *quadraginta octo super centum*. Rati tamen pro consequenda harum expensarum refectione, se persequi posse Hieronymum, actricis Victoriæ filium tertium quoque concitarunt ejus creditorem Darium Gigli, junctoque cum eo fœdere, coram abrogatis primæ jurisdictionis Anconitanæ Judicibus sese steterunt postulontes, ut adversus Hieronymum Capoleonium communem Debitorem universalis indiceretur creditorum concursus.

At videntes Judices Anconitani haud necessaria confluere judiciariæ Legis extrema ad concursum convocandum, lato Kalendis Octobris ejusdem Anni 1824. Decreto declararunt = *non esser luogo alla chiesta Convocazione* = Verum, cum aliis creditoribus instigatis, ac duobus tantum quibus perexiguæ summæ debebantur inventis, qui morem gererent, fuerit instaurata, præfati Judices die *vigesima prima* Decembris ejusdem Anni Sententiam pronunciarunt, eaque decreverunt = *aperto il Concorso universale de' creditori sul Patrimonio di Girolamo Capoleoni* = Hac de causa, nedum electus patrimonii administrator, ac præstitutus debitori terminus ad juratam bonorum notulam exhibendam, sed nominatus quoque eadem in Sententia fuit Judex apud quem jura sua creditores deducerent, et cætera explerentur acta ad *graduatoriam* usque Sententiam. Appellationem quidem ab inimica hac Sententia Capoleonius interposuit; necessariis attamen actis, ea postea Rei judicatæ vires nacta est, quia præsertim ad Signaturam Justitiæ confugiens, *circumscriptionem* tantum postulavit, fuitque rejectus Rescriptu = *Nihil, et Amplius* = Nunc autem non despondens animo, consilium cœpit devolutivæ provocationis periculum obeundi, quod ei bene, feliciterque vertit. Commissa enim mihi Causa, Patres rogavi assueta Dubii formula, nempe = *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum* = ac Responsum retuli = *Negative ad primam partem, affermative ad secundam* =.

Quamvis ex prædicto Signaturæ Ju- 1
stitiæ Rescripto ambigendum haud esset de validitate Rei-judicatæ, evidens

nihilominus erat illius injustitia, quæ omnino requirebat ut ea revocaretur. *Leg. si se non obtulit* 4. §. *Condemnatum ff. de Rejudic.* Explorati siquidem juris est, non tam debitori, ad evadendas molestias contra personam, licere concursus universalis judicium instruere, quam ipsis creditoribus patrimonium suum absumendo, ac dilapidando eorum actiones eludat. Quin imo concursum rite convocari, si tres saltem, qui distinctis polleant nominibus creditores id postulent, non modo cautum est ex veteri Constitutione Pauli V. super reformatione Curiæ, ut late docent *Salgad. Labyrintg. credit. part.* 1. *cap.* 1. *num.* 41. *Card. De Luca de Cens. disc.* 21. *num.* 4. *Zanc. de prælat. credit. in præfat. num.* 8. *Rot. decis.* 225. *num.* 9. *cor. Ratto*, verum etiam præscriptum legitur, tam in Motu proprio Sanctæ Memoriæ Pii VII. die 22. Novembris Anni 1817. ubi *Art.* 1475. cavetur quod = *il concorso universale potrà convocarsi tanto ad istanza dei creditori, qualora concorrano in numero almeno di tre per titoli separati*= quam in alio Motu Proprio Sacratissimi Principis diei 1. Octobris 1824. ubi eadem ferme in *Artic.* 890. verba occurrunt. Sed neque litera, neque ratio earum legum opitulari poterat Capoleonii creditoribus ad convocandum super bonis communis debitoris. Ad literam quod pertinet, etsi tres saltem creditores Leges prædictæ desiderent, et quinque quidem existant nomina in libello Anconitanis Judicibus exhibito adversus Capoleonium; duo nihilominus Creditores revera adfuerunt. Nam Constantinius, et Moriottus persequi nequeunt Hieronymum, cum mandatum quod a Sacro nostro Auditorio obtinuerunt, executioni committi debet *contra haeredes, et bona haereditaria Victoriae quondam Perozzi* », quæ auctrix fuit diuturnæ litis, quam sustinere coacti ipsi fuerunt.

2 Duo isti præterea creditores distinctis, ac separatis nominibus, veluti exigunt Leges, haud pollent; sed utrumque nomen ab uno eodemque profluit expensarum fonte, quas ipsi projecerunt in prædicto judicio nullitatis deliberationis, quo sese defendere Constantinius, et Mariottus adversus Victoriæ querelas debuerunt. Neque pariter in creditorum albo recensendus erat Petrus quidam Mandellius, quem dimissum fuisse, ac de suo credito satisfactum, legittimis monumentis revincebatur. Statim ac enim is judicio comparuit, illico oblata ei fuit a debitore pecunia, quam in tabulario deponere, eo renuente, necessum fuit. Oblatione autem facta, peremptum penitus mansit debitum etsi solutio post jam inceptum judicium intercesserit. Quandoquidem absolvendus est reus conventus ab observatione judicii, ac reijcienda actoris petitio, quamvis utiliter initio proposita, si debitum, pro quo in judicium quis trahitur, ante pronunciationem Sententiæ solvatur. *Instit.* §. *de perpet., et tempor. act. Vinn. Comment. ad Instit. lib.* 4. *tit.* 12. *Ridolphin. prax. judic. part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 139. Deductis ergo Constantinio, Mariotti, et Mandellio, duo solum supersunt, levis cæteroquin summæ creditores, qui ad legum tramites impares sunt concursus convocando. Si qui enim sunt alii, qui agmine facto in Capoleonium irruerunt, hi quidem, aut nullum præseferunt creditum, aut jam dimissi sunt, aut vocati, et conquisiti, ad opportunitatem fuere apud Judices Anconitanos, et secesserunt modo, cum esset coram Sacro Nostro Ordine disceptandum, penes quem, præter Mariottum, et Constantinum, nemo alius præterea asserta sua jura proposuit.

Ut trinum creditorum numerum assequeretur, qui Constantinium, et Mariottum tuebantur, summa vi reponebant, duplici titulo persequi eos posse Hieronymum, tum quia hæres is est matris suæ Victoriæ, tum etiam, quia conveniri potest tamquam debitor Maternæ Dotis. Utrumque vero levissimum visum est. Et primo quidem evinci ab iisdem actoribus oporteret, cum obvia illa, et omnium sermone pertrita regula = Filius, ergo hæres = prosit quidem filiis agentibus; eis autem, dum con- 3

veniunt non noceat, quippe qui beneficio *abstensionis*, a Prætero inducto, uti possunt. *Instit.* §. *Si autem de haered. qualit. et differen.* Cæterum testamenti tabulæ a Victoria confectæ demonstrabant, *formalem* usumfructum legitimæ portionis loco relictum Hieronymo solum fuisse: ex quo illud fit, ut nec pro hærede baberi possit, nec uti hæres ullo modo vexari, quia legitima non intelligitur, neque illius solutioni locus est, nisi prius expungatur æs alienum *Leg. Papinianus* §. 9. *ff. de inoff. Testam. Merlin. de Legit. lib.* 1. *quaest.* 2. *num.* 2., *Rot. in Rec. Decis.* 338. *num.* 1. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 15. *num.* 16. *tit. de Salv. interdict. cor. Falconerio, et in Beneventana Successionis quoad legittimum paternam* 20. *Martii* 1830 §. 5. *coram bo. me. Zinanai.* Vitio autem Hieronimi vertendum non erat, si præter usumfructum institutus quoque a Matre fuit hæres fiduciarius qui non aliud est, nisi custos hæreditatis. Nullum quippe collusionis judicium, nullamque præsumptionem Hieronymi Creditoribus fraudem faciendi ex hac qualitate fiduciarii occurreat. Porro, si fraus, et collusio nunquam præsumatur, multo minus præsumenda est in actu illo gravi, et scrio, prout est testamentum, quod plerumque conficitur dum prope vitæ exitus est.

Certius id retineri opportet, quia
4 nulla subest colludendi, causa. Idem enim haberi poterat effectus, et removeri Creditorum Hieronymi molestiae valebant, etiamsi non ei, sed alteri cuicumque voluntatem suam Victoria concredidisset. Poterunt ergo Creditores Hieronymum cogare ad manifestandam fiduciam; eum autem uti Matris hæreren, persequi nequeunt, donec ex pandita fiducia, constet eum revera Matris hæredem esse. Nec agi in Hieronymum potest, uti dotis maternæ debitorem. Licet sane actione *personali* Creditori utiliter agere contra debitorem sui debitoris, ut de proprio credito ei satisfiat, dummodo tamen tria illa confluant extrema, quæ post *Textum in Leg. Si in causa* 2. *cod. quando Fisc. vel privat.* tradit Sacer Ordo *Decis.* 845. *num.* 1. *coram Manzanedo, decis.* 867. *num.* 6. *coram Molines, et in Farfen. Immissionis super fructibus* 9. *Junii* 1755. §. 6. *coram Canilliac.*, quod scilicet principalis debitor fuerit condemnatus; quod is rursus inventus sit non solvendo; quod tandem debitor debitoris proprium nomen fateatur. At in præsenti themate, præterquam nullæ præmissæ fuerunt diligentiæ adversus hæreditatem Victoriæ, quæ plura bona, præter dotem possibebat, ut ex ejus testamento patet; illud præterea latet omnino, quid et quantum fuerit hoc creditum Victoriæ adversus filium suum, et an hic revera hujusmodi æs alienum luere teneatur. Nunquam igitur haberi potest trinus creditorum numerus, quem tam vetus Jus quam neotericæ leges præstituunt ad indicendum concursum.

Præter literam deficit etiam ratio, 5
quæ anima legis dicitur et attendi praecipue debet in illius interpretatione, cum ea quæ Legislatorem ad illam sanciendam movet. *Noodt. ad tit. de leg. pag.* 13, *et* 14. *Puffendors de jur. nut. et Cent. lib.* 5. *cap.* 12. *de interpret.* §. 10. *Rot. decis.* 371, *numer.* 26. *cor. Ansaldo, et Decis.* 1038. *num.* 3. *tom.* 4. *cor. Molines.* Jam vero dum leges trium creditorum numerum praefinierunt ad concursum convocandum, de iis certe creditoribus intellexerunt, qui nominibus suis vires patrimonii communis debitoris, aut aequent omnino, aut excedant. Secus enim, si tribus Creditoribus levissimae summae fas esset concursum indicere, huic infortenio opulentissima quoque patrimonia subjecerentur, et damnum inferretur maximum hominum societati. Atqui in interpretatione legis ea semper capienda est interpretatio, quæ vitio careat, cum potissimum Legislatoris voluntas ex hoc recte colligatur, *Leg. In ambigua* 19 *ff de legibus.* Non solus itaque creditorum numerus, sed nominum item quantitas spectanda est in indicendo concursu, quæ si superentur ab æstimatione patrimonii communis debitoris nulla subest ratio, cur is a possessione bonorum suorum exturbetur, et

substantiæ suæ jacturam patiatur. Non omnis quippe solutionis defectus, non quælibet collybisticarum literarum scripta reclamatio, non aliqua judicialis mandati exequutio, causam decoctionis præbet, quæ a multis pendet circumstantiis, atque adminiculis, Judicis prudentia pensandis, quæ suadeant imparem cunctis neminibus dimittendis debitorem evasisse. *Card. de Luca de Cambiis disc.* 26 *num.* 8, *Ansald. de Commerc. disc.* 4 *num.* 19 *et seq. Casareg. in tract. Cambista istrutto cap.* 2 *num.* 7. *Baldasseron. Leggi, e Costumi del Cambio part.* 2 *num.* 26, *Rot. decis.* 489 *num.* 30 *cor. Crescentio, in Perusina Dotis, et Fructuum* 8 *Martii* 1743 § 5 *cor. Vicecomite, in Romana Statuarum* 5 *Martii* 1761 § 10 *cor. Canilliac., in Romana Cambii super decoctione* 9 *Julii* 1752 § 2 *cor. Molino, et in Romana seu Parisien. super Rejudicata* 8 *Maii* 1807 § . . *cor. bo.me. Piccolomini.*

6 At, quamvis aliquo ære aliene præmatur Hieronymus, multum tamen, inspectis Censualibus tabulis, possidet in rebus soli, in prædiis scilicet Urbanis, et rusticis, ex quibus creditoribus suis satisfacere potest. Procul ergo abest quodcumque creditorum discrimen, quibus etiam dimissis, satis amplum patrimenium Capoleonio remanet. Quod si nullum adest pe iculum lugendi credita, quorum satisfactio, juris ordine servato, urgeri poterit, atque obtineri, nonnisi æmulationis æstu abrepti Capoleonii Creditores bodie postulabant, ut universalis super ejus bonis concursus indiceretur. Æmulatio autem ferenda in judiciis non est, quorum sanctitas requirit, ut id tantum concedatur Actori, quod juri, et æquitati congruit. *Rot. decis.* 255 *num.* 1 *cor. Molines, decis.* 4 *num.* 13 *tit. de servit. cor. Falconerio, et in Romana Retractus* 2 *Maii* 2823 § 9 *cor. R. P. D. meo Isoard*, nunc S. R. Decano. Quin imo si libratis Patrimonii viribus, ac cum eis ære aliene comparato, satis indemnitati creditorum consultum constat, aequitas ipsa, quae prao eculis haberi semper debet, id vi sua suadet, ne majore damna ex declarata decoctione, indictoque concursu misero debiteri inferantur.

Et ita etc. Utraque etc.

ANCONITANA

NUNCIATIONIS NOVI OPERIS

Veneris 10 *Martii* 1826.

ARGUMENTUM

Super Muro divisorio, qui diversos habeat condominos, cunctis eorum ex lege vetatur aedificium extollere. Ac praesertim si non adsit distantia legalis, quae ex Constitutione Zenoniana, debet esse duodecim pedum, ubi non agatur de aedificatione facienda in parte postica, vel laterali.

SUMMARIUM

1. *Naturalis libertas in suo aedificandi, non aliter adimitur, quam si probetur, vel aemulatio, vel quod non adsit justa distantia, vel quod sit obstaculo servitus, vel quod viciaus patiatur intollerabile damnum.*
2. *In re communi, melior est conditio illius, qui aedificationem vult prohibere.*
   Parystilium cavaedio supereminens, non praesefert condominii probationem, sed jus dumtaxat demonstrat servitutum protectus ac stillicidii - ibidem. -
3. *Super muro divisorio, qui diversos habeat condominos, cunctis ex lege vetatur super illum aedificare.*
4. *Si fundus serviens in dominium transeat possessoris fundi dominantis, omnis servitus perimitur.*
5. *Servitus non datur in actis facultativis, et a mera hominis voluntate dependentibus.*
6. Lex binas 35 ff. de servitut. urban. praed., *vetat ne tigna in viciaorum aedem immittantur, at non pertinet ad servitutem altius non tollendi.*
7. *Servitus negativa tunc tantum inducta dicitur, cum quis post acceptam inhibitionem tamdiu siluerit, quamdiu sit tempus necessarium ad praescriptionem.*
8. *Servitus luminum, et ne luminibus officiatur, est diversa a servitute luminum, et ne luminibus officiatur.*
9. *Constitutio* Zenonis in leg. quoniam Cod., *duodecim pedum distantiam in aedificiis praefinit*

Ubi vero agitur de aedificatione facienda in parte postica, aut laterali, relinqui debet spatium quod respondeat duobus pedibus geometricis - ibidem. -

10. *Aedificatio alterius aedibus adeo proxima, ut lucem, solisque prospectum adimat, permitti non debet.*

DECISIO CCLXVIII.

Potestate facta a Sacro Cardinalium cœtu negociis Episcoporum, ac Regularium præposito, ac solemnibus exaratis tabulis, Episcopalis Mensa Anconitana aedes quasdam vetustate fatiscentes, quæ antiquitus in Emphiteusim ad tertiam usque generationem Josepho Renoli datæ fuerant, anno 1789 Joanni Pulinio, Alberto Mercatellio, et Vincentio Petrignano divendidit. Com autem prompta instauratione ædes indigerent, hinc unusquisquo ex emptoribus manus admovit cis reficiendis, atque reparandis: qoa in re unus Pulinius refectionis, ac reparationis modum excedens naturali construendi libertato uti, ac ædificare velle visus est in cavaedio quodam suis ædibus adjecto, ac in muro præcipue *divisorio*, qui Pulinii domum a cæteris vicinorum domibus secernit. Sed ægre novam ædificationem ferebant finitimi ædium possessores, ideoque interdictum nunciationis novi operis, quod vel ad jus nostrum servandum, vel ad damnum ingens, et grave repellendum Prætor induxit, implorandum existimarunt, ac Episcopalem Anconæ Curiam adierunt postulantes, ut quodlibet ædificandi jus Pulinio interdiceretur: quod vix ille rescivit, coram Judice subito stetit, ac nollum unquam construendi consilium habuisse declaravit. Hoc itaque effecit, ut Iudex ille, nullo suscepto quæstionis examine, hujusmodi decretum tulerit, quod inhibitionem, ac interdictum ad juris tramites definiendum fore constituit.

Ab eo tempore ad annum usque 1821 jurgia quieverunt, atque simultates, neque amplius de nova ineunda ædificatione cogitatum est. Tunc denuo Gabriel Vigninius, qui recens Pulinii ædes sibi comparaverat, ejusque juribus successerat, ædificare in cavaedio parabatur, cum iterum exitati Patrignanus, ac Mercatellius, quibus litis socium se adjunxit vicious alter Joannes Baptista Marinius, et forte timentes, ne quid æri, luci, solique prospectui ex murorum elevatione detraheretur, novum opus ei nunciarunt coram abrogato Tribunali, quod de primis actionibus jus Anconæ dicebat. Hic vero, libello nonciationis accepto, de suo jure quodammodo dubitare cæpit, ac trabes, cæmenta, calcem amovens, ab ædificando primum destitit: at anno insequenti adhibitum a vicinis interlictum impune spernens, intermissam resumpsit fabricationem, ut culinam, qua antea carebat, in cavaedio construeret. Quamobrem in judicium conjunctis studiis, vicini redierunt, ac attentata, quae in spretum praecedentis inhibitionis a Vignìnio patrata fuerant, ab eo purgari, et flagitarunt, et obtinuerunt. Actor attamen factus Vigninius ex reo convento peculiarem proposuit libellum, ex quo facultatem sibi fieri petiit novum aedificium, servata legali distantia, in cavædio construendi, et tigna quoque in vicinas aedes immittendi. Inimica sententia rejectus provocavit ad desideratos alios Judices, qui de appellationibus jus Maceratae reddebant. Appeltasse Vigninium juvit: nam edita sententia, facultas ei tributa fuit aedificandi, servata ab aedibus vicinorom legali distantia, quam tamen praefinire, ac circumscrihere Judices omiserunt. Pugnantibus inter se Tribunalium sententiis, delata controversiae definitio fuit ad Sacrum Ordinem Nostrum, cui placuit dubii formulam bis verbis ejus jussu, antea constitutam, scilicet » *An sit locus nunciotioni novi operis, seu potius, et quomodo constet de jure ædificandi in casu ect.* = responso dirimere = *Negotive ad primam partem; offirmative od secundam juxta modum in Decisione exprimendum.* =

Com quisque sit ex veteri juris ada- 1
gio rei suae moderator, et arbiter, ita idcirco in proprio solo ei licet aedifi-

care, ut ad quamcumque altitudinem queat aedes extollere, nec vicino censentur ea in re damnum inferre, in qua utitur jure suo. *Leg. Luminum* 24 §. 1 *Item videamus ff. de damno infect.*, *Rot. in Romana Tramontanae coram Pirovano relat. apud. Fenzon. ad Statut. Urbis post cap.* 104 *pag.* 220. *n.* 46. Hoc autem naturalis libertatis jus non aliter adimi potest, quam si vel aemulatio aedificantis probetur, vel justa desit a vicinis aedibus distantia, vel obstaculo sit servitus aliqua aut pacto, aut praescriptione quaesita, vel demum intollerabile damnum ex nova constructione in vicinos exoriatur. *Leg. opus novum ff. de oper. publ., Leg. Cum eo ff. de servit. præd. rustic., et urb. Cæpoll. de servit. præd. rust. et urb. cap.* 62 *n.* 2 *Masch. de prob. cons.* 630. *n.* 62 *vol.* 2., *Rot. dec.* 743 *num.* 1., *et seq. cor. Caprara, in Neapolitana Fabricæ* 10 *Martii* 1754 § 4 *coram Elephantutio, in Ripana Nunciationis novi operis* 27 *Junii* 1791 § 2 *coram Strasoldo, et in Interamnen.* 21 *Junii* 1793 § 3 *coram Acciajoli.* Nihil horum certe in casu nostro est, in quo nulla primum aemulationis species occurrit. Omni quippe dubio vacat, aut nullam ad esse, aut non satis commodam in aedibus Vigninii culinam, qui ideo cogitur novum aliquod aedificium ad illius usum extollere. Id igitur non spiritu aemulationis, neque malo in vicinos animo factum praesumitur, quod non leves exigit sumptus, sed ex vera, propriaque necessitate, ex qua omnis aemulationis suspicio removetur. *Magon. decis. Lucen.* 29 *num.* 14 *Rota in rec. dec.* 599 *n.* 22, *et sequen. part.* 5 *tom.* 2, *et dec.* 31 *num.* 1 *et seq. part.* 17 Tanto autem magis, necessitate probata, aemulationis suspicio deficit, quo certius est, ad eam removendam unam dumtaxat utilitatem, quam ex nova constructione sentiat aedificans in jure sufficere. *Gratian. discept. forens. cap.* 52 *num.* 9, *Card. de Luca in Nantiss. tit. de servit. dec.* 1 *num.* 5 *ad* 8. *Rot. dec.* 207 *n.* 2 *cor. Ratto, et dec.* 424. *n.* 16 *cor. Riminaldo.*

2 Nulla pariter quaestio movebatur, ita posse a Vignino aedificari, ut tale excurrat inter novum aedificium, et proximas vicinorum aedes interstitium, quale tum leges nostrae decernunt, tum Sacer Ordo servari in hoc casu jussit. In eo ergo tota res vertitur, ut cognoscatur, an servitus aliqua legitime constituta impedimento sit, quominus aedificari valeat: an rursus nova aedificatio intollerandum afferat detrimentum aedibus vicinorum. Antequam de objecta servirtute loquerentur, multa subtiliter in jure disputabant, qui Mercatellio, aliisque litis consortibus patrocinabatur, ut commune singulis habitantibus evincerent cavaedium, ubi novum aedificium extollendum est. Utcumque vero receptissimus sit jurisprudentiae canon, ex quo docemur, in re communi meliorem esse conditionem illius, qui aedificationem vult prohibere ex *leg. Quidam libertus* 12. *leg. Eos, qui* 39 *ff. de servit. urb. præd. leg. Sabinus* 27 *ff. Commun. divid. Voet in Pandect. lib.* 10 *tit.* 3 §. 7 *Rot. in Camerinen. Fabricae* 28 *Martii* 1791. §. 6 *coram Emo Cesarei*; ea tamen, quae in medium proferebantur, con dominii, et communionis argumenta hujusmodi certe non erant, ut cavaedium ostenderent revera comune. Neque enim ad jus communionis constituendum sufficit, quod aedium Patrignani parystilium cavaedio superemineat, et jus habeant contermini aedium possessores, ut cavaedium ipsum pluviales recipiat aquas, quae in proximam deinde cloacam volvuntur, ut patet ex ligneo ædium typos, qui cadem forma descriptus utrinque afferebatur. Hæc siquidem omnia, atque alia hujus generis non præseferunt quidem condominii probationem; sed jus dumtaxat demonstrant activarum servitutum *protectus* ac *stillicidii*, quo iidem pollent conterminarum ædium possessores.

Certius, quia Pulinius cui postea Viginius successit, ædes antea in Emphiteusim Josepho Renolo datas acquisivit ab Episcopali Mensa absque ullo communionis, ac condominii nexu cum cæteris finitimarum ædiumdominis. Adeo imo exploratum est, unum Pulinium, 3

ac unum deinde Vigninium cavædium absolute possedisse, ut ipsi semper claves retinuerint borrei, quod subter cavædium jacet, quin ullo unquam tempore turbati a vicinis fuerint. Dominium ergo cavædii apud Vigninium unice esse, denegari nequit: cum præcipue muri omnes, qui cavædium obstrunt, ad ædes pertineant a Vigninio quæsitas. Neque illud autem recipiendum est, quod pariter Mercatelli, ejusque sectatorum proponebant oratores, divisorium omnino esse, propterea que communem murum, qni superius cavædium ab alio inferiori secernit. Si quidem agatur de muro divisorio ad claudendas, dividendasque areas, quæ diversos habeant dominos, et possessores; tunc sane inter omnes constat, cunctis condominis ex legum censura negari, ut super murum illum ædificent, nisi omnium compossessorum consensus intercedat. *Gloss. a leg.* 4 *Cod. de oedific. privot. verb. Plocitum, Cyriac. controv.* 460 *n.* 3 *Card. de Luca de servit. disc.* 7 *n.* 4. *Constantin. ad Statut. Urb. Annot.* 23 *n.* 136 *Rot. in Spoletana Fabricoe* 7 *Decembris* 1777 § 3 *cor. Origo.* At nullam aderat monumentum, ex quo constaret, formam, et structuram hujus muri adeo levem, tenuemque esse, ut non verum, solidumque murum exhibeat, sed maceriem potius, quæ fundamento destituitur, et nil aliud est quam sicca saxorum constructio.

4 Non igitur ad simplicem custodiam, ac defensionem, aut ad secernendas areas, sed ad ædificandum appositum murum illum fuisse, præsumendum omnino est. Reque vera huic eidem muro; qui *divisorius* perperam appellabatur, adest projectura quædam, quæ non alia de causa plerumque apponitur, nisi ad ostendendum, licere dein ædium domino ædificationem prosequi, subjectoque uti muro ad extollendum aliquod ædificium. Everso cavædi condominio, ac explosa qualitate muri *divisorii*, facilius modo est objectæ servitnti respondere qnæ cæteroqnin, utpote naturali libertati contraria, lucu-lentissimis indiget probationibus *Rot. dec:* 2 *n.* 3 *tit. de servitut. cor. Falconerio, dec.* 59 *n.* 12 *cor. Olivatio, dec.* 30 *n.* 5 *cor. Herzan.* Nullum porro servitutis vestigium occurrit, nec antequam ædes diversis venderentur personis, nec post eas venditas atque distractas. Quousque ædes istæ omnes, quæ unum constituunt ædificium, in possessione, et dominio Mensæ Episeopalis Anconæ fuere, nullum concipi potest vinculum servitutis, quæ in re propria non datur. Ut enim servitus rite inducta censeatur, id necessario requiritur, ut dominus fundi dominantis non sit æque dominus fundi servientis, adeout, si fundus serviens in dominium transeat possessoris fundi dominantis, omnis servitus perimatur. *Leg. si quis ædes* 30 *ff. de servit. præd. Urban., leg. Si ei ff. commun. præd. leg. Servitutes,* 1 *ff. quemadmodum servit. amitt., Voet in Pandect. lib.* 8. *tit.* 6 *num.* 2 *Rot. decis.* 9 *num.* 7 *tit. de servit., et dec.* 13 *n.* 19 *eod. tit. cor Folconerio.*

5 Ea vero servitus, quæ ab initio non existebat, oriri postea nequivit ex emphyteuticis, et posterioribus emptionis venditionis tabulis. Qno enim tempore concessæ ædes in Emphiteusim una cum cavædio fuere Josepho Renolio, facta ei potestas fuit ædes ipsas altius tollendi. Absoluta deinde Emphiteusi ad tertiam generationem, easdem ædes emit Pulioius, ac liberas emit, ac ab omni servitutis nexu solutas, prout ex litera initiæ stipulationis eruebatur. Qui nihilominus novum opus nunciarunt, tacitæ insistebant servituti ex veteri patris familias destinatione, qui cum cavædium depressum semper reliquerit, latrinas ad ducendas sordes, suggrundas, et stillicidia ad recipiendam pluviam, puteum denique ad hauriendam aquam in eodem cavedio constituerit, existimandus omnino est, quod voluerit eamdem formam, et statum continuo servari. At nunquam auditum est, ex destinatione patris familias ullam servitutem descendere, quæ in actibus *facultotivis*, et a mera hominis voluntate dependentibus, considerari nequit, etiamsi diuturnissima sit ipsa patrisfamilias destinatio. Is enim, qui in area

sua per mille, et plus etiam annorum spatium non ædificavit, non ideo prohibitus censetur, quin postea valeat ædificare, et amplium ædificium extollere. *Leg. Binas asdes.* 10 § *Marcellus ff. de ssrvit. urb. præd. leg. Si is, qui binas* 37 *ff. de usuf., st quemad. qui utat. fruat., Gloss. ad leg. Qui luminibus* 11 *ff. de servit. præd. urb. verb Formam, Voet. in Pandect. lib.* 8 *tit.* 4 § 5, *st Rot. dec.* 13 *n.* 19 *tit. de servit. cor. Falconerio.*

6 Nec his omnibus refragatur *Textus in leg. Binas, qui ædes* 35 *ff. de servit. urb. praed., et in leg. Qui luminibus* 10 *ff. eod. tit.*, quibus perperam abotebantur Mercatelli defensores. Prima siquidem lex, uti sàpienter arguit *Rot. in saepe cit. dec.* 13 *num.* 9 *tit. de ssrvit. cor. Falconsrio*, aperte loquitur de contignationibus, simulque vetat, ne tigna in vicinorum ædes immittantur; non autem pertineot ad servitutem altius non tollendi, in qua servanda omnino est dispositio prædictæ *leg. Binas, aedss* 10 §. *Marcsllus ff. de servit. urb. præd.*; ubi cautum est, quod si testator binas possedit ædes, quarum unam depressiorem semper reliquit, ne lumen alterius offuscaret; alteram vero testamento alicui legavit, nulla videtur hæredi servitus imposita, ne illam depressiorem altius extollat, etiamsi lumen obscuret aedium legatarum. Nec secus ceoseodum est de alia *leg. Qui luminibus* 11 *ff. de servit. urban. præd.*, ubi Jurisconsultus *Ulpianus* statuit veterem aedificiorum statum servandum, nihilque de pristina forma immutandum, ac innovandum esse. Ut enim quaelibet inter has leges avertatur antinonia, ita supradictae legis interpraetanda dispositio est, nt intelligenda sit, aut de bis locis, in qnibus peculiaris aliqua sanctio certum aedificandi modum praescribat, aut de his casibns: in quibus servitus alia qua legitime fuerit constituta, veluti notat. *Glosso ad præd. leg. Qui luminibus* 11 *ff. de servit. urb. præd. verb. Formam.* Ipse porro *Ulpianus*, qui veterem aedificiorum formam servandam volnit, ubi de servitute agitur, vel de peculiari aliqua lege, quae aedificandi modum praefiniat, alia in lege inquit, cum eo, qui tollendo obscurat vicini aedes, quibus uon serviat, nullam actionem competere.

Tacita servitute leviora erant, quæ 7 de servitute *nsgativa* proponebantor, quam eliciendam curabant Mercatellius, aliisque litis consortes ex interdicto nunciationis novi operis, quod anno 1801 adversus Pulinium novam aedificationem molientem imploratum fuit. Praescriptio quidem *negative* servitutis cujusmodi est servitus altius non tollendi tunc ioducta dicitur, cum is, qui aedificium aliquod altius extollere inceperat, prohibitus ab altero fuerit, quominus id faceret, ac post acceptam inhibitionem tamdiu siluerit, quamdiu sit praeterlapsum tempus ad praescriptionem invebendam necessarium *L.* 1 *Cod. de servit.*, *st Gloss. ad l.* 10 *ff. de servit. præd. urb. Cæpolla de servit. urb. præd. cap.* 20 *num.* 6 *Cyriac. controvers.* 28 *num.* 10. *Voet. in Pandect. lib.* 8 *tit.* 4 *in fin.*, *Oinot. in Instit. lib.* 2 *tit. de servit.* §. *ult. Gait. lib.* 2 *pract. observ.* 69 *num.* 14. *Paolut. dissert.* 22 *art.* 1 *num.* 92 *Rot. in Rec. dec.* 425 *num.* 13 *par.* 4 *tom.* 2 in *Romana Fabricae* 28 *Martii* 1791 § 10 *cor. Strasoldo, et in Senogallien. Fabricas super resservatis* 9 *Maii* 1791 § 5 *cor. Eodem.* At altius non tollendi inibitio Pulinio facta anno 1801 *negativam* servitutem inducere non potuit. Quamquam enim initio Judex novnm opus inhibuerit, vix tamen Polinius apud acta professus fuit, nunquàm sibi in mentem venisse ædificandi consilium, ut damnuin inferret ædibus vicinorum, statim Judex ipse decretum protulit = *Admisit si, et in quantum* =, qua sane decernendi formula rem omnem, inhibitionemque ipsam remittere visus est *ad viam*, ut inquiunt *juris.* Inter pragmaticos profecto, ac forenses compertissimum est, ut decretum illud taotum operari, ut censeatur admissum interdictum *prout de jure*, et probatum, atque receptum existimetur interdictnm si erat probandum ao recipieodum; alias secus. *Marte de clausulis claus.* 152 *Ridolphin. in praxi part.* 1 *cap.* 2. *n.*

166 *Constantin. vot. decis.* 186 *num.* 15 *Card. de Luca de solut. disc.* 81 *num.* 4 *et Rot. decis.* 21 *n.* 13 *tit. de jurepat. cor. Falconerio.*

8 Quamquam vero dici vellet firmam illius decreti ope mansisse præcedentem inhibitionem, ex ea nihilominus nil aliud præscribere vicini valuere, quam quod ex interdicto postulaverant, quodque ex jure eis competebat, ut nova nimirum opera non extruerentur, quæ eorum ædium luminibus officerent. Diversa namque est servitus luminum, et ne luminibus officiatur, a servitute alia prospectus, et ne prospectui officiatur qua postrema hoc continetur, ne quid fiat in præjudicium gratioris, liberique prospectus. *Vinn. in Inst. lib.* 2 *tit.* 3 *num.* 9. Luminibus autem non officitur, ubi servetur distantia a legibus præstituta. Qui imo luminum servitute devincitur, altius ædificare non prohibetur, dummodo tantum luminis vicino relinquat quantum ad usum diurnum oportet. *Leg. Binas ædes* 9 §. *Sed ita ff. de servit. præd. urb., Paolut. dissert.* 22 *art.* 1 *num.* 140., *Urceol. consult.* 75 *num.* 8 *Faber. de conjecturis lib.* 19 *cap.* 15 *vers. Idest. fol.* 741 *Sabell. in summ. verb. Servitus num.* 15 *Rot. decis.* 404 *num.* 6 *cor. Dunozzet. Jun.* Cum itaque nec de tacita, nec de expressa constet servitute, hoc unum superest expendendum, an nova ædificatio intollerabile damnum afferat ædibus vicinorum. Sed ex facto, ac ex inspectione typi lignei manifestum erat, nullum grave damnum, aut luminis, aut prospectus, aut aeris ratione in proximas ædes oriri ex nova constructione, si servetur distantia ab ædibus Patrignani, et Marinii metienda, et quoad ædes Patrignanii ab extremitate parystilii, quod illius ædibus inhæret: Prae enim naturali libertate, et altius extollendi ergo, quo unusquisque fruitur, nulla in consideratione haberi solet leve aliquod detrimentum, quod in vicinos veniat ex ineunda fabricatione. *Rot. dec.* 182 *n.* 5 *cor. Ratto.*

9 Qualis vero, et quanta esse debeat distantis legalis, facile constat. Quidquid siquidem sit, ubi ædificari velit in antica vicinarum ædium parte, quo in casu locum sibi vindicat aut lex *Mæniana* 11 *Cod. de ædific. privat.*, quae decem pedum distantiam interponi jubet, aut celebri, constitutio Zeonis in *leg. Quoniam* 12 *Cod. eod. tit.* quae majorem duodecim pedum distantiam praefinit; tralatitium tamen in jure est, quod ubi agitur de aedificatione facienda in parte postica, aut laterali, sive de rusticis, sive de urbanis praediis res sit, tale relinquendum est spatium, quale respondeat duobus pedibus geometricis, quorum unusquisque quatuor spithamas, seu Romanos palmos efficiat. *Leg. fin. ff. fin. regund. Tondut. resol. civil. part.* 2 *cap.* 140 *num.* 5., *Pacichell, de distant. cap.* 5 *n.* 114., *Zaul. ad Statut. Faven. observ. ad rubr.* 30 *lib.* 5 *num.* 5 *tom.* 2. *Fenzon ad Statut. Urb. aunot. ad cap.* 197 *n.* 103 *Rot. decis.* 424 *num.* 10 *cor. Riminaldo, et dec.* 195 *num.* 4 *et seq. coram de Veri.* Quælibet autem spithama duodecim unciis constare debet, ut notum in re architectonica est. Ideo demum quoad ædes Patrignani metiri distantiam oportet ab extremitate parystilii iisdem ædibus inhærentis, quia tota illa soli quantitas, quæ parystiliu subiicitur, illius est, cujus sunt ædes, atque ipsum parystilium. Licet ergo Vigninio ædificium altius extollere in cavædio, de quo quæstio est, et supra murum divisorium fabricare culinam sibi necessariam.

10 Cum tamen, ædificandi venia Vignionio indefinitæ, facta, facile abuti ea posset in grave vicinorum præjudicium, et tot contignationes extruere, quot illis jam existentibus respondeant; propterea re sedulo perpensa, adjectoque meæ Decisioni *modo*, recte voluerunt Patres, ut licitum Vigninio sit æquæ ac moderatæ altitudinis ædificium ad unius culinæ usum in cavedio extollere, ea servata distantia superius præfinita. Secus enim, ut multi referebat Phisici et ipsa typi lignei inspectio suadebat, talem vicini ferre cogerentur aeris, luminis, ac prospectus jacturam, qualem insalubritatem, et graveolentiam ipsius aeris secumfert: plures item fenestræ

scalae, cubicula, ac contignationes pene omnes obscurarentur: aedes denique ipsae in totidem sepulchra, et dormitoria mortuorum converterentur. Jam vero pluries a Sacro Nostro Ord. definitum est, aedificationem alterius ædibus adeo proximam, quae lucem, solis prospectum ventorumque sufflatum adimat, intollerabili vere damno vicinos afficere, ut præ ceteris advertit *dec.* 550 *n.* 5 *et seqq. cor. Crispo*, *et dec.* 534 *num.* 9 *cor. Caprara.* Cum ergo favendum naturali aedificandi arbitrio, et Vigninii necessitati, tum quoque saluti prospiciendum tot familiarum, quae vicinas incolunt aedes, Patres duxerunt, coercita ad unam dumtaxat contignationem ad usum culinae aedificandi licentia. Atque hic erat *modus* in Decisione mea exiprimendus.

Et ita in aeri litigantium conflictu jus redditum est.

ANCONITANA NUNCIATIONIS

NOVI OPERIS SUPER ATTENTATIS

Veneris 10 *Martii* 1826.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Tunc attentatorum purgatio decernitur, cum constet de bono jure prohibentis.

Aequitas non patitur ut hodie demoliendum sit quidquid cras pleno jure potest aedificari - ibidem -.

DECISIO CCLXIX.

Post acceptam nunciationis novi operis interdictum, quod abrogati Judices primarum actionum Anconæ, Mercatellio, Patrignano, ac Marinio petentibus interjecerant, cum impune in incæpta perrexerit ædificatione Virginius, ad eosdem Judices illi redierunt, ac purgari ab eo attentata in spretum inhibitionis patrata postularunt. Institutæ attentatorum querelæ favere Judices Anconitani censuere, a quorum sententia provocavit Virginius ad alios Judices de appellationibus jus olim Maceratæ reddentes. Hi vero, licentia ædificandi juxta certum modum, et ad certos usque limites Virginio facta, ea tantum opera demoliri jusserunt, quæ extructa in cavædio fuerant, haud servata legali distantia ab ædibus vicinorum. In hoc judiciorum discrimine hæc quoque attentatorum controversia una cum altera super novi operis nunciatione, de qua agit coaeve mea Decisio, ad Sacrum Nostrum Ordinem conscendit sub dubii formula his verbis concepta = *An sit locus purgationi attentatorum in casu etc.* =, cui responsum hodie mane est = *Negative* =.

Utut enim in comperto sit, ab in- 1
cæpto opere non destitisse Virginium etsi prohibitorio interdicto monitum, ac attentata per consequens patrasse in spretum acceptæ inhibitionis; ex inveterata nihilominus Sacri Tribunalis consuetudine millenis exemplis comprobata, tunc illorum purgatio decernitur, cum constet de bono jure prohibentis. *Card. de Luc. de præminent. discurs.* 26. *num.* 8., *Rota decis.* 183. *num.* 6. *coram Lancetta*, *decis.* 186. *num.* 12. *coram Ratto*, *in Acquipendien. Cauthelæ Angeli super attentatis* 21. *Junii* 1802: §. 2. *coram Eminentissimo Cesarei*, *in Firmana Emphyteusis super Attentatis* 21. *Junii* 1803. §. 4. *coram clar. memor. Gardoqui*, *in Sutrina Attentatorum* 17. *Maii* 1815. §. 2. *coram clar. memor. Rusconi*, *et in Pisauren. Attentatorum quoad Murum lateralem* 10: *Maii* 1824. §. 2. *coram R. P. D. Pianetti Episcopo Viterbiensi.* Atqui ex demonstratis in altera mea hujusce diei Decisione nullum est jus Mercatellio, aliisque litis consortibus nunciandi novum opus, liberaque imo facultate pollet Vigninius in proprio solo ædificandi unam dumtaxat contignationem ad usum culinæ, servata tamen legali distantia tam ab ædibus Marinii, quam ab extremitate parystilii Patrignani domui inhærentis. Neganda igitur est attentatorum purgatio, cum æquitas non patiatur, ut hodie demoliendum sit quidquid cras

pleno jure denuo valet ædificari. Eoque magis rejicienda erat odiosa hæc attentstorum querela, quia Vigninius, nonnullas figendo lapides, ac murum ex parte ædium suarum ædificando, qui parum ab umo protenditur, nihil egit; quod servandam legalem distantiam, et *modum* a Sacro Ordine demandatum turbaverit.

Et ita etc. Utraque etc.

ASCULANA IMMISSIONIS

Veneris 26. *Junii* 1826.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CXCV. -

SUMMARIUM

1. *Ad removendam querelam 'inofficiositatis in donatione a patre favore uno ex filiis emissa, requiritur quod caeteris aliquid supersit.*
2. *Inter gentes divites, annua congrua praestatio, consistit in decora habitatione, carru, congruente famalata, aliisque id genus.*
3. *Praecipuus donationis inter vivos effectus est, ut donatae rei dominium in donatarium statim transeat.*

   Nullus paenitentiae locus relinquitur, ubi donatio fuit emissa favore conjugum, et futurae prolis - ibidem -
4. *Fructus debentur a die, quo bonorum donatorum traditio effici debebat.*
5. *Donationi, in qua fuit contemplata uxor et filii, Maritus renunciare non potest absque solemniis.*
6. *Quod sub una conditione datur, sub contraria censetur ademptum.*

   Dictio - che se - *conditionem, non poenale pactum importat - ibidem -*

   Jura vetant quemquam invitum in communione, et convictu cum alio permanere - ibidem -.
7. *Donatarius habet jus ad supplementum, si res non attingant valorem in donationis actu expressum.*
8. *Ad dignoscendas patrimonii vires tempus spectari debet quo fuit emissa donatio, non quid postea acciderit.*
9. *Insinuationis defectus obiici non potest ab illo, qui eam impedivit facto suo.*
10. *Ab insinuatione eximitur donatio, quae titulum praesefert* - d'antiparte -

    Neque pariter insinuatione indiget, si Judex pro insinuata donationem habuit - ibi -
11. *Nec pariter insinuatione et solemniis indiget donatio, quae fuit onerosa et correspectiva.*

    Et tales habentur omnes donationes factae intuitu certi ac determinati matrimonii - ibi -
12. *Motus proprius* Pii VII. 6. Julii 1816. *haud necessitatem insinuationis induxit in donationibus emissis certi ac determinati matrimonii.*
13. *Ubi est ut vere nova, non potest respicere nisi negocia futura tantum.*
14. *Dicitur nova lex, si sanctione sit vallata prorsus nova, ac sejuncta a praecedentibus.*

DECISIO CCLXX.

Quartum hodie coram Sac. Nostro Ordine deputatum fuit de justitia actionis a Nicolao Vulpiani, ejusque uxore Lucretia Odoardi institutæ adversus Philippum Vulpiani, Nicolai parentem, ad id omne consequendum, quod his eis promiserat solemni donatione, die 17 Februarii anni 1821 intuitu certi hujusce, ac determinati ipsorum matrimonii emissa, ad pensandam præsertim conspicuam dotem, quam Lucretia Nicolao, afferebat; et quartum pro ipsis constans victoria stetit. Commissa siquidem R. P. D. Auditoris Sanctissimi Causæ cognitione S. N. Tribunali cum clausula *Videntibus omnibus prœviis duabus, appellatione remota, tamquam in prima* = propositoque die 9 Decembris Dubio = *An sit locus immissioni ad possessionem bonorum comprehensorum in Instrumento donationis diei* 17 *Februarii* 1821, *restitutioni fructuum a die motæ litis*, *et assignatione habitationis mobilibus, et utensilibus instructæ*, *ita ut sint relaxanda mandata de immittendo de restituendo, et de assignando in casu etc.* = responsum illico prodiit = *Affirmative in omnibus* = sicuti monstrat mea ad eam diem edita Decisio, rem omnem accurate exponens. Nil autem Philippo profuit certamen instaurare, adductis in judicium cæteris filiis de donationi inofficiositate querelam ex condicto proponentibus; die

namque 12 Martii 1824, ac die 13 Junii 1825 hoc fuit quærela prorsus a Patribus rejecta geminis a me vulgatis Decisionibus, quas subsequuta est Rotalis a me pariter obsignata Sententia, ac sub iisdem diebus priori meæ in hac Caussa Decisioni confirmationis robur bis fuit adiectum. Fieri itaque haud potuit quin, in tante rei perspicacitate, in tot definitionum consensu, Universa Aula, in hodiernis Comitiis de *trium* superiorum viribus sub assueto Dubio interrogata, incunctanter « *In Decisis* » responderet.

1 Donavit Philippus = *a titolo di antiparte, e con atto di donazione fra i vivi, e con la clausola, ed effetto del costituto in forma al Sig. Niccola figlio, sposo presente, ed accettante* = plura bona, quæ dixit valoris scutorum 16407, quamvis reapso vix æstimari potuissent scutis *decem millibus*; declarant, ad removendam quamcumque ab hac donatione inofficiositatis querelam, ex juribus cæterorum filiorum, quod ipsi, præter donata bona alia permulta remanebant ad summam usque scutorum 51634 et obul. 80, allatis in id documentis, quæ donationis instrumento adnexa fuere. Expressim vero professus fuit hujusce donationis finalem caussam fuisse nuptias, ab ipso summo studio conciliatas, inter Nicolaum filium, et Lucretiam Odoardiam: ac ideo sese eam emittere donationem « *a contemplazione di questo certo, e determinato matrimonio, che altrimenti non seguirebbe.*

2 Donatorum autem bonorum administrationem, ac usumfructum sibi quidem, quoad viveret, reservavit, promissa sponsis interim certa annua præstatione, omnimoda exhibitione, pro eorum etiam filiis, decora habitatione, curru, congruente famulatu, aliisque id genus. Sed hæc reservatio, et conventio haud fuit absoluta, immo cohibita adeo, ut procedere tantum deberet = *nello stato di unione, ed armonia di essi Signori sposi col nominato Sig. Filippo Vulpiani* ». Atque idcirco explicitum accessit pactum, quod, *se per inaugurata combinazione andasse a mancare l' introitatasi piena armonia, ed unione, e si desse luogo alla separazione* =, quaqumque ex causa, et cujuscumque ex facto id eveniret, = *in tal caso lo stesso Signor Niccolò sposo, oltre la proprietà dei beni, ai quali si riferisce la fatta donazione a titolo di antiparte, ed a contemplazione di matrimonio dovrà avere, come espressamente si conviene, anche il pieno godimento, ed usufrutto, con esser tenuto d'altronde il Signor Filippo padre somministrare, non meno alli Signori Sposi, che alli figli l'appartamento libero con corrispondente mobilio, biancherie, sì di tavola, che di letti, di utensili, ed altresì convenienti nel modo stesso di destinazione al primo ingresso della Signora nella Casa maritale del Sig. Padre Filippo, il quale fin da questo momento cede alla Signora Marchesa Lucrezia Odoardi Sposa la carrozza nobile con due cavalli da tiro, un filo di perle orientali, un pajo di pendenti con fiore da petto, un anello di brillanti a giorno* = aliaque jocalia, et res pretiosas = *con titolo di proprietà senza poterne rimanere in alcun modo, ed in qualunque evenienza spogliata siasi par fatto proprio siasi per fatto altrui.* = 3

Hic itaque cum fuerit tenor donationis Philippi, ejus juramento, ac Judicis Decreto vallatæ; cum nuptiæ, quæ illi finalem præbuere causam *triduo* post eam emissam summa cum festinatione, ipso urgente Philippo, sacro Ecclesiæ ritu fuerint contractæ; cum demum constet sponsos a Philippi domo secedere debuisse, atque ita cessasse » *l' introitatasi piena armonia, ed unione* =, et factum fuisse « *luogo alla separazione* =. Hinc consequitur Vulpianos conjuges optimo jure, ad illius donationis tramites, *tria* a Philippo postulare: *immissionem* nempe ad bona donata; *restitutionem* fructuum ex bisce obventorum a die motæ saltem per eos hac de re litis coram Asculano Tribunali; ac demum decoram *habitationem* congruenti suppellectili, ornatam, una cum curru, equis aliisque rebus in prædicto instrumento ipsis a Philippo promissis, si casus veniret, dissolutionis ipsorum de convictu. Et sane, ad *immissionem* quod spectat, materia-

lem donatorum possessionem Vulpianiis conjugibus, statim ac eos inter et Philippum consortium, ac unio cessavit, tribuendam ex pacto fuisse perspicuum est ex indole, et natura irrevocabilis inter vivos donationis, cujus præcipuus effectus est, ut donatæ rei dominium in donatarium transeat ab ipso absolutæ, perfectæque donationis momento ad *Text. in Leg.* 33 *et* 37 *Cod. de donation. Vinn. Instit. lib.* 2 *tit.* 7 *in Proœm. num.* 2; cum præsertim res sit de donatione emissa intuitu certi, ac determinati matrimonii, « *che altrimenti non seguirebbe* », et respiciente, ne dum conjugum, sed etiam futuræ prolis interesse, ex quo nullus donanti pænitentiæ locus relinqui potuit, per *Leg. Perfecta Cod. de donationibus*, *quæ sub modo*: accedente præterea *clausula constituti*, erga donatarium adjecta, per quam *constitutarius* illico acquirit civilem, ac manutenibilem bonorum possessionem, materiali tantum penes *constituentem* manente *Leg.* 18 *ff. de acquirenda possessione*: Merito idcirco praedictis conjugibus materialis donatorum possessio data fuit, dum ipsi ea jam civiliter possidebant *per Roiam in Auximana Donationis* 6 *Mortii* 1793 § *fin. car. Priolo*, sicuti haec omnia perpendentes, ex legum sanctione atque jurisconsultorum traditis, et Tribunalium definitionibus innixae, superiores statuerunt Decisiones, *prima* § 6 *altera* § 2 *tertia pariter* § 2.

4 Debitae hujusce Vulpianiis conjugibus immissionis ad donata bona apertissimum consequens est ipsorum jus ad *restitutionem* assequendam fructuum eorumdem bonorum, qui cum sint dominii accessorii, ad eos pertinent, ad quos haec spectant bona, ad *text. in Leg. ex diverso*, *Leg. in fundo ff. de rei vindicatione Leg. si dominium Cod. de pignorib. et Leg. Julianus* 25 *ff. de usuris*. Hi vero fructus, qui non injuria condicerentur a praedictis conjugibus ab ea die, qua a Philippo domo recedere debuerut, et locus eorum favore factus fuit traditioni donatorum bonorum, sunt procul dubio ipsis restituendi a die saltem, qua coram Asculano Tribunali vadimonium Philippo pro iis assequendis bonis dixerunt per *Text. in Leg. qui scit fundum etc. de usuris et fructibus*, *et leg.* 1 *et fin. cod. de fruct. legat.*, sicuti, pluribus suffultæ auctoritatibus, præcedentes firmant Decisiones *prima* § 9 *Pecun. et tertia* § *final.* Evidens demum pariter est Philippi obligatio ad præstandam filio, ac nurui *habitationem* in domo decora suppellectile, re lintearia, aliisque ad id necessariis instructa, una cum curru, equisque, ut seorsim ab eo vitam ducant tranquillam juxta ipsorum Patriciam conditionem; quia hæc omnia Philippus eis promisit, ut superius fuit expositum, si forte inter ipsum ac eos separatio mensæ, ac contubernii contigisset; et quia certissimum in jure est pacta, contractibus, præsertim donationis, eoque magis, si hæc correspectiva, ac onerosa, uti in themate, sit, adjecta, plenam exequutionem mereri *Leg. cum precibus Cod. de donation.*, quod, S. N. Ordinis definitionum exemplis adductis, superiores constituere Decisiones, *prior* § 10 *subsequens*, ac *postrema* § *final.*

5 Plura quidem, ut filium, nurumque donationis emolumento, ab ipsis oneroso, correspectivo titulo matrimonii inter eos ineundi, ac initi acquisito, fraudaret, obiiciebat in præcedentibus Caussæ propositionibus Philippus; ac quædam, perinde ac si nova essent, nunc obiicit, inani tamen semper conatu. Ajebat primum Nicolaum donationi nuncium misisse. At id nullus ponderis esse illico Patres viderunt; quia, præterquam quod de asserta hac renunciatione nulla, quæ in pretio haberi possit, affertur probatio, inutilis, quavis in hypothesi hæc fuisset renunciatio, cum res esset de donatione respiciente interesse Lucretiæ illius uxoris, et prolis ex ipsis proditurae; ex quo nullum absque necessariis solemniis horum juribus potuisset inferri præjudicium, sicuti, post *Text. in Leg. final. Cod. de revocandis donationibus*, pluresque allatas auctoritates, statuit *prior* mea in Causa Decisio § *final*, *altera* § 10 *tertia* § 3. Urgebat dein idem Philippus sese emissæ donationis re integra poenituisse. Verum id falsum om-

nino. Donatio enim emissa fuit die 17 Februarii 1821; matrimonium, quod ejus finalis caussa fuit, ipso quam maxime instante, *triduo* post, die nempe 20 illius mensis fuit initum; ac deinceps ipse geminis actibus dierum 6 Maii 1822, et 22 Februarii 1823, post donationem a Nicolao insinuatam die 28 Septembris 1821, et litem ab eo institutam ad illius assequendum effectum, in sequenti mense Octobris, ob cessatam hoius, et uxoris cum patre communionem, firmam agnovit; id tantum contendens, quod suo in robore manere deberet sibi reservata donatorum bonorum administratio, et ususfructus, quousque viveret.

6 Huic etiam reservationi summopere ipse innitebatur, ut dunatorum bonorum saltem traditionem, eorumque fructum restitutionem vitaret. Perperam autem; cum in comperto sit eam, non puram, sed conditioni alligatam fuisse, atque progressuram tantum = *nello stato di unione, ed armonia con i Sig. Sposi* =: quu cessante, evanescere debuit, quia, quod sub una cunditione datur, sub contraria censetur ademptum per *Text. in Leg. si post mortem ff de legatis*. Præsertim eum diserta accesserit pactio, quod donata bona Nicolao, et uxoris a Philippo tradenda essent = *se per inaugurata combinazione venisse a mancare l'introitatasi piena armonia, ed unione, e si dasse luogo alla separazione.* = Quin quæri possit cujus ex facto hæc consortii dissolutio acciderit: nam conventa illius reservationis cessatio per verba prædicta = *che se per inaugurata combinazione venisse a mancare l'introitatasi piena armonia ed unione* = manifestissimam conditionem, non pœnale pactum adversus Philippum, important, cum hæc sit vis iodubia dictionis = *che se* =, *Leg. Stich. qui meus erit ff de legatis* 1. *Leg. qui promisit ff de condictione indebiti, leg. si Titio in princip. ff quando dies legati cedat.* Eoque magis, quia longe gravius fuisset Philippo omne id filio ac nurui præstare, quod, retenta bonorum administratione, et usufructu, promiserat = *nello stato d'unione* =, quam hujus administrationis, et usufructus amissio, si ille cessasset status, conjuncta cum ejus liberatione a pluribus ex iis oneribus, quæ, hoc perdurante statu, ferre debuisset. Nudum itaque factum dissolutionis convictus, qualibet ex caussa derivatum, spectari debuit: eoque fortius, quia jura vetant quemquam invitum in communione, et convictu cum alio ad permanendum adigi ad *Text. in Leg. si hoc § si conveniat ff communi dividundo, et Leg. final. Cod. eodem.*

Accedit præterea perspectissimum 7 semper Patribus fuisse Philippum caussam ei convictus dissolutioni dedisse, *vel* donatarios decipiens ad scuta 16407 bonorum donatorum valorem, juramento adjecto, efferendo, dum hæc vix scutis *decemmillibus* æstimari possunt, ex quo eis jus est ad supplementum agendi, cum res sit de donatione onerosa, correspectiva, et intuitu certi, ac determinati matrimonii emissa per *text. in leg. Julianu. § qui fundam ff de verborum obligationibus*; *vel* pactorum implementum usque ab initio denegans; *vel* transcriptionem illorum bonorum in Nicolai nomen præpedire pertentans; *vel* propudiosissimis calumniis famam lectissimæ nurus lædens, de cujus summa religione, ac honestate, optimaque vitæ ratione spectatissimi testes, omni exceptione majores, amplissimam perhibent fidem. E quibus palam est, non prudenter tantum, sed necessitate coactos Vulpianos conjuges egisse, dum convictum cum ipso dissolverunt, atque ab ejus domo recessere. Recolantur, quoad hæc omnia, præteritæ meæ Decisiones, juris sanctioni, Doctorum traditis, et S. N. Ordinis auctoritati innixæ *prima* §§ 7 *et* 8 *altera* §§ 7 8 9 10 11 ac posterior §§ 2 3.

Alia, præter hæc superius relata 8 prorsusque eliminata objecta, proponit Philippus, in quibus tuendis omne adhibet studium. Suadere nempe conatur irritam declarandam esse prædictam donationem, quia aliorum filiorum jura læsit, et quia insinuatione fuit destituta. At res ei melius in hodierna, quam in anteactis disceptationibus, cedere coram Sapientissimis Judicibus

haud profecto poterat. Quoad enim ipse asserit, extrajudiciali innixus peritiæ Galantii, et Persanii, ejus patrimonii activum statum conscendere ad summam scutorum 37235 54, passivum vero ad scuta 31332 59, et ideo liberam ejus substantiam scuta haud excedere 5902 95 ex quo hæc fere tripliciter absorta a pretio donatorum bonorum, declarato in sc. 16407, fuerit, spernendum prorsus, Patribus visum fuit. Et sane quam maxime mancus est assertus ille activus status, in quo desunt, præter alia bona, ea quæ Philippus possidet in Asculano Territorio, valoris, juxta tabulas censuales, scut. 8410 et obul. 92; desunt semoventia, mobilia, ac nomina debitorum: status vero passivus nullo, quod probari mereatur, documento fulcitur. Pugnat præterea Philippi assertio cum ejus declaratione in instrumento donationis, quod ei scilicet, præter donata bona, plura alia remanebant valoris scutorum 51634, quæ declaratio censualium codicum testimonio suffulta fuit; et, quoad Philippi patrimonii statum, tempus spectandum est emissæ ab eo donationis,non quid postea factum ab ipso fuerit; cum præsertim agatur de correspectivo, ac oneroso contractu. Demum omnem hac de re quæstionem removet S. N. Ordinis judicium, quo prætensa donationis inofficiositas fuit prorsus rejecta per Rotalem Sententiam. Rejudicatæ vires nactam, quam ergo obsignavi post binas a me editas Decisiones in *Asculana Nullitatis Donationis sub diebus* 12 *Martii* 1824. *et* 13 *Junii* 1825.

9 Ad prætensum vero insinuationis dodonationis defectum quod spectat, constans semper Patrum Sententia fuit, *factum* et *jus* huic objecto ineluctabiliter resistere. Constat namque in facto Nicolaum donationem insinuasse die 28. Septembris anni 1821. litemque pro ejus exequutione adversus Philippum instituisse die 2 Octobris insequentis. Nec queri potest Philppus insinuationem expletam fuisse post matrimonium filii Ecclesiæ ritu celebratum. Ipse enim fuit, ut superius jam fuit dictum, qui voluit, effecitque ut, vix elapso ab emissa donatione *triduo*, celebraretur. Dedecet præterea eum hanc movere querelam, cum lite prædicta a filio instituta, nil quoad firmitatem donationis, objecerit, sed geminis emissis actibus eam ratam habuerit, injuria tantum postulans, ut, dissoluto quamvis cum filio, nuruque convictu, penes se donatorum bonorum administratio, ac usufructus maneret. Frustra itaque, sibi non constans, indubium revocare adnititur id, quod solemni suo facto probavit, a quo ipsi recedere haud licet.

Verum hæc seponi possent ullo abs- 10
que Vulpianorum conjugum damno, quamvis ex eis sat superque vindicetur donatio ab objecto insinuationis defectu: res enim est de donatione, quæ ex *jure* nulla indigebat insinuatione. Primum siquidem titulum ipsa præ se tulit = *d' antiparte* = expressim in ea declaratum atque ideo, non vera fuit proprieque dicta donatio, sed anticipata portionis hæreditariæ a patre in filium collatio, quæ a solemnium necessitate exempla est *Rot. in recent. decis.* 18 *Decis.* 305 *n.* 19 *p.* 19 *et Decis.* 32 *n.* 26 *cor. Zarat.* Quod et in genere haud negat Philippus, sed hoc juris Theorema nostro themati aptari haud posse contendit, quia agitur de præventiva bonorum assignatione a patre erga filium expleta, quæ legitimæ mensuram excedit ad tradita per *Peregrin. Cons.* 76 *num.* 34 *lib.* 1 *Altograd. Consil.* 8 *num.* 67 68 *lib.* 2 *et Costant. ad Stat. Urbis Annot.* 43 n. 112 113 Verum hanc assertionem quolibet fundamento destitutam Patres censuere ex iis, quæ superius perpensa fuere quoad prætensam donationis inofficiositatem, accedente prætera hac de re S. N. Tribunalis Rejudicata; quod statuit etiam *postrema* mea decisio §. 3. 4. Accedit donationem emissse Philippum per solemnes tabulas, adstante, et auctorante Judice, pacta in eis conventa se se impleturum spopondisse, juramenti religione interposita, ac renunciatione ejus accedente = *a tutte e singole leggi, favori, privilegj in qual-*

sivoglia modo competenti ai donanti; = Judicem vero quod donationis insinuationem decrevisse, quod omnia in ea contenta = *in tanto per insinuale le vuole avere*; *supplendo a tutti i difetti, se mai vi fossero*. Quibus in terminis nulla in donationibus opus esse insinuatione sæpissima firmavit S. N. Ordo, præsertim in *Setina Immissionis* 26 *Junii* 1797 §. 4 *coram Malvasia* sicuti animadvertit *secunda* mea Decisio §. 3. 4.

11 Perspicua ex bisce res est. Ad supremum vero evidentiæ gradum conscendit, quia, etsi ageretur de donatione, non de præventiva hereditatis portionis assignatione a patre erga filium etsi insinuationis obligatio ac Judice quodammodo remissa haud fuisset; tamen, cum simus in casu donationis correspectivæ, et onerosæ, quæ contractus reapse = *do ut facias* = certum in jure est, nec ulla solemnia, nec institutionem; ad ejus validitatem necessariam fuisse. Quod præcipue firmum semper, constansque fuit apud Doctores, et S. Nostrum Tribunal nostro in themate, donationis nempe perfectæ contemplatione certi ac determinati matrimonii = *che altrimenti non seguirebbe*; = uti, innumeris allatis auctoritatibus, demonstrat *secunda* in hac Causa Decisio, §. 5 cui cohæret *tertia* §. 4. Quin rem mutare possit notissimus Motus Proprius San. Mem. Pii VII diei 6 Julii 1816. quæ sub articulo 126 constitutum fuit, quo ad donationes *in genere* excedentes summam *quingentorum scutorum*,, quod = *non saranno valide se non saranno fatte per istromento pubblico, ed insinuate nelle solite forme*; = sub articulo vero 127 quoad eas donationes *in specie* præcipuo aliquo titulo prædictas, statutum fuit quod = *il giuramento, il favore del matrimonio* = ac = *altro titolo qualunque non possano convalidarle, qualora siano fatte per atto privato* = aut = *manchino d' insinnazione* = Hisce namque articulis uno cum altero collatis, ac diversa spectata oratione, qua Pontifex iis usus est, optime exinde infertur Ipsum voluisse quod veræ et gratuitæ donationes requirerent uno simul solemne Istrumentum, ac insinuationem si *quingenta* excederent *scuta* ut validæ essent; aliæ vero emissæ causa etiam matrimonii, non certi ac determinati, sed tantum in *genere*, stare deberent, si alterutrum in eis esset, *aut* ipsorum celebratio per actum publicum, *aut* earumdem insinuatio, sicuti precedentes arguunt meæ Decisiones *secunda* §. 3. ac *tertia* §. §. 5. 6.

Id vero quoad Philippi donationem 12 indubium est, quia, cum emissa ea fuerit non favore matrimonii in genere, sed ob ejus caussam finalem, certum scilicet, ac determinatum matrimonium a Nicolao ejus filio cum Lucretia Odoardia contrahendum, et ad pensandam conspicuam ab hac dotem afferendam, et cum, juxta leges, ante Motum Proprium prædictum editum vigentes hujusmodi donationes essent a quibuslibet solemniis, ac etiam insinuatione exemptæ, hic Motus Proprius strictissime interpetrandus est, ita ut eis præexistentibus legibus derogatum fuisse haud intelligatur; nisi in eo, quod fuerit expressum. Quamobrem, cum Pontifex in eo Motus Proprii articulo 127 loquutus tantum generaliter fuerit de = *favore del matrimonio* = quidquid de ejus mente quoad donationes emissas favore matrimonii *in genere* dicendum esset, trahi id non posset ad insinuationis necessitatem inducendam in donationibus profecto caussa certi, ac determinati matrimonii, de quibus nil prorsus fuit dictum, sicuti statuit præcedens mea postrema Decisio §. 6. 8.

Nec prodest Philippo, immo ei obest 13 novissimus Motus proprius SSmi Principis Leonis XII. quem Deus pro Cristianæ Reipublicæ, ac Pontificii, et omnium subdictorum bono diu servet incolumem, die 5 Octobris anni 1824. editus, quo, post confirmatam prædicti Motus Proprii Pii VII in art. 131 et, 32 quoad donationum insinuationum sanctionem, additum fuit art. 133 = *Dall' obbligo dell' insinuazione non si escludono le donazioni fatte a contemplazione di certo, e determinato matrimonio* = Hic namque Motus proprius Lex nova prorsus fuit, ut ex ejus, titulo inscripto =

sulla riforma =; et declaratione in ejus proemio expressa, præcedentem nempe Pii VII Motum Proprium debuisse=*rettificarsi, e migliorarsi* =; ac ex derogatione ei adjecta omnibus contrariis præcedentibus dispositionibus. Si ergo nova Lex fuit, futura tantum negocia respicere potuit, nec ideo aptari valet donationi fere jam a *quodriennio* ante emissæ per *text. in leg. Cod. de Legibus, Leg. ultima Cod. de suis, et legit. Nov.* 73 *cap.* 9 *in fin. Nov.* 115 *Cap.* 1 *et Rot. in Alotrina Divisionis* 27 *Martii* 1816 § 6 *cor. Emo Serlupi* Quare frustra a Philippo affertur ut donationem a se emissam insinuatione indiguisse pro ejus validitate aoadeat, ut *tertia* mea statuit Decisio § 6 7.

14 Merito vero in ipsum novissimus hic Motus Proprius retorquetur. Si namque Optimus Princeps oportere vidit insinuationis necessitati subijcere per sanctionem prorsus, novam, ac sejunctam a precedentibus, quas retulerat = *le donazioni fatte a contemplazione di certo e determinoto matrimonio* =, apertissime declaravit hujusmodi donatiooes illi necessitati obnoxias antea haud fuisse; uti io successionibus ad hereditates masculorum collateralium, obventis ante Motom Proprium a se editum, fæminas a masculis excludi usque *ad quartum gradum « della computazione Civile inclusivamente»* agnovit, dum in art. 110. Ipsius Motus Proprii hanc exclusionem cohibuit « *al terzo grado* »; atque uti, quoad æstimationem bonorum immobilium, pro servandis fideicommissis ad summam adscendentibus scutor. 15000 standum esse adnotationibus in Codicibus Censualibus; cum additione trientis pretii in iis designatis, agnovit pariter respectu fideicommissorum, ac quæ jam fuerat aperta successio, dum relate ad ea, quæ vocatis in posterum obvenire possent, eorum æstimationem in *genere* Art. 139, Censualibus tabulis sepositis, præscripsit; et ita quoad alia pleraque, quæ recensere inutile est, in quibus præcedens Motus Proprius immutatus, ac correctus ab Ipso fuit. Patet itaque ex hisce omnibus quanta cum justitia Patres hoc mane *tribus* præcedentibus meis Decisionibus confirmatis, Philippum damnaverint ad id omne Nicolao filio, ac nurui præstandum, quod eis ad tramites donationis diei 17 Febraarii 1821 debetur.

Et ita Universa Aula, meo quoque accedente suffragio, jus dixit, Utraque etc.

BENEVENTANA PECUNIARIA

QUOAD

MEDIETATEM PENSIONUM

Veneris 19 *Maii* 1826.

ARGUMENTUM

Cum bonorum appellatione nomine quoque debitoris contineantur, hinc si aliquid a conductore in socium assumptus huic debebat pensionis, aut aliarum praestationum medietatem, rite valet locator adversus debitoris sui debitorem, agere ad suum creditum condicendum.

SUMMARIUM

1. *Appellatio, trahit ad se, currum, et boves.*
2. *In referente censentur omnia pacta, conditiones, ac qualitates ipsius relati, repetita.*
3. *Nemini licet, sua ex stipulatione, jus aliquod tertio, neque stipulanti, neque ullam in stipulationis acto partem habenti, acquirere.*
4. *Stipulatio etiam in absentem valet, si stipulantis intersit, quia praesumitur absentis creditoris procurator.*
5. *Quis non prohibet, cum possit, rem aliquam, consentire ei videtur.*
6. *Bonorum appellatione nomina quoque debitoris continentur.*

   Novae leges dant quidem normam futuris negotiis, at praeterita sarcta, tectaque servant.
7. *Locator conductorem, vel ejus socium ad solutionem in solidum compellere potest.*
8. *Excussionis diligentiam omisisse non nocet, quae si interposita fuisset, non erat profutura.*
9. *De liquido ad illiquidum compensationis actio non datur.*

DECISIO CCLXXI.

Publicarum tabularum ope anno 1815 Franciscus Roscio Beneventanus amplum Latifundium, vulgo dictum = *li*

Palati =, Paschali Maruotto ad sexennium, a die *vigesima quinta* Sextilis anni 1822 incipiendum locavit, annua depacta pensione *Ducatorum centum* supra *mille*, ac sub conditione praeterea ut certa satis temporibus frumenti, tritici, aliarumque rerum venialium quantitas a conductore rependeretur. Nil aliud vero animadversione dignum istæ locationis conductionis tabulae praeseferuntur, nisi quod pactorum omnium implementum invicem promissum fuit sub arctissimo Fiscalis obligationis vinculo, quae tunc temporis adhuc vigebat. Cum tamen, adventa conductionis initio, facultatibus labi caepisset Maruottus, nec par amplius esset ineundis culturae sumptibus, anno 1822, Junio mense socium sibi adscivit, publici Instrumenti ope, quemdam Archangelum Cataffo, quo cum convenit, ut ad tramites Instrumenti locationis conductionis cum Roscio stipulati, tum peculiaria pensio, tum caeterae praestationes aequis partibus a sociis solverentur = *La pensione della detta Masseria* (idest latifundii) *sarà pagata metà per ciascuno dai Soci unitamente a tutte le prestazioni apposte secondo che scaturiscono dall'Istromento stipolato tra il Maruatto, e Don Francesco Roscio* =, Invita sane Instrumenti locationis conductionis libera in qua vetitum Maruotto fuerat, ne fundum ab eo conductum alteri sublocaret, aut cederet, hic societatem Cum Cataffo contraxerat. At quoniam Marchionem Jacobum Terragnotium, qui interea temporis administrationi patrimonii Francisci Roscii Principali Rescripto praepositus fuerat, maxime intererat, ut nec deserta maneret agri cultio, nec mora fieret in solutione pensionum, aliarumque praestationum, assentiri ideo is visus est silentio suo huic societati, cujus ope alterum debendi correum sibi quæsivit. Quin imo emissa apud acta publici tabellionis protestatione, cui nihil aut Maruottus, Aut Cataffus obiicere, palam, expressisque verbis professus est patrimonii curator Terragnotius, ab eo sese fore condicturum pensiones, qui fundum excoluisset.

Dies dein cessit, ac venit, qua pensio prioris anni persolvi debebat. Sed neque Maruottus, neque ejus socius Cataffus, qui dimidium pensionis, ac aliarum praestationum rependendum susceperat, quidquam hoc nomine numerarunt, si Ducatos excipias *centum triginta*, quos Maruottus repraesentavit qui tamen exitum judicii metens, et pactis locationis conductionis implendis imparem se videns, elapso priori anno, contractui valedixit. Ut eam igitur conjectus fuit necessitatem patrimonii curator, ut vadimonium indiceret Cataffo, a quo, ne dum reliquum Ducatorum nongentorum septuaginta, sed frumenti quoque, tritici indici, aliarumque præstationum ex stipulatu rependarum quantitatem, aut æstimationem postulavit. Verum Beneventani Primarum Actionum Judices, bifariam divisio instituti judicii libello, Cataffum damnarunt ad dimidium pensionis aliarumque præstationum solvendum, præstituto ei termino octo dierum, quibus elapsis judiciali mandato compellendum eum esse ad pactorum implementum duxerunt: quoad alterum vero dimidium maturiori examini in ordinario judicio suscipiendo controversiam committi voluerunt: Cum provocatum ab hac Sententia esset Sacrum Ordinem Nostrum, anceps primum hæsit, scissis in aequas partes suffragiis, rei definitio: Accitis tamen ad judicandum *Quinto et sexto* ex Patribus Meis, Dubii formulæ, quae in haec verba proponebatur = *An et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum hodie est = *Affirmative pro summa liquidanda* =.

Etsi, interjecta a Sententia Juridici Beneventani Collegii appellatione, quæ ad se *trahit*, ut pragmatici dicunt, *currum et boves*, nullo facto discrimine cognoscendum esset de integro pensionis, ac præstationum creditu ab Actore petito; cum is nihilominus de medietate tantum ejusdem pensionis, ac præstationum sollicitum sese in præsenti disputatione præbuerit, ad eam unice idcirco referatur hodierna definitio, ad 1

diversum amandata judicium alterius dimidii quæstione. Jam vero actio, qua pollet patrimonii curator condicendi a conductoris socio pensionum, ac præstationum dimidium, ex ipsis proficiscitur tabulis societatis, Maruottum inter ac Cataffum conscriptis, in qua hoc nominatim conventum est, ut pecuniariæ non modo pensionis, sed reliquarum præstationum onus æquis partibus socii sustinerent = *La pensione della detta mosseria* (ita litera Instrumenti societatis) *sarà pagota metà per ciascuno dai socj unitamente a tutte le presetazioni epposte, e secondo che scaturiscono dall'Istromento stipolato tra il Moruotto*, e *Don Francesco Roscio* =. Hoc enim punctim stipulatione illa actum est, ut quae pensio rependenda ex toto, ac in solidum erat ab uno Maruotto prædii conductore, ea quidem inter socios divideretur. Nec est in controversiam revocandum, quin dimidium illud, quod in se transtulit, expromisitque Cataffus non quidem socio suo, sed uno locatori solvendum sit. Porro si res agebatur de pensione in causam locationis conductionis debita facile patet, non alteri, quam ipsi locatori pensionem a Cataffio deberi: qui sane, cum pure, ac simpliciter sese obligaverit ad dimidium pensionis solvendum, uni censendus est voluisse pensiones solvi locatori.

2 Secus namque, si socios inter convenisset, ut Cataffus dimidium suum traderet socio Maruotto, conceptis id verbis cautum in societatis contractu fuisset: alioquin, ubi socius uterque in contrahenda super locatione conductione Latifundii societate onus sibi suscipiat solvendae medietatis pensionis, aut vis facienda est verbis, ac naturali eorum significationi; aut certo dicendum est, unum, et alterum socium in societate coeunda consilium sibi proposuisse, symbolam suam locatori pensitandi. Ut ergo uni locatori debet Maruottus dimidium suum; ita etiam Cataffus non alii solvere tenetur, quam uti locatori. Luculentior quoque fit res, si animadvertatur cognitas, planeque perspectas babuisse Cataffum pactiones omnes initi contractus locationis conductionis latifundii, qui propterea non aliter onus assumpsit dimidium pensionis diarumque præstationum solvendi, quam ad tramites Instrumenti ejusdem locationis conductionis. Hac itaque posita ad illas tabulas relatione, quemadmodum recedendum ab eis non est quo ad pensionis quantitatem, aliarumque præstationum qualitatem, et genus sic quoque ne latum quidem unguem discendi ab ipsis tabulis potest quoad illius personam, cui ab utroque socio dimidiam pensionis, ac præstationum partem oportet ex pacto pensitari. Referens quippe ac relatum unum in jure subjectum ita constituunt, ut repetita, et expressa in referente censeantur omnia pacta, conditiones, ac qualitates ipsius relati. *Gratian. discept. forens. cap.* 751 *num.* 2 *Rot. coram Priolo decis.* 433 *num.* 4 *decis.* 45 *n.* 9 *tit. de Miscellan. coram Falconerio et decis.* 177 *num.* 4 *corom Riminaldo.* 3

Plura hic in jure subtiliter edisserebant Cataffi defensores, ut ab onere rependendi dimidium pensionis, ac cæterarum eum eximerent. Dicebant enim nullum jus sibi quæsivisse locatorem ex stipulatione societatis inter alios acta, quia juris est exploratissi, nemini licere, sua ex stipulatione, jus aliquod *tertio* neque stipulanti, neque ullam in stipulationis actu partem babenti acquirere. *Leg. si cum pecuniom § Cod. de contrahen. et committen. stipulat., leg. stipulatio ista* 58 *§, Alteri ff. de verb. obligat. § si quis alii Instit. de inutil. stipulat. Vin in Comment. ad eumd. tit.§* 4 *n.* 1. Confirmabant rursus banc juris regulam exemplo donationis quam in extraneum quis conferat ea lege,ut donatarius dimittat aes alienum donantis, quo in casu nulla creditores actione potiri contendebant, ut donatarius eis satisfaciat, quibus absentibus nullum, nec jus, nec obligatio ex prædicto pacto quaeri potuit *Leg. Cum res* 22 *ibique Glossa Cod. de donat., Salgad. Lobyr. crepit. part.* 1 *cap.* 26 *numer.* 1., *et seq.* Propius denique ad rem, de qua agitur, accedentes concludebant, quod quemadmodum is, qui absque locatoris

consensu subconductionem, aut societatem cum conductore contrahit, nullam, neque actionem, neque obligationem quoad illum acquirit, ita pariter locator ex inita societate nullam neque detrimentum, neque compendium sentire potest, nec ei manent obligata, atque devincta bona socii, aut subconductoris *Leg. si in leg.* 27 § *si colonus ff. locati, Pacion. de locato conducto cap.* 32 *num.* 38 *Zanch. e Societate part.* 1 *cap.* 8 *num.* 35 *Rota in Recent. dec.* 205 *num.* 3 *part.* 1 *et decis.* 40 *num.* 26 *et seq. coram Octobono.*

4 Sed hæc omnia, quamvis in jure compertissima, non faciebant tamen ad rem. Principio quidem in genere non valet inter absentes stipulatio, nec alteri per alterum actio quæritur, nisi nuntius adsit, vel epistola, aut aliud æquipollens. At in specie stipulatio etiam in absentem facta valet, viresque exerit suas stipulantis intersit, quia hoc in themate constitutus censetur absentis creditoris nomine procurator §. *Sed etsi quis ita stipuletur Instit. de inutil. stipulatio ista* § *si stipuler alicui ff. de verb. obligat., Salgad. labyr. credit. cit. part.* 2 *cap.* 26 *num.* 76. Verum nemo negabit stipulantis Maruotti interfuisse, ut socius a se assumptus obligationem susciperet medietatis pensionum, ac caeterarum præstationum solvendae. Nam hoc modo ab onere ferendo illius dimidii ipse liberabatur, qui unus aliter ferre debuisset integrum pensionum, ac præstationum pondus, ad tramites Instrumenti locationis conductionis. Si ergo Maruotti interest obligationem a Cataffo susceptam impleri abs re erat afferre donationis exemplum a debitore factae sub lege, ut donatarius donantis nomina persolvat. Cæterum in hoc etiam casu, quamvis directam actionem non habeant Creditores adversus donatarium, persequi tamen possunt donantem, qui agere præscriptis verbis potest in ipsum donatarium, ut servet pacta donationis veluti explicat *Glossa ad cit. leg. Cum res.* 22 *Cod. de donat.* Nullum denique jus acquirit locator adversus Socium a conductore sui prædii assumptum atque tamen præterquam ipse locator exercere jus potest super fructibus totius prædii, illud etiam accedit, quod actio *personalis* ei statim quæritur adversus socium, et sub conductorem, si initæ societati, ac subconductioni consensum præbeat suum, prout notissimum est ex veteri cauthela celebris Jurisconsulti *Jasonis*, hausta ex *leg. In Emphiteuticariis* 2 *cod. de jur. Emphiteut.*, quam sequuntur *Pacion. de locato cap.* 32 *num* 54. *et Rot. in cit. dec.* 40 *num.* 32., *et seq. coram Otthobono.*

Atqui plura revincunt Roscii curatorem assentitum fuisse societati, Maruottum inter, et Cataffum celebratae. 5
Sciebat enim ille Maruottum faedere sese junxisse Cataffo in ea locatione conductione Latifundii, cujus onera, et lucra inter se quoque diribuerant. Sciebat etiam, id factum fuisse, se nedum inscio prorsus, ac inconsulto, sed posthabita etiam tabularum locationis conductionis pactione, ex qua nefas erat conductori Latifundium alteri cedere, aut sublocare. Poterat igitur, si voluisset, societatem prohiberi. Invita tamen hac scientia, quae ex subsequta protestatione probatur, nunquam initae societati restiterunt, aut Roscius, aut curator ejus Terragnolius, altumque semper silentium servarunt. At vero qui non prohibet, cum possit, rem aliquam, consentire ei videtur ex *leg. semper qui* 61 *ff. de reg. jur.* Tacito autem huic consensui adstipulatur, qui potior est, consensus expressus. Vix siquidem ad notitiam curatoris pervenit, non amplius Maruottum, sed Cataffum imo locati fundi cultioni prospicere, tam alienus fuit ab hoc subconductore expellendo, ut solemni protestatione apud acta publica relata declaravcrit, non ab alio sese fore pensiones condicturum: quam ab eo, qui terrae culturam exercuisset. Hujus sane protestationis eo magis crescit vis, quo certius est eam probavisse Maruottum non minus, quam ipsum Cataffum, qui licet agnosceret, se unum percellere protestationem, nihil tamen objecit, semperque tacuit ad institutum usque judicium.

7 Majora vero urgent, ex quibus locatoris jus persequendi conductoris socium clarius fit. Id enim potissimum suadet obligatio Fiscalis, seu Cameralis qua ad pactorum implementum sese devinxit Maruottus, diem anno 1815. Locationis conductionis Instrumentum cum Roscio celebravit. At hic est præcipue Fiscalis obligationis effectus, ut bona omnia præsentia, et futura debitoris devincta, et obligata maneant in gratia creditoris. *Zanch. ad Sales. de obligat. Cameral. quæst.* 5 *num.* 30 *Salust. Tiber, in praxi lib.* 2 *cap.* 12 *num.* 16 *Pacion. de locato cap.* 22 *num.* 52 *Merlin. de pignoribus, et hypothecis lib.* 2 *tit.* 1 *quæst.* 30 *num.* 3., *Rot. in Rec. decisis.* 681 *num.* 9 *part.* 1 *et dec.* 227 *num.* 1 *part.* 9 *tom.* 1. Cum autem bonorum appellatione nomina quoque debitoris contineant *ex Leg. Nomen.* 4 *Cod. quæ res pignor oblig. poss. vel non leg. Bonarum* 49 *ff. de verb. significat, et Rot. dec.* 595 *n.* 1 *part.* 2 *Recent.*, hinc sequitur quod, si Cataffus a Maruotto in socium assumptus huic debebat pensionis, aliarumque præstationum medietatem, rite valeat Roscius, sive Curator ejus, adversus Cataffum, debitoris sui debitorem, agere ad suum creditum condicendum. Quin obsit ante annum 1822, quo initium duxit locatio conductio, Maruottum inter, ac Roscium stipulata, abrogatos, penitusque delectos fuisse Fiscalis obligationis effectus. Præter enim quod novæ leges dant quidem normam futuris negociis, præterita autem sarta, et tecta servant, nisi nominatim ea quoque comprehensa fuerint, prout cautum est pluribus juris locis, sed potissimum in *Leg.* 7 *Cod. de legibus*: animadvertendum praeterea est quae Pontificia ipsa lex quae Cameralem obligationem de medio sustulit, expresse cavit = *Questa disposizione non avrà luogo per gli obblighi Camerali precedentemente contratti i quali avranno gli stessi effetti, che in passato.*

7 Qua de re sanctio hæc Pontificia nullo modo respicere potest præsentem contractum; quem multo antea, quam lex evulgaretur, anno scilicet 1815. Maruottum inter, ac Roscium gestum fuisse constat. Quo cum res pervenerit, toti in eo erant, qui Cataffum defendebant, ut obicerent, antequam molestiæ ei inferantur, excutiendum primo esse Maruottum; erga hunc nullo item debito eum teneri, quippe qui longe creditor ejus est ob exercitam ære suo latifundii cultionem: in qualibet demum hypothesi debitum medietatis pensionis, ac cæterarum præstationum compensandum omnino esse cum credito, quod ille in Maruottum experitur ob Latifundii culturam propriis sumptibus exercitam. Sed hæc futilissima visa sunt si enim ex demonstratis ope societatis inter Maruottum, et Cataffum initæ, cui locator assentitus fuit, *Directam* ipse acquisivit actionem adversus socium conductoris, qui alter debendi correus in solidum obligatus ex fictione juris evasit, nulla profecto opus est excussione, ac impune valet locator quemlibet ex debendi correis, ac in solidum obligatis eligere, atque ad solutionem compellere. Ideo vero invectum est Jure novo excussionis beneficium, ut is, qui fuerit judicio ab aliquo conventus, molestias retorqueat adversus principalem debitorem. Actum hoc evenire in debitoris nomine non possit, qui debitum solvere omnino cogitur: hinc excussio hoc in casu necessaria non est *Merlin. de pignor., et hypothec. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 29. *n.* 6. *et Rot. Decis.* 760. *num.* 2. *part.* 2. *Recen.*

Multoque minus necessaria dici potest excussio, inspecta obligatione Fiscali, quæ tabulis locationis conductionis adjecta fuit, quæque efficit, ut *exequutivo* judicio liceat creditori persequi debitorem sui debitoris. Et si vero necessaria fuisset excussio, ea impune poterat in themate posthaberi, quia principalis debitor Maruottus solvendo amplius non erat, quippe qui multo antea creditoribus suis decoxerat, veluti fert vulgi opinio, ac ipsemet judicio lacessitus asseruit. Verum nihil nocet omissio diligentiarum, quæ, si interpositæ fuissent, non erant ullo modo profuturæ. *Rot. dec.* 359. *num.* 51. *cor. An-* 8

saldo. Objecta autem excussione levior est exceptio crediti, quod si verum esset, ad diem emissæ protestationis, candide fuisset manifestandum: Tunc enim locator indemnitati suæ melius consulere potuisset. Creditum porro istud non alio fulcitur monumento, quam testibus nonnullis fervente lite quæsitis, nullamque fidem merentibus, cum nec adducti fuerunt in judicio acto apud Judices Beneventi, nec sint attendendi in ea re, in qua, non testes, sed Codices, at scripturæ proferendæ sunt. Quandoquidem præsumi nequit, pecuniam erogare Cataffum voluisse in prædii culturam absque ulla acceptilatione, et syngraphs, quæ soluti veritatem quolibet tempore, tam adversus Maruottum, quam contra illius creditores probaret.

9 Utcumque res sit, ac etiamsi socii sui sit revera creditor Cataffus, ob istas agricultionis causas, sibi imputet, quod cum decoctore Societatem iniverit, qui Locatorem æque ad Socium fallere forsan meditatus fuerat. In præsens nulla compensatio demandari potest istius objiecti crediti cum debito pensionis, ac protestationum, quarum dimidium Cataffus sibi assumpsit. Quid enim sit istud pensionis, ac aliarum præstationum dimidium, facile patet ex tabulis locationis conductionis, levique negocio ad liquidum perducitur. Contra vero quale, et quaotum sit assertum creditum, prorsos latet, et ex statu Latifundii ex redditione rationis inter socios explenda, ex scripturis, aliisque monumentis comprobandum erit. At de liquido ad illiquidum actionem compensationis non dari, vetustissimum est Juris adagium, quod post *text. in leg. fin. Cod. de compens. præ cæteris* firmat *Rota dec.* 568. *num.* 2. *coram Molines.* Solvendum est itaque a Cataffo dimidium pensionis, ac cæterarum obligationum; quæ cum incertam, et ad liquidum perducendam quantitatem adhuc usque præseferant, ideo mandatum hodie concessum fnit Roscii curatori *in summa liquidanda.*

Ut ita, Utraque parte sese defendente, definitum est, *Quinti* ac *Sexti* accedente suffragio.

BENEVENTANA ATTENTATORUM

Veneris 19 *Maii* 1826.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Committitur attentatum, quoties qui exequutioni committat Sententiam, antequam termini sive a judice, sive a lege praestituti, labentur.*
2. *Ubi capta pignora restituantur, et re integra actus nullitati renuncietur, non fit locus attentatorum purgationi.*

DECISIO CCLXXII.

Ne exequutioni committeretur Sententia a Judicibus Primæ Instantiæ Beneventi in ea judiciali controversia lata, cujus historia latius pertractata est in alia mea hujusce diei Decisione, cui titulus *Beneventana Pecuniaria quoad medietatem pensionum,* provocationem primo interposuit, ac deinde confugit Archangelus Cataffo ad Signaturæ Justitiæ Tribunal, ab eoque *inhibitoriam* retulit citationem, quam Pragmatici *Specialem* appellant. Adeo tamen Roscii curator infensum ei se præbuit, ut no inducias quidem a Lege, atque ab ipsamet, quam obtinuerat, Sententia indultas, antequam patrari posset exequutio, elabi passus fuerit: sed moræ impatiens pignori subjecit multiplex animalium genus, decemque vini dulia, ad eumdem Cataffum spectantia. Quod cum hic vidisset in spretum fieri interjectæ inhibitionis, iterum rediit ad Signaturæ Tribunal a quo attentatorum querela ad Sacrum Nostrum Auditorium, una cum principe pensionum quæstione delata fuit, adjecta clausula = *Alteri, et eidem* =. In primo quidem jurium experimento in Comitiis diei *octavæ* Maii hujus anni habito, scissis Patrum suffragiis nulla prodiit dafinitio. Hodie vero, cum ad judicandum accesserint *Quintus, et Sextus,* exhibito a me Dubio = *An, et quomodo sit locus purgationi attentatorum in casu etc.* = responsum est = *Affirmative per viam nullitatis* =.

1 Quæ enim duo requiruntur extrema ad attentatorum purgationem decernendam, præcedens scilicet inhibitio, ac subsequens inhibitionis contemptus, veluti docent *Lancellot. de Attentatis lit. penden. cap.* 4 *num.* 346, *Scacc. de appellat. quæst.* 3 *num.* 48, *Rot. in Recen. Decis.* 222 *num.* 1 *et* 3 *par.* 17, *et Dec.* 637 *num.* 1 *cor. Olivatio*, ea quidem in casu, de quo agitur, mirum in modum concurrunt. Extra controversiam siquidem erat, exequutioni commissam Sententiam, ac capta pignora fuisse, antequam desineret terminus octo dierum in eadem Sententia præstitutus ad solutionem implendam. Præter hunc terminum a Judice concessum, præterlabi quoque debebat decendium, a judiciaria praxi præfinitum, quod incipit progredi a die, quo is qui damnatus in Sententia fuit, nuntium ipsius Sententiæ judicialiter accepit. Cum autem hic nuntius ad Cataffum haud pervenerit, quam anno 1824, ad diem *quintam* mensis Maii; hinc, addito Sententiæ termino cum termino legis, manifeste patet nonnisi post diem *vigesimam tertiam* ejusdem mensis exequutionem patrari potuisse. Atqui constat locum eam habuisse die *vigesima prima* illius mensis; ergo nullam, irritam ac in spretum pendentis inhibitionis absolutam exequutionem fuisse, inficias ire nemo poterit. Reque vera ne ipsi quidem Roscii curatoris defensores negabant patratæ exequutionis nullitatem: sed domandandam non esse illius purgationem ex ea ratione dicebant quod jam purgata fuerint a Roscii curatoribus commissa attentata, quippe qui factæ valedixit exequutioni, et capta pignora restituit.

2 Ubi saoe, re adhuc integra, et antequam ullum si, adversus quem patrata fuit exequutio, illatum sit detrimentum, actui nullitate infecto renuncietur, satis purgata in jure censentur attentata, nec novæ illorum purgationi locus fit. *Lancellot. de Attentatis part.* 3 *cap.* 29 *num.* 25, *Ridolphin. in praxi part.* 2 *cap.* 15 *num.* 65, *Rota Decis.* 716 *num.* 1 *part.* 19 *tom.* 1 *cor. Cavaleria Decis.* 138 *num.* 1, *et Dec.* 466 *num.* 1 *cor. Lancet.* At falsum erat, capta pignora fuisse restituta. Neduin enim Ædis publice sequester, et depositarius, sed plures præterea testes omni exceptione majores deponunt, capta ab apparitore pignora in Ædem publicam Beneventi fuisse delata, et ibi adhuc manere. Verum non dicitur exequutioni renunciatum, nisi insimul restituantur res pignori subjectæ. Cum igitur reprobare nequeat Patrimonii curator attentata commissa, ad illorum propterea purgationem merito damnatus fuit. Quoniam vero, non malitia, ac fraude, sed probabili opinione ductum indolis, ac naturæ *exequutivi* judicii, attentata perpatrasse patrimonii curatorem pateat ideo decreta fuit eorum purgatio *per viam nullitatis* tantum, juxta æquitatem, alias a Sacro Tribunali amplexam, de qua testatur *Decis.* 87 *n.* 1, *et* 2 *coram Ansalda, et Decis.* 446 *num.* 7 *cor. Riminaldo.*

Et ita etc. Utraque etc., Suffragantibus etiam *Quinta, et Sexto.*

FERRARIEN PECUNIARIA

QUOAD SCUT. 330 ET OB. 53

Lunae 6 *Martii* 1826.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO - CCXXVI.

SUMMARIUM

1. Nulla major datur probatio, quam proprii oris confessio. - Et num. 2. -

3. Emptor potest retinere partem pretii rei emptae, pro rata respondente oneri, quo ea res empta gravata detegatur.

4. Si anus emptor sciverit rei emptae, vel scire debuerit, et tamen emerit, sibi damnum tribuat necesse est.

5. Ignorantia nunquam praesumitur, cum agatur de re, non clandestina et momentanea, sed notoria, et ab immemorabili observata.

6. Venditor ad nihil tenetur, ubi onera emptori haud ignota fuerunt, et de evictione ille nihil promisit.

7. *In contractibus sunt semper congrua congruis referenda.*
8. *Qui actionem indebiti proponit, evincere debet solutam vere fuisse summam, solutionem fuisse expletam per errorem ac falsam caussam.*
9. *Sola debiti possibilitas excludit indebitum*, - Et num. 10. -
11 *Excluditur indebiti repetitio, si acceptilationis syngraphae, ad idem debitum non referantur.*- Et num. 12. -

DECISIO CCLXXIII.

Sententia Tribunalis, quod de primis actionibus Ferrariæ jus dicebat, damnatus fuit die 18 Aprilis 1824 Joseph Zannonius ad solvenda Principi Thomæ Corsinio scuta 1230, et ob. 53 pro reliquo pretio Latifundii = *Le Glorie* = jacentis in Territorio Tiberiaci, sive Gabei, Italice = *Bagnacavallo* =, Emiliæ Regionis, quod ille ab hoc emerat die 5 Novembris anni 1817 pro scutis 31200, una cum per amplo ædificio, eo in Oppido sito, *quincunce* de pacta compensativa usura quoad scuta 20200 ab eo intra quadriennium solvenda, qua in summa scutorum 1230, et ob. 53 comprehensi fuero bi compensativi fructus, decursi ad diem 17 Martii 1823, sine præjudicio eorum, qui in posterum decurrerent devolutivam vero ab hac Sententiam appellationem Zannonio indulsit Signaturæ Tribunal quoad scut. 900, atque suspensivam quoad scuta 330 53, et deinceps, duobus a me consonie Dubiis S. N. Ordinis propositis, die 12 Decembris præteriti anni 1825 confirmata omnino fuit relate ad scuta 900, resjudicata, et ad scut. 330 53 quod spectat interrogati Patres = *An*, *et in qua Summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responderunt = *Affirmative in omnibus pro summa scut.* 330 53 =, uti e binis Decisionibus patet ad eam diem a me editis, quæ facti, actorumque seriem accurate exponunt Facile fuit Zannonio, qui in prima Caussarum coram S. N. Tribunali propositione vadimonium deserverat, ad novam in utraque audientiam admitti. Quoad tamen remjudicatam super scut. 900 nuncium omnino liti dein misit, omnesque convertit conatus ad excludendum debitum quoad scut. 330 53. At in irritum ejus studia cesserunt, mihi enim hac de re quærenti = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum hodie fuit a Dominis suffragia ferentibus *In decisis* =.

1 Perspectissimum siquidem Ipsis fuit, Zannonii erga Virum Principem Corsinium debitum in ea scutorum 330 et ob. 53 summa indubium, ac liquidum esse, tam *in genere*, quam *in specie.* Viderunt enim *in genere*, quod etsi ope instrumenti die 17 Martii 1825 inter Zannonium, et Præsbiterum Pignocchium, Corsinii Principis procuratorem, conscripti, simulata fuisset absoluta solidatio debiti. Zannonii, e pretio prædicti Latifundii, ejusque fructibus, solutione scutorum *Termillium*, die tamen 19 ejusdem mensis per syngrapham declarationis bonæ fidei professus fuit idem Zannonius se ec scuta tantum 2100 monetæ Romanæ Pignocchio rependisse atque ideo Principis debitorem mansisse pro = *Saldo del prezzo suddetto e frutti arretrati, non solo della somma sudetta di scudi novecento, ma di quella maggiore, che risulterà dalla liquidazione dei conti da farsi* =; atque idcirco voluit = *che restino ferme le mie obligazioni patti tutti, ed ipoteche inscritte all'Officio sulla tenuta, e risultanti dall'indicato Istromento d'acquisto del Notaro Mantieri* = Ex quo palam est nullo in pretio haberi posse Instrumentum diei 17 Martii 1823, ac in suo pleno robore perstitisse omnes Zannonii erga Corsinium Principem obligationes, ad tramites Instrumenti emptionis venditionis latifundii = *le Glorie* = diei 5 Novembris anni 1817.

2 Agnoverunt vero quantitatem debiti Zannonii *in specie*, adhuc manentem pro scutis 330, et ob. 53, indubium haud posse revocari, cum extet compntum, Corsinio Principe allatum, et ab eodem Zannonio probatum Syngrahpa prædicta recognitionis bonæ fidei, qua fassus fuit quod = *era debitore per li conti fatti conoscere dal sudetto Signor Principe*

a tutto li 14 Decembre 1822 *di scudi* 3256 79 *circa, oltre li frutti posteriormente decorsi fino all'epoca del detto Istromento Galeoti* = ad diem nempe 17 Martii 1823. Si enim hoc computum Zannonium Principis debitorem iis nominibus constituit ad eam diem 17 Martii 1823 in scutis 3330 53, demptis ergo ab hac summa scutis 2100 Pignocchio, Principis Procuratori, eadem illa die a Zannonio, solutis, ac scutis *nonigentis* quæ rependere debuit in vim Rei judicatæ, et quibus super liti prorsus valedixit, cuilibet calculos ineunti illico patet certum, liquidumque Zannonii debitum, ad sæpius memoratam diem 17 Martii 1823 adhuc existere in scutis 330, et ob. 53, quæ Corsinio solvat oportet sine præjudicio alterius summæ ex incunda liquidatione suo loco, et tempore eruendæ, pro fructibus ulterioribus jam decursiis, ac in posterum decurrendis ab illa die, sicuti statuit præcedens mea Decisio, quæ confirmatur, § 2.

3 Quæ quidem, vel invitus, et ipse Zannonius admittere debuit. Non enim prædictum suum debitum denegare, aut illud solutione fuisse sublatum proponere unquam ausus fuit, sed tantum et apud Primarum Actionum Tribunal quod Fori alieni jus dicebat, et cor. S. N. Ordine contendit, ad illud rependendum se se adigi baud posse, tum quia certum in jure est emptorem retinere posse partem pretii rei emptæ, haud soluti, pro rata respondente oneri, quo ea res empta gravata detegatur, *per Text. in Leg.* 2 *Cod. de Eviction.*, et in facto asserit Latifundium = *le Glorie* = inventum ab ipso fuisse servituti obnoxium viæ, quæ dicitur = *la Carrara* =, quam ignotam sibi, ante initum contractum, fuisse dicit, et de qua, ut indemnis fiat, Latifundii pretium imminui vellet pro scutis 294, allata in id cujusdam Agronomi peritia; *tum* quia etiam sibi adversus Corsinium actionem esse tuetur ad repetenda scuta 198 68 3 indebite, ut ipse ait, illi soluta pro Foschiniis, qui fuerant Latifundii = *Le Glorie* = conductores, = *per affitti della Tenuta, e per Tasse prediali non rimborsate* =, sanctioni inhærens *Text. in Leg.* 27 *mandati in Leg.* 3 *ff de conditione indebit. et leg.* 1 *Cod. eod. tit.* Quorum tamen utrumque nullo in calculo haberi posse, e conspectu precipuè perspicui Corsini Principis crediti, merito Patres censuerunt.

Et sane, cum de exceptionibus agatur, quæ a Zannonio in executivo judicio proponuntur adversus debitum ex Instrumento solemni ortum habens, ac prorsus liquidum, sat superque esset ad eas in præsenti controversia eliminandas potissima animadversio, quod, cum turbidæ sint, altioremque requirant indaginem, retardare nequeunt expeditissimam Principis Corsinii actionem; et in separato tantum, ac congruo judicio possent opponi, sicuti semper tenuit Rota, præsertim in *Ferrarien. Mandati* 21 *Januarii* 1822 *et Confirmatoria* 21 *Junii ejusdem anni utraque corom R. P. D. Gambarini, nunc Rmo Antistite Urbevetano, ac utraque* § *fin.* Verum, suscepto etiam nunc unius alteriusve exceptionis examine, illico patet quolibet eas fundamento prorsus destitui. Atque, ut primum de servitute viæ = *la Carrara* = sit sermo, certum quidem in jure *generatim* est, emptori, qui fundum emptum invenerit alicui subjectum oneri, competere, ad indemnitatem assequendam, actionem adversus venditorem, vel *quanti minoris vel exempto ad Text. in Leg.* 66 *ff de contrahenda emptione, leg.* 1 *ff de evictione, et Leg.* 5 *et Cod. eod., et Voet. in Pandect. lib.* 18 *tit.* 1 *Duciren. Tit.* 1 *de Verb. Oblig. cap.* 23 *Rota Decis.* 172 *num.* 5 *seq. p.* 18 *T.* 2 *et Decis.* 251 *num.* 4 *part.* 19 *T.* 2 *in Recen. Decis.* 642 *num.* 2 *et Dec.* 766 *num.* 1 *coram Lancetta, in Fulginaten. Immissionis* 22 *Januarii* 1768 § 6 *coram Riminaldo, Setino Immissionis* 22 *Martii* 1776 § 2 *coram eod. in Romana seu Perusina Evictionis* 9 *Martii* 1801 § 5 *coram Bagane, et in Bononien seu Ferrarien. Pecuniaria* 22 *Junii* 1818 § 6 *coram Emo Serlupi.* Sed æque certum *in specie* est, onus intrinsecum, et præexistens, rei venditæ inhærens, tum venditori nocere ne pretium petere 4

possit, vel ut exactum restituere debeat, si illud occultum, vel incognitum emptori fuerit: quod si illud emptor sciverit, vel scire debuerit, et tamen emerit, sibi damnum tribuat necesse est, nec a pretii solutione liberatur, *per leg. si fundum sciens Cod. de* Evictionibus, et ad tradita *per Donell. Comment. Juris Civilis lib.* 13 *Cap.* 3. *Gratian. Discept. Forens. cap.* 520 *num.* 27, *Card. de Luca de Offic. Vacab. Cap.* 17 *num.* 18, *Mangil. de Eviction. quæstion.* 21 *num.* 1, *Rocc. disput. Juris select. cap.* 96 *num.* 13, et firmata per *Rota Decis.* 1296 *num. et seq. coram Molines; in Romana Gabellæ Transitus* 23 *Aprilis* 1784 *§* 2 *coram Resta, et in Romana Pecuniaria* 12 *Januarii* 1807 *§* 20 *cor. eod.*

5 Quod autem Zannonius, nedum scire debuerit, sed immo sciverit, ante emptionem Latifundii =*le Glorie* =, obnoxium illud fuisse prædictæ servituti viæ, in dubium revocari nequit; quia, cum ipse in Oppido Tiberiaci lares haberet, et agcretur de Latifundio illi proximo, ac de servitute super eo Oppidanorum favore a tempore immemorabili existente, ignorari hæc ab ipso non poterat; immo dedecet ipsum hanc ignorantiam asserere, cum res esset de re, non clandestina, et momentanea, sed publica, notoria, et ab immemorabili observata uti ad rem advertit, ac firmat Rota *in decis.* 103 *part.* 4 *num.* 1 *in recen. decis.* 72 *numer.* 12, *et decis.* 92 *num.* 46 *coram Ansaldo*, eoque magis cum ipsius interesset conditionem investigare illius Latifundii ab ipso emendi, ad *Text. in Leg. Julianus ff ad S. C. Macedonianum, et in leg. si duos ff de acquirenda hæredis*, et adfirmata *per Rot. decis.* 115 *numer.* 9 *et decis.* 134 *numer.* 6 *cor. Ansald.* Praeterea, non agitur de simplici præsumptione scientiæ Zannonii illius servitutis; sed hæc scientia in eo, antequam latifundium emeret, certissima est. Constat enim ex authentico monumento ipsum die 8. Julii anni 1817, cum Latifundium locatum erat Folchiniis, cujus afflictus ipse vel particeps, vel solidalis fidejussor erat, monitum a Tiberiaci Magistratu fuisse = *di ritornare la strada al primiero stato, tanto in lunghezza, che in larghezza, talchè si possa praticare con Carri, e si possa avere l'accesso liberamente alla prateria, sia per uomini, che per animali, come ab immemorabili si è praticato* = Latifundium vero ipse emit *quatuor* post menses ab ea denunciatione, nempe die 5. Novembris illius anni, uti superius dictum fuit. Quemlibet autem actum, etiam extrajudicialem, adversus aliquem expletum, scientiam rei, ad quam spectat, in eo inducere notissimum est, uti tradit *Constant. Vot. decision.* 153 *num.* 6.

Huc re perducta, cum noscat Zannonius servitutis scientiam, antequam latifundium emeret, sese inutiliter in controversiam adducere, hanc scientiam nihil sibi obesse contendit, et extraneam esse a themate dicit sanctionem prædictæ *leg. si fundum Cod. de evictione*, quia asserit Corsinium vendidisse Latifundium ab ea servitute immune; ex quo sibi jus saltem esse deducit retinendi partem pretii Latifundii respondentem valori hujus oneris, si non illud assequendi rigorosam damnorum omnium sarcitionem, quæ non debetur, deficiente pacto de evictione generatim prestanda; atque ad hanc adstruendam assumptionem affert *Text. in leg.* 4 *ff de dolo malo, et met. except. § item Labeo, leg. emptorem § qui autem ff de eviction., Leg. non dubitatur Cod. Eod.*, et doctrinas *Cujacii de evict. T.* 9 *Col.* 1301. *Litt. O. Edit. Neapolit.; Brunemann. leg. si fundum sciens num.* 1 *et seq. Perez. in Cod. tit.* 45 *numer.* 25, *Voet ad Pandectas lib.* 21 *tit.* 2 *num.* 32., *Rocc. disput. Far. select. Cap.* 130 *num.* 13 *et seq. Rotae decis.* 2284 *num.* 9 *coram Coccin., decis.* 416 *num.* 11 *et seq. in Nuperrimis, et in Romana, seu Asculana lib rationis a molestiis* 4 *Junii* 1770 *§* 10, *et seq. coram Riminaldo, et in Romana, seu Perusina Evictionis* 9 *Martii* 1801 *§* 9 *cor. de Bayane.* Frustra vero; hæc enim locum tantum sibi vindicant cum nulla de oneribus fundum venditum gravantibus mentio 6

in contractu fuerit facta, et cum fuerit a venditore promissa ejus libertas generaliter a quibuscumque oneribus, cujuscumque speciei; non vero, dum, uti in casu, onera prædicta, emptori haud incognita, fuerunt in contractu relata, nilque venditor cavit de fundo ab iis liberando, et de evictione pro iis praestanda, ad firmata per Rotam *in Romana liberationis a molestiis* 7. *Martii* 1785 § 4 *coram Soderino*, *et in confirmatoria* 12 *Januarii* 1787 § 8 *coram Eodem et in Romana liberationis a molestiis*, *et Avocationis Pecuniarum* 12. *Januarii* 1789 § 9 *coram Resta*.

7 Vendidit quippe Corsinius Princeps Latifundium, sed expressim = *con tutte le servitù attive*, *e passive* =, atque = *come è la tenuta sudetta*, *e come è stata posseduta, tanto da Sua Eccellenza il signor Principe Venditore, quanto dai di lui Autori* =, quibus ex verbis perspicuum est onus servitutis viae, emptori notum, in eum fuisse cum Latifundio translatum, utpote comprehensum inter = *servitù passive* =, uti in eumdem translata fuerunt jura omnia, ejusdem Latifundii ratione competentia, nempe = *tutte le servitù attive* = Quin rem, vel minimum, mutet quod posterius in iisdem emptionis venditionis tabulis scriptum legitur, scilicet = *che i detti beni sono liberi immuni*, *ed esenti da ogni debito*, *ed ipoteca*, *e promissione di dote fedecommesso purificato*, *e da purificarsi*, *e che*, *a riserva del ridetto Canone dei scudi sette*, *e bajocchi* 80, *imposto sù preindicata Tenuta delle Glorie*, *e delle Tasse Fondiarie*, *tanto per la dativa reale*, *quanto per le acque e sopracarichi Comunitativi gravanti i detti beni*, *sono del resto liberi*, *ed immuni sin qui da decima Ecclesiastica*, o *altro qualsivoglia aggravio* =, adjecta venditoris promissione = *di così mantenerli sotto il vincolo di ampla evizione generale*, *e speciale* = Hæc enim respicere nequeunt = *le servitù passive* = superius in contractu deductas: et, cum congrua sint referenda, tum libertatis latifundii promissio, relate = *a qualsivoglia altro aggravio* =, quam conventa evictionis praestatio, protendi haud possunt ultra onera pecuniaria *ad text. in leg. verum ff de petitione haered. leg. qui filiabus in princ. et leg. si servum § fin. de legat.* uti perpendit, ac statuit precedens *Decisio* § 6.

Patet ex hisce nil posse Zannonium 8
a Corsinio Principe repetere, vel a Latifundii pretio deducere ob viae servitutem, cui subiicitur hoc Latifundium. Quod manifestius etiam fit ex silentio de hac servitute ab eo jugiter servato a die 5 Novembris anni 1817, qua Latifundium, ea ab immemorabili tempore gravatum, emit usque ad judicium contra ipsum a Corsinio Principe institutum mense Aprilis anni 1824 pro consequutione sui crediti, uti ad rem arguit Rota *decis.* 213 *num.* 9 § 6 *in recen.*; atque etiam ex superius relata ipsius declaratione bonae fidei, qua suum reliquum debitum fassus est, integre Latifundii pretio in calculo habito. Haec quoad viae servitutem. Ad alteram vero exceptionem a Zannonio propositam ex asserta actione repetitionis indebiti adversus Corsinium pro summa scutorum 198 68 3, ei pro Foschiniis, Latifundii = *le Gloris* = conductoribus, soluta, haec etiam exceptio Patribus prorsus spernenda visa fuit. Seposito enim etiam quod nil communis habet cum praesenti judicio super pretio Latifundii praetensa ea duplicata solutio pro pensionibus affictus, et redintegratione vectigalium, quae conductores rependere debebant, ex quo de ea in congruo judicio agendum esset; ac seposito pariter, quod Zannonius proponere nequit Foschiniorum jura, a quibus sese caussam habere non probat, uti advertit superior mea *Decisio* § 3, facile patet assertae illi actioni omnem praecludi aditum. Duo namque, qui actionem condictionis indebiti proponit, evincere debet: *primum* solutam vere fuisse summam, quæ repetitur: *alterum* solutionem expletam fuisse absque caussa, ac per errorem, *ad Text. in leg. cum de indebito vers. si vero ff de probat.*, *leg. si in arca* 33

ff de condit. indebiti : Alexander Cons 83 *numer.* 1 *leg.* 1 2103 *de contract. Tit, de condict. indebit. numer.* 3 *Salicet. in leg.* 2 *num.* 2 *in fin. Cod. de donat*, *et Rot. dec.* 404 *num.* 1 *part.* 12 *recent.*

9 De primo *extrema* disserere supervacanenm est; et sat sit animadvertere, quod non injuria Corsinius Princeps assertam per Zannonium solutionem in scutis 198: 68 3 cohibendam esse contenderet *ad* scuta 101: 82 2, quot exhibet documentum ab eodem Zannonio allatum; tota etenim quaestio *ad alterum* extremum, nempe ad solutionem indebite, et absque canssa peractam redigitur. Quo super illud in primis statuendum est, quod, qui aliquam summam, uti indebite solutam, condicit, debiti etiam *possibilitatem* luculentissimis probationibus excludere debet; alioquin numqusm ei dari potest indebiti repetitio, sicuti apposite tradunt *Struv. in Pandect. Exercit.* 13 *thes.* 231 *in fin. Andreas Cludius in tractat. de condictiane indebit. cap.* 10 *numer.* 39. *Card. De Luca de Usuris disc.*, 12 *numer.* 9 et firmat *Rot. dec.* 338 *numer.* 8 *seq. part.* 15 *in recent.*, *Decis.* 5 *numer.* 12 *coram Ansald. in Faventina Depositi* 11. *Aprilis* 1755 § 1, *et* 8 *Martii* 1756 § 11 *cor. Figueroa*, *et in Canfirmatoria* 12 *Januarii* 1759 § 2 *coram Olivatio*, *et in Romana repetitionis indebiti quoad summam scut.* 832 87 ½ 5. *Februarii* 1816 § 4 *coram nunc Emo Bussio Archiepiscopo Beneventano.*

10 At quam longe abest quod demonstret Zannonius praedicta scutn 198: 68 3 soluta Corsinio absque ullo Foschiniorum debito fuisse, eaque duplicato Corsinium exegisse in caussam crediti, de quo ipsi jam fuerat satisfactum. Binas quidem ille, ut assertam solutionis duplicationem suadeat, acceptilationes profert a Corsinio Principe, vel ab ejus Procuratore emissas. Prima diem habet 13 Januarii 1809, in qua haec leguntur =*Ho ricevuto dai Signori Vincenza*, *e Damenico Foschini scudi* Ramani 394 *e* 64 *per saldo della rata dovutami dai medesimi dell' affitto* *alla passata Solennità di tutti i Santi*, *della mia Tenuta delle Glorie*, *in Romagna*, *che essi ritengona in Affitto* = Altera longe posterior est, diei scilicet 28 Septembris 1818, eaque Pignocchium, Principis Procuratorem, haec declarsse videtur = *Riceco dal Signor Giuseppe Zannoni scudi cento uno*, *e baj.* 82 *e denari* 2, *quali sono in estinzione*, *e saldo del debita di scudi* 198 68 3, *che ritiene la prelodata Eccellenza Sua abbino tutt'ora i Fratelli Foschini di Bagnacavallo per gli Affitti della Tenuta delle Glorie*, *e per tasse prediali* non *rimborsate dai medesimi alla cassa di Sua Eccellenza* =, hac adjecta reservatione = *salvo*, *e riservato al Signor Zannoni sudetto il dritto di ripetere l'indebito nel caso*, *in cui nel giudizio*, *che va ad istruirsi contro i Signori Foschini nei Tribunali di Firense*, *giustificasscra di aver pagato* = Verum utriusque acceptilationis tenore perpenso, statim dignoscitur eas duo respicere debita inter se omnino dissita, tam quoad eorum originis epocham, quam quoad ipsorum titulum.

Spectat sane prima ad Foschiniorum debitum pro pensionibus affictus Latifundii ad diem usque 1 Novembris anni 1808 decursis; ex eaque patet Foschinios anno 1809, in Latifundii conductione perrexisse, cum mense Januarii illius anni, relate ad illud Latifundium, scriptum in ea a Corsinio fuerit = *mia tenuta delle Glorie*, *che essi* nempe Foschinii = *ritengono in affitto*= quare et aliae post enm annum pensiones decurrerunt. Altera vero, post fere *decem* annos emissa, loquens partim de responsionibus pro eodem afficto debitis a Foschiniis, in hac re procul dubio respexit pensiones decursas post =*la Solennità di tutti i Santi*= anni 1808, quorum nulla alia solutio probatur: partim vero, spectans ad = *le tasse non rimborsate dai medesimi Foschini alla Cassa di Sua Eccellenza*=, titulum eorum debiti exhibuit longe diversum ab illo pensionum affictus, ad quem tantum pertinuit praecedens illa acceptilationis syngrapha anni 1809. Fieri itaque nequit, ut hae binae re- 11

ceputæ ad idem debitum referantur, et quod scuta 198 68 3, anno 1818 a Zannonio soluta, ad eamdem pertineant caussam, ex qua Foschinii anno 1809 scuta persolverunt 384 64. Quamobrem excluditur duplicata pro eodem debito solutio, omneque corruit prætensæ pro summa scutorum 193 68 3 condictionis indebiti fundamentum, uti animadvertit superior decisio §§ 4 5.

12 Accedit præterea, non aliter Zannonio reservatam fuisse indebiti repetitionem, quam in casu = *in cui nel giudizio, che va ad istruirsi contro i Signori Foschini nei Tribunali di Firenze, giustificassero di aver pagato* = Atqui non constat hoc judicium, nedum absolutum, sed ne inchostum quidem fuisse Florentiæ contra Foschinios: ut igitur ab his probatum non fuit = *di aver pagato* = ita nequit Zannonius agere condictione indebiti adversus Corsinium. Nec potest hic Princeps redargui, quia non egerit judicio contra Foschinios apud Tribunalia Florentiæ; nullam enim ad id obligationem suscepit. Si reapse solutum a Foschiniis fuisset debitum, pro quo Zannonius scuta 198 68 3. Principi numeravit, ipsemet Zannonius curare debuisset ut, judicio coram Florentinis Tribunalibus instituto, palam fieret illud jam antea fuisse solutione sublatum: quod cum non egerit, frustra indebiti condictionem proponit. Certissimum itaque si est Corsinii Principis creditum adversus Zannonium, e reliquo pretio Latifundii = *le Glorie* = ejusque fructibus ad diem 17 Martii 1823 in scutis 330 53, si inanes prorsus sunt omnes exceptiones pro vitanda ejus solutione a Zannonio propositа, merito Patres ipsum ad illud dimittendum, præcedenti confirmata Decisione, condemnarunt.

Et ita etc. Utraque etc.

MACERATEN ASSECURATIONIS DOTIS

Lunae 23 Januarii 1826.

ARGUMENTUM

Cum mariti patrimonium ab aere alieno superetur, jure uxor postulat, ut dos sua in tuto ponatur. Verum dotis assecuratio non adimit marito dominium, sed uxori tribuit tantum rerum dotalium administrationem, ut fructibus, ad sui, mariti, filiorumque substentationi consulat.

SUMMARIUM

1. *Dotem, numeratio, non scriptura dotalis instrumenti facit.*

   Ubi mariti bona imparia sunt ad dimittendum aes alienum, uxor jure postulat dotis assecurationem - ibidem. -
2. *Quamvis dos condici nequeat, nisi dissoluto matrimonio, fallit tamen regula si vir ad inopiam vergat.*

   Dos in pecunia recepta, in pecunia neque est restituenda - ibidem. -
3. *Dotis assecuratio non importat dominii translationem in uxorem, sed tantum jus administrationis, ac fructus percipiendi.*
4. *Sine justa causa non est adimenda uxori liberae administrationis beneficium.*
5. *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

DECISIO CCLXXIV.

Nubenti filiæ suæ Franciscæ, ac in sacra transeunti Comitis Petri Pauli, ex illustri Maceratensi Familia Compagnoni Floriani, publicis initis anno 1805. nuptiarum tabulis, modo defunctus Octavius Capotosti, pater, dotem constituit argenteorum nummorum *quatuor millium*, præter alia scuta *millia* in dotis additamentum, quæ pollicita ei fuit Mater ejus Justina, post sui tamen obitum consequenda. Ut splendidius imo foret conjugium iisdem in tabulis Petrus Paulus vir in muliebris mundi caussam argenteos nummos *sexaginta* sese soluturum quotannis spopondit, nedum constante matrimonio, sed si etiam, eo per viri mortem dissoluto, contubernium una cum filiis deinde nascituris. Is servare uxori suæ libuisset. Quod si ab eis decidere, et separatam egere vitam voluisset, tunc conventum præcipue fuit,

ut domicilii, et habitationis usu in communibus familiæ ædibus Francisca frueretur, et jure præterea polleret annuam scutorum *quatuorcentum* præstationem a patrimonio viri condicendi, dispunctis tantum ab hac summa dotis interusuriis. Sed hæc prestatio decrescere usque ad aunua scuta *biscentum* ex pacto debebat, si e re sua mulier censuisset, tum solutæ dotis caput, tum ejus augmentum elato viro, reposcere. Verum fortunæ temporumque vicibus admodum jactatus Comes Petrus Paulus, tanto cæpit implicari ære alieno, ut cuncta fuerit uxor ejus Francisca coram abrogatis Primæ jurisdictionis Judicibus Maceratæ sistere, vadatisque omnibus viri sui creditoribus, qui agmine facto in eum irruerant, sollicite postulare, ut dos sua in tuto poneretur, ac prædium aliquod a communis debitoris patrimonio deduceretur, quod filiis alendis, ac exhibitionis sibi parandæ, juxta nuptialium tabularum pacta, satis esset.

Cæteris silentibus creditoribus, unus insurrexit Antonius Bozzi, qui, cum egregiam pecuniæ vim Comiti Petro Paulo ad domesticas levandas angustias, identidem mutuo dedisset, institutæ actioni sese acriter objecit. Maceratense nihilominus Tribunal, quo cautior esset illius matronæ conditio, ac ut tutam, securamque redderet ejus dotem, mandatum ei tribuit scutorum *quatuor millium*, contra bona viri exequutioni committendum, ac legem indixit, hanc summam fænore collocandi, servatis Juris solemniis. Jus autem quoad exhibitionem diceus, quam præfinivit, addita quoque instructæ domus pensione, in scutis *quatuorcentum quinquaginta*, in evulgata Sententia voluit, ut ab hac summa dotales expungerentur usuræ in annuis scutis *biscentum* ac pro eo, quod reliquum erat ad æquandam exhibitionis quantitatem, aliud mandatum actrici concessit in scutis *quinque millibus* adversus bona viri, fænore æque collocandis. Provocatum utrinque est ab hac Sententia, et deducta quæstio ad Judices Appellationis Maceratæ, qui pariter in nuperrima Tribunalium Ecclesiasticæ Dationis reformatione abrogati fruere. Hi vero, quamvis in cæteris omnibus album calculum adjecerint priori Sententiæ, in eo tamen dissentire visi sunt, quod utramque summam dotis, et exhibitionis tænori collocandam duxerunt, nedum monito, et interpellato Bozzio, decocti Petri Pauli creditore, sed ejus quoque arbitrio fænoris remisso negocio: ut scilicet, si quid ultra quincuncem usuram, quæ super utraque eadem summa dotis, et exhibitionis ad calculum revocata, annuæ præstationi respondebat scutorum *quatuorcentum quinquaginta*, ei datum esset exigere, in partem satisfactionis sui crediti cederet.

In eo pariter a priori Sententia aberrarunt Judices Appellationis, quod Bozzium ad omnes, et singulas reficiendas expensas antea damnatum pro earum dumtaxat dimidio erga Franciscam teneri declararunt. Qua de re sedulam is primum navare cæpit operam, ut pro indemnitate dotis, et exhibitionis hastæ subjicerentur bona quædam debitoris, vulgo dicta = *Potenza e Cimarella* = ac in agro Maceratensi sita, rediitque deinceps ad Judices Primarum Actionum, providentiam aliquam implorans super fructibus recolligendis, quam statim ope deputationis Administratoris obtinuit. Munus hoc concreditum fuit cuidam Telesphoro Branca, qui ex illius Tribunalis facultatem retulit retinendi segentes, aliosque prædiorum fructus loco depositi, interdicta colonis potestate eos Comiti Petro Paulo tradendi. Sed provocatione a Francisca interjecta rei cognitio conscendit ad Sacrum Nostrum Auditorium, ubi quatuor, pro quæstionum varietate, coram me, uti Causæ Ponente, concinnatæ Dubiorum formulæ fuerunt, quarum *prima* respicit dotis summam et securitatem: *altera* exhibitionis creditum, ejusque item indemnitatem: *tertia* Administratoris remotionem: *postrema* denique refectionem sumptuum litis. Cum de priori et secunda in hodiernis Comitiis agendum esset, ac de cæteris in proximis tractari debeat hinc quoad dotis securitatem, super qua præsens Decisio ver-

satur, proposci hodie mane Patribus dirimendam quæstionis formulam, quæ sequitur scilicet = *An, etpr o qua summa constet de credito dotis, ita ut sit locus assecurationi, et quomodo in casu etc.* = Responsumque retulit = *Affirmative, et constare de credito in summa scut.* 4000, *et esse locum relaxationi mandati contra bona viri ad effectum deponendi, et investiendi cum vinculo dotis* =.

1 Quæ omnia fundamentum institutæ actionis constituunt, ab Actrice optime in præsenti judicio revincebantur. Nam dotem argenteorum nummorum *quatuor millium* Franciscæ assignatam a Patre fuisse publicæ edocent tabulæ anno 1805. ad diem *quintam* Maii initæ, occasione Matrimonii cum Comite Petro Paulo contrahendi. Quamvis imo *dotem numeratio non scriptura dotalis instrumenti faciat* =, *ut in Leg.* 1. *Cod. de dot. caut. non numerat.* inquiunt Imperatores *Severus, et Antoninus*; integram tamen scutorum *quatuor millium* summam sponso numeratam ab Octavio Capot osti fuisse nulla quæstio inter litigan tes erat. Non item ambigebatur a prospera, et ridenti in malam diramque for tunam Comitem Petrum Paulum incidisse, ac ad inopiam, et extremam propemodum egestatem eum vergere. Ex censualibus siquidem Codicibus patet totum ejus, quantum est, patrimonium ad scuta *septem millia centum quadraginta duo*, et obulos *septuaginta quinque* vix evehi. Contra vero publicæ hypothecarum tabulæ monumentum suppeditant ære perennius; ex quo liquet insimul collectis nominibus omnibus passivis Petri Pauli, ingentem ea summa attingere scutorum *sexdecim millium biscentum duodecim*, et obulorum *viginti quinque*. Cum igitur patrimonii bona ab ære alieno superentur in egregia summa scutorum *novem millium sexaginta novem*, et obulorum *quinquaginta*, fieri per rerum naturam nequit, ut cunctis nominibus dimittendi bona ipsa paria sint. Quamobrem jure postulat Francisca, ut dos sua in tuto ponatur, postquam præcipue locum amplius sibi non vindicat, post invectam hypothecam servandarum normam, celebris cauthela ab Jurisconsulto *Angelo de Perusia* inventa pro mulierum indemnitate.

Nedum enim pollet eadem Francisca generali hypothecа super omnibus viri sui bonis, sed peculiarem quoque publicis in tabulis inscriptionem peregit super prædio quodam = *San Claudio* = quod pariter extat in Agro Maceratensi. Rebus ita se habentibus, oportebat sane tutam facere mulieris conditionem, et a Viri patrimonio deducere receptae dotis aestimationem, ut faenori cum eodem vinculo collocetur. Etiamsi porro dos repeti, et condici nequat nisi dissoluto matrimonio, fallit attamen haec regula, si vir ad inopiam vergat, quia idem, quoad dotis exercitium in jure censetur, Matrimonium per mortem viri dissolvi, et maritum, eo constante, pauperem fieri. Hoc ergo in casu leges conditionem dotis faeminis permittunt, ut ejus fructibus sibimetipsi, marito, ac filiis alimenti praebere valeant. *Leg. Si constante ff. soluto matrimonio, ibique Authen. de aequalit dot.* §. *Illud Leg. Ubi adhuc* 29 *Cod. de jure dot. Zoes Cod. lib.* 5 *tit.* 12 *Leg.* 29 *n.* 1 *et seq., Guil. pract. observ.* 83 *l.* 1 *n.* 1; *Boss. de effect. Matrim. tit. de alim. obligat.* § 10 *n.* 1106; *Rot. in Rec. part.* 3 *Decis.* 281 *num.* 4 *et in Narnien. Pecuniaria* 19 *Januarii* 1821 § 4 *cor. bo. me. Zinanni.* Hanc autem dotem, non in rebus soli, sed in pecunia numerata restituendam esse merito Patres Domini jusserunt, tum quia *quantitate* dotem ab Octavio patre filiæ suæ fuisse constitutam nuptiales tabulæ revincunt tum etiam quia in numerata pecunia deinde solutam fuisse Bozzius ipso ingenue fatebatur. Jus hinc erat mulieri dotem ipsam in pecunia condicendi. Cum enim aliud pro alio, invito creditore, solvi non possit *ex leg. Eum a quo* 16 *Cod. de solutionibus et liberationibus*, translatitium propterea in jure est dotem in pecunia receptam, in pecunia æque esse restituendam. *Rot. in Beneventana Successionis quoad bona Materna* 14 *Junii* 1818 § 7 *cor. bo. me. Zinanni, et in cit. Narnien. Pecuniaria* 19 *Febr.* 1821 § 2 *cor. Eodem.* 2

Qui pro Bozzio causam orabant mul- 3

tis viribus conabantur ostendere jus eum habere retinendi substantias Petri Pauli debitoris, dummodo dotales usuras Franciscæ repræsentet. Sed hoc visum est paradoxum in jure non ferendum. Quando agit mulier ut ob ver-ventiam viri ad inopiam dos sua in tuto collocetur, non utique agit de vera et absoluta dotis restitutione, perinde ac si dissolutum per obitum viri matrimonium fuisset. Indemnatus dotis, seu illius, ut pragmatici ac forenses, inquiunt *assecuratio* non importat sano dominii translationem, quod semper apud virum remanet, adempta qualibet Uxori potestate dotem distrahendi. Nihilo tamen secius liberam, indicta dotis *assecuratione*, ipsa obtinet administrationem rerum dotalium, earumque fructus percipit ad sui mariti, filiorumque sustentatione, sed ad onera matrimonii sustinenda. *Voet in Pandect. lib.* 24 *tit.* 3 *n.* 2. *Card. De Luc. de dot.* 88 *num.* 44., *Sabell. in samm. divers. verb. dos. n.* 17. Si liberam ergo mulier habet boc in casu dotis administrationem, sinendum non est, ut hoc legis beneficio privetur ab extraneo creditore, qui cæteroquin, neque temporis, neque hypothecæ prerogativa ei præstat. Creditum quippe Franciscæ ortum ducit a nuptialibus tabulis Anno 1805 celebratis, ac rite servatum fuit hypothecariæ inscriptionis ope, cum e converso Bozzii creditum, quod simplici continetur syngrapha, multo posterius sit et in hypothecarias tabulas aut nunquam, aut nimis sero relatum fuit.

4 Nec subjectæ materiæ congruit *Textus in cap. Per tuas* 7 *de donat. inter. vir. et uxor.*; in quo Pontifex Innocentius III. jussit, ut dos, quæ adhuc solvi ab uxoris patre debebat. Viro ad inopiam vergenti, traderetur præstita tamen ab eo cautione, vel saltem honesto alicui Mercatori committeretur = *ut de parte honesti lucri dictus vir possit onera Matrimonii sustentare* =. In eo enim casu non agebatur de Uxore, quæ dotem ob vergentiam viri ad egestatem condiceret, sed de marito inope, qui Creditor adhuc erat dotis, quinque satisdationem dare ob inopiam suam non peterat. Recte ideo, ne quid detrimenti, caperet Uxor, demandavit Pontifex, ut honesto alicui Mercatori, satisdatione deficiente, dos ipsa committeretur, qui participem de lucro honesto virum faceret ad onera Matrimonii sustinenda. Nemo proinde non intelligit temperamentum illud susceptum fuisse, ne dos a marito absumeretur in perniciem Uxoris. At nullum adest iu re nostra periculum, ne dos pereat, semelac deponi. fœnorique collocari cum ipso dotis vinculo, summa ducti prudentia, Patres statuerunt. Sine ergo justa causa adimendum honestæ Matronæ non est liberæ administrationis beneficium, quod fœminis omnibus, ob lapsum viri ad inopiam, leges indulgent. Potest itaque Francisca pecuniam in prædia convertere cum vinculo dotis. Potest etiam pecuniam ipsam fœnori daro depactis fructibus quincuncibus ad tramites notissimæ Constitutionis *Innocentii XI.*, quæ dotales usuras, si de dote extra Urbem constitata vel soluta agatur ad rationem scutorum quinque in singula centum, et annos, supputandas esse præscripsit. *Rot. in Narnien. Dotis et lacri super fructibus* 3 *Julii* 1815 § *fin. cor. bo. me. Piccolomini, in Signina dotis et fructuum* 12 *Junii* 1818 § *ult. cor. R. P. D. Meo Martinez et in Narnien. Alimentoram* 13 *Jun.* 1820 § 3 *cor. bo. me. Zinanni.*

Levia autem erant nulliusque momenti, quæ a defensoribus Bozzii disputabantur super fructibus a Francisca exigendis, et de Innocentiana Constitutione, quam in Urbe tantum ejusque Districtu vires suas exercere contendebat. Constitutio siquidem illa, præcipue postquam abrogatæ consuetudines Municipales leges fuere, non modo in Urbe, ejusque Districtu locum sibi vindicat, sed Civitates omnes totius Ecclesiasticæ Ditionis amplectitur, testibus præcaeteris Sacri Ordinis Decisionibus *in dict. Narn. Aliment.* 13 *Junii* 1820 *et in alia Narnien. Pecun. super exhibit.* 16 *Febr. ejusd. anni cor. bo. me. Zinanni*, in quibus dotales usuræ præfinitæ fueruat juxta taxam et legalem 5

æstimationem in quincunci scilicet mensura, quamvis ageretur de dote constituta, et soluta extra Urbem ejusque Districtum. Nullum vero posuit præfata Constitutio discrimen inter dotis debitorem, qui fructus solvere teneatur, ac ipsam mulierem, quæ administrationem, ob vergentem viri ad inopiam, de dote sua gerens, eam velit fœnere collocari. Sat est, quod de dotis fructibus agatur, ut aptanda eis sit Innocentiana Constitutio. Ubi enim Lex non distinguit, neque nobis distinguere fas est *Leg. Non distinguemus* 37 *ff. de recept. arbitr. Leg. de prætio* 10 *ff. de pub. in rem action.* Caeterum si quid ultra quincunces fructus, post pecuniam faenori collocatam, viri creditores planum facient ex capite scutorum *quatuor millium* Franciscam elicere, in ejus exhibitionem imputabitur. Quamobrem has fructuum quaestiones Judex pro re nata dirimet. In præsens permittendum Bozzio non est, ut in libera dotis suae administratione, cui adversaretur objectum jus retinendi, solutis dotis fructibus, debitoris patrimonium, Franciscam ullo modo perturbet.

Et ita ec. Utraque etc.

MACERATEN DOTIS ET EXHIBITIONIS

SUPER

REMOTIONE ADMINISTRATORIS

Veneris 27 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Fructus pendentes, pars fundi esse videntur. Fructus, qui a re pignorata postea nascuntur, eodem vinculo pignoris alligantur - ibidem. -*
2. *Dilapidationis bonorum prudens suspicio, sat est ad indicendum bonis ipsis administratorem*
3. *Sine justa, ac probata causa, non est removendus administrator.*

DECISIO CCLXXV.

Postquam Maceratense Appellationis Tribunal utrumque caput dotis, et exhibitionis, Franciscæ Capotosti Compagnoni debitæ, fœnore collocari mandavit, interpellatis antea, ac monitis cunctis Petri Pauli Compagnoni, Franciscæ viri, creditoribus, ac præsertim Antonio Bozzio, qui unus judicio stitit, et institutis ab eadem Francisca Capotosti restitit actionibus, hic statim executionibus subjecit quædam prædia ad communis debitoris patrimonium spectantia, quæ in agro Maceratæ posita, « *Poteaza et Cimarella* » vulgo nuncupantur. Hinc reditum fecit, seque denuo convertit ad Judices appellationis, providentiam aliquam postulans super fructibus recolligendis. Factum propterea est, ut electus fuerit quidam Telesphorus Branca, eique concredita prædiorum exequutioni subjectorum administratio, ut refert alia meo Decisio *super assecuratione dotis* in superioribus Comitiis evulgata. Ægre autem ferens Francisca hanc administratoris deputationem, eum provocaverit a cæteris omnibus Maceratensis Sententiæ partibus, tum provocavit quoque ab ea, quæ administratoris respicit electionem. Inter alias igitur Dubiorum formulas, ea etiam oportuit disputari, quæ quærit « *An sit locus remotioni administratoris in casu etc.* », quam dirimendam Patres bodie mane a me rogati *Negative* responso censuerunt.

Nulla siquidem suberat ratio, cur 1
vel in *genere*, quilibet administrator, vel ipse *in specie* Telesphorus Branca a communis debitoris patrimonii gestione removendus sit. In primis enim animadversione dignum erat bonis executioni suppositis, ipsos etiam fructus in ea comprehendi, veluti disertis cautum est verbis in nuperrimo Motu-Proprio Sacratissimi, quo sospite letamur, Principis Leonis XII, ubi articulo 747 sancitum legitur, quod « *L'esecuzione sugli stabili comprende tutte le cose inerenti al fondo, ed anche i frutti pendenti* » Neque id merito constitutum existimari debet: *fructus quippe pendentes pars fundi*

esse videntur « ut inquit Cajus in Lege fructus 45 *ff de rei vindicat:* » At si fructus pendentes, et a solo non avulsi, executioni subjecti una cum prædio censentur, multo id magis censendum erit de fructibus futuris, qui a re pignori supposita in posterum recolligentur. Compertum namque, et exploratum in jure est, eos quoque fructus, qui a re pignorata postea nascuntur, eodem vinculo pignoris alligari, atque teneri *Leg. Paulus respondit* §. *Si mancipia ff de pignoribus Leg. Si convenerit* 18 § *si nuda ff de pignorat. act. Voet. in pandect. lib.* 20 *tit.* 1 *n.* 3. Si itaque nedum prædia, sed eorum quoque fructus, tam pendentes, quam futuri judicialis mandati exequutioni subjiciuntur; æquum est, ut interea temporis ipsorum prædiorum administratio ab alio probo, honestoque homine retineatur, ne deterior fiat creditorum conditio.

2 E converso autem, si electus removeretur administrator, nemine ei suffecto, in integra patrimonii Petri Pauli administratione versaretur uxor ejus Francisca, vel ipse Petrus Paulus qui sane, veluti antea factum ab eo fuisse experientia docuit, prædiorum fructus disperderet, vel in usus suos converteret, cum maximo creditorum detrimento. Interest ideirco ipsos prædiorum fructus diligenter asservari, ut eo facilius satisfactionem Petri Pauli creditores assequantur. Nam non leve periculum, ac dilapidationis bonorum prudens suspicio satis est ad indicendam sequestrationem, vel deputandum bonis ipsis administratorem *Leg. Imperatores* 21 § *ibidem rescripserunt ff de appellat., et relat. Leg. si fidejussor.* 7 §. *Si satisdatum ff qui satisd. cogan. Leg. ab exequutione* 5 *Cod. quando appellat. non recip. Gratian. discept. forenc. Cap.* 114 *num.* 1 *et* 2 *Sabell. Summ. divers. Verbis: Sequestrum n.* 3, *et Rot. in Recent. Decis.* 277 *n.* 12 *part.* 10. Quæ cum ita se habeant abs re visum est, et a præsenti extraneum disputatione, quod ex parte defensorum Franciscæ reponebatur ex prædio nimirum in regione *S. Claudi*, quod unum possidet Francisca, anniversarios tantum redire nummos argenteos, *centum septnaginta septem*, qui ne dotis quidem æquant interusuria. Quamvis verum enim hoc ex pecuniæ raritate, ac frugum aliarumque rerum venalium copia esse possit, nullum tamen justum præbet argumentum, nullamque suppeditat legitimam administratoris removendi causam. Nil aliud hoc efficere potest, nisi ut quantitas aliqua menstrua ab eodem administratore præstanda mulieri sit, quæ juncta reditibus prædii S. Claudi *scuta quatuorcentum quinquaginta*, quæ ei quotannis debentur, attingat.

Cum tamen hæc quæstio sub præsenti, quæ administratoris remotionem tantum respicit, Dubii formula non contineatur, nihil potuit quoad hanc præstationem Sacer Ordo decernere, quæ ceteroquin duratura esset, usque dum publicatis, distractisque debitoris bonis, consultum pro indemnitate dotis, et exibitionis mulieri sit. Si ergo cupit Francisca præstationes sibi debitas exigere, aptiori Dubii formula eas urgeat, et S. Auditorii æquitatem imploret. Interea tamen nihil agere, nihilque moliri valet in rebus alienis in bonis nemque Petri Pauli, quæ ad illius spectant creditores. Nec utilius objiciebatur Telesphorum Branca esse ab administrationis exercitio destituendum, quia bonis non consulit, æs alienum non solvit, rationem denique non reddit. Nullum quippe, ne vel leve quidem, de his omnibus criminationibus ei impictis monumentum afferebatur. Non enim dies unquam illi dicta fuit, ut rationes reddat: non item in administratione prædiorum male versari constat. Quando hæc omnia costabunt novus sane eligendus erit administrator usque ad exitum litis Nunc vero sine causa, sine jure inferenda ei non videtur injuria, nec quidquam ejus nomini, et bonæ fidei existimationi detrahendum: quoniam, ut in proverbio est, *melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*. 3

Et ita etc. Utraque etc.

MACERATEN ASSECURATIONIS DOTIS ET EXHIBITIONIS SUPER EXPENSIS

Veneris 27 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *In judicio dotis, tam judiciales, quam extrajudiciales sumptus sunt a victo refundendi.*
Damnatio ad expensas, quamvis generica, semper intelligitur ad tramites juris - ibidem.-
2. *Expensarum aestimatio, ac refectio fieri debet inter litigantes, pro rata victoriae.*

DECISIO CCLXXVI.

In postremo capite Sententiæ a Tribunali Appellationis Maceratæ latæ revocarunt judices illi eam quoque prioris Sententiæ partem, quæ ad omnes et singulas expensas Franciscæ Capotosti reficiendas Antonium Bozzium damnaverat, eumque ad refundendum dumtaxat illarum dimidium teneri declarantur. Provocatione deinde ab hoc secundo judicio interjecta, ac deducta ad Sacrum Nostrum Ordinem controversarium omnium definitione, cæteris quaestionibus super indemnitate dotis, ut exhibitionis eidem Franciscæ debitae, ac super remotione administratoris a Judicibus Appellationis electi super patrimonio debitoris, de quibus agunt binæ meæ Decisiones in præteritis Comitiis editæ, et alia mea pariter hujusce diei Decisio, accessit etiam contentio de sumptibus litis. Ut ea simul cum cæteris dirimentur, proposui Patribus Meis quartam Dubii formulam his verbis conceptam = *An et quomodo sit locus refectioni expensarum in casu etc.* = cui responsum est = *Affirmative, et esse locum refectioni expensarum etiam extrajudicialium, et quoad exhibitionem pro rata victoriæ.*

1 Discrimen recte factum est inter judicium super indemnitate dotis, atque aliud super exhibitionis. Cum enim quoad dotem omnino vicerit Francisca, et liberam obtinuerit ejus administrationem, remotis prorsus Petri Pauli creditoribus, ac omnino excluso ipsorum consensus intervento pro pecunia fænore collocanda, hinc qualitas, et natura privilegiarii hujusce judicii nequirit, ut omnes, et singulæ victrici fæminæ reficiantur expensæ, ne dotalis substantia, qua mulier se ipsam, prolem, ac virum alere debet, adversus legum censuram decrescat quæ imo dotes integras, incolumesque servari voluerunt. Sæpe ideo decisum est in judicio dotis omnes ad ultimum usque quadrantem, tam judiciales, quam extrajudiciales sumptus a victo refundendos esse. *Fabr. in Cod. lib.* 5 *tit.* 7 *de jur. dot. defiait.* 3, *Boss. de Dote cap.* 19 *num.* 13 *Constantin. ad Statut. Urb. adnot.* 31 *num.* 47 *Rota in Romana Dotis super fructicus quoad liquidationem* 16 *Februarii* 1753 § 5 *coram Matthejo, in Sutrina Cauthelæ Angeli* 16 *Maii* 1790 § 3 *coram Emo Cesarei, et in Camerinen. Dotis super expensis* 2 *Maii* 1794 § 5 *et* 6 *coram cl. me. Consalvi.* Ineptum autem erat excipere extrajudiciales expensas reficiendas non esse quia deest earum petitio. Hæc siquidem exceptio, tum *facto*, tum *juri* adversatur. Facto primum, quia ex libello, quo usa fuit Francisca coram Judicibus Primarum actionum, aperte patet, refectionem expensarum omnium eam postulasse adversus quemlibet ex viri sui creditoribus, qui petitæ ob vergentiam mariti ad inopiam dotis restitutioni sese objecisset. Juri rursus, quia plures Sacer Ordo definivit, extrajudiciales sumptus aut ex jure debitos, aut ex stipulatu, silente quoque Sententia, in taxatione comprehendi debere, cum receptissimum sit, damnationem ad expensas, quamvis genericam, intelligi nihilominus ad tramites juris. *Rota in Firmana Evictionis super Damnis* 28 *Junii* 1754 § 8 *coram Stadion, in Romana Liberationis a Molestiis super expensis* 10 *Decembris* 1783 § 5 *coram Origo, et in Romana Taxationis expensarum* 5 *Februarii* 1819 *coram Emo Bussio.*

Atqui de jure ex demonstratis est, 2
ut in judicio dotis omnes absque ullo

discrimine reficiantur litis expensæ. Ergo ad judicium *Assecurationis*, quod pertinet ad omnes sumptus tam judiciales, quam extrajudiciales refundendos Bozzium teneri in vado est. Diversa vero proferenda sententia erat quoad judicium aliud super *Exhibitione*. Non enim liberam, ut ipsa petebat, administrationem obtinuit Francisca scutorum *quinque millium*, quot pro paranda ei, viro, ac filiis exhibitione constituta fuere; sed jussum imo fuit, ut fœnore collocentur, interpellatis, ac monitis Petri Pauli creditoribus, ut, si quid datum eis erit ab eo capite elicore, quod annuam exhibitionis summam excedat, sibimetipsis pro suis creditis addicant. At quantum certum est, quod ubi par sit utrinque victoria, locus sibi non vindicat sumptuum æstimatio, qui mutuo inter litigantes compensatur ad tradita per *Thesaur. Dec.* 271 *num.* 3 *Rota Dec.* 133 *num.* 4 *coram Emerix Jun.*, *Dec.* 2022 *num.* 1 *cor. Coccino*, *et Dec.* 308 *num.* 1 *coram Molines*; tantum pariter, frequens, et recepta est in foro expensarum æstimatio earumque inter litigantes divisio pro rata victoriæ, si æqua inter eos non fuerit ipsa victoria. *Scacc. de senten. et Rejud. gloss.* 14 *quæst.* 17 *num.* 19 *Ridolphin. in prax.* § 32 *cap.* 2 *ampliat.* 21 *n.* 1 *et cap.* 5 *num.* 1, *Rota Decis.* 2126 *n.* 3 *coram Lancetta*, *et Dec.* 177 *num.* 1 *coram Olivatio*. Cum igitur non æqua fuerit inter litigantes quoad exhibitionis judicium victoria, recte ideo demandatum est, ut sumptus utrinque pro rata victoriæ reficiantur.

Et ita etc. Utraque etc.

MACERATEN

SUPER

ASSECURATIONE EXHIBITIONIS

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Congrua exhibitio mulieri praestanda, metiri debet ex pacto consento.*
2. *Lapsis viri facultatibus, uxor urgere potest adversus mariti creditores, nedum pro dote, sed etiam ob donationem propter nuptias.*
3. *Uxori haud licet faenori collocare dotem arbitrio suo, non exquesito consensu mariti creditorum.*
4. *Quidquid deductis fructibus dotis, deductoque exhibitionis pretio, superest in patrimonio debitoris decocti, ad ejus spectat creditores.*

DECISIO CCLXXVII.

Provocatione interposita adversus Sententiam, ab abrogatis Judicibus de Appellationibus jus Maceratæ dicentibus latam, præter controversiam principem super *Assecuratione* dotis, de qua coæva agit mea Decisio, ubi rerum gestarum series latius enarratur, accessit et alia contentio, quoad exhibitionem, quæ pariter conventa fuit in nuptialibus Tabulis anno 1805 inter Franciscam Capotosti, ejusque Patrem Octavium, ac Comitem Petrum Paulum Compagnoni celebratis. Revocavit pro hac in parte Maceratense Appellationis Tribunal Primæ Jurisdictionis Judicum Sententiam, ac exhibitionis caput constituens in nummis argenteis *quinque millibus*, hanc summam foenori collocari mandavit, interpellatu, ac monito Antonio Bozzio Petri Pauli creditore, ejusque exquisito consensu, ut scilicet, si quid ultra quincuncem usuram datum esset exigere, ipse in satisfactionis proprii crediti partem sibi addiceret Bozzius. Nec secus hodie Sacro Nostro Ordini visum est. Cum enim definiendam Patribus meis *de Turno* proposuerim Dubii formulam, his verbis conceptam = *An, et pro qua summa constet de credito exhibitionum, ita ut sit Locus assecurationi; et quomodo in casu etc.* = incunctanter responsum est = *affirmative, et constare de credito in summa scutorum* 5000, *et esse relaxandum mandatum contra bona viri ad effectum deponendi, et investiendi de consensu creditorum, imputatis fructibus dotis.*

In hac quoque secundaria quæstione conveniebat Bozzius, ac Franciscæ libenter assensiebatur, ut congruam aliquam haberet summam, ad exhibitionem sibi, viro, filiisque parandam. Inu- 1

tile binc esset longius edisserere super hoc credito in genere. Tota ergo quæstio revocabatur ad quantitatem, et modum summam illam in tuto collocandi, et ad annuas usuras, quæ exigi ab ea possunt. Verum ad quantitatem quod pertinet, omnem submovent dubitationem nuptiales Tabulæ, in quibus, dis soluto per obitum viri matrimonio, si Francisca voluisset a Filiis decedere, et separatam agere vitam, cautum fuit, ut domicilii, et habitationis usum in communibus Familiæ ædibus haberet, præter annuam scutorum *quatuorcentum* præstationem, a quibus expungi dumtaxat interusuria dotalia deberent: = *Qualora poi* (ita scriptum legitur cap. 10 dotalis Instrumenti) *nel detto caso di vedovanza, conservando sempre lo stato Vedovile, non piacesse alla medesima Signora Francesca di convivere, debbano i detti eredi passare ad essa l'uso della solita abitazione, e scudi quattrocento annui, in denaro, compresi i frutti dotali* = Hæc tamen præstatio minui ex pacto conventi, si consilium vidua cœpisset dotem, ejusque augmentum ab hæreditate viri sui condicendi = *Qualora poi piacesse* (ita denuo in dict. Cap. 10 tabulæ nuptiales) *alla detta Signora Francesca di ricuperare la dote, e l'aumento di dote, da conseguirsi, come sopra dopo la morte della Signora Madre, dovranno in tal caso gli eredi del Marito passargli, oltre l'abitazione, ed acconcio soli scudi duecento annui in denaro* =. Sive ergo, viro defuncto, dotem, ac dotis augmentum condicere Franciscæ placuisset, sive hoc jure uti noluisset, a nuptialibus constat tabulis, præter abitationis usum, solvenda ei quotannis esse scuta *quatuorcentum*, expunctis fructibus dotis.

2 Tribuendum itaque erat Franciscæ mandatum scutorum *quinque millium* adversus viri bona, ut ex eis, adjectis summæ scutorum *quatuormillium* pro ejus dote investiendi, de qua agit contemporanea Decisio, annuum obtineat reditum, et emolumentum scutorum *quatuorcentum quinquaginta*; quorum *quatuorcentum* ei inserviant ad parandam sibi, viro, ac filiis exhibitionem, cætera vero ad conducendas ædes, ubi degere cum ipso viro, et prole possit. Receptissimum quippe in jure est lapsis viri facultatibus, impune posse uxorem ab illius patrimonio, ac adversus ejus creditores, nedum dotem urgere, sed donationem quoque propter nuptias, et quidquid aliud ex nuptialibus tabulis, ac ex legitima viri obligatione oritur. *Boss. de dote Cap.* 18 *num.* 3 *et seq. Donat. lib.* 1 *tit.* 9 *sect.* 5 *num.* 3, *Rota in Romana assecurationis Dotis* 16 *Junii* 1817 § 3 *cor. Emo Serlupi*, *et in Narnien. Pecuniaria super exhibitione* 16 *Februarii* 1821 § 3 *cor. bon. mem. Zinanni*: Æque autem certum erat pro hac summa scutorum *quinque millium*, cæteris Petri Pauli creditoribus Franciscam esse præferendam. Multa hoc loco disputabantur a defensoribus Franciscæ, qui in Divi Ivonis Collegii patrocinio sese recepit, ut ostenderent legali hypotheca mulierem pollere, non modo pro dote, sed etiam pro donatione propter nuptias, et pro quocumque alio titulo, qui ex legitima viri obligatione descendat. Hæc tamen omnia, quæ juxta Justinianeas leges vim suam retroactis temporibus exerebant, et de quibus late post *text.* in leg. *Si constante ff. solut, matrim. Leg. in rebus dotalibus Cod. de jur. dot. Leg. assiduis Cod. qui potior. in pign. habean. loquuntur Acost. de privileg. credit. regul.* 3 *ampl.* 7 *num.* 10 *Surd. de alimen. num.* 1 *tit.* 8 *privileg.* 49 *Merlin. de pignor.*, *et hypothec. lib.* 3 *tit.* 1 *quæst.* 1 *Gratian. discept. for. cap.* 634 *num.* 3, abs re sunt in præsens, postquam scilicet nuperrimæ Pontificiæ leges hujusmodi mulierum privilegia, non aliter servari, et potiora cæteris creditoribus haberi voluerunt, quam si fuerint legitimo tempore in publicos hypothecarum Codices inscripta.

At quamvis sero hypothecam suam 3
quoad exhibitionem inscripserit Francisca, inscripsit tamen anno 1822 die *vigesima sexta* Augusti, antequam huic solemnitati, optime a Legibus invectæ, Bozzius faceret satis, qui creditum suum ad diem *vigesimam secundam* Decembria ejusdem anni, *quatuor* nempe post men-

ses ab inscriptione Franciscæ in hypothecarias Tabulas deduxit. Ambigendum ergo non est, quin Bozzio præponenda sit Francisca, eaque jus babeat tot decocti viri bona hastæ publicæ subjicere, quot scutorum *quinque millium* æstimationi respondeant. Quoniam vero bic non agitur de dote, cujus libera administratio, viro ad inopiam vergente, mulieri ex jure conceditur, audienda ideo non erat Francisca, dum foenori collocari arbitrio suo hanc summam postulabat, haud interpellato, et monito Bozzio Petri Pauli creditore, ejusque consensu non exquisito. Cum enim quoad hoc exhibitionis creditum habenda sit Francisca, tamquam alia creditrix Petri Pauli, et caput scutorum *quinque millium* apud debitoris patrimonium maneat semper in proprietate; licitum proptcrea ei non est quidquam lucrari cum aliena jactura, et aliorum creditorum præjudicio, ac ultra annuam exhibitionis quantitatem in nuptiali Instrumento conventam; idque certius retinendum est, quia aptari huic exhibitionis credito non potest Innocentiana Constitutio, quae percellit tantum dotem, et ejus interusuria. Si fas proinde esset Franciscae caput scutorum *quinque millium* marte suo, proprioque arbitrio foenori collocari, et non quincuncem, sed bessem, et plus etiam usuram ab eo percipere, id omne, quod *quincuncem* mensuram excedit, cum aliena jactura contra legum censuram ipsa lucraretur, et contra nuptiales Tabulas, ubi nil aliud exhibitionis nomine, praeter habitationis usum, quotannis uxori rependi conventum fuit, nisi *scuta quatuorcentum*.

4 Caeterum, mortua Francisca, causa præstationem cessat, et fructus scutorum *quinque millium* ad communis debitoris Patrimonium redeunt, ad quod deinde spectabunt, ut modo spectat eorum caput. Dos quidem pertinet, tum in proprietate, tum in fructu, ad Franciscam, ideoque recte definitum est in alia hujusce diei Decisioni libere eam posse administrare, et de ea ad libitum disponere. Non idem autem affirmari potest de fundis exhibitionis, qui cum ad Creditores Petri Pauli, ejusque patrimonium pertineant, ideo si datum erit Bozzio ex consuetudine loci, et Judice probante, majores usuras. pacisci prætor *quincunces* obsistere fæmina potis non est, dummodo in forma juris valida sese obstringat Bozzius ipsi foeminæ, ejusque vita naturali durante annua scuta *biscentum quinquaginta* rependere, quot punctim, imputatis fructibus dotis, et comprehensa pensione domus, depactæ respondent exhibitioni. Quidquid enim, deductis fructibus dotis, deductoque exhibitionis prætio, superest in patrimonio decocti debitoris, ad ejus spectat creditores. *Card. de Luca de dote disc.* 48 *num.* 2, *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 2 *tit.* 50 *n.* 9 *Grotian. discept. foren. cap.* 837 *n.* 24 *Rot. in Recen. decis.* 613 *n.* 3 *part.* 3, *et decis* 791 *num.* 5 *cor. Emerix* Merito demum existimarunt Domini in exhibitionem imputandos esse dotis fructus, tum quia secus illud semper rediret fæminam cum aliena jactura locupletari; tum quia præterea nuptialibus Tabulis adjecta legitur pactio « *Che qualora piacesse alla Signora Francesca di ricuperare la dote, e l'aumento di dote, da conseguirsi, come sopra dopo la morte della Signora Madre, dovranno in tal caso gli eredi del Marito passargli, oltre l'abitazione, ed acconcio, soli scudi duecento annui in denaro.* Nihil autem magis fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerunt religiose servari.

Et ita etc. utraque etc.

RECINATEN DELETIONIS

INSCRIPTIONIS HYPOTHECARIAE

Mercurii 6. *Decembris* 1826.

ARGUMENTUM

Ex jure Pontificio, non licet inscribere hypothecam judicialem, nisi in vim sententiae, quae condemnationem secumferat ad summam certam, vel saltem incertam quoad quantitatem, et non quoad existentiam. Sententia quae imperat ratio-

num redditionem, nullum jus tribuit ad hypothecam inscribendam.

SUMMARIUM

1. *Absque hypotheca, quae vel ab homine, vel a lege data fuerit. inscriptio nulla est.*
   Sententia, quae imperat rationum redditionem, quia non praesefert condemnationem ab summam certam, vel saltem incertam, non tribuit jus ad hypothecam - ibi -
2. *Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.*
3. *Ante redditas rationes, nemo neque debitor, neque creditor renunciari potest.*
4. *Terminus ad reddendas rationes, nullam exhibet condemnationem.*
5. *Quod sub certa conditionis eventu permittitur, conditione deficiente, negatum censetur.*
6. *Lex sinit posse inscribere hypothecam pro summa incerta quoad quantitatem dumtaxat, non quoad existentiam.*
   Cum legis litera per se clara sit, non est ad praesumptiones confugiendum - ibi -
7. *In solis hypothecis conventionalibus et legalibus licet inscribere hypothecam pro debito eventuali, et mere possibili.*
8. *Juxta gallicum Codicem tantum, licebat hypothecam judicialem inscribere pro summa incerta* - Et num. 9
10. *Judicis in facultate non est clarae legi contraire, sive bona sit, sive mala.*

DECISIO CCLXXVIII.

Familiarem substantiam, et bona omnia Marchionissæ Mathildis Cavalli Puliti Recinatensis, quæ per plures annos procuraverat, uti dispensator, Franciscum Carancinius, administranda deinde suscepit post Francisci obitum ejus filius atque hæres Cæsar. Seb subortis inter Matronam illam, ac Cæsarem simultatibus, jus suum pro expunctione rationum experiri adversus administrum cœpit Mathildes diem ei dicens curam abrogatis Judicibus Primæ Jurisdictionis Maceratæ, a quibus damnatus fuit Carancinius ad exhibendas tum propriæ, cui annuebat, tum paternæ, cui tantum adversabatur, gestionis rationes, præfinito ei ad id implendum termino sexaginta dierum, quo perperam emenso, locum esse solutioni mulctæ quam pragmatici *gravatoriam* dicunt, in scutis tribus in dies singulos, Judices illi censuerunt, usque dum paritum Sententiæ esset. Hanc Sententiam amplexus quoque fuit Sacer Ordo, ad quem Carancinius provocaverat, edita a me in Comitiis dici *septimae* Aprilis superioris anni Decisione, cui titulus *Recinaten. Redd'tionis Rationis*; Vix autem prodiit Sententia Maceratensis, cum intempestive forte reputaverit Marchionissa Mathildes, rationum deducendarum nomine argenteos nummos circiter *termille* sibi a Carancinio, deberi, ad hanc summam in tuto collocandi, contra universos ejus fundos prætorium pignus in publico tabulario adnotavit, quod vix rescivit Carancinius illico deletionem inscriptionis hypothecariæ postulavit ab ipsis Judicibus, qui jus de reddendis rationibus dixerant.

Hi vero deletionem inscriptionis denegarunt evulgata sententia, quam duplex Sacri Ordinis Decisio, prior diei *quartae* Julii anni piacularis, altera diei *septimae* Aprilis anni mox elapsi sub eodem titulo *Recineten. Deletionis Inscriptionis Hypothecariae* coram Rmo P. D. meo Isoard Decano infirmavit. Hæc quæstione absoluta, nova ferbuit adversus Carancinium contentio a Nobili viro Comite Josepho Politi, Marchionissæ Mathildis fratris filio, nuper excitata. Conduxerat hic die prima Januarii anni 1812 bona quædam ad Proregem tunc temporis Italiæ pertinentia, quorum administrationi præfecit, et socium sibi adscivit eumdem Franciscum Carancinium, rei conventi patrem. Fatu cum hic postea cessisset, satius censuit Comes Josephus indemnitati suæ coosulere, ac defuncti filium apud ipsus Judices Maceratæ traducere, ut præstitueretur ei terminus ad exhibendas gestæ a patre administrationis ratione, quo inutiliter elapso, petiit, ut calculator aliquis eligeretur, qui creditum actoris ad liquidum perduceret, pro quo etiam exequutivum mandatum imploravit. Annuit huic petitioni Tribunal Maceratæ, ea pronunciata Sententia, in qua, nisi intra certum tempus a Carancinio rationes expungerentur, potestatem id conficiendi

fecit Comiti Josepho, ipsumque Carancinium damnavit ad dimidium illius summæ solvendum, quæ ex subducendis calculis scatere potuisset. Post hanc sententiam, exemplum amitæ et ipse imitatus fuit Comes Joseph, qui in hypothecariis codicibus inscriptionem pro scutis termillibus adversus Carancinii bona suscepit. Ut autem hoc onus, et vinculum a rebus suis averteret Carancinius, in nova Tribunalium reformatione Prætorem Maceratæ adivit, qui inscriptionem deleri jussit. Nec secus, appellationi ab actore interjecta, duxit Sacer Noster Ordo qui proponenti mihi rogationem, ita conceptam « *An sit locus deletioni inscriptionis hypothecariæ in casu etc.* » post suffragia ad *quintum*, *et sextum* ampliata respondit « *Affirmative* ».

1 Cuncta illa argumenta, quæ in elucubratissima utraque Rmi P. D. Mei Decani Decisione afferuntur ut demonstretur deleri hypothecariam inscriptionem oportere quam Marchionissa Mathildes adversus Carancinii bona publicis in tabulis inscripserat, optime in eamdem rem hodie conspirant, ut nulla, atque irrita ideoque delenda retineatur inscriptio hypothecaria a Comite Josepho adversus ipsum Carancinium suscepta. Et primo sane absque hypotheca, quæ vel ab homine contracta, vel a lege data fuerit inscriptio nulla est, tamquam de re non existente. Hypothecam judiciariam se acquisivisse clamabat Comes Joseph in bonis omnibus Carancini ex lata ab abrogatis Judicibus Primarum actionum Maceratæ Sententia, quæ huic terminum assignavit ad reddendas rationes initæ societatis. At hoc idem erat ac ostendere, se nescire legem, aut illius censuram non intelligere. Jam vero neotericæ Pontificiæ leges super hypothecas, cum judiciariam hypothecam ex sententiis oriri decernant, tum non ex qualibet Sententia gigni sinunt hypothecam, sed ex ea tantum, quæ reum damnat ad Summæ alicujus *certæ*, vel *incertæ* solutionem. Cum igitur Sententia, quæ coactus fuit Carancinius ad exhibendas rationes sociales nullam contineat condemnationem ad summam aliquam vel certam, vel incertam repræsentandam; prono hinc veluti alveo profluit, nullum parere potuisse adversus eum hypothecam.

Nitida est ex toto *Art.* 24 contextu Lex ipsa, quæ postquam in rubrica dixerat « *come si acquisti l'ipoteca giudiziaria* », dein ita textum expressit « *Le Sentenze contradittorie o contumaciali definitive, o provisorie, che portano condanna a somma certa, o incerta forniscono il titolo per stabilire l'ipoteca giudiziaria, e danno dritto a prendere l'iscrizione su i fondi del soccombente tanto presenti, che futuri salve le riduzioni di cui si parlerà in appresso, e salva sempre la regola, che tale iscrizione non pregiudichi a quelle spese precedentemente* » Quemadmodum autem nemo dixerit Sententias illas, quæ de servitute, dicis causa, de statu hominum, de jure honorifico agunt, ad summam aliquam *certam* aut *incertam* solvendam damnare; ita quo idem dicendum de Sententia est, quæ decernit ab administratore, dispensatore, et alio quolibet negociorum gestore reddi rationes, quæque jubet dumtaxat, ut aliquid fiat, idest ad *factum* simpliciter condemnat. Reponebatur quidem, sententiam illam quæ terminum præfixit ad reddendas rationes, ita intelligendam esse, ut condemnet quoque reum ad solutionem summæ, cujus in dispunctione debitor extiterit. Hæc tamen objectio facile refellitur ex satis vulgato axiomate « *Non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse* » de quo loquitur *Glossa in leg. Non hoc* 4 *verb. Quærendum Cod. Unde legit.*; *et unde cognat.* Cum enim ex redditione rationis apparere possit, creditorem eum esse, qui uti debitor lacessitur, necessario consequitur, Sententiam super reddendis rationibus pronunciatam ne continere quidem condemnationem ad id solvendum, cujus debitor post dispunctionem quis apparuerit. 2

In omni propemodum juris pagina scriptum invenitur administratorem, sive alium quemcumque gestorem ante redditas rationes, neque debitorem, neque creditorem renunciari posse veluti 3

præ cæteris tradit *Rota coram Recen. decis.* 54 *num.* 1 *part.* 11 *coram Buratto decis.* 343 *num.* 2, *coram Falconerio decis.* 9 *num.* 4 *tit.* 4 *de Societate, et in Urbevetana Pecuniaria* 11 *Maii* 1781 *coram Litta* § 2. His addendam rationum judicia implexa ita, et difficilia esse ut Judicis officium sæpe reposcant qui videat, an bene nec ne reddita ratio sit. Neque illud insolitum est, ut æqua quandoque si inter litigantes conditio, nec dobitnm, nec creditum erumpat hinc inde, Multum itaque abest quod condemnatio ad reddendas rationes aliam qnoque secumferat condemnationem ad solvendam summam aliquam vel *certam* vel *incertam*. Recolantur Decisiones in re simillima evulgatæ a Reverendissimo P. D Meo Decano, quæ irritam pariter, nullamque declararunt hypothecam in publico tabulario a Marchionissa Cavallia, actoris amita, adversus ejusdem Carancinii bona adnotatam. Hoc siquidem efficiunt Decisiones ipsæ ut, donec peculiari judicio non revocentur, obiter, et perfunctorie retractandæ non sint, et pro veritate habeantur, *Rota decis.* 252 *num.* 11 *coram Molines, in Nullius Civitellæ Successionis* 11 *Junii* 1753 § 7 *cor. Amadeo, in Romana Dotis* 8 *Junii* 1759 § 5 *coram Paracciano, in Interamnen. Reductionis* 3 *Julii* 1801 § 14 *coram Emo Cesarei.* Idque certius retinendum, ne secua in una, eademque juris quæstione diversæ et inter se repugnantes oriantur Sententiæ quod absurdum maximopere vitandum est ex censura *leg.* 10, *Cod. de judiciis.*

4 Vim atque auctoritatem harum Decisionum ipsi videbant Comitis Josephi defensores, qui toti in eo erant, ut ostenderent, aliud jussum fecisse in Sententia a Marchionissa Cavallia pro redditione rationum obtenta, de qua agunt laudatæ Decisiones, aliud vero in Sententia altera, quam retulit Comes Josephus, et in cujus vim inscriptionem hypothecariam suscepit. Utique in priori Sententia condemnatus fuit Carancinius ad exhibendas intra certum tempus rationes; quo perperam elapso, decreta adversus eum fuit mulcta scutorum trium in dies singulas. Utique in posteriori Sententia, quæ nos exercet, terminus item Carancinio præstituitur ad reddendas rationes, quo inutiliter elapso, potestas actori facta est concinnandi computa, eaque dein exibendi Præsidi Tribunalis, unde opere absoluto, condemnari Carancinius posset ad dimidinm illius summæ, quod ex dispunctione pateret. Tota ergo differentia in eo versatur, quod in priori Sententia, post elapsum terminnm, indicta fuit Carancinio mulcta scutorum trium in singulos dies; in altera vero facultas Coniti Josepho tribuitnr expungendi rationes, easque Præsidi subjiciendi. Hinc discrimen in verbis dumtaxat, non in re consistit. Quæcumque enim sint verba utriusque Sententiæ, nil tamen aliud important, nisi terminum ad reddendas rationes, ideoque nullam exhibent condemnationem ad solutionem alicujus summæ *certæ* vel *incertæ*, quæ una parit hypothecam. Et re quidem vera, si post ratioues ab ipso actore expunctas, res erat Præsidis judicio deferenda ut dimidium summæ constitueret, ad quam solvendam damnandus Carancinins erat, plusquam feudo exprimi valeat, plane cognoscitur, quod, si expectanda condemnatio erat, ea sane non existebat dum suscepta inscriptio est.

Sententia præterea, quam Comes Joseph obtinuit duas continebat partes, in quarnm prima ad reddendas intra certum tempus rationes Carancinius adigebatur; in secunda vero, si exhibendis rationibus intra præstitutum tempus ipse restitisset, licentia facta est Comiti Josepho concinnandi computa, eaque Tribunalis Præsidi subjiciendi. Hæc autem posterior Sententiæ pars non aliter vires suas exercere debebat quam si recalcitraret Carancinius, et priori Sententiæ parti minime pareret. At paruit Sententiæ Carancinins, ac ad reddendas rationea pulsatus, subito assensus fuit: præfinito tempore rationes reddidit, creditor imo, quod plua est, ex eis apparet. Ergo non opus fuit Comiti Polito, ut computationes afferret a Judice probandas. Ergo deerat subjectum inscriptionis, non sine acerbitate, sumptæ adversus Carancinium, 5

etiamsi per hypothesim minus vera, dici vellet ex posteriori Sententiæ parte hypothecam judiciariam descendisse. Quod enim sub expressæ, ac certæ conditionis eventu promittitur, conditione deficiente, negatum, prohibitumque censetur, *Leg. Lucius Titius* 80 *ff de hæred. Instituen.*, *leg. legatis l.* § 1 *ff de condict. et demonstrat.*, *leg. si ob rem* 1 *et tot. tit. ff de condict. excus non sequut. Not. dec.* 896 *num.* 10 *cor. Ansaldo decis.* 244 *num.* 25 *cor. Olivatio, et in Balneoregien. Fideicommissis* 7 *Martii* 1796 § 3 *coram clar. mem. Card. Consalvi.*.

6 Longe autem a veritate devium erat, quod ab iis regerebatur, qui juria sustinebat Comitis Josephi, vocabulum illud = *summa incerta* = referri quoque posse ad summam quæ incerta sit quoad existentiam. Nam lex clare, a pertisque verbis loquitur de summa incerta dumtaxat quoad *quantitatem*, non vero quoad *existentiam*. Porro summa incerta quoad existentiam vere summa non est, et potest etiam ad nihilum redigi, Hinc lex eadem creditum incertum quoad existentiam, vel hypothecam, nuncupavit = *condizionale, eventuale indeterminata* = vel aperte distinxit creditum incertum quoad *existentiam* a credito incerto, ac indeterminato quoad summam, et *quantitatem*, dum primum Art. 20 vocavit = *credito condizionale in quanto alla sua esistenza* = aliqua vero dixit = *credito indeterminato in quanto al suo valore* = Numquam tamen adhibuit vocabula = *Summa certa, o incerta* = quæ simul juncta nil aliud exhibent nisi quantitatem, aut jam ad liquidum perductum, aut mox perducendum Cum nullo igitur indigeat interprete, et manifesta, ac clara per se sit litera legis, non est ad conjecturas. ac præsumptiones confugiendum, ac servanda ea est *ex leg. Prospexit* §. *Ipsa igitur ff. qui, et a quibus manum*, etiamsi acerba foret, quia rigor scriptus præferri debet æquitati non scriptæ. *Gloss in leg.* 1. *ff. de legib. et leg. Placuit. cod. de judiciis.* Coeterum provida et juxta lex ipsa est. Ferendum quippe non est ut nexum, et vinculum in re sua ille patiatur, qui nullo debito tenetur, nam ex eodem vinculo, aut non est amplius propriæ substantiæ moderator, et arbiter, aut saltem non ita utiliter distrahere potest rem suam, veluti distraheret, si nullum fundis vinculum inhereret.

Exempla post hæc afferre hypothecæ *conventionalis, et legalis*, quæ etiam pro debito possibili, et a futuro rerum eventu pendente constitui potest, idem erat ac extra chorum canere. Prospexit sane lex mulierum ac minorum indemnitati, voluitque ut bona tutorum, ac curatorum pignori a die tutelæ, curæque, suceptæ subijcerentur, quamvis post redditas rationes constare possit ad nihilum eos teneri. Sivit quoque lex ut per conventionem certa competeret hypotheca. At ex eo, quod hujusmodi in jure dentur hypothecæ, et lege, vel pacto pro possibili credito contrahantur, male inferebatur legislatoria mentem, atque consilium quoque fuisse, ut judiciales quæcumque Sententiæ, quamvis nullum condemnati debitum neque in genere, neque in specie præfiniant, gignendis hypothecis sufficerent. Obvia cuique est ratio discriminis. Nam in *convenzionali* hypotheca oportet servare, ac firmiter custodire pacta, sine quibus partes non contraxissent. Volenti siquidem, ac consentienti, ut non aliter, quam cum hypothecæ contrahatur, nulla fit injuria si hypothecæ nexu bona sua irretita sint. In *legali* autem hypotheca cavere de indemnitate eorum necesse est, qui, aut propter ætatem, aut propter imbecillitatem sexus, negociis suis præesse non possunt. At longe alia est, ratio dum de *judiciaria* agitur hypotheca. Si quis enim indemnitati suæ non consuluit dum de possibili credito contraxit, non aliis nisi sibi tenetur imputare sequutam quamcumque jacturam. Multum lex tribuit, multumque creditoribus prospexit, dum concedit hypothecam, postquam Judex rei conventi debitum agnoverit, ac probaverit saltem *in genere*. Iniquum e converso esset, ut hypothecæ vinculum injiceretur bonis illius, qui, etsi ad reddendas rationes damnatus, nondum tamen debitor

est, et creditur etiam pronunciari potest.

8 His animadversis, inutile visum est ad auctoritates Gallorum Jurisconsultorum, et ad sententias Tribunalium illius Regni confugere, ex quibus reputatum est ex demandata quoque in judicio redditionem rationum judiciariam hypothecam oriri. Inibi quippe agebatur de interpetratione Gallicanæ legis, in qua generatim demandatur sententias quaslibet, seu *definitivas seu provisorias*, gignendo judiciariæ hypothecæ parcs omnino esse = *L' ipotheca giudiziale* = (ita in Artic. 2123 Gallici Codicis scriptum erat) *deriva da Sentenze definitive, e provisorie, proferite tanto in contradittoria, che in contumacia a favore di chi le ha attenute: Deriva parimenti dalle ricognizioni, o verificazioni in giudizio delle sottoscrizioni apposte ad un' atto di obligo esteso in Scrittura privata* = Non mirum itaque, si dixerint ob Legis amplitudinem Gallici Jurisconsulti, et Tribunalia Gallorum, illas quoque sententias, quæ rationes reddi jubent, jus judiciariæ hypothecæ tribuere. Secus se res habet sub nostris institutis, ex quibus, non omnes sententias hypothecam parere volitum, sed eas tantum, quæ condemnationem secum ferant ad summam *certam, vel incertam* solvendam. Correxit ideo legislator nosterGallorum legem, quæ sane, cum nimium lato pateret, exorbitans quandoque evadebat: quod, et ipsi cognoverunt dum quid quam de latitudine citati Artic. 2123 detraxerunt.

9 Nam, cum indistinctæ judiciariam hypothecam adscriberet = *alle ricognizioni o verificazioni fatte in giudizio delle sottoscrizioni apposte ad un' Atto di obligo esteso in Scrittura privata*, = peculiari deinde lege, Anno 1807 lata cautum, quod = *ogni qualvolta sarà emanata una sentenza dietro ad una istanza di ricognizione di obbligo con firma privata fatta prima della scadenza, e della esigibilità del detto obbligo, non potrà essere presa alcuna iscrizione in vigore di essa Sentenza*, = veluti fusius arguit Rota *in Romana inscriptionis hypothecariæ quoad remjudicatam A. C. Mastai* 16 *Februarii* 1824 §. 4 *coram Rmo P. D. Meo Tiberl. Athenarum Archiepiscopo*. Hoc ipsum Gallicæ legis vitium novit S. M. Pontifex Pius VII. dum Edictali lege super hypothecis edita, ac ab initio = *riformando ampliando i precedenti regolamenti e sostituendone altri, che l' esperienza, i lumi acquistati in progresso e le cangiate circostanze hanno dimostrato più utile, e confaciente alla possibile perfezione dell'opera* = deinde sancivit, ut judiciaria hipotheca ab iis Sententiis = *che portavano condanna a somma certa* o *incerta* = tantum oriretur. Hoc siquidem modo cohibere valuit legislator immoderatam eorum licentiam, qui judiciariis hypothecis universos plane fundos debitoris devincire poterant, antequam creditores revera extent. Nec absimili ratione hypothecaria nostra lex injuste vagaretur si quicumque passus est condemnationem *ad factum*, seu ad reddendas rationes, quæ nihilum sæpe resolvitur, ferro quoque cogeretur super bonis suis hypothecariam inscriptionem naturali contrahendi libertati contrariam. Consulantur Decisiones in alia simili quæstione a R. P. D. Meo Decano summo ingenio, et doctrina exaratæ.

Quo cum res pervenerit, oratores Comitis Josephi dolebant jus Gallicum corrumpi, si intelligenda sit prout jacet Pontificia Sanctio super hypothecis, cui vitam, et formam illud dedisse autumabant. Sed istæ lamentationes nugas redolebant, et ineptias. Quoties Legislatori placuit, uno modo, quam alio disponere, judicis in facultate non est claræ legi contraire, sive bona sit, sive mala. Non corruptam vero, sed in melius fuisse conversam Gallicam Legem a posterioribus Pontificiis Institutis, ex eo patet, quod injustum, et juri repugnans merito visum est, ut quæcumque Sententiæ hypotecam gignerent, quæ sæpe neminem debitorem renunciant, cum hypatheca consistere absque debito nequeat, cui *accessoria* omnino est; hinc absurdum esset ut jus hypothecæ descendat a Sententia nisi debitorem aliquam faciat. Neque enim pro *asse-* 10

curazione judicii hypothecaria inscriptio procuranda præsumpto creditori est. Non licet cautiones novas, atque in jure incognitas sibi fingere, et proprio marte ab aliis exigere. Certis imo ac determinatis formis, ne judicium reddatur inutile, in jure cavetur: at semper Prætoris auctoritas imploranda est, nec sibimetipsi jus dicere alicui conceditur. Cæterum nuperrimæ Pontificiæ Sanctioness de hypothecis inscribendis respondent Legibus nostris de hypothecis in Archivium referendis. nec ab exoticis Gallicis Legibus promanant quæ in præsenti quæstione perperam in præsidium vocabantur.

Et ita Utraque parte contradicente dirempta fuit controversia suffragiis *ad Quintum et Sextum* ampliatis.

RECINETEN REDDITIONIS RATIONIS

Veneris 7 *Aprilis* 1826.

ARGUMENTUM

Quilibet administrator, aut ab homine, aut a Judice, aut a lege constitutus tenetur administrationis gestae rationes reddere, sive de mandato, sive de tutela, sive de negotiis gestis agatur – Et si hoc onus non fuit a defuncto expletum, ad ejus transit haeredes.

SUMMARIUM

1. *Ex novissimis hypothecarum legibus, nequit inscribi hypothecn, nisi in vim Sententine* – che porti condanna n somma certa, o incerta. –
2. *Positiones, juramento firmatas, contra ponentem plenissime probant.*
   Quilibet gestae administrationis rationes reddere debet, sive de mandato, sive de tutela, sive de negotiis gestis agatur – ibidem. –
   Onus reddendi rationes, transit ad haeredes – ibidem. –
3. *Filius haeres patris praesumitur, nisi ipse abstentionem demonstret.*
4. *Liberatio ab edendis rationibus, id tantum praestat, ut minus rigide cum tutore, vel administratore agi debeat.*
   Pactum de non petendo, personas non egreditur in eo contemplatas – ibidem. –
5. *Quaevis quietantia, liberatio, et a rationibus reddendis absolutio, a muliere emissa, est nulla absque solemniis.*
6. *Si probatio fuit emissa – salvo errore – toties renovari debet redditio rationum, quoties constat errores irrepsisse in rationibus jam redditis.*
   Ut rite reddita ratio censeatur, oportet singula monumenta proferre, Codices, kalendaria ostendere – ibidem. –
7. *Qui fide bona alterius negocia curavit, non detrectat redditionem rationum.*

DECISIO CCLXXIX.

Matrona illustris, Marchionissa Mathildes Cavalli Politi, cum vidua moraretur Recineti, procul a propinquis et suis, Ravennae degentibus, satius censuit anno 1805 universam substantiam procurandam committere Francisco Carancinio Recinetensi. Non raro tamen usuvenit, ut aliena negocia gerentes, vel ex oscitantia, vel fide bona, et honestate posthabita, male versare in concredita rerum administratione incipiant, et administratam ipsam substantiam, quandoque etiam in usus suos convertant. Ita quidem Carancinio, qui probus cæteroquin, et prudens initio videbatur, facile fuit, locupletem ex suscepta gestione fieri, ac fæminam ætate gravem, et negociorum inexpertam, decipere, eique suadere ex infortuniis, oneribus publicis, aliisque causis vix id superesse de annuis reditibus, prædiorumque fructibus, quod ad vitam parcissime agendam satis esset. Timens autem, ne molestiæ sibi in posterum ob eamdem administrationem inferrentur, non proprio, sed Cæsaris filii sui nomine, bona cum mulieris pecunia comparabat, adeoque apud eam ingenio, atque astutia valuit, ut extorquere ab ea potuerit syngrapham, qua hæredibus suis illa interdixit, ne ullo unquam tempore ob gestionis causam Carancinium vexarent. Sed eo usque processit hominis confidentia, ut vicerit etiam fæminæ cæcitatem. Cum enim ea novisset, nummarias quasdam schedas, vulgo dictas *Rescrizioni*, usque ad valorem librarum *termillium*, uti proprias, et suas

eum temeritate non ferenda collocasse anno 1814 in bonorum publicorum emptionem, tunc cæpit de cæteris suspicari, soporem diutornum excutere; syngrapham dolo malo obtentam reposcere, quam ille, metu perculsus, statim restituit. Ad reddendas deinde gestæ administrationis rationes vocatus idem Carancinius, dum manus eis, admoverat, morte præreptus rem infectam Cæsari filio, et hæredi reliqoit.

Paternam administrationem, annuente muliere, per octo circiter menses hic retinuit, donec et is de rationibus expungendis rogatus non detractavit primo eas reddere; sed postea, videns immane aes alienum ex illis erumpere parenti similem se præbuit, noluitque amplius, qood fuerat inchoatum ex bono et aequo perficere. Opus hinc fuit querelam hac de re deducere ad abrogatos Judices, de primis actionibus jus Maceratae dicentes, a quibus damnatus fuit Carancinius ad exhibendas, tum propriæ, cui annuebat, tum paternæ, qui tantum adversabatur, gestionis ra.iones, præfinito ipsi ad id implendum termino *sexaginta dierum*, eoque inutiliter elapso gravatoria ei indicta in scutis *tribus* in singulos dies. Cum vero, ad eludendum judicii exitum, privatis syngraphis in aliis ex condicto transferre interea moliretur bona cum MarchionissæMathildis pecunia coempta, indemnitati suæ consulendum eduxit, et hypothecaria inscriptione in publicis codicibus adversus Carancinium suscepta, proprium creditum in tuto ponendum curavit. Provocationem ille interposuit a sententia, quæ rationes reddi jusserat, simulque deletionem separato judicio petiit hypothecariæ inscriptionis. Rejectus inimica sententia, ab iisdem Judicibus Maceratæ pronunciata, ad Sacrum Nostrum Ordinem appellavit, commissa causa Rmo P. D. Meo Isoard, Decano, cui proponenti Dubii formulam = *An sit locus deletioni inscriptionis in casu etc.* responsum fuit affirmative, ut patet ex decisione, cui titulus *Reciaetea. Deletionis inscriptionis hypothecariæ* in Comitiis diei quartæ Quintilis superioris anni piacularts edita. Hodie autem, ob tributam Marchionissæ Mathildi novæ audientiæ veniam cum denuo disceptatum sit de viribus inscriptionis, quam delendam esse iterum Patres Domini existimarunt, ope separati judicii, diversique *Turni* in disquisitionem venit quæstio altera super redditione rationum, quae juxta vota Mathildis definita fuit. Exhibitam siquidem a me uti alterius hujusce causæ Ponente, rogationem hac formula conceptam = *An et a quo tempore sit locus redditioni in casu etc.* judicii comperendinatione perperam a Carancinio petita, Patres definierunt ediio responsum = *Pro informanti* = nempe *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum* = ad tramites scilicet Maceratensis Sententiæ.

1 Haud sane pendet præsens controversia, quae de redditione rationum agit ab alia, qnæ in separato Turno magnis animis, viribusque utrinque acta fuit, atque adhuc fervet super delectione hypothecae, quam Marchionissa Mathildes, ad parandam sibi indemnitatem, super bonis Carancinii suscepit. Nihil namque obstat huic judicio quod in altero definitum est, inscriptam in publicis Codicibus hypothecam esse delendam. Non enim judicatum ita est, quod forte reputstum sit nullum Carsncinii debitum emergere posse ex ineunda rationum redditione; sed quia tantum ex novissimis hypothecarum legibus nequit inscribi hypotheca, nisi in vim illarum sententiarum quae = *portano condanna a somma certa*, o *incerta* = Cum itaque Sententia Judicum Maceratensium a Sacro Ordine hodie probata, qua præstitutus fuit terminus ad rationes reddendas, nullam exhibeat condemnationem ad solvendam summam aliquam, certam aut incertam; ideo hypothecae deletioni locum esse statuit Decisio diei *quortoe* Julii præteriti anni coram Reverendissimo P. D. Meo Decano, cui albus calculus in hodiernis Comitiis adjectus fuit. Ad præsentem igitur quæstionem quod attinet, non negsbat profecto Carancinius reddendas a se esse rationes quoad illud tempus, quo post parentis sui fatum ipse

gestionem exercuit.Negabat dumtaxat se ad hoc opus explendum pro eo tempore teneri, quo administrationem retinuit defunctus ejus pater. At ex juratis depositionibus gravissimorum testium, quos inter nonnulli aderant Presbyteriali dignitate insigniti, plane constabat, ab anno 1805 ad mensem usque Junium anni 1823, quo mortem obiit Franciscus, rei conventi parens, Marchionissæ Mathildis rei, et negocia eum unice curasse.

2 Idipsum rursus patebat, tam ex responsis, jurisjurandi religione firmatis, a Marchionissa Mathilde datis Carancinii interrogationibus, quam etiam, et multo magis, ex interrogationibus, quas Forensens *positiones* vocant,ejusdem Carancinii. Ex eo enim quod ipse juratus asseruit, universarias rationes a parente suo exbibitas, easque probatas a muliere fuisse, implicite fassus est gestionem, et administrationem ab eodem parente per tot annos exercitam. Atqui scitissimum est, *positiones* juramento firmatas, quoad ea, quæ complectuntur indubiam fidem perhibere, et contra *ponentem* plenissimam constituere probationem. *Cap. ult. de jurej. in* 6 *Galv. de confess. conclus.* 4 *num.* 24 *et* 25. *Rot. in rec. Decis.* 217 *num.* 2 *part.* 4 *tom.* 1 *et decis.* 517 *part.* 18 *tom.* 2 *in Nuperrim. decis.* 31 *num.* 6 *in Romana Fructuum et lucri dotalis* 1 *Julii* 1767 § 10 *coram Stadion. et in Fulginaten. Pecuniaria* 6 *Martii* 1755 § 5 *coram Canilliac.* Si igitur fœminæ patrimonium administrasse defunctum Franciscum liquet, necessaria omnino est rationum redditio. Regula namque generalis, est, quemlibet administraterem, aut ab homine, aut a Judice, aut a lege constitutum teneri administrationis gestae rationes reddere, sive de mandato, sive de tutela, et cura, sive demum de negotiis gestis agatur, ut cautum est pluribus titulis *ff. de Cod. de tutor. et ration. distrahen. et de negot. gest.* qnos sequitur *Rot. Decis* 530 *n.* 3 *et* 4 *coram Riminaldo in Aquilana dotium super redditione rationis* 14 *Junii* 1752 § 4 *coram Matthaejo, et in Maceraten. Testamenti super redditione rationum* 13 *Martii hujus anni* § 7 *cor. R. P.* D. *meo Muzzarelli.* Quominus autem rationes expungantur impedimen to non est, quod Franciscus, rationibus non adhuc redditis, vitam cum morte commutaverit.Onus quippe reddendarum rationum adeo indeclinabile est ut a defuncto auctore non expletum, ad ejus transeat hæredes *Rot. decis* 15 *n.* 6 *tit. de tutor. et curat. cor. Falconerio Seniore Decis.* 76 *num.* 23 *coram Herzan, et in Recineten. redditionis Rationis* 5 *Julii* 1819 § 4 *cor. R. P. D. meo Spada.*

Haeredem porro patris sui Caesarem esse præsumitur sane ex famigerato juris axiomate, ex quo filii patriis hæredes censentur *sui et necessarii* veluti traditum est §. *Si autem Instit de hæred. qualit. et different.* Prætor utique filiis volentibus permisit a paterna hæreditate abstinere; at filius, qui hoc Prætoris beneficium objicit, docere legitime debet, eo se usum fuisse, et paternam abjecisse hæreditatem. Nec probatio hæc in actorem rejicienda est, cui una sufficit, et opitulatur præsumptio juris; sed filius ipse *abstensionem*, quæ in facto consistit facto demonstret oportet, qui sane si oneri sno non satisfecerit, hæres patr's semper babetur sive de damno vitando, sive de lucro consequendo res sit. *Leg. Necessariis* 57 *ff. de acquir. haer. leg. In suis* 11 *ff. de lib. et posthum.* § 3 *Instit de hæred. quæ ab intestat. defer. Rot. in Tudertina Immissionis* 3 *Martii* 1777 § 4 *cor. Muto, in Ariminen. Fideicommissi de Bandis super Cauthela Angeli* 10 *Martii* 1780 § 3 *cor. Soderino, in Romana, seu Spoletana Cauthelae Angeli* 3 *Aprilis* 1786 § 3 *coram Lancellotto, et in Urbinaten. legitimæ* 1 *Martii* 1790 § 14 *cor. Origo.* Tam lo nge vero abest ullum adduci monumentum *abstensionis*, ut Cæsar ipse ingenue fateretur, se patris sui hæreditatem adiisse, eoque dumtaxat se reciperet, ut syngrapham illam a Marchionissa Mathilde subscriptam opponeret, qua illa hæredibus suis prohibuit, ne molestos se ob administrationis causam Carancinio præberent. At tum multa, tantique momenti 3

ea sunt, quae contra respondebantur ut in civilis, et calumniæ proxima visa fuerit exceptio liberationis a rationibus expungendis.

4 Urget in primis notissima juris censura ex qua receptissimum est, deliberationem ab edendis rationibus, sive in contractu conventam, sive testamento legatam, id demum præstare, ut rigidus cum tutore, aut administratore agi non debeat, nec scrupulosa dispunctio ab eo sit exigenda; tanti vero non est, ut ipsum prorsus immunem a rationibus subducendis renunciet. *Leg. scire debetis cod. Ut in possess. legat. leg. non solum § si hæres vetitus ff. de liberation' legat. leg. si servus vetitus ff. de legat. et fideicom. Rot. decis.* 255 *n.* 24 *cor. Benincas. decis.* 607 *n.* 7 *cor. Molines decis.* 649 *n.* 7 *cor. Olivatio decis.* 330 *num.* 5 *cor. Riminaldo, in Vilnen. seu Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum* 14 *Martii* 1759 § 4 *coram Frangipane in Romana Successionis super redditione rationis* 14 *Februarii* 1767 § 4 *coram Pergen. et in Romana Redditionis Rationis* 14 *Februarii* 1794 § 3 *coram de Bajane*. Non minus autem ex testimonio tabellionis, qui fuerat de stipulatione illius syngraphæ rogatus, quam ex responsis Marchionissæ Mathildis eruebatur, conventam ab expungendis rationibus liberationem suum sortiri effectum debuisse post obitum ejusdem Marchionissæ liberantis, adeo ut licitum ei erat. donec vixisset, administratorem suum ad rationum redditionem adigere. Pactum enim *de non petendo* stricti juris est, nec personas egreditur in eo contemplatas, ac quemadmodum, si pactum sit=*ne ego petam, vel ne a te petatur haeres meus ab omnibus vobis petitionem habebit, et ab hærede tuo omnes petere poterimus* = veluti inquit *Florentinus leg. qui in futurum § si ex altera ff. de pactis*; ita sane, si futuris hæredibus interdictum fuerit ne aliquid petant eorum nihilominus auctorem jure petere posse a contrario sensu prædictæ legis optime deducitur.

5 His omnibus accedit, jactatæ liberationi chirographum, ut fuerat ab incauta, et circumventa muliere, non sine fraude, extortum, ita restitutum ab ipso defuncto Caraneinio fuisse, ac deinde laceratum, atque deletum. At nihil tam obvium; et naturale, quam quod liberationis cautio ex errore, et fraude subrepta, si ultro a debitore abdicetur, et creditori restituatur, nihil amplius prosit. *Leg. Labeo ait* 2. *ff. de pactis*. Quod si etiam liberationis schedula adhuc integra penes debitorem extaret, inutilis omnino censenda foret. Ut enim quælibet fœminarum obligatio absque solemniis, in percelebri Constitutione S. M. Benedicti XIV. præscriptis, emissa in irritum cedit, ita pariter quævis quietantia, liberatio, et a rationibus reddendis absolutio, vel de redditis approbatio privatim, et absque solemniis ab iisdem fœminis expleta evidenti nullitatis vitio laborat. Solemnia siquidem non modo ad contractus, et obligationes mulierum, sed etiam ad liberationem, et absolutionem debitoris ab eis exaratam porriguntur. Eadem porro ratio, idem circumventionis discrimen, eadem sexus imbecillitas efficit, ut, quemadmodum in obligationibus, quas mulier suscipit, ita in actu illo, quo debitorem suum liberat, solemnia intercedant, cum notissimum sit alienationem, et renunciationem proprii juris inducere debitoris liberationem. Secus enim actum esset de fragilis sexus indemnitate, si fraudibus, et circumventionibus quoad obligationes tantum obviam ire possent. *Rigant. ad Stat. Ferrar. rub.* 90. *num.* 2., *Baron. de effet. min. ætat. circ. contract. effect.* 25. *n.* 4. *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 24. *artic.* 3. *num.* 334. *Rot. decis.* 447. *numer.* 11. *part.* 18. *rec.* Hinc fit, ut quævis confessio, utut jurata, et pluries a muliere ratihabita, pro nihilo traducitur, nisi aliunde ejus veritas probetur, vel nisi solemnia adjecta ei fuerint. *Carpan. cap.* 328. *num.* 65. *Constantin. ad Stat. Urb. tom.* 2. *annot.* 44. *art.* 5. *num.* 426. *Rota decis.* 306. *n.* 3. *part.* 17. *rec., et decis.* 116. *num.* 21. *cor. Olivatio.*

Quod autem regerebatur a Cæsare, 6
qui contendebat parentem suum absolutum a Mathilde fuisse, ex quo singu-

lis quibusque annis rationum tabellas exhibuit ab ea probatas, atque obsignatas; id quidem falsum, et ad opportunitatem excogitatum revincebant ejusdem Mathildis jurata responsa, quibus asseruit, quod non aliter, si ei quandoque proponebantur, probare ea solebat, his clausula adjecta = *salvo errore* = Quamvis igitur incauta, et ignara mulier remotis arbitris, et quovis consultore posthabito rationum folia probasset, id tamen novæ, et quidem generali earum redditioni non nocet, tum quia mulieris circumventio palam est, tum quia emissa probatio fuit intuitu reservationis, et clausulæ = *salvo errore* =, quæ sane vi sua efficit, ut toties renovari debeat redditio rationum, quoties constet, rationes, jam redditas vitio aliquo infici, prout etiam ex jure est ex *leg. Unica Cod. de error. calcul. Gratian. discept. forens. cap.* 563. n. 30. *Gultierez. de tutor. part.* 3. *cap.* 4. *numer.* 119., *Rot. decis.* 25. *num.* 26. *cor, Otthobono, et decis.* 480. *num.* 1. *et sequen. cor. Ansaldo.* Multis sane, et gravibus erroribus inquinari rationes, a defuncto Francisco quandoque dispunctas, ex eo maxime patet, quod mutilas semper inanesque lacinias impensæ, receptæque pecuniæ is tantum exhibuit, nec unquam sollicitum se præbuit tradendi syngraphas, acceptilationes, aliasque scripturas veritatem redditionis rationum comprobantes. At aliud est, rationes integras, et generales de gestione universa reddere: aliud vero folia nonnulla, quæ peculiare quoddam negocium respiciant, raptim exhibere. Quin imo compertissimi juris est, ut rite recteque reddita ratio censeatur, oportere singula monumenta proferre, Codices, et Kalendaria ostendere, et quidquid aliud ad ipsam pertinet rationum redditionem. *Leg. si quis* §. *Rationum ff. de eden., leg. Cum servus ff. de cod. et demonstr., Ansald. de commerc. et mercat. disc.* 37. *num.* 18. *Zanch. de Societate part.* 2. *cap.* 2. *num.* 76., *Rot. in Rec. decis.* 242. *num.* 5. *par.* 6. *coram Falconer. decis.* 2. *num.* 21. *tit. de tutor., cor. Ansaldo decis.* 480. *numer.* 5., *et seq. et decis.* 728. *num.* 8., *et seqq. coram Riminaldo.*

Rationes tandem denuo reddi, multo 7
magis exigebant infidelitatis exempla, quorum memoriam, et probationem mors Francisci delere non potuit. Male enim versatum in administratione bonorum Mathildis eum fuisse, ac illius convertisse pecuniam in usus suos, et in emptiones præcipue prædiorum, Cæsaris filii sui nomine factas, ære perenniora monumenta revincunt: ex quibus etiam eruitur, nummarias quasdam schedas *Rescrizioni* vulgo nuncupatas, quæ non levem constituebant æstimationem Librarum 3027. 93/100, et ad Marchionissam Mathildem pertinebant, uti suas sibi addixisse Franciscum, et in acquisitionem tot bonorum, in proprium commodum initam, erogasse. Hæc et alia similia, si criminalem inquisitionem, legumque rigorum ad coercendam hominum malitiam, reposcerent; eo magis in causa sunt, ut in hoc civili judicio ad reddendas denuo rationes administrator infidus, eoque elato, illius filius, atque hæres, Cæsar omnino compellatur; qui sane imitari parentem videtur, dum eo furoris, et desperationis pervenit, veluti, testes, et numero plures, et fide dignissimi deponebant, ut Aedes Marchionissæ Mathildis evertendas curet, quo facilius ex cæmentorum pretio quidquam ærumnosæ mulieri præreptum deglutiat. Cæterum aversus ipse a rationibus reddendis animus, et propudiosa obstinatio satis ostendit, male, et infideliter gestam fuisse rerum administrationem. Nam is, qui fide bona alterius negocia curavit, non sane detrectat redditionem rationum, nec diffugia aucupatur obtentæ liberationis. His ergo omnibus de causis præstituendus est Cæsari terminus *sexaginta* dierum ad expungendas rationes, tam suæ, quam paternæ administrationis, quo perperam elapso, locum esse solutioni mulctæ, quam pragmatici *gravatorias* appellant, *scutorum trium* in singulos dies, et usquedum non exhibeatur rationum redditio, Patres censuerunt, uti Maceratense Tribunal statuerat. Atque hic erat *modus* in Decisione exprimendus.

Et ita, dilationem frustra postulante Carancinio, jus redditum est etc.

ROMANA EMPTIONIS VENDITIONIS

Lunae 16 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Nuda promissio de vendendo, non constilit contractum emptionis venditionis. Praeterea absque rei traditione, et nisi pretio soluta, vel habita saltem de eo fide, haud transfertur in emptorem rei emptae dominium.

SUMMARIUM

1. *Qui actionem rei vindicatoriam exercet, ipsius rei dominium comprobare tenetur.*
 Perfecta nunquam censetur emptio venditio, ubi nuda promissio de vendendo data sit - ib. -
2. *Absque traditione, et pretii solutione, nunquam transfertur in emptorem rei emptae dominium.*
 Ex actu simulato et ficto, nulla obligatio, et actio oritur - ibidem. -
3. *Stellionatum committit, qui rem habuit a domino, et ea utitur in diversum usum.*
4. *Ex duobus emptoribus, ille potior habendus, cui res tradita sit.*
5. *Dies certa in scripturis, deducitur a die quo contractus in regestri codices relatus fuit.*
6. *Data simulandi causa, eaque cum gravibus conjuncta praesumptionibus, facile simulatio probatur.*
7. *Lex* quoties 15. Cod. de rei vindicat. *de duobus loquitur emptoribus, qui ambo a vero domino emerint.*
8. *Ignorantia semper praesumitur, ubi scientia non probatur.*

DECISIO CCLXXX.

Tria, quæ in Foro Appio, agroquo Pomptino latifundia conduxerat Aloysius Capozi, queis nomen - *la Codarda* - *Ponte Maggiore* - *la Sega* -, apoca diei 27 Januarii anni 1824 sublocavit Antonio Pulanio, cui etiam integrum pecus fundos instruens, juxta æstimationem a peritis viris ineundam, sese venditurum ad mensem Junium proximum spopondit. Æstimatione nondum confecta, nec peritis viris adhuc electis, cum timeret Polanius, ne a Capotii creditoribus exturbaretur mox absolvenda stipulatio, hunc induxit ad subscribendum simulatæ emptionis venditionis animalium apochæ, et promtum sese exhibuit ad coævam exarandam syngrapham, quam *bonæ fidei* nuncupant, ut indemnem eum a quolibet futuro damno redderet. Duplex itaque Kalendis Maii ejusdem anni conscribitur apocha, quarum prima perplures vaccas, numerato pretio argenteorum nummorum *bismillium quingentum viginti sex*, Polanius idem professus fuit, prolusionem tantum futuræ emptionis venditionis in priori apocha contineri; pusillam pecuniam, non ingentem illam summam, a se fuisse solutam; hunc contractum prævia æstimatione belluarum ad mensem Junium vero esse ex stipulatu celebrandum; in præsens denique peculiaribus quibusdam de causis tantum simulari.

Priori tamen apocha abutens, si facile cuique suadere poterat Polanius se verum pecoris dominum evasisse, multo id magis suasit cuidam Josepho Scarapecchio, quem reiteratis litteris administrationi latifundiorum præposuit, ac procuratorem disertis verbis costituit ad pecus ipsum distrahendum. Exagerans quin imo Polanius valorem pecoris, quod administer Scarapecchius retinebat cum potestate vendendi, eum quoque impulit, honestate posthabita, ad horrea expilanda quorumdam pistordm Mastricola, et Grazioli, quæ Anxuris extabant, ac ejusdem Administri fidei fuerant, ac custodiæ concredita. Ut autem suum quoque fallere Administrum, Kalendis Augusti vendidit, seu potius vendere simulavit Joanni Baptistæ Serafini vaccinum armentum, constituto pretio scutorum *termille tercentum*; quod sane vix ad aures Scarapecchii pervenit, hic nedum subito renuit pecus tradere Seraphinii mandatario; verum etiam suæ voluit indemnitati, ac existimationi consulere, et detrusionem in vincula vitare, quam horreorum domini minabantur, nisi aut frumentum, aut ejus pretium illico restitueretur. Hinc pridie Kalendas Septembris pluribus Polanii litteris fretus Scarapecchius, ex quibus distrahendi pecoris facultas ei facta fuerat, illud venumdedit Antonio Tabanellio pro pretio scutorum *bismille octingentum viginti quatuor*, quæ

partim numerata pecunia, partim schedis collybistici die *secunda* Octobris emptor Scarapecchio persolvit, qui eas statim cessit borreorum dominis in frumenti furtim subrepti satisfactionem.

Jam pecus emptum in agrum suum deduxerat Tabanellius; dum improviso Capotius, penes almæ Urbis Præsidem, uti stellionatus reum Polanium accusans, obtinuit, ut pecus in latifundium suum a Tabanellio deductum ei auferretur, et custodiendum traderetur Administro Ducis Braschii, donec dirempta quæstio esset de proprietate ac dominio animalium. Turbæ inde excitatæ sunt multæ inter varios pecoris emptores, ac dominos coram A. C. Colapietro. Capotius enim actionem *vindicatoriam* reique *persecutoriam* proposuit, Polanius vero de spolio egit. Tabanellius domum, ac Serafinius inter se de prælatione certarunt. At A. C. Juridicus actionem rei vindicatoriam excepit, dummodo refunderetur uni Tabanellio pretium ab eo solutum: sin minus huic pecus restituendum esse decrevit, rejecta actione spolii a Polanio instituta, cui jus tantum reservavit agendi pro damnis adversus Scarapecchium *prout* tamen, et *quatenus de jure*. Appellatione interjecta, cum controversiæ definitio conscenderit ad Sacrum Nostrum Auditorium, duo hodie in disquisitionem venerunt Dubiorum formulæ, quarum prima, de qua præsens agit Decisio, ad actionem vindicatoriam, et ad prælationem pertinet; altera vero ad spolium, de qua tractat coæva decisio. Quoad primam itaque formulam, quæ his verbis concipiebatur = *An, et quomodo sit locus vindicationi belluarum una cum fœturis, et accessionibus; seu potius an et cujus favore sit locus illarum restitutioni, sive consignationi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum a Patribus meis *de Turno* retuli = *Affirmative ad primam partem juxta modum, nempe ad formam Sententiae A. C.: negative ad secundam.*

1 Qui actionem rei vindicatoriam, et persecutoriam exercet, veluti, ac si actione hypothecaria ageret ipsius rei dominium teneri comprobare cautum est in *leg. In rem* 24 *ff de rei vindicat.* At nunquam pecoris dominium, nec ex apocha ad diem 27 Januarii 1824 scripta, nec ex posteriori Syngrapha Kalendis Maii ejusdem anni exarata, Capotium amisisse manifestum erat. Prima enim illa apocha, cujus ope Polanio cessit Capotius conductionem latifundiorum, nudam tantum promissionem pecoris vendendi continet, quæ ab æstimatione deinde facienda, et nunquam facta, pendebat. Perfecta utique, atque absoluta in jure emptio venditio censetur, quamvis quoad pretium sese retulerint contrahentes, vel ad consuetudinem, vel ad peritorum hominum, amicorumve judicium, vel ad id, quod deinceps ipsi contrahentes existimabunt. Hæc siquidem incertitudo pretii non inficit contractus substantiam, nec illius impedit effectum, quæ æstimationem sequi oportet, quam consuetudo præfinit, aut periti viri et amici constituant, a qua resiliro contrahentes nequeunt, nisi injustum, et immodicum pretium præfinitum ostendant. *Leg. fin. Cod. de contrahen. empt.*, *Rocc. disput. juris select. cap.* 161 *num.* 18. *Rot. dec.* 180 *num.* 10 *et seq. cor. Ansaldo, et in Prænestina Pecuniaria* 26 *Junii* 1822 § 9 *cor. Me.* Sed hæc juris regula suum obtinet locum ubi rovera quid fuerit venditum juxta æstimationem postea ineundam; non vero ubi nuda promissio de vendendo tantum legitur traditione rei deficiente; nec ipsa imo habita de pretio fide,

Conventum porro fuerat in apocha 2
illa, ut pretium ad æstimationis a peritis viris explendæ tramites a Polanio solvi deberet in ipso traditionis actu. Traditio igitur post initam æstimationem facienda erat, ei in actu traditionis integrum pretium rependendum. Cum tamen neutrum locum habuerit, nunquam ideo pecoris dominium in Polanium transiit. Nam absque traditione; et nisi pretio soluto, vel habita saltem de eo fide, haud transfertur in emptorem rei emptæ dominium. *Leg. Traditionibus*. 20. *Cod. de*

pactis, *leg. Quod vendidi* 19 *ff de contrahen. empt.* § 41 *Inst. de rer. divis.*, *Rat. decis.* 427 *num.* 2 *coram Priolo*, *et decis.* 57 *num.* 24 *coram Herrera.* Quod vero pecoris dominium haud nactus fuit Polanius ex apocha mensis Januarii, multo minus acquirere illud potuit posteriori syngrapha Kalendis Maii ejusdem anni 1824 exarata, quam simulatam omnino fuisse, et pro re nata confictam, Polanius ipse declaravit in alia coæva bonæ fidei Syngrapha, ubi nec se pecus a Capotio emisse, nec numerasse pretium, pro veritate dixit, sed istam pecoris emptionem venditionem dumtaxat fingi, nescio quas ob causas, quæ ne in ea declaratione quidem bonæ fidei panditæ fuerunt. Quod si simulata fuit ea syngrapha ex ipsa Polanii confessione, nullum jus, neque is, neque qui causam ab eo habent, sibi possunt adsciscere ad pecus retinendum, cum exploratum in jure sit ex actu simulato, et ficto, qui corpus sine spiritu, et umbra sine effectu sæpius appellatur, nullam obligationem, aut actionem oriri. *Leg. In contractibus*, *et tot. tit. Cod. plus val. quod agitur, quam quod simul. concip. leg. Imaginaria ff de Re Jud.*, *Rota in Recen. decis.* 338 *num.* 6 *part.* 9 *tam.* 2, *coram Herrera decis.* 128 *num.* 7 *et decision.* 124 *num.* 5 *coram Riminaldo.*

3 Si igitur rei suæ dominium nunquam amisit Capotius, recte is eam persequitur actione vindicatoria adversus quemlibet detentorem. Quoniam autem Capotius, tum ex conficta apocha emptionis venditionis animalium, anno 1824 Kalendis Maii conscripta, tum ex occultatione Syngraphæ bonæ fidei contextim exaratæ in causa fuerit, ut non modo, re cognita, Polanius, sed hujus etiam procurator Scarapecchius, inconsulto, fraudem facerent Serafinio, et Tabanellio, idque venderint, quod proprium non erat; æquum propterea existimarunt Patres Domini, ut ipse Capotius, qui auctor instructæ a Polanio fraudis fuit, ejus pœnam luat, seu non aliter vindicatoriam experiri valeat actionem, nisi pretio erga Tabanellium refuso. Non enim furtum *proprium*, quod dolum ab initio secumfert, et *ex leg.* 1 § *fin. de furtis* fraudolenta dicitur alienæ rei contrectatio, invito domino, sed furtum *improprium* pertulit Capotius, dum belluas suas ultro, ac sponte Polanio concredidit, quas hic contra ejus voluntatem vendidit, aut in alium usum convertit. Furtum quippe *improprium*, quod Romanis legibus *Stellianatus* appellatur, ac vernaculo nostro sermone, frequentiorique usu Fori, = *truffa* = dicitur, tunc ab aliquo patratum intelligitur, cum ab initio contrectationis, seu amotionis rei non intervenit fraus, ac dolus contrectantis, sed dolosa contrectatio postea sequitur; statim ac scilicet ille, qui rem habuit a domino, ea utatur in diversum usum, contra illius voluntatem, ac promissionem, et fidem ei datam *Leg. Qui jumento* 41, *et leg. Fulla* 84 *ff de furt.*: *Gloss. in* §. *Furtum autem*, *Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc. Vermigliol. cons. crim.* 466 *num.* 7 *vers. dum igitur. Panimoll. decis. forens. Eccles. tam.* 2 *decis.* 94 *annot.* 1 *numer.* 23, *Scannaral. de visitatione carceratarum lib.* 1 § 15. *Cap.* 5 *num.* 24, *Capzor. in prax. crim. part.* 2 *quæst.*85 *num.*1, *Casareg.*, *de Cammerc.*, *et mercat. disc.* 124 *n.* 1 *Zanch. de prælatione creditorum exercit.* 2 § 8 *n.* 8.

At hoc discrimen intercedit inter proprium impropriumque furtum, ut in primo competat domino vindicatio rei furtivæ contra quemcumque etiam bonæ fidei detentorem absque ulla pretii refusione, in altero vero exerceri actio vindicatoria non valent, nisi modo mitiori, idest pretio emptori bonæ fidei refuso. Idque optime, ac duplici de causa quidquid senserit *Voet. in Pandect. lib.* 6 *tit.* 1 § 12, plerique docuerunt Doctores, quos *inter Capzor. de jurisprud. far. constit.* 36 *definit.* 5 *per tot. Card. De Luca de Feudis Disc.* 58 *n.* 18 *Zanch. de prælatione creditorum exercit.* 2 § 8 *num.* 77, tum ut scilicet non intercipiatur liber usus commerciorum, et facilius reperiantur emptores; tum ob quamdam domini culpam, qui 4

sibi debet imputare, si rem suam infido homini concredidit. Prætium autem a Capotio uni refundendum esse Tabanellio, non Serafinio, sepositis etiam non levibus argumentis, quibus Tabanellius evincere studet simulatam fuisse emptionem venditionem pecoris inter Polanium, et Serafinium, juris ratio suadet. Scitum enim est, ex duobus emptoribus eum esse potiorem habendum, cui res tradita sit *Leg. Quoties* 15 *Cod. de rei vindicat. leg. Si ea* 32 § *Uterque ff de act. empt., et vendit.. leg. sive autem* 11 § *si duobus ff de public. in rem act.* Sit itaque quod, tam Serafinius, quam Tabanellius vaccinum Capotii armentum cuemerint: at unus Tabanellius, traditione facta, nactus fuit pecoris possessionem illudque in agrum suum traduxit, a quo amotum ex jussu Præsidis Urbis fuit, et in proximo latifundio apud Administrum Ducis Braschii depositi loco relictum. Quemadmodum igitur, si de emptione venditione ageretur, Serafinio præcelleret Tabanellius; ita pariter hoc in casu, in quo videndum est, utri eorum restituendum sit pretium, compertum est Serafinio præferendum esse Tabanellium.

5 Augetur argumenti vis, si consideretur, non traditionem dumtaxat rei emptæ recepisse Tabanellium: sed priorem eum quoque fuisse in pecore emendo. Comparatis siquidem mutuis Tabanellii, et Serafinii scripturis, facile dignoscebatur emptionis venditionis syngrapham a Serafinio cum Polanio exaratam anno 1824 ad diem *vigesimam quintam* Novembris in publicos *Regestri* Codices relatam fuisse; cum e converso Syngrapha alia, a Tabanellio cum Scarapecchio scripta, multo antea, postridie nempe Kalendas Octobris ejusdem anni, iisdem in Codicibus descripta fuerit. Si itaque Tabanellius prior in tempore fuit, æquum est, ut in jure potior habeatur. *Cap. Qui prior de R. J. in* 6, *leg. Potior ff qui potior in pign. hab., Merlin. de pignor., lib.* 4 *quæstio* 4, *Rodriguez de concursu, et privileg. credit. part.* 2 *Art.* 1, *Antonell. de temp. leg. lib.* 4 *cap. ult., Rota Decis.* 41 *num.* 1 *et seq. cor. Celso.* Neque enim obest, quod dies a contrahentibus apposita Serafinii scripturæ anterior sit altera, quam præsefert Tabanellii Syngrapha. Postquam introductæ summa prudentia fuerunt publicæ *Regestri* tabulæ ad omnes removendas simulationis, ac fraudis suspiciones, dies certa scripturarum, non amplius a tempore deduci solet, quod ad libitum quandoque contrahentes adiiciunt, sed ab eo imo tempore, quo contrahentes ipsi initum contractum in *Regestri* tabulas retulerint. Sæpe quidem definitum est, ac præsertim *in Romana Locationis* 6 *Julii* 1821 § 10 *et* 11 *cor. R. P. D. meo Tiberi*, contractuum descriptionem in *Regestri* codices suppleri posse per æquipollens. Nullum tamen in themate monumentum Serafinius afferebat, ex quo evinceretur, diem ejus Syngraphæ adscriptam omni simulationis, ac antiquioris temporis, seu *antidatæ* vitio vacuam esse.

Multa quin imo sunt, quæ illius simulationem, ac falsitatem ostendunt. 6
In primis non levis momenti est, quod ipse Serafinius profitebatur, clam, et occulte, remotisque testibus initam inter se, ac Polanium emptionis venditionis apocham fuisse. Longe præterea a veritate distat, quod absolutus contractus, ac rata pretii portio in argenteis nummis *mille sexcentum* fuerit persoluta, quin emptori perspecta foret pecoris conditio, eique fieret rei emptæ venditæ periculum unus sibi retinuit Polanius, nec illud, prout ex jure est *ad Leg. Post perfectam* 1 *Cod. de peric. et commod. rei vendit.*, in emptorem Serafinium transtulit. Tanta profecto credulitas imprudentiæ proxima, si in homine quoquam non præsumitur, eo minus præsumenda in Serafinio, haud postremo inter Negociatores, videtur, qui plerumque caute res suas, prudenterque gerere solent. Quapropter omnes istæ conjecturæ simulationis, si cum ipsa simulandi causa copulentur, qua premebantur Polanius ad pecus auferendum, quod Scarapecchio vendendum tradiderat, ut pistoribus illis Mastricolæ, et Gratioli de expilati granarii pretio satisfaceret, tanti ponderis sunt, ut de simulatione apochæ a Se-

rafinio cum Polanio initæ dubitare non sinant. Data enim simulandi causa, eaque cum gravibus conjuncta præsumptionibus, facile simulatio probatur *Rota in Recen. Decis.* 13 *num.* 1 *et* 6 *part.* 19 *et Decis.* 909 *num.* 2 *cor. Ansaldo.*

7 Desperatam hinc aggrediebantur provinciam Serafinii, ac Polanii Defensores, dum inquiebant extraneam a subjecta specie existimandam esse censuram præfatæ *Leg. Quoties* 15 *Cod. de rei vindicat.*, quæ de duobus loquitur emptoribus, qui ambo a vero domino, et possessore emerint. Utique Serafinius emit, seu potius emere simulavit a Polanio, qui cæteroquin ex demonstratis haud erat pecoris dominus; Tabanellius autem a Scarapecchio. At hic postremus ipsum repræsentabat Polanium ejusque vicesgerebat, semel ac pluribus et disertissimis epistolis, ex quibus dari, et suscipi mandatum docet Jurisconsultus in *leg. Obligatio* 1 *ff mandati*, non modo pecus custodiendum acceperat, sed illius quoque distrahendi facultatem habuerat. Nulla quidem quæstio est, quo tempore Scarapecchio vaccinum armentum Tabanellio vendidit, revocatum jam a Polanio fuisse distrahendi mandatum, ipsumque Scarapecchium non ignorasse contractum emptionis venditionis pecoris, qui Polanium inter ac Serafinium initus dicebatur. At cum Scarapecchius apud omnes haberetur uti Polanii procurator, et mandatarius ad pecus vendendum, tum quia mandatum in scriptis traditum sibi retinuit; tum quia haud evulgaverat Polanius mandati revocationem; ad inducendam ideo emptionis venditionis a Tabanellio cum Scarapecchio gestæ nullitatem, juris ratione et æquitate suadente, oporteret invictis probationibus evincere conscium de revocatione mandati fuisse Tabanellium, et invita revocationis mandati scientia, voluisse cum Scarapecchio dolose contrahere.

8 Verum nihil afferebatur, ex quo rite conjici posset in Tabanellio alieni hujusce facti scientia; quæ juris præsumptioni cæterum adversatur, in quo certum habemus, ignorantiam semper præsumi ubi scientia non probatur, si præcipue de præjudicio inferendo agatur. *Cap. Concertationi verb. sciverit de appellat. in* 6, *leg. De his ff de Transact.*, *Mans, consult. forens.* 338 n. 37 *Rota Dec.* 113 n. 15 *cor. Ansaldo, Dec.* 106 *n.* 14 *cor. Crescentia, Dec.* 221 n. 6 *coràm Tanara.* Constat imo emptionem venditionem Scarapecchium inter et Tabanellium initam, summa cum fide bona, et probitate conjunctam fuisse, et cuncta ea vitia, quæ Serafinii contractum inficiunt longe abesse a stipulatione, et apocha Tabanellii, quæ bino teste munita vim habet publicarum, solemniumque tabularum, ad tramites famigeratæ *leg. Scripturas Cod. qui potior. in pign. hab.* Nedum enim tanti emptum venditumque fuit pecus, quanti revera valebat; sed integrum quoque pretium, veluti patebat ex apocha, et testes plures de facto propria deponebant, partim numerata pecunia inter stipulandum, partim collybisticis litteris Mastricolæ, et Gratiolio deinde cessis, persolutum fuit. Nulla demum, nec in Tabanellio, nec in Scarapecchio, præsumi potest simulandi, et ex condicta inter se colludendi ratio. Non in primo, quia secus non projecisset immanem pretii summam: non in altero, quia ejus intererat, verum inire contractum, ut ex pretio rei venditæ a criminationibus Mastricolæ, et Gratiolii redimeretur, et conjectionem in vincula declinaret. Hæc omnia igitur in causa fuerunt, ut actio rei vindicatoria Capotio concederetur, eique ad tramites A. C. Sententiæ præstitueretur terminus ad refundendum Tabanellio pretium, quo inutiliter elapso, rata, et firma habeatur emptio venditio pecoris ab eodem Tabanellio cum Scarapecchio stipulata.

Atque ita in strenuo quinque litigantium conflictu jus redditum est.

ROMANA NULLITATIS

DECLARATIONIS FIDUCIAE

Veneris 9 *Junii* 1826.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXLIII. -

SUMMARIUM

1. *Haeres fiduciarius, nihil lucrari potest tam de proprietate, quam de fructibus haereditatis.*

   Limita in casu, quo testator vel alienandi facultatem concesserit, vel licentiam tribuerit haeredi nominandi se ipsum - ibidem. - Et num. 2. -
3. *Vetitum est ei, qui haeredis fiduciarii personam gerit, se ipsum haeredem eligere.*
4. *Argumento d icto a discretivo loquendi modo, plurimum in interpretatione ultimarum voluntatum valet.*
5. *Non quid vivens dixerit testator, sed id tantum, quod moriens jusserit, inspiciendum est.*
6. *Vectigal successorum demonstrat, quod in haereditate comprachenditur.*
7. *Nil probat, si quid Tabellio, errore ductus, aut ex falsa causa motus, dixerit.*
8. *Nisi interpositum a fiduciario fuerit jusjurandum, nulla est declaratio fiduciae.*

   Testimonium juratum, si in aliqua parte concidit, in caeteris quoque corruit - ibidem.-
9. *Substineri causa pia non potest, nisi aperta, et manifesta sit testatoris voluntas.*
10. *Ubi irrita est causa profana, irritum quoque est legatum pium.*

DECISIO CCLXXXI.

Decisio mea, quam elapso anno piaculari, ac die vigesima prima Februarii, post semel distracta in æquas partes suffragia, publici juris feci, irritam nullamque renunciavit fiduciæ declarationem, quam apud acta publici tabellionis retulit Cajetanus Sommariva, hæres fiduciarius a defuncto Præsule Romanæ Curiæ, ac Januensi Patricio, Joanne Baptista Maggioli, testamento suo institutus, qui seipsum in omnibus bonis nominavit hæredem, si excipias nonnulla Legata, et Cappellanias quasdam super prædiis in agro Ferentino jacentibus, post mortem suam erigendas. Impetrata novæ Audientiæ venia, cum disquirendum de viribus ejusdem Decisionis esset, in judicium quoque venerunt Cappellani, ac Legatarii in explicata fiducia contemplati, qui ideo icto cum Sommarivio fœdere, fiduciæ declarationem sartam omnino, incolumemque servandam esse contendebant, aut in ea saltem parte custodiendam, quæ Piam Causam respicit. Instaurata itaque disputatione ad diem *decimam nonam* elapsi Mensis Maii, hæsit denuo judicium, ac accita ad ferendum suffragium Universa aula fuit. Hodierna autem die confirmarunt Patres quidquid definitum fuit anno superiori, propositæque Dubii formulæ, quæ de more quærebat = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = responderunt incunctanter = *In decisis* =.

Semper enim redit ineluctabile illud 1
juris principium, quo generatim cavetur hæredem fiduciarium merum esse custodem, depositarium, ac ministrum hæreditatis, ei restituendæ, cui voluit testator. Nihil propterea lucrari, nihilque percipere, non de proprietate dumtaxat bonorum, potest, sed ne de fructibus quidem, quos una cum proprietate ipsa vero legitimoque hæredi tradere cogitur. Si ita quidem suadeat expressa defuncti voluntas, potest utique fiduciarius hæres, aut aliquam hæreditatis partem sibi addicere, aut etiam universalem hæredem se nominare. At hoc non aliter evenire potest, quam si quis hæres universalis, atque insimul fiduciarius quoad peculiarem aliquam rem fuerit institutus: ab onere rursus reddendarum rationum, ac conficiendi inventarium, et repertorium hæreditatis fuerit exemptus: item facultatem a defuncto habuerit distrahendi bona hæreditaria, ac de illis ad libitum disponendi: demum licentiam retulerit a testatore, seipsum hæredem nominandi, si ad explicandam fiduciam quoquo modo provocetur. Hi profecto sunt casus illarum Decisionum, quas denuo perperam in medium adducebant, qui a partibus Sommarivii erant, ut ostenderent hæredem quoque fiduciarium posse seipsum renunciare proprieta-

rium hæredem. At seorsim ab his circumstantiis, quæ vi sua revincant in fiduciario hærede verum hæredem proprietarium constituere testatorem voluisse, nunquam sane in re plena periculi, qualis fiducia est, ab ea generali, et consultissima juris regula recedendum est, ex qua scimus, nil aliud in fiduciario esse, quam præcariam hæreditatis custodiam usque ad fiduciæ declarationem. Consulatur prior mea Decisio a § 4 ad 7.

2 Verum si a calce ad carcerem defuncti Præsulis Maggiolii percurratur elogium, in quo cubiculario Sommarivii voluntatem suam concredidit, nulla vola, et ne verbusculum quidem occurritur, quod indigitet ab onere conficiendi inventarii, ac a reddendis rationibus exemptum eum fuisse; quod pariter ostendat tributam ei licentiam de rebus hæreditariis, ut libuisset, ac pro arbitrio disponendi; quod rursus facultatem recumferet sese haeredem nominandi, si molestiæ, et vexationes pro fiduciae declaratione a quolibet inferrentur; quod demum demonstret universalem hæredem, et insimul haeredem fiduciarium de re aliqua peculiari Sommarivium institutum fuisse. Quin imo nihil legitur, quod his omnique, aut alterutri saltem eorum æquiparetur, atque respondeat. Hoc unum habemus, hæredem fiduciarium absque ullo fuco verborum Sommarivium fuisse a testatore vocatum, atque huic vocationi ea verba testatorem adjecisse = *al quale asserisce aver communicata e manifestata la sua volontà* =; quae sane demonstrant, voluntatem cubiculario suo Praesulem credidisse, non vero hæreditatem. Repugnabat autem rectæ rationi, dispositioni testatoris, ac juris denique censurae objectum illud ex quo respondebatur in hoc punctim consistere Præsulis voluntatem cubiculario communicatam, ut se nempe hæredem universalem profiteretur.

3 Repugnat profecto rectæ rationi, factam de fiducia, hæredeque fiduciario mentionem fuisse, si revera cogitasset Præsul hæredem proprietarium Sommarivium instituere. Tunc enim aptior, et magis congrua fuisset explicita hæredis proprietarii nuncupatio, quæ ubique gentium in more est. Repugnat rursus dispositioni testatoris, quæ ex demonstratis ita concepta est, ut in unaquaque parte testamenti hæredem fiduciarium, non proprietarium indigitet. Repugnat demum juris censuræ, in quo vetitum ei est, qui hæredis fiduciarii universalis personam gerit, se ipsum hæredem eligere, ut pluribus auctoritatum exemplis probat præterita Decis. § 7. Et male a defensoribus Sommarivii contorquebantur ea verba, quæ in testamentariis tabulis Præsul adhibuit, quibusque voluit = *che debba eseguirsi quanto detto suo Erede fiduciario sarà per dichiarare, e non altrimenti* =, quasi æquipolleant exonerationi conficiendi inventarii, reddendique rationes, ac facultati sese hæredem proprietarium nominandi, si superveniant molestiæ, ac ad fiduciæ explicationem fiduciarius hæres cogi velit. At ea verba referuntur tantum ad personam a fiduciario in hæredem nominandam, ita ut totum id exequutioni committendum sit, quod relate ad eamdem personam nominandam dictum explicatumque a fiduciario hærede fuisset, ut innuit prædicta mea Decisio § 8.

Certius quia optime ipso inspecto testamento, referri superius citata verba possunt ad collatum in fiduciarium arbitrium efferendi, humandique in quolibet Templo defuncti exurias, qui sepeliri voluit = *in quella Chiesa, che sarà per dichiarare l' infrascritto Erede fiduciario, al cui arbitrio rimette il suo funerale, e suffragi di messe* = Quin imo si nominatim explicavit testator qua in re, quoad scilicet Ecclesiam, ubi tumulandum erat defuncti cadaver, et celebrandum funus, ac suffragia missarum, suum sequi arbitrium debebat hæres fiduciarius, ducto argumento *a discretivo* loquendi modo, qui plurimum in interpretatione ultimarum volntatum valet, plane colligitur in cæteris omnibus, in quibus non arbitrium ad libitum disponendi Sommarivio datum est, sed facultas tantum concessa fuit pandendi Præsulis voluntatem, merum hæ- 4

redem fiduciarium constitutum eum fuisse. Quo cum res perducta fuerit, Oratores Sommarivii, qui voluntatem proprietarium hæredem instituendi a Præsulis tabulis eruere non poterant, toti in eo erant ut ostenderent in votis fuisse ejusdem Præsulis, dum in humanis erat, Summarivium hæredem proprietarium, ac universalem nominandi. Hinc plura afferebant testimonia, quibus hoc ipsum Præsulis propositum probare studebant. Hinc etiam præclaræ extollebantur Sommarivii animi dotes, fidelitas scilicet, diligentia, pietas, quibuscum amorem heri sui sibi conciliaverat. Hinc denique quædam adducebantur epistolæ a Præsule, Januæ degente, ad Sommarivium, Romæ commorantem missæ, quæ tales erant, quales nan herum decent famulo scribentem, sed potius amicum ad amicum.

5 Hæc tamen omnia, tanti non erant, ut certissimam nullique dubitationi obnoxiam, destruere deberent defuncti Præsulis voluntatem. Non enim primo loco præsumendum est, testatorem humanissimum voluisse extraneum præferre nepoti carissimo, qui, si aliquid ob juventutis aestum, vivente patruo, passus fuerat humani, non adeo nihilominus de ipso patruo male meruerat, ut ab ejus hæreditate repelli deberet. Contra vero, si Sommarivius vigilem, diligentem, fidum, honestum se erga Præsulem præbuerat, satis amplum, et condiguum laborum diligentiæ, et vigilantiæ præmium accepit ope donationis libellarum Januentium *viginti quinque millium*, quam erga eum exaravit anno 1791 Præsul Jo: Baptista. Nulle itaque suberat ratio, cur ei denua gratificaretur in præjudicium consanguinei, qoi cæteroquin, sive ex culpa sua, sive ex temporum infortuniis, in extremis reperiebatur angustiis. Præterea sapienter animadvertebant Patres, quod cum hominis voluntas sæpe mutetur, et *ambulatoria* sit usque ad mortem, in interpretatione ideo ultimarum voluntatum, non quid vivens forte dixerit testator, sed id tantum, quod moriens jusserit, inspiciendum unice esse. *Rot. decis* 66 *num.* 17 *cor*, *Burutto. At* ex testamenti tabulis constat hæredem duntaxat fiduciarium nominatum fuisse Sommarivium. Ergo non hæres proprietarius, sed merus fiduciarius habendus est, et pro tali se gerere debet. Quando enim aperta est, et clara defuncti voluntas, cæteris prævalet probationibus, nec ulla causa superest solemnem immutandi voluntatem, quam si novæ condantur tabulæ, et nava fiat dispositio. *Rot. in Civitatis Costelli haereditatis* 5 *Julii* 1794 § 7 *cor Herreros.*

Nequa illud prætermittendum est, 6 optima ratione inductum testatorem fuisse ad verum hæredem occultandum, totamque fiduciam cubiculario concredendam ne scilicet, si expressis verbis nepotem suum nuncupasset universalem hæredem a Creditoribus vexaretur, qui impetum facientes, acquisita hæreditate eum spoliassent e canverso nulla occurrebat ratio, cur, si voluisset Præsul proprictarium hæredem instituere Sommarivium, nominatim, et expressim id non egerit. Neque enim timere hoc modo poterat, ne in odium, et contemptum propinquorum incideret, qui patrios deserens lares jura omnia familiæ eorum favore abdicaverat. Multo imo minus de hac re sollicitus Præsul ipse censendus est, dum erat morti proximus, quippe qui vivens haud dubitaverat, quin egregiæ summæ libellarum Jannensium *quinque millium* supra *viginti* donationem palam, et publice in eum conferret, et credita multa ab eo proposita ob causam gestæ administrationis, cæcis quodam modo oculis approbaret. Inanis post hæc, tum in *jure* tum in *facto*, visa est exceptio, ex qua dicebatur, exilem tenuisque valoris hæreditatem sibi Sommarivium addixisse, dum sese a simplici, ac mero hærede fiduciario in proprietarium transformavit. In *jure* quidem: quia hæres fiduciarius, neque integram hæreditatem, neque ullam illius partem sibi adjudicare potest, nisi id ferat, ut demonstratum est, defunct valuntas. In *focto* rursus, quia exploratum est ob hæreditatem tantum, quam Præsul Romae reliquit, solutum

fuisse a Sommarivio vectigal successorium usque ed summam scutorum *quatuorcentum quinquaginta sex*, et obulos *septuaginta quinque*. Subductis ideo rationibus ad præscriptam normam scutorum *octo* in singula *centum* perspicue constat ex ipsius Sommarivii confessione, sumpsisse eum sibi, partim in proprietate, et partim in usufructu bonorum quantitate conflantem ad minus scuta *quinque millia septingenta*, et obul. 9 $\frac{1}{2}$ atque ea detracto omni ære alieno, detractisque tum Legato, quod ipse attribuit Sancti Gaudentio = *a titolo di giubilazione* =, tum proprietate prædiorum agri Ferentini, quæ juxta fiduciæ declarationem in Cappellaniarum erectionem eroganda erant; quippe omnie baec a vectigalis solutione per leges eximebantur.

7 Satis ingens propterea supererat quantitas bonorum, quibus impune frueretur Sommarivius cum propinquorum Praesulis jacture. Huic autem boaorum cumulo addenda est domestica suppellex a solutione vectigalis pariter exempla, quæ in haereditatis inventario e Sommarivio confecto scutis circiter *duobus millibus* æstimatur: Addenda rursus conspicua baereditaria quota, quae Praesuli competebat, eique quaesite fuit ex testamento germani fratris *Bartholomaei Maggiolii*, qui diem obiit supremum Januae multo ante, quam in fata concederet Præsul, et fiduciam sibi concreditem explicaret Sommarivius. Nou ergo in facto subsistit de re parvi momenti in praesens agi, et tenuem bæreditatem sibi addixisse Sommerivium, dum se proprietarium baeredem Præsulis nominavit. Spernenda autem erant acta quaedam judicialia Januae gesta, quibus rerum Judicatorum nomen perperam hodie tribuitur, quis nil aliud revera sunt, quam testimonia tabellonium. Quandoquidem, aut generaliter in illis testimoniis nominantur = *gli eredi e Successori* =. Praesulis Joannis Baptistae, aut, si Sommarivii, uti haeredis nomen occurrit, id ex errore accidit, causaque penitus non cugnita, veluti ac si firma manere debeat fiduciae declaratio, quae irrita modo renunciatur. Consulatur prior mea Dec. § 11.

Concidit itaque fiduciæ declaratio a Sommarivio fecta, adeoque concidit, ut nullum ei adjumentum effert Pia Causa, quæ in ea continetur. Nunquam enim receptum est, irritam fiduciarii declarationem, qui se ipsum nominaverit, substineri posse quoad alia quæcumque sive pia, sive profana legata, quæ ad eum non attinent, Uuus porro idemque actus in duas partes secari nequit; cum præcipue divisionem non patiatur jurisjurandi religio, quæ, si interposita a fiduciario non fuerit, adeo est inutilis fiduciæ declaratio, ut vim nullam obtineat sicuti, præter adducta in præterita mea *Dec.* §. 4, monet etiam *de Nigris de nominat. lib.* 3. *quæst.* 2. *num.* 21. *et Rota in Pisauren. hæreditatis* 14 *Febr.* 1727 § *constabilito coram Aldovrando.* Atqui juramentum individuum esse, et juratum quovis testimonium, si ex parte aliqua corruat, in cæteris quoque partibus, etiamsi minimis, nulliusque momenti, recipi non posse, communiter docet Sacer N. Ordo in *Rec. dec.* 56 *num.* 42 *parte* 9 *cor. Emerix dec.* 132 *n.* 7., *in Albanen. Manutentionis super Vigesima* 7 *Aprilis* 1758 §. 14. *cor. Frangipane, et in Romana Contractuum* 11 *Jan.* 1768 §. 16 *cor. Pergen.* Neque ostentanda sunt Piæ Causæ privilegia, quæ supplere quidem juris solemnie possunt, non autem defectum voluntatis defuncti sanare. 8

Si porro hæredi fiduciario se ipsum haeredem proprietarium declaranti, ob actus individuitatem, nulla fides adhibetur; nulla proinde probatio constituenda est in dicto ejusdem fiduciarii, qui falso in uno detectus, falsus iu omnibus reputandus est. Etenim, ut fert juris adagium, *non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse.* Que de re sustineri Causa Pia non potest, nisi manifesta, et aperta sit testatoris voluntas Piam Causam instituendi. Sed hoc minime a tebulis testamentariis colligitur, in quibus ne Causæ quidem Piæ vocabulum unquam irrepsit. Ergo ipsa quoque deficit causa Pia, ut in 9

similimis terminis argumentatur. *Rota dec.* 490 *n.* 7 *cor. Crescentio, in Romana Testamenti* 9. *Junii* 1741 § 5 *cor. Millino, in Romana Legati* 28 *Jun.* 1783 §. 8. *cor. Origo, et in Firmana Immissionis* 16 *Junii* 1783 § 8 *cor. Resta.* Hæc autem voluntas instituendi Piam Causam perperam eruebatur a Supplici quodam libello, quem defunctus Præsul exhibuit S. M. Pii VIII, ut obtineret = *la sopravivenza per dieci anni sopra li entroscritti Officj vacabili* = quo facilius posset = *tanto beneficare la sua famiglia, quanto ancora fare alcuni Legati Pii* = Cum enim Supplex hic libellus anno 1804, porrectus Pontifici fuerit, hic post tot annorum lapsum, quot ab eo tempore usque ad obitum Præsulis, qui diem vidit extremum anno 1820, præterlapsi sunt, non immerito præsumitur, consilium mutasse testatorem. Idque eo magis dicendum, tum quia de Causa Pia nulla mentio occurrit in testamentariis tabulis, tum quia declaratio illa = *tanto di beneficare la famiglia, quanto ancora di fare alcuni Legati Pii* = Supplici adjecta libello, plus ad cohonestandam postulationem, et veniam facilius obtinendam, quam ad verum propositum probandum emissa censeri debet.

10 Sed nodum quemcumque solvit juris distinctio a Doctoribus recepta, et Sacri Nostri Tribunalis auctoritate firmata. Aut enim dispositio Piam Causam omnino respicit, et profana aliqua Legata continet: aut respicit causam omnino profanam, et nonnulla Pia Legata comprehendit. In primo siquidem casu Causæ Piæ favor quodcumque sanat vitium, sive extrinsecum illud sit, sive intrinsecum. In alio autem casu, si irrita est Causa profana, irritum quoque est Pium Legatum, nullique exequutioni committendum: *Salicet. in Authen. Causa Cod. de Sacros. Eccles. n.* 7 *Card. Ant. de Luca de hærede confidentiali can.* 163 *num.* 16 *Marta de Success. legal. part.* 4. *quæst.* 8 *art.* 2, *n.* 3; *Gamm. dec. Luc.* 38 *n.* 4, *et Rota in Nuperrima dec.* 250 *n.* 13 *tom.* 5. Jam vero incontroversum est, tam tabulas testamentarias Præsulis Maggioli quam panditam a Sommarivio fiduciæ declarationem primario continere causam profanam, et secundario respicere Causam Piam, quoad partem tantum bonorum. Quæcumque ergo sint Piæ Causæ privilegia, cessent, et obmutescant necesse est, quia institutio hæredis pia non fuit.

Et ita VV. OO. DD., ac in triangolari partium conflictu definitum est.

ROMANA PECUNIARIA

QUOAD BONA FIDEICOMMISSARIA FERDINANDI AQUARONI

Lunae 21 *Novembris* 1825.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Creditori inscripto, pretium solvi debet, ad tramites sententiae graduationis.*
2. *Bona ad tertios quovis titulo perventa, impeti non valent, nisi legitima inscripta concurrat hypotheca.*

   Inefficax habenda est hypotheca, si inscriptio peracta sit - entro quel tempo, in cui gli atti fatti prima del fallimento sono dichiarati nulli - *ibidem.* -
3. *Qui reali actione est destitutus, frustra separari, ac distingui contendit, bona, jam in tertium translata.*
4. *Inter ejusdem personae creditores, separatio bonorum admitti non potest.*
5. *Ex redintegrationis sanctione, excepta fuerunt bona, quocumque modo a libero possessore alienata.*

DECISIO CCLXXXII.

Narrat contemporanea mea Decisio quoad cambium Amici, duplici adversus Ferdinandum Acquaronum fratres Pilaja credito fuisse præditos, quorum alterum in Sententia graduatoria ab R. P. D. Cioja, Judice extra ordinem dato, anno 1816 eis in extrema sede fuit collocatum, cum reservatione jurium contra bona fideicommissaria Ferdinandi = *favore cujus et contra*

quem de jure =. Post eamdem graduatoriam Sententiam a S. Ordine confirmatam *in Romana Graduationis* 4 *Februarii anni* 1822 *cor. R. P. D. Meo Martinez*, ab Auditore SSmi petierunt, obtinueruntque fratres iidem, ut commissio Sac. Ordini injungeretur *procedendi tamquam in primo super reservatis*, in cujus Rescripti vim, cum Patres fuerint interrogati = *An, cujus favore, et in qua summa constet de credito contra bona fideicommissaria Ferdinandi Acquaroni, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = ab Eodem R. P. D. Meo Martinez, die 27 Januarii 1823, responsum prodiit = *Negotive in omnibus* =. Hanc autem Decisionem Rescriptum statim excepit *Expediatur*, et inde Rotalis vulgata est consona Sententia. Quemadmodum vero in contemporanea prædicta mea Decisione expositum est, plures iterum hoc mane quæstiones agitare fratres haud dubitarunt. Sacer autem Ordo coilibet jura sua tribuens, dum de credito fratrum Pilaja pro Cambio Amici constare facile admisit, illud tamen ad formam Sententiæ Graduatoriæ condicendum esse definivit: Sententiamque ipsam coram R. P. D. meo Tiberj novæ Decisionis robore firmavit. Fieri igitur haud poterat, ut anceps Eorum hæreret judicium in hac altera controversia, in qua fratres Pilaja Rotalis Sententiæ ab R. P. D. Meo Martinez prolatæ vires expendere voluerunt, nec aliud propositæ Dubii formulæ = *An Sententio Rotolis sit confirmanda, vel infirmonda in casu etc.* = Responsum expectandum erat, quam quod PP. DD. pro sua justitia, et doctrina incunctanter dederc = *Sententiam Rotalem esse confirmondam* =.

1 Contra bona siquidem fideicommissaria Ferdinandi Acquaroni jura sua particulariter experiundi facultatem fratribus Pilaja plura tum extrinseca, tum intrinseca causæ adimunt momenta: Si extrinsecis enim pugnandum esset argumentis, jam id sufficeret animadvertere Sacrum Nostrum Ordinem eodem hoc mane eoram R. P. D. Meo Tiberi Gradnatoriam Sententism a Præsule Cioja prolatam, et in Rotalibus Comitiis 4 Februarii 1822 confirmatam, viribus omnino suis consistere decrevisse. Hæc vero Sententia fratrum Pilaja credita in ima cera collocavit, eorumque propterea condictionem arcuit a bonis Ferdinandi Acquaroni, super quibus jam alii creditores jura sibi legitime quæsiverant: nec aliud fratribus indulsit, nisi agendi jus contra ea bona si = *de jure, et contro quem de jure* = exercendum. Impossibile igitur erat, ut ab his iisdem per Sententiam Rotalem firmatis Patres recederent. Nec alia fuit decidendi ratio, ob quam in contemporanea Decisione cambium scutorum *quotuormillium* condicendi facultas non aliter eis concessa est, quam ad formam ejusdem Graduatoriæ Sententiæ. Rem tamen pressius spectare juvat: et intrinsecis omnibus causæ momentis perspectis, id ipsum evincere, quo Sacri Ordinis definitionis justitia magis, magisque elucescat.

Jam vero nil hodierno in jure pronius, exploratiusque in Foro dari potest, quam quod a nomino bona, ad tertios quovis titulo perventa, impeti valeant, nisi legitima, ac tempestive inscripta concurrat hypotheca: itemque inter plures, qui hypotbeca pollent, illos semper præferendos esse, qui anterioritatem in illa inscribenda præseferunt. Atqui fratrum Pilaja creditum nullam ab ortu hypothecam eorum favore gignere valuit. Tum enim schedæ a Ferdinando Acquaronio die 30 Martii anni 1788 obsignatæ, tum alia quævis documenta, e quibus illud scatet, quocumque realis obligationis vinculo carent; et ipsa deest Cameralis formula, ex qua oriebatur hypotheca: adeo ut mere chirographarium eorum creditum renunciandum esse jam S. Ordo definiverit in citata *Romano Graduationis* ejusdem diei *cor. R. P. D. meo Tiberj sub* § 3. Quin quidquam eis prodesse queant inscriptiones, quarum primam die 6 Septembris anni 1814 ab Hermanno Niemesgenos, alteram ab ipsis die 5 Septembris anni 1816 expletam demonstrabant. Hujusmodi quippe inscriptiones judiciales, utpote quæ a Rejudicata manabant eorum favore 2

prolata, præter quam quod prima ad fructus tantum Cambii Amici pertinet, altera vero ad cambium Folchi, non alia bona poterant afficere, quam quæ Ferdinandus ipse eorum debitor adhuc possideret. Verum tunc temporis, per Ferdinandi ipsius obitum, jam ejus bona cum bonis Joannis Jacobi fuerant commixta: convocatus præterea super integra Acquaroni substantia concursus fuerat creditorum, inter quos plures recensebantur, qui tempore habili inscriptionem contra Jacobum ipsum susceperant: ipsa denique prodierat Præsulis Cioja Graduatoria Sententia. Ex sanctione proptcrea Art. 2145 Codicis Gallici inefficax omnino habenda est ea tempestate inscripta hypotheca = *Le iscrizioni non producono alcun'effetto, quando siano eseguite entro quel tempo, in cui gli atti fatti prima del fallimento sono dichiarati nulli* =, ceu ad rem statuit S. Ordo *in Romana, seu Maceratea. Prælationis* 5 *Maii* 1820 *cor. R. P. D. meo Marco* § 8. Cum igitur contra una Ferdinandi Acquaroni bona inscripserint Pilaja, cumque bona eadem jam non amplius tunc temporis a bonis Jacobi secerni possent, cum quibus fuerant confusa; et super quibus jam alii potiora jura sibi quæsiverant, patet ideo inscriptionem subiecto caruisse, atque pro infecta, ac nullius roboris habendam esse.

3 Urgebant vero fratres creditores distinctionem, et separationem jamdiu factam esse, vel saltem faciendam bonorum Ferdinandi a bonis Jacobi. At hanc eorum contentionem jam semel, iterumque S. Ordo rejecit. Peractam siquidem jamdiu separationem ipsa excludit facti veritas, dum fere omnia in patrimonio Jacobi extabant, super quo concursus creditorum fuit convocatus: non obstante Ferdinandi testamento, in quo is omnia sua bona recensuit, et Praesulis Athanasii Sententia lata anno 1806, ubi bona omnia fideicommissaria descripta inveniuntur, et ipso tandem S. M. Pii VII P. M. Rescripto diei 19 Junii anni 1814, quo deputatus fuit ad separationem explendam Præsul Bottiglia. Hæc sane in medium proferre inutile est. Quamquam enim ex iis appareat de separatione aliquando fuisse cogitatum, certo tamen certius ex facto constat, eam nunquam fuisse expletam. Nondum vero peractam nunc esse peragendam frustra contendunt Pilaja. Semper enim id redit, libera Ferdinandi bona ad Jacobum filium a quacumque erga eos obligatione pervenisse, ac cum hujus bonis hactenus confusa mansisse; rursus hæc, dum ab eo detinebantur, rite, recteque aliorum favore fuisse obligata; obligationem tandem istam hypothecariae inscriptionis ope probe a creditoribus fuisse servatam. Frustra igitur illi, quovis ad bona ipsa impetenda reali titulo destituti, ea separari, et distingui contendunt, ad firmata per Rotam *in Romana Salviani super primo Dubio* 17. *Junii* 1816 § 6 *cor. Eminentissimo Serlupi*, *et in Romana*, *seu Albanen. consignationis pretii* 9 *Martii* 1818 *cor. R. P. D. meo Tiberj.*

Quibus et illud accedit nimis serotinam hujusmodi postulationem in præsentiarum esse, etsi dici vellet aliquando utiliter proponi potuisse. Ex censura quippe *Artic.* 2111. Codicis Civilis Gallici separationem bonorum defuncti ab illis ejus haeredis, vel successoris pro suis servandis juribus creditoribus expetere fas erat intra sex menses tantum ab aperta successione Ferdinandum vero jam a die 5. Septembris anni 1794 e vivis excessisse meminere Patres, eaque propter non amplius audiendos fratres Pilaja censuere in hujusmodi separationis contentione. Quod si etiam concedi parumper vellet, adhuc separationi locum esse hypothecae deficientia, et temporis lapsu despectis, altera tamen praesto esset ad illam penitus excludendam indubia ratio. Inter eos enim, qui legitime inscripti reperiuntur Cavallettus adest Marchio, qua cessionarius mulierum Annae Vittene, et Luciae Rossi Vaccariae, quarum utraque devincta non solum Jacobi, sed ipsius etiam habuit Ferdinandi bona. Atqui inter ejusdem personae credito- 4

res separationem admitti non posse statuit *Text. in leg.* 1 § 2 *de separat.*, et docet *Castrens. Cons.* 245 *num.* 1 *in princ.*, *et Zanch. de prælat. Creditor, exercit.* 6 § 4 *num.* 46, ac firmant *Rot. decis.* 872 *num.* 3 *coram Dunozetto Junior.* Quacumque igitur in hypothesi haec bonorum distinctio fratribus Pilaja, qua Ferdinandi creditoribus, esset deneganda in concursu aliorum, qui contra eumdem credita, et quidem hypothecæ rite servatis vinculis munita præseferunt.

5 Futile tandem visum est, quod ultimo loco Pilaja opponebant, bona scilicet fideicommissaria, quæ a Ferdinando accepit, obligare Jacobum non potuisse. Nemo enim est, qui nesciat adhuc anno 1809 vincula omnia fideicommissorum, et substitutionum ita abrogata fuisse, ut bona eisdem subjecta in possessoris libera proprietate deinde permanserint. Cum igitur Jacobus liber bonorum dominus effectus fuerit, licuit ei sane bona eadem obligationi cuicumque subjicere, suoque usi sunt jure creditores, qui super illis inscriptiones suscepere. Nec objiciendum reintegrata deinde per Legem Pontificiam anni 1816 fuisse fideicommissa, ac propterea rem ad eum casum devenisse, unde initium habere nequibat. Notissima siquidem et alia est ejusdem legis censura, qua ex redintegrationis sanctione excepta sunt bona quocumque modo a libero possessore alienata. Ita enim Art. 131. = *Rimangono sciolti da ogni vincolo di fidecommisso, o di sostituzione i beni di qualunque specie alienati, preso il nome di alienazione nel più largo significato comprensivo anche delle ipoteche.* = Ex quibus omnibus concludendum est fratres Pilaja, utpote qui omni carent legitima inscriptione contra fideicommissaria Ferdinandi bona, actionem pro credito suo condicendo nullimode contra ea posse experiri, quæ in Jacobum translata, nec ab ejus unquam bonis separata distingui, et secerni amplius non possunt, et super quibus jam alii creditores hypothecariæ inscriptionis ope jura acquisiverunt, quæ eis sarta, tectaque servanda esse Graduatoria R. P. D. Cioja Sententia a S. N. Ordine confirmata præcepit.

Et ita cum Universæ Aulæ suffragiis Rotali Sententiæ confirmationis robur fuit adjectum Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

QUOAD CAMBIUM AMICI

Lunae 21 *Novembris* 1825.

ARGUMENTUM

Qui debitum, vel illius partem post initum contractum dimittit, se eodem pro nomine debitor fatetur. Ac id eo magis, si conjecturae ac praesumptiones accedant, quae crediti existentiam evincant.

SUMMARIUM

1. *Syngrapha bona, et privata fide subscripta, crediti existentiam probat.*
2. *Idque multo magis, si postea publicae stipulationis tabulae accedant.*
3. *Nulla oritur actio, ex credito, quolibet documento destituto.*
4. *Qui diligenter asservari vult documentum privatum, ad acta publici Tabellionis deferre debet.*
5. *Negocii moderatori, quam maxima fides est adhibenda.*
6. *Quam maximo in pretio est habendum argumentum, quod eruitur ex facto in re simillima.*
7. *Qui debiti partem, post initum contractum, dimittit, se pro eodem nomine debitor fatetur.*
8. *Convocato creditorum concursu, jus sibi per hypothecam quaerere quis non potest.*

DECISIO CCLXXXIII.

Plures hoc mano inter Creditores Patrimonii Acquaroni, et Leopoldum, ac Camillum Fratres Pilaja propositæ sunt S. Ordini controversiæ definiendæ. Duplicem enim hi crediti causam contra Ferdinandum Acquaroni præseferebant, ex duobus scatentem Cambiis, altero in summa scutorum *mille quingentum*, altero ad vim scutorum *quatuor millium*, una cum fructibus ab utroque

productis. Quæ cum coram Judice concursus super Patrimonio Jacobi Filii prædicti Ferdinandi convocati proposuissent, in extremam ab eo graduationis sedem rejecti sunt. Quapropter coram R. P. D. Meo Tiberi sententiæ primum graduatoriæ viribus disceptarunt, quæ jam rei judicatæ naturam adepta meruit omnino confirmari, frustra iis laborantibus, ut Creditoribus aliis ante se designatis præferrentur; coram eodem deinde de Cambio scutorum *mille et quingentum*, ejusque fructibus sui favore constare contenderunt, et ad ejus obtinendam condictionem sibi actionem contra hæreditaria Ferdinandi bona concedi quæsierunt. At ea S. Ordinis prodiit Decisio, quæ assertum eorum jus contra prædicta Ferdinandi bona exclusit omnino, cognita tamen a Patribus, servataque crediti existentia.

De altero supererat Cambio scutorum *quatuor millium*, ejusque fructibus disceptandum. Hoc sibi Fratres Pilaja quæsitum esse æstimabant, quamvis ex publicis tabulis pateret, illud favore prædicti Ferdinandi contra Fratres Amicius fuisse creatum, et declarationem ad id evincendum ostendebant, qua Ferdinandus eorum jura agnoscere, et profiteri non dubitaverat. Ad hanc igitur controversiam dirimendam Patres ego rogavi « *An cujus favore, et in qua summa constet de credito pro sorte, et fructibus Cambii, et contra quæ Bona sit relaxandum mandatum in casu etc.* » Atque, omnibus Dominis videntibus, responsum prodiit « *Affirmative ad formam Reijudicatae super Sententia graduatoria.* »

1 Bifariam, ut quisque videt, proposita dubii formula dividebatur, cujus pars prima crediti veritatem respiciebat. Hæc autem tanta præstat evidentia, ut dubitari nullimode posset, quin eam Patres suo firmarent judicio. Et re quidem vera id primum constabat Agatham Pilaja Borri, fratrum, qui nunc judicio sistunt, amitam Hermannum quemdam Niemesgenos suorum negociorum gestorem habuisse, eique anno 1788 mandatum dedisse, cum aliorum, tum præsertim *quingentum* supra *quinque millia* scutorum summam utiliter investiendi, quæ ad Fratres suos Franciscum Leopoldi, et Philippum Camilli Patrem magna ex parte pertinebant. Hermannus itaque Ferdinandum adiit Acquaronium, tunc magni nominis in Urbe Argentarium, eique Cambii nomine pecuniam tradidit, quincuncibus depactis Usuris, non aliud referens contractus Testimonium præter syngrapham bona, et privata fide subscriptam. At pecuniam paulo post Acquaronius ipse penes alios collocandam duxit; et acuta *quatuor millia*, de aliis enim *mille et quingentis* Folchio traditis nostrum haud est disserere, die 18 Martii ejusdem Anni 1788 insciis omnino Pilaiis, Lugdovico tradidit, et Prospero fratribus Amiciis, notissimis tunc temporis in Urbe Negotiatoribus.

Nec id minus solemniter perfecit: numeris enim omnibus absolutæ stipulationis testimonia publicæ præbent tabulæ ad eam diem a Tabellione Possenti rogatæ, in quibus et fructus quincunces conventi leguntur. Quo vix perfecto contractu ab Hermanno petiit Ferdinandus, ut cupienti sibi obligationis suæ mensuram iterum perpendere, reddere paulisper vellet originalem conventionis Apocham, haud ita pridem subscriptam: quod ea bona fide, quæ intimos decet amicos, præstitit ille. Restitutionem vero frustra postulavit: eam enim non amplius e manibus suis dilabi passus est Ferdinandus, ejusque loco declarationem die 30 Martii ejusdem anni Hermanno tradidit, qua fassus est = *che il Cambio creato sotto li 18 Marzo corrente per gli atti del Possenti di scudi 4000 moneta colli Signori Fratelli Amici al cinque per cento spetta in tutto, e per tutto ai Signori Francesco, e Filippo Pilaja senz'alcuna sua cura* =; addiditque se, ut rem eis gratam faceret, unus suspicere fructus eisdem rependendi singulis tribus mensibus, eosque satis temporibus a fratribus Amiciis repetendi = *Dichiaro, che per fare cosa grata io sottoscritto corrisponderò i frutti di trè Mesi posticipati, e sarà mio il pensiero di esiggerli dai sudetti a suoi tempi prefissi.* = 2

3 Questus est tunc de frande Hermannus; amicabilia primum officia adhibuit; summam deinde Principis Auctoritatem imploravit, ut sibi origioaria redderetur a debitore obligatio. Nil tamen profecit: quolibet enim erat documento destitutus, quo assertorum veritatem Principi demonstraret; satius igitur, ad clamores vitandos, silere duxit, ac id Agathæ, fratribusque tamdiu, quamdiu posset, ignotum relinqui voluit. Interea vero temporis suam punctim implevit Ferdinandus obligationem: statis enim temporibus diligentissime Cambij fructus, vel Agathæ, vel ejus procuratori persolvit ultra annum 1795. quo elapso a solutionibus perficiendis restitit. Nec satis: Sortis enim ipsius haud modicam partem diversis receptis solutionibus extinxit; idemque Jacobus Ferdinandi filius post hujus mortem perfecit: adeo ut *quatuor millium* Scutorum caput ad Scuta *termillia nonaginta*, et unum cohibitum fuerit, ceu patet ex recepti Schedis ab ipsis Acquaroniis productis, nec hodierna in controversia impognatur.

4 Diu tamen originariæ obligationis subreptio Agatham latere nequivit. Cum enim Anno 1795. Acquaronii fructuum solutionem detrectarent, ne omnis rei historia patefieret, maluit Hermannus ære proprio creditoribus satisfacere. Anno tamen 1805. cum de testamento conficiendo Agatha cogitaret Familiarem quemdam suum rogavit, ut sibi omnia documenta legendo recitaret, ex quibus credita, actionesve patrimonii sui costituebantur; ac de subreptione obligationis, deque declarationum substitutione certior facta obstupuit, et ab Hermanno haud unquam excogitatæ rei notitiam accepit. Quo factum est, ut Hermannus ipse, propriam fortasse culpam agnoscens, in obligationis Syngrapha nimis confidenter debitori tradenda, fructos propria pecunia dimittere, usque ad mensem Julium Anni 1805 maluerit, a quorum solutione eum deinde destitorit, graves inter eum, et Pilajam gentem exortæ sunt controversiæ, quas transactione solemni diei 5 Maii subsequentis Anni 1806 amicabiliter composuere. Id vero prudenter admodum curarunt Pilaja, ut declarationes saltem, quas ab Acquaronio receperant, quæque una supererant, sui crediti documenta, ad omne vitandum periculum quam diligentissime asservarentur: eaque de causa illas apud acta publici Tabellionis Paparozzi exhiberi voluerunt: ex quibus hodie deprompta suot omni veritatis charactere insignita, ob testimonium, quod de iis perhibuit Urbano Tabellario asservando Præfectus.

Ex hac porro oitidissima totius rei historia, quam præsertim ex prædictæ transactionis tabulis tempore haud suspecto confectis haurire licet, jam cuique patet, in dubium adduci non posse creditum Agathæ, ejusque fratrum, sive quod idem est Leopoldi, ac Camilli Pilaja, qui in illorum hæreditatem, inraque omnia successere. Constat enim Hermannum Niesmegenos summam scutorum *quatuor millium* Ferdinando Cambii activi nomine tradidisse; et quincunces ex iis usuras depactum fuisse. Contractus testimonium apocha exhibebat; hanc subdole sibi restitui curavit Ferdinandus, ac ejus loco declarationem substituit, qua cambium cum Amiciis fratribus conctractum spectare declaravit = *in tutto, e per tutto alli Signori Francesco, e Filippo Pilaja, senz' alcuna mia cura* = Quæ quidem omnia Hermannus ipse testatur, cui utpote rei moderatori, quam maximam fidem adhibeodam esse omnia jura docent; Ferdinandi declaratio id evidentissime confirmat; nec ipsi denique Acquaronii creditores, quos Adversarios fratres Pilaja in hac contentione experiebantur, infeiari ullimode voluerunt.

Quod si argumentis etiam in re tam 5
patula opus esset, quam plurima jam proferri possent, ad crediti veritatem incluctabiliter evincendam. In promptu siquidem quærenti causa esset, ex qua Ferdinandus adductus censeri deberet ad syngrapham obligationis Hermanno subripiendam, et ad Amicios sui debitores constituendos. Se enim dedecuisse putavit Argentarius, cujus fortunam jamjam periclitari fama nunciabat, pe-

cuniam ab aliis foenore accipere: ideoque maluit creditor fratrum Amiciorum, quam Agathæ, aliorumque debitor videri. Id etiam fortasse evenire potuit, quia, ære pressus alieno, pecuniam ab Hermanno receptam statim in alios, et necessarios usus convertere debuerit; ac propterea ad creditorum damna sarcienda, vim eamdem pecuniæ statim apud Amicios collocaverit. Cujus conjecturæ probabilitatem id maxime statuit, quod ex cujusdam Milani proxenetæ testimonio rescire datum est: *quatuor* scilicet scutorum *millia* a Ferdinando Amiciis tradita non Civi Romano, sed « *ad un Forastiere* » pertinuisse. Romæ enim nati Fratres Pilaja, Romæ etiam semper degerunt, ideoque peregrini qualitas eis nullimode aptari poterat. Demum quam maximo in pretio habendum est aliud argumentum, quod eruitur ex Acquaronii facto in re simillima, nempe quoad cambium Folchi, cujus sortem, quamvis hoc cambium non negaverit ad Agatham spectare, ipse exigere, et in rem suam convertere haud erubuit.

7 Utcumque vero se res habucrit, fuerintque, nec ne, scuta eadem illa *quatuor millia* ab Hermanno recepta, Amiciis dein tradita, eorum tamen debitorem se Ferdinandum erga Pilsja constituisse inde maxime patet, quod nedum fructus, sed et partem sortis etiam præter obligationis in declaratione assumptæ terminos persolverit. Scitum enim in jure est eum, qui debitum, vel illius partem post aliquod initum contractum dimittit, se eodem pro nomine debitorem fateri, ceu ad *Text. in leg. Paulus ff Ratam haberi tradunt Affict. decis.* 31 *Menoch. præsumpt.* 135 *num.* 15 *lib.* 3 *numer.* 30 *Rota in Recen. decis.* 108 *part.* 15 *num. final. decis.* 73 *part.* 15 *num.* 18 *decis.* 73 *part.* 17 *num.* 18. Quibus omnibus et illud accedit, gravissimas extare præsumptiones, ne indubias dicam probationes, ex quibus eruitur, Ferdinandum ab Amiciis Fratribus jamdiu cambii sortem exegisse. At singula hæc, et alia hujusmodi, haud minus concludentia persequi operæ pretium in præsentiarum non est: tum quia quæ hactenus dicta fuere satis, superque sunt ad crediti veritatem demonstrandam, tum quia nec ipsis creditorum Adverssrii eam denegare ausi sunt: qui in id dumtaxat nisus suos intenderunt, ut fratribus Pilaja actionem pro credito suo vindicando Patres non aliter concederent, quam sd formsm Sententiæ graduatoriæ, quæ eos in extrema sede posuit; quapropter nulla absque hæsitatione Sac. Tribunal admisit Fratrum Pilsja creditum pro sorte, et fructibus Cambii, de quo agitur in scutis sex mille quingentis viginti octo ad tramites jurium, quæ ab ipsis allata fuere.

Quo vero ad bona, contra quæ mandatum ipsorum favore relaxandum est, 8
quod alteram constituit disceptationis in dubii formula compræhensæ partem, Patres postulationem adversariorum eorumdem fratrum excipiendam putarunt, nec contra fideicommissaria Ferdinandi Acquaroni bona actionem Pilaiis concedendsm censuere. Nec aliter sane sentire fas erat, cum in contemporanea Decisione *Romana Graduationis cor. R. P. D. meo Tiberi* rem judicatam super Sententia graduatoria a Præsule Cioja prolatam, et ab R. P. D. Meo Martinez confirmatsm Sac. Ordo probaverit. Ut enim in ea sub §. 3. statutum est, inscriptionis hypothecæ defectus in causa est, quod fratres Pilaja cum creditoribus, qui suas inscriptione hypothecas servarunt, concurrere haud valeant. Quin eis prodesse possit inscriptio, vel ab Hermanno anno 1814. vel ab ipsis anno 1816. contra Ferdinandum suscepta. Jam enim commixtis Ferdinandi bonis cum bonis Jacobi ejus filii, et convocato creditorum concursu, jus sibi per hypothecam quærere ii amplius non poterant in præjudicium creditorum aliorum, qui ocius, ac diligentius inscripserant. Nec diversimode judicandum ob assertam bonorum Ferdinandi a bonis Jacobi separationem; hanc enim Fratres Pilaja haud respexisse, nec ad exitum fuisse perductam, nec demum eisdem fratribus pluribus ex causis prodesse potuisse jam eadem firmavit Decis. *Romana Graduationis in* §. 5. *fin.* idemque statuit altera Decisio hujusmet diei *coram*

eodem R. P. D. Meo Tiberi quoad bona Ferdinandi, in qua de huic simillima specie disceptatum est, de cambio scilicet, quod Ferdinandus cum Folchio contraxit, et declarationis ope deinde ad Fratres Pilaja spectare fassus est: Ad eas igitur me refero, ne dicta inutiliter repetam, cum præsertim hæc in themate adnotasse sufficiat, graduatorism nempe Sententiam extremum locum tribuisse Pilaiis pro suo credito condicendo: de ejusdem viribus eodem hoc mane apud S. Ordinem esse disputatum: eam tandem Patres omnino confirmandsm definivisse. Quousque itaque hæc consistet, aliam frustra actionis suæ exercendæ rationem fratres prædictos creditores expostulare tenendum firmiter est.

Et ita, tota suffragante Aula, jus fuit dictum; Utraque etc.

ROMANA PRIMOGENITURAE

SUPER RESERVATIS

Lunae 12. *Decembris* 1825.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Res-judicata, de cujus validitate nulla est quaestio, confermari debet.*
2. *Credita, quae fuerunt subrogata bonis primogenialibus, veniunt in restitutione primogeniturae.*
   Et num. 3, et 4.
5. *Fructus in judicio reintegrationis, veniunt a die apertae successionis.*

DECISIO CCLXXXIV.

Cum anno 1803 diem obiisset supremum Marchio Joseph Ossoli, qui fideicommissum possidebat ab Joanne Angelo Ossoli institutum, ac primogenituram ab Jacobo Ossoli, sive ab ejus uxore Portia Grifoni, ex facultas sive in testamento viri tributa, ordinatam, illius filii, ac hæredes, Antonius primogenitus, ac Philippus Secundogenitus, omnem ab illa substantiam relictam confusim, et æquis partibus occuparunt, perinde ac si Antonio speciale jus ad primogenituram haud esset. Cito vero damno ex hoc inconsulta occupatione Antonio obvento obviam ivit Sententia Præsulis Valle, Judices a S. M. Pontifices Pio Septimo Deputati, qui ei concessit mandatum de manutenendo, et quatenus opus esset, de reintegrando quoad primogenialia bona = *ad formam Instrumenti erectionis dictæ primogenituræ* =, in vim cujus Sententiæ Reijudicatæ vires nactæ, possessionem plurium ex iis bonis, penes Philippum existentibus, ad valorem usque scutorum 18900 32 ½, legitimæ Antonius adeptus est. Cum vero ad integram assequendum primogenialem substantiam, id essent bona valoris scutorum 28962 8 ½, horum dimidiam partem, in scutis 1448. 4 ½ in Philippum perventam, adversus hunc postulavit, et obtinuit a Tribunali Primarum Actionum, quod in Urbe sub Gallorum Dominatu jus dicebat.

Legitimi Principis dein Imperio, Deo dante, restituto, egit apud Collegiale A. C. nunc abrogatum Tribunal pro executio illius Sententiæ Tribunalis Primarum Actionum, et restitutione fructuum indebite per Philippum a primogenialibus bonis perceptorum, et qui in posterum percipi poterant. Tunc autem Philippus coram eodem Collegiali Tribunali instantiam contra illum proposuit pro circumscriptione possessionis bonorum ab eo captæ in vim Reijudicatæ Præsulis Valle. Datum ab hoc Tribunali munus fuit D. Advocato Picarozzi uti Perito Curiali verificandi pertinentiam bonorum, de quibus agebantur, et referendi super juribus utrinque deductis. Periti relatione expleta, idem Tribunal, huic relationi inhærens, Sententiam protulit die 3 Septembris anni 1622, qua posthabita prorsus Philippi pro circumscriptione instantia, relaxavit = *a favore dell'Attore il mandato di manutenzione, e quante volte faccia di bisogno, di reintegrazione al possesso dei beni primogeniali tuttora*

existenti, non che l'executivo per la s. mma di scudi 16942 13 $\frac{1}{2}$ *a norma in tutto, e per tutto della perizia medesima* =; atque hanc Sententiam in Rem judicatam transire sivit Philippus.

Venit postea ex Rescripto R. P. D. Auditoris Sanctissimi Causæ cognitio ad S. N. Ordinem. Hinc proposito a me in Comitiis diei 20 Junii hujusce anni assueto dubio = *An constet de Re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Responsum accepit = *Quoad bona stabilia existentia penes Philippum Affirmative ad primam partem, Negative ad secundum; quo vero ad cambiu, census, et creditum reintegrationum dilata* =; Uti videre est ex decisione ad eam diem a me edita, quæ factorum seriem ac judicialia acta fuse narrat, ac Partium jura exponit, et perpendit. Disceptatio deinceps super prædictis *Reservatis* ineundo erat sub eodem dubio = *An constet de Rejudicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* = die 25 nuper elapsi Novembris; sed licuit Philippo comperendinatum asqui. Die vero quinta hujusce mensis in Partium certamine judicium ampliatum fuit ad *Quintum, et Sextum*, et dilatum ad primam post proximam, nempe ad hodierna Comitia, in quibus *sex* suffragantes Domini prædicto Dubio respondendum censuere = *Quoad Cambia, census eorumque fructus Affirmative ad primam partem ad formam Peritiæ, et cum vinculo litis, negative ad secundam; quo vero ad creditum reintegrationum coadjuveatur probationes.*

1 Res judicata Tribunalis Collegialis A. C., quam Sacrum Tribunal in Rotali Conventu diei 20 Junii hujusce anni confirmavit in ea parte, qua neglecta circumscriptionis instantia, quoad bonorum primogenialium possessionem ab Antonio captum, in vim Rei judicatæ Præsulis Valle, hanc possessionem probavit, ac Antonio immissionem tribuit ad alia primogenialia bona stabilia, adhuc penes Philippum existentia, adjecta fructibus per ipsum ab hisce bonis absque jure perceperit, cum hodie confirmari meruerit in alia etiam parte, tributam respiciente eidem Antonio immissionem ad frugifera nomina primogenialia, redeunt ad hodiernæ Sacri Tribunalis definitionis justitiam demonstrandam, ea omnia juris, factique rationum momenta quæ *in genere* lata deducta fuere in præcedenti mea superius memorata Decisione *Romana Primogenituræ super Manutentione, et reintegratione* 20 *Junii* 1825 § 7 *ad* 10. Rem nempe judicatam, de cujus validitate, uti nostro in themate, nulla est quæstio, confirmationis robur mereri, ubi justitiæ consona dignoscatur: merito vero Rejudicata, de qua agitur, Antoniu Ossoli juniori manutentionem seu reintegrationem tributam fuisse ad bona subjecta primogenituræ prædictæ, probata per ipsum legitima hujus institutione, ac primogenituræ vinculo, vel usque ab initio inhærente bonis, quæ petit, vel in hæc translato, aut ope subrogationis, aut in vim hypothecæ, quibus obnoxia erant pro illius primogenituræ conservatione. Id tantum itaque, quoad præsentem controversiam videndum *in specie* supcrest, an primogenialia, aut origine, aut ob subrogationem, aut hypothecæ causa, sint nomina censualia, et cambialia, quæ hodie Sacrum Tribunal, ad tramites Peritiæ Advocati Picarozzi, et Reijudicatæ Tribunalis Collegialis A. C., Antunium Primogenitum a fratre Philippo vindicare posse constituit.

Sit primum igitur sermo de cambii rata, qua die 16 Aprilis anni 1696 favoro Jacobi Ossoli in scutis *quatuor centum* contraxit Lavinia Gavetani. Hoc cambium in eadem scutorum 400 summa descriptum videtur in notula, quam de bonis primogenituræ subjectis confecit Portia Grifoni, quamve instrumento institutionis primogenituræ inseri curavit. Deinceps voro quidam Francbi Clementini, qui cjus debitor evaserat, ejus ratam persolvit in scutis *biscentum* Antonio Ossoli seniori die 22 Decembris anni 1722, ac ideo firmum mansit pro rata tantum scutorum *biscentum*, sicuti constat ex Peritia Bazzoni. Hujus ratæ medietas in scutis *centum* obvenit Philippo ex superius relata oc- 2

cupatione substantiæ a parente Josepho relictæ una cum fratre Antonio: nil ergo dubium, quod tradi huic debeat ea cambii ob origine primogenialis rata pro dimidio, salvo ejus jure ad reintegrationem pro rata extincta assequendam. Succedit rata cambii in scutis 1100 debiti a quibusdam Combi, et Lepri. In controversiam haud adducitur, hoc cambium anno 1789 contraxisse prædictos Combi, et Lepri cum Josepho Ossoli, qui pecuniam eis dedit ad scuta usque 2680, provenientem ex pretio domus « *alla Dataria* » et alterius *alla Rotonda* », quæ, uti primogeniales recensitæ a Portia fuerunt in prædicta notula, vel uti in primogenialium bonorum locum subrogatæ referuntur in Peritia Bazzoni per Rem Judicatam R. C. Cincii confirmata. Nullum hinc dubium, hoc cambium primogeniale fuisse. Quare, cum adhuc extet pro rata scutorum 1100, hujusque ratæ dimidiam parte assequutus fuerit Philippus Ossoli in scutis 550, hanc primogenito Antonio restituat oportet, salvo huic quoad deficientem quantitatem jure ad reintegrationem obtinendam.

3 Aliud etiam nomen uti primogeniale a fratre Philippo sibi vindicat Antonius, nempe cambium Bottoni, seu Nunez, quoad dimidium hujusce cambii ratæ scutorum 370 pariter penes illum extans, in scutis nempe 185. Derivat hæc cambii rata pro scutis 150 a parte pretii domus prædictæ « *alla Dataria Apostolica* », pro scutis 200 a pretio Locorum Montis Communitatis primogenituræ obnoxiorum, « *rassegnati dalla buona memoria Antonio Ossoli allora possessore della primogenitura* =; pro scutis vero 20 e parte pretii domus superius relatæ = *alla Rotonda incontro il Palazzo Crescenzi* =, uti constat ex documentis depositi, ab Josepho Ossoli in æde Sacra Montis Pietatis expleti die 19 Julii 1797, et mandati ab ipso scripti hujus Ædis Administris *die* 28 ejusdem mensis pro illius summæ solutione erga Bottonium. Perspicuum est itaque jus Antonii Junioris quoad hoc etiam primogeniale nomen pro rata scutorum 185. Idemque dicendum quoad medietatem ratæ cambii Sassi scutorum 500, ac ideo pro scutis 260, quam pariter sibi arrogavit Philippus; quia hoc cambium pro ea scutorum 500 rata provenit e pretii parte sæpius memoratæ domus = *alla Dataria Apostolica* =, siculi fidem faciunt bina monumenta, alterum pecuniæ in Æde Sacra Pietatis ab Josepho Ossoli depositæ die 6 Martii 1789, alterum mandatæ ab ipso hujus Ædis Administris solutionis prædictæ summæ scutorum 500 favore Caroli Sassi in partem cambialis nominis ab ipso contracti ad scuta usque *mille tercento*.

Duo alia supersunt nomina, quorum 4 utrumque pro dimidio, quod occupavit Philippus, Antonio hodierno primogenito tradatur oportet. Unum est cambium Pira, seu Zaccardini pro medietate illius ratæ scutorum 300. Hoc sane cambium *die* 19 *Augusti* 1791 per acta Tabellionum Taschini, et Fiammetta contraxit in scutis *mille* favore Josephi Ossoli Joannes Baptista Pira. At pecunia, ei ad collybum ab Josepho Ossoli data, erat quoad scuta 150 pars pretii domus = *alla Dataria* =, et quoad alia scuta 150 pars pretii domus = *incontro il Palazzo Crescenzi* =, de quibus, uti ad primogenituram spectatibus, pluries facta fuit superius mentio, quod probat compendium desumptum = *libro dei depositi vincolati del S. Monte della Pietà di Roma dell'anno* 1791 =, ergo hæc combii rata primogenialis procul dubio dicenda est. Nomen alterum est census in sorte scutorum 100, quod Antonius Senior acquisivit a quodam Thoma Melarancio pecunia derivante e cambio Gavetani, quod primogeniale esse jam supra fuit demonstratum, est ideo hic census primogenialis, atque uti primogenituræ subjectus fuit agnitus a peritia Bazzoni, Rejudicata A. C. Cincii probata. Hinc haud licet Philippo hujus dimidiam partem in scutis 50, quam habuit ex provisoria substantiæ a patre Josepho relictæ divisione cum Antonio expleta, in hujus, ac primogenituræ præjudicium retinere.

5 Constito ex hisce omnia credita primogenialia esse, utpote a primogeniali pecunia derivantia, fieri haud potuit quod anceps esset Patrum judicium in iis primogeniluræ addicendis, ad tramites Peritiæ D. Advocati Picarozzi, et Rei Judicatæ Tribunalis Collegialis A. C., cui in hac etiam parte confirmationis robur fuit additum. Ita etiam merito damnatus fuit Philippus ad restituendos Antonio primogenito fructus ab iis nominibus perceptos a die obitus parentis, quia ab eo tempore statim ipso jure primogenialium bonorum dominium in Antonium transiit, uti mea probat Decisio *Romana Primogeniluræ super Manutentione* 20 *Junii* 1825 § 20. 21. Quia vero fieri forsan posset quod Philippus in suo congruo judicio demonstret hæc nomina pro fideicommisso, vel prælegato devinci, Domini idcirco ejus juribus prospiciendum censuere imposito super iis nominibus vinculo litis. Hæc si perspicua Patribus visa sunt, non idem fuit quoad reintegrationum creditum, quod pro primogenitura proponit Antonius in conspicua summa adversus fratrem Philippum. Hasce enim reintegrationes ut obtineret, probandum ab ipso fuisset luculentissime primogenialem substantiam; Philippi vel ejus auctorum culpa fuisse dissipatam, ac eversam. Hæc itaque evidens probatio cum adhue deficiat, prudentissimum fuit Dominorum consilium definitionem hac de re in suspenso relinquendi, ac præscribendi ut controversia clarioribus suffulta demonstrationibus novum in posterum subeat examen.

Et ita *Quinti*, *et Sexti* suffragio accedente fuit hodie jus dictum: Utraque etc.

—

ROMANA PURGATIONI SPOLII

Lunae 16 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

Coram De Cursiis Tom. III.

SUMMARIUM

1. Actio spolii non admittitur ubi agitur de rebus mobilibus, ac semoventibus.

Duo sunt extrema in actione spolii; vetus spoliati, ac recens spoliantis possessio - ibi -

2. Deficiente rei traditione, deficit etiam naturalis possessio.

3. Depositum expletum jussu Magistratus, pro assecuratione judicii, nullam transfert possessionem.

DECISIO CCLXXXV.

Cum primum ad aures Antonii Polanii pervenit, Aloysium Capotium actionem vindicatoriam adversus detentores perperam distracti pecoris apud A. C. Colapietro proposuisse, censuit eodem eo Judice sistere, conjunctisque cum Antonio Tabanellio, ac Joanne Baptista Serafinio studiis spolii purgationem ex ea ratione postulare, quod almæ Urbis Præses, urgente Capotio, auferri pecus a Tabanellii latifundio jusserat illudque in proximum agrum Ducis Braschii traduci, ibique depositi loco servari, donec a pluribus excitata dominii et proprietatis contentio dirimeretur. Quamvis autem A. C. Colapietro institutam a Capotio vindicationis actionem excepe-rit, dummodo pretium Tabanellio restitueret, ut latius enarrat altera mea hujusce diei Decisio, rejecit tamen spolii purgationem a Polanio, ejusque asseclis petitam. Nec meliorem sortem experti ii fuerunt coram Sacro Nostro Ordine, ad quem, interposita provocatione, una cum alia vindicationis controversia delata est spolii disceptatio. Quærenti enim mihi, ac proponendi Dubii formulam = *An sit locus purgationi Spolii in casu etc.* = responsum est = *Negative* =.

Ad banc Spolii explodendam actio- 1
nem illud unum sat esset animadvertere, non hic agi de rebus soli, quibus convenit actio Spolii, sed de rebus mobilibus, ac semoventibus, in quibus actio Spolii non recipitur, ac una tantum agi potest actione furti, seu de vi *bonorum raptorum*, seu alia demum *ad exibendum* juxta censuram *leg. Prætor.*

arb. 1. §. *Illud ff. de vi, et de vi armat. Reiafestuel. in lib.* 2. *Decret. tit.* 13. *num.* 12.; *Rot. in Civitatis Castelli Spolii* 25. *Januarii* 1748. §. 2. *cor. Caprara*, *et in Romana pecuniaria super spolio* 5. *Julii* 1751. §. 2. *cor. Vicecomite.* Etiamsi vero instituta jure fuisset actio Spolii, quæ cæteroquin, utpote a cerbitatis, et odii plena, claris indiget probationibus, ac in quolibet dubio rejicienda est ad tradita per *Rot. decis.* 213. *num.* 1. *cor. Molines, et in Imolen. Spolii* 13. *Martii* 1752. §. 2, *cor. Amadeo*: in themate nihilominus deficerent duo illa extrema, vetus nimirum spoliati possessio patrati spolii purgatio, ac ad possessionem redintegratio numquam decernitur. *Cap. conquerent*, *cop. cum ad sedem, et cap. Reintegrandæ de restit. spoliat.* §. *Recuperandæ Instit.* de *interdict.*, *Rot. Decis.* 270. *num.* 11. *part.* 19. *Rec. decis.* 318. *n.* 1. *cor. Caprara*, *decis.* 61. *num.* 1. *cor. Caprara*, *decis.* 61, *num.* 1. *cor. Olivatio*, *et decis.* 387. *num.* 1. *cor. Riminaldo.*

2 At nunquam poterant neque Polanius, neque Serafinius; neque demum Tabanellius, primum possessionis animalium extremum evincere. Non quidem Polanius, quia non modo ex demonstratis in coæva decisione §. 4. et 5. numquam ipse dominiom belluarum adeptus fuit et quidquid eum inter, et Capotium gestum fuit simulationis causa gestum fuisse constat verum etiam, quia, dum ex jussu Præsidis Urbis deductæ belluæ in agro Ducis Braschii fuere, illæ quidem non penes Pulanium reperiebantur, sed imo penes Tabanellium in vim contractus emptionis venditionis, qui cum eo fuerat a Polanii procuratore celebratus. Non item Serafinius, quia, præterquam apocha, quam ille præsefert, putidam redolet simulationem cum Polanio initam ad eludendum Scarapecchium; illud etiam accedit, nullam unquam pecoris traditionem cum recepisse. Recolatur coæva mea *Decis.* §. 9. Deficiente hinc rei traditione, deficit etiam naturalis possessio. Non denique Tabanellius, quia, etsi ipse assequutus a Scarapecchio fuerit belluarum traditionem, easque naturaliter possideret; non jure tamen eas possedisse fit patens, semelac Scarapecchius id vendidit, quod proprium non erat. Quod si demandatum fuit, ut Tabanellio reddatur pretium ab eo solutum Scarapecchio, id quidem non ob justum aliquem initæ emptionis venditionis titulum, sed ob quamdam legis, ac juris æquitatem factum est, et quia bona fide dum is ad emendum accessit, ex altera parte Capotius ex duplici illa et simulata syngrapha Kalendis Maii anni 1824 cum Polanio exarata auctor fuit, ut Tabanellius ipse deciperetur.

Non minus deficit extremum aliud recentis apud Capotium animalium possessionis qui non obtinuit ut sibi eorum restitutio fieret. In præsens namque pecus pabulatur in agris Ducis Braschii, ubi depositi luco relinqui jussit almæ Urbis Gubernator. Ex hoc imo ipso, quod non privato Capotii arbitrio, non proprio ejus Marte, sed ex Magistratus jussione abactæ a latifundio Tabanellii, et in proxima Ducis Braschii prædia traductæ belluæ fuerunt, nova subest ratio intentatam spolii actionem rejiciendi. Non enim id inconsulto, non improvide, sed summa prudentia a Magistratu illo, penes quem jam pendebat criminalis inquisitio a Capotio excitata adversus pecoris detentores, decreta ea providentia fuit ad sartam, integramque servandam contrahentium conditionem, et pro *assecuratione*, ut inquiunt, *judicii*, ne scilicet illud inane redderetur, si forte controversa animantia in exteram Ditionem transducerentur. Quæ ergo providentia omnibus profuit, eorumque jura a quolibet damno immunia reddidit, male carpitur uti crimen spolii merita purgationis pæna plectendum. 3

Et ita Polanio, Serafinio, ac Tabanellio adversus Capotium contendentibus decisum est.

RECINETEN SEU CINGULANA

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

Lunae 3 Julii 1826.

ARGUMENTUM

Nullitatis auctor haud potest praesidium aliquod ex patrata nullitate in sui favorem elicere. Quin imo si quid validum in judicio semel cognitum est, nequit amplius in alio judicio nullum, inistumque renunciari.

SUMMARIUM

1. *Uxor ad petendam suae dotis assecurationem, expectare non debet, quod vir omnino sit decoctus.*
   Nullitate laborat Sententia, quae in eum fertur, qui alterius curae subiicitur, haud citato curatore - ibi -
2. *Ex uno Rescripto perperam desumitur interdictio, si edictorum evulgatio desideratur.*
3. *Nullitates inductae in gratiam certarum personarum, nonnisi ipsis volentibus, proponi possunt.*
4. *Nullitas ex citationis defectus personalis est*
5. *Ex gallicis legibus, vetitum erat viri creditoribus adversus Sententiam separationis insurgere, post annum,*
   Actus sub gallorum imperio gesti, cum iisdem gallorum legibus sunt definiendi -ibi-
6. *Ratihabitio, quamlibet sanat nullitatem, si is praesertim, qui ratam habuit, certam scientiam nullitatis habebat.*
7. *Repugnat conclamare actus validitatem, eumque laesionis labem infectam asserere.*
8. *Censuales tabulae, vectigalium tantum intributiones ostendunt, haud vero bonorum valorem.*

DECISIO CCLXXXVI.

Cum multo præmerentur aere alieno Pacificus, ac Dominicus, germani fratres Poccioni Recinotenses, tum caeteris præcellebat creditoribus Nicolaus Ranaldi, qui primum, ut nomen libellarum *undecim millium* ab eis condiceret, rem conciliandam curavit coram Irenarcha Maceratæ; re tamen infecta diem deinceps eisdem dixit penes Judices de prima actionibus jus illa in Civitate reddentes, a quibus Sententiam votis suis consonam retulit. Verum in præceps ruere suorum virorum fortunam eosque adinopiam vergere videntesFrancisca, Bertiniaet Maria Antonia Coletti, prior Pacifici, altera Dominici Uxor, de dotibus, ac dotalibus creditis sollicitæ, cavendum sibi duxerunt, veniaque in viros agendi impetrata, anno 1810, quo Gallorum leges adhuc vigebant, judicium illud, quod apud nos *assicurationis*, apud Gallos autem *separationis* bonorum appellatur, coram ipsis Judicibus Primarum Actionum Maceratæ statim instituerunt. Judicialis ista contentio summo ferbuit strepitu, atque clamore, et obtentæ a fœminis Sententiæ publici juris factæ fuerunt, ac in tabularia, et ephemerides relatæ, prout praxis Gallorum ferebat. Dederunt post hæc operam fœminæ illæ, ut exequutioni committerentur Sententiae super bonis debitorum: expletisque legum solemnis, acta omnia gestae pignorationis ad notitiam deduci voluerunt caeterorum creditorum, ac Ranaldii potissimum, qui et ipse Sententiam suam exequutioni commiserat, et pignoratorum bonorum licitationem urgebat. Constituta demum auctionis die prædia pignori subjecta faeminae creditrices sibi addixerunt pro aestimatione dotis, ejusque augmenti, mundique muliebris.

Nedum autem bona ista, sed et reliquum debitorum patrimonium venditum sub corona fuit: ex quo factum est, ut de deposito ab emptoribus pretio disputari inter creditores caeperit, quos inter jura sua idem Ranaldius exhibuit. Cum tamen postremus is esset hypothecarios inter creditores, nihil proinde consequi de pretio deposito potuit. Tunc consilium arripuit nullitatis insimulandi judicia a Colletta et Bertinia gesta pro restitutione dotis: at inimicam sortem expertus est, tam apud Tribunal primae Jurisdictionis Maceratae, quam apud Judices Appellationis Anconae, quorum Sententiae vires Rejudicatae nactæ fuere. Restitutio nihilominus in integrum, quam a Signatura Justitiae Ranaldius obtinuit, in causa fuit, cur quaestio ad Sacrum Ordinem conscenderet, ubi in Comitiis

diei vigesimae primae Junii anni 1824 rogationi, quae in haec verba proponebatur, scilicet = *An constet de Rejudicata, seu potius de Causis restitutionis in integrum in casu etc.* = vadimonio a fæminis deserto responsum fuit = *Pro informante* = nempe = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* = veluti patet ex Decisione evulgata a R. P. D. Pianetti, nunc Sacris Viterbiensis Diæcesis insulis ornatus, quam dein excepit Sententia Rotalis. Sed provocatione interposita, ac mihi commissa causa, dirimendam hodie mane proposui Patribus meis assuetam Dubii formulam = *An Sententia Ratalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = et responsum illustratis rerum gestarum monumentis, accepi = *Sententiam esse infirmandam*=

1 Qui carpere nequibat Sententiarum quae pro Colettia, ac Bertinia prolatæ fuerunt, justitiam quia non poterat ignorare viro ad inopiam vergente, jus esse mulieri cautionem do dote, aliisque creditis dotalibus petendi, nec expectare teneri, virum male utentem re sua omnino decoquere, ex *leg. ubi adhuc* 29 *Cod. de jur. dotium, Gail. pract. observ.* 83 2 *Card. de Luc. de date disc.* 117 n. 2 *Spadazz. theat. vidu.l. disquisit.* 79 *num.* 129 *Rot. decis.* 914 *n.* 4 *cor. Cerro*, *decis.* 80 *n.* 46 *cor. Ansaldo, et decis.* 687 *n.* 2 *cor. Olivatio* actor quidem Ranaldius totus in eo erat, ut nullitatem opponeret ipsarum Sententiarum ex eo praecipue, quod vadatus in judiciis illis haud fuerit Gaspar quidam Cavallinius, qui usque ab anno 1803 curator rebus fratrum Poccioni datus, ac deputatus fuerat. Si suis sane consisteret viribus haec curatoris deputatio, nullum esset dubium, quin irrita, ac nullius penitus roboris reputanda forent judicia ab Uxoribus debitorum pro dote, caeterisque dotalibus creditis instructa, atque absoluta. Recæptissimum siquidem in jure est, vitio nullitatis infici sententiam, quæ in eorum fertur, qui alterius curae subiicitur, haud monito, et citato ipso curatore. *Leg.* 1 *et tot. tit. ff. de curat. furios., aut prodig. vel aliis extr. minor. dand. Urceol. de transact. quaest.* 36 *n.* 18 *Sabell. in summ.* § *prodigus* n. 2 *Rota in Recen. decis.* 73 *n.* 11 *part.* 5 *tam.* 1 *decis.* 39 *num.* 4 *tam.* 1 *cor Riminalda.* Cum autem asserentis, non vero negantis probatio sit h inc unu Ranaldius tenebatur ostendere, curatoris deputationem suum effectum ita fuisse sortitam, ut revera Poccionii interdicti manserint a qualibet rerum suarum administratione, et civilia jura adeo amiserint, ut nec judicio convenire possent, nec conveniri.

Atqui, licet proferantur preces Sacratissimo Principi exhibitae a propinquis, et consanguineis Pacifici, atque Dominici, ut eis libera administrandi facultas interdiceretur: licet etiam his precibus accesserit Principis Rescriptum, et subsequens Decretum, ex quo principale Rescriptum exequutioni commissum fuit, non constat tamen tam Rescriptum, quam Decretum publici juris evasisse per assueta interdictionis edicta: nec constat insuper Gasparem Cavallinium concreditam administrationem revera suscepisse, ac deinde retinuisse. At nihil antiquius quam quod curatoris datio vires non exerat suas, nec interdictio sequatur, si præconium seu edictorum evulgatio desideretur, qua deficiente perperam ex uno rescripto, vel Decreto interdictio desumitur. *Voet in Pandect. lib.* 27 *tit.* 10 *n.* 8 *Hodiern. controv. farens. cap.* 41 *n.* 29 *Sanfelic. Decis. Neapolit.* 148 n. 4 *et seqq.* Cæterum eo magis edictorum evulgatio in eo, de quo agitur, themate requirebatur, quia in ipso, quod exhibetur Pontificio Rescripto imperatum legitur, interdictionem per edicta publica evulgandam esse nullo igitur pacto prohibita Poccioniis extimari debet rerum suarum administratio; quod sane nemini magis suasum fuit, quam ipsi Ranaldio. Is enim multo antea, quam Coletta, et Bertinia præsidio legis uterentur, ut separationem bonorum, et dotis restitutionem urgerent, judicium pro collybistico nomine adversus unos, atque unicos Poccionos instituerat, atque absolverat, nulla non modo dica, sed ne interpellatione qui- 2

dem ad caratorem missa. Eamdem methodum, et judicii ardinem ipse servavit, dum pignori subjecit, post obtentam a Judice Sententiam, quædam debitorum bona, quorum licitationem quoque postulavit, inscio curatore, a quo vadando adeo in toto illius judicii progressu abstinuit, ut nec mentionem de eo fecerit, nec suspicionem ingesserit, fuisse semel Poccionios interdictioni suppositos, vel actu sub curatoris administratione reperiri.

3 Quod si judicia a Bertinia, et Colletta instituta fuere ad tramites anterioris judicii a Ranaldio gesti, plane seqnitur, valida eodem modo ea fuisse qoo fuit illud a Ranaldio instructum. Si quæ itaque nullitas ex defectu citationis adesset, proponere eam Ranaldius prohiberetur, qui ejosdem nullitatis auctor fuit. Neminem enim latet, nullitatis auctorem haud posse præsidium aliqood ex patrata nullitate in sui favorem elicere. Quin imo si quid validum in judicio semel agnitum est, nequit amplius in alio judicio nullum, irritumque renunciari. *Rot. dec.* 51, n. 25 *part.* 5 *tom.* 2 *Rec. decis.* 182 n. 22 *coram Olivatio, et dec.* 184 *n.* 20 *Rimisaldo.* Sua igitur factæ, judicioque suo confodiebatur Ranaldius, nullitatem illam objiciens, in ipse primus incidisset, si nullitas revera esset. Etsi vero nullitate aliqua laborarent Sententiæ, quas adversos viros suos Calletta, et Bertinia retinia retulere, ea nihilominos prodesse Ranaldio non posset. Nullitas enim illius tantum gratia dedncitur, qui per interdictionem oti minor habetur, aut ejus curatoris, vel hæredum, vel eo causam habentium, quibus lex consulere voluit, ne ex minoria; vel interdicti actis detrimentum sentirent. Notum autem est nullitates inductas in gratiam certarum personarum, nonnisi ipsis volentibus, cademque nullitates accepto habentibus proponi posse, nec a tertio posse deduci. *Rac. disput. jur. cap.* 62 *a.* 31. *Card. de Luca de alienat. disc.* 1 *num.* 11 *Oet disc.* 5 *a.* 2 *Rot, in Rec. decis.* 224 *a.* 13 *part.* 4 *tom.* 2 *decis.* 82 *n.* 12. *part.* 13 *decis.* 397 *numer.* 13. *part.* 17. *et coram Asaldo decis.* 599. n. 11.

Idque potiori jure dicendum, quia agitur de nullitate ex citationis defecto deprompta, quæ personalis est, nec ab alio objici valet, nisi ab eo qui erat omnino citandus. In hoc proinde casu citationis vitium objicere unus, si revera extitisset, poterat curator: nec fas erat tertio, uti est Ranaldius, hanc actionem instituere. Quin rem turbet de ea nullitate hic agi quæ ipso jure inducitur, quæque ideo a tertio quoque proponi valet. Hoc utique discrimen intercedit inter ea, quæ nulla sunt ipso jure, et alia, quæ indigent Judicis officio, ut de posteriorum nullitate ab ea tantum excipi possit, cujus gratia hujusmodi exceptio inducta a lege est: priorum autem nullitas a quibuscumque, veluti popularis actio, deduci valeat. *Felin. in cap. Radolphus col.* 36 *n.* 31 *de Rescriptis, Tiraquell. ad leg. si unquam* n. 8 *Gratian. discept forens. cap.* 691 *a* 2 *Card. deLuca de alienat. disc.* 37 n. 6 *Constantin. ad Statut. Urbis adnat.* 44 *art.* 7 *n.* 723. At proposita corruit exceptio, si animadvertatur, hanc juris regulam, ex qua docemur, inductas ipso jure nullitates a tertio quoque objici posse, tunc tantum valere, cum per exceptionem adversus agentem ex actu nullo proferantur, secus vero si tertius non excipit, sed agit, si nimirum non utitur nullitatis exceptione, sed eam peculiari actione proponit, ut in præsens accidit: quo casu nequit tertius de nullitate queri, quæ alterius gratia, utcumque ipso jure, inducta fuit, veluti arguit idem *Gratian. discept. forens. Cap.* 691 *a.* 18 *et Rot. decis.* 13 *part.* 15 *Rec.* 4

Quamvis itaque Gallicæ Leges, et earum præcipue *Codex art.* 502 præteritas interdictiones sub Pontificis Imperio invectas probaverit, hæc nihilominus probatio, et sanctio percellere non potuit, nisi illas interdictiones, quæ revera extabant, non alias, quæ numquam extiterant, aut, si exiterant unquam, spreta evulgatione edictorum, evanuerant. Ipsæ porro Gallicae Leges 5

qnas implorsbant Ranaldii defensores, falcem in radice ponebant, et omnem nullitatis exceptionem, utcumque veram, penitus profligabant. Cum enim multa in iis Legibus praescriberentur solemnia in judicio separationis bonorum servanda:tum iisdem impletis, atque anni termino absoluto vetitum erat viri ereditoribus adversus Sententiam separationis agero. = *Adempite le formàlità prescritte nel titolo presente,* (ita Gallurum Codex Art, 873) *i Creditori del marito, spirato che sia il termine, di cui nell'Articolo precedente,* (nimirum annus) *non si ammettono di agire, come terzi opponenti contro la Senteaza di separazione* = Jam vero adversus judicia a Culletta, et Bertinia in viros suos gesta, et per Sententias anno 1810 *die decima sexta Maii* editas absoluta, non pridem, quam anno 1813. Ranaldius insurrexit. Hoc satis est igitur, ut per lapsum temporis a lego præfiniti, quod annum excessit, perempta manere t actio proponcndi nullitatem. Actus, namque, et tractus sub Gallorum imperio gestos, et stipulatos cum iisdem Gallorum Legibus definiendos, et judicandos esse, pluribus Sacri Nostri Ordinis oraculis constitutum est, ac præsertim *in Recineten. Læsionis* 22 *Novembris* 1824 § 2 *cor. Me.*

6 Nedum autem infra annum Sententias a fæminis palam, et publice obtentas haud impugnavit Ranaldius, sed eas imo solemni modu probavit, ac firmas, ratasquo habuit. Ipse porro, post confectum licitationis pretii depositum, coram Judice stetit, et gradum sibi inter cæteros ereditores assignari postulavit. Ipse rursus in hoc judicio, in quo de sedibus omnibus Creditoribus assignandis agebatur, suum protulit creditum, suamque exhibuit Sententiam, quam tamen, curatore dobitornm nec citato nec moaito, retulcrat. Ipse demum sollicitus satagebat ut pretium ex licitatione bonorum haustum inter creditores deriberetur. Quibus in facto positis, sciunt, et ipsi proprietari, quæ in jure consectaria sunt: ratihabitionem, ncmpe, quamlibet anare nullitatem, si is præsertim, qui ratum quid habuit, certam fovevnt nullitatis scientiam; sententiam item semel accepto habitam imdugnari amplius, ac de nullitate redargui non posse: cnm deuique qui deliberationem approbat, quilibet, quæ eam præiverit, nullitati nuncium mittere. *Rot. in Rec. decis.* 95 *n.* 2 *part.* 18 *tom.* 2 *decis.* 1471 *n.* 51 *cor. Coccino, decis.* 270 *n.* 6 *cor. Molines, decis.* 56 *n.* 14 *cor. Nlicatio, et decis.* 5 n. 19 *tit de Censibus cor. Falconerio.* Vindicata igitur validitate Sententiarum; quas uxores fratrum Poccioni obtinuerunt, expenda supercrat exceptio altera de enormissima lesione quam Ranaldii defensores inquinare dicebant adjudieationem bonorum eisdem fæminis factam, ut de dotibus, aliisque dotalibus creditis redintegrarentur

At primo loco Patribus Meis visum est 7
hanc læsionis querelam recta fronte pugnare cum exceptione nullitatis hactenus explosa. Si enim judicia separationis bonorum, subsequutae sententiæ, atque ipsa bonorum adjudicatio nullitate revera laborurent ob non citatum curntorem, nulla profecto ratio haberi de læsione posset, quia ipsa non amplius existeret adjudicatio. Non enim vero nullae sunt qualitates: cum imo ex Philosophorum axiomate *idem non possit simul esse, et non esse.* repugnat in terminis nullam conclamare adjudicationem, eemque laesionis labe infectam asserere. Haec igitur laesiodis querela diversam judicii sedem, et niversam ab ea, de qua agitur actionem requireret. tunc instituendam, cum jam valida renunciata est adjudicatio, ea omnia, qune adjudicationem præiverunt. Verum etsi ad trutinam hodio revocari læsionis quæstio posset operam, et oleum perderet, qui de ea conqueritur. Primum namque Gallicauao Leges, dum laesionis actionem in emptioribus, venditionibus, aliisque contractibus auctoritate Judicis absolutis admiserunt, de laesione enormissima intellexerunt, non vero de læsione enormi tantum dolum, et fraudem haud secumferente, qualis nempe in præsebs proponebatur, veluti plurles

definitum est in *Ferrarien. seu Bononien. Nullitatis Adjudicationis, et Reintegrationis* 17 *Junii*, *et* 25 *Novembris* 1822 *et* 3 *Martii* 1823 *cor. R. P. D. Gamberini, nunc Episcopo Urbevetano*; Quælibet præterea læsionis probatio deficiebat. Nihil siquidem afferebatur, exquo revera constaret. læsos in adjudicatione fuisse debitores = *oltre i sette duodecimi del prezzo* = , quæmsdmodum constare debere ad inducendum læsionem Lex Gallica jubebat, ut arguit superius citata *decis. Recineten. Læsionis* 22. *Novembris* 1824. §. 5. *cor. Me.*

8 Quin his detrabst exceptio Censualium tabularum, quarum æstimatio, quæ plerumque ex Regionum consuetudine trientem dumtaxat justi fundorum valoris rræsefert, pretium excedit a fœminis in adjudicatione solutum. Nsm omnes norunt Censuales tabulas, quæ ad pærequandas tantum vectigalium intributiones institutæ sunt. jusium haud ostendere bonorum valorem, et probandæ læsioni impsres esse *Rota in Montis ad Carc. de Luca tom* 3 *lib.* 6 *dec.* 10 *n.* 28 *dec.* 931 *n.* 8 *cor. Lancetta dec.* 430 *n.* 1 *seq. cor. Crescentio et dec.* 464 *n.* 5 *cor. Riminaldo.* Sepositis censualibus tabulis, difficilior etiam est læsionis demonstratio, si præ oculis tempus habeatur, quo evenit adjudicatio; Expleta siquidem ea fuit anno 1811. quo ob publicas calamitates, et bellorum tumultus, ob pecuniæ inopiam, novas, et gravissimas intributiones, et qusntitatem bonorum Ecclesiæ, et Fisci, quæ publicæ bastæ subjiciebantur, rari erant qui emere, multi vero, qui vendere cupiebant. Ex his porro circumstantiis ac temporum vicibus arduam magis, ac difficilem fieri probationem læsionis præ cæteris docuit Sacer Ordo in *Romana Læsianis* 25 *Aprilis* 1817 § 3 *cor. Emo Serlupi*, *in Romana Læsionis* 4 *Martii* 1822 § 8 *cor. R. P. D. Meo Spada.* Deficit ergo quælibet læsionis probatio, quæ tanto magis oporteret, quo certius est ad rescindendam judicialem emptionem venditionem, non quamlibet probationem sufficere, sed eam tantum, qnæ scrupulum omnem avertat, ut monet *cit. dec. Romana Læsionis* 4 *Martii* 1822 § 4 *cor. R. P. D. Meo Spada.*

Et ita in triangulari litigantium conflictu judicatum est.

ROMANA SEU CESENATEN

FRUCTUUM CENSUS

Lunæ 20. *Februarii* 1826.

ARGUMENTUM

Lex die nnnn *Octobris nani* 1819 *a Pontificio Pio VII* lata, iecitum ac nullum declaenvit, quidquid in Aemilia de alienis proprietatibus, juribusbue delendis democretici penescripserant Magistratus. Quisquis leicus legislator, licet legitima polleet imperio, nihil potestatis, sive de rebus, sive de personis ecclesiasticis sibi potest edsciscere.

SUMMARIUM

1. *Census creditum quod ex pubblico oritur instrumento, quamlibet altiuris indagiais exceptianem respuit.*
2. *Lex 9* Octabris *1819, initum ac nullum declarnvit, quidquid in Aemilin de Alienis proprietatibus democratici prnescripserantMagistratus.*
3. *Non est expeadenda apertas legis ratio, sed illius exequutionem tantum ad judices spectat demaadare.*
4. *Leges nequeunt excedere fines territorii, ubi a legislatore, et Principe conduntur.*
   Sodalitium ecclesiastica auctoritate institutum, Ecclesiae privilegiis gaudet - ibi -
5. *Non aliter subditos lex obligat, quam si fuerit idonee promulgata.*
   In uno eodemque subjecto, actio et passio consistere simul non potest -ibi-
6. *Ratio quae impulit* Pium VII *ad restituendos ad primaeva jura Municipiorum creditores, ea fuit, quod suorum bonorum possessionem nunquam amiserant.*
7. *Quaecumque clausula magis efficax potis non est naturam accessoriae obligationis in principalem convertere.*
8. *Occurrunt in jure casus, in quibus alter ex debendi correis remanet obligatus, licet alterius obligatio defecerit.*
9. *Consistit accessoria fidejussoris obligatio, donec debitor principalis fidem datam non impleverit.*

DECISIO CCLXXXVII.

Numerata pecunia ad negocia quædam absolvenda indigens Cæsenæ Municipium, annuum Censum argenteorum nummorum *centum* supra *mille* pro annuis interusuriis fere quadrantibus, seu ad mitissimam rationem scutorum *duorum*, ut obolorum *septuaginta* in singula centum anno 1757 imposuit super prædio quodam, vulgo nuncupato = *la Moschina di Ragni* =, eumque divendidit Urbis Sodalitio sub invocatione, et titulo Deiparæ Virginis sine originis labe conceptæ. Quo tutius indemnitati Sodalitii prospiceretur, Decuriones illi peculiare dederunt mandatum concivi, viroque Nobili Paulo Æmilio Manzio ad publicas ineundas Censuales tabulas, quemadmodum revera initæ ab eo fuerunt, qui amplissimo munitus procurationis mandato se in solidum, et tamquam principalem debitorem erga Sodales pro fructuum solutione devinxit. Sed huic Censualium fructuum obligationi usque ad annum tantum 1797 satisfactum est: quo tempore, ab exteris Gentibus Æmiliæ Provincia occupata, grassandi libido, democratica larva personata, ex Galliis in Italiam dein universam irrepsit. Cum enim ab iis, qui summam imperii tenebant, latis in Æmilia legibus jussum fuerit, ut publicatis temerario ausu Ecclesiæ, et Fisci bonis, Municipiorum æs alienum dimitteretur, ac insimul præstitutus fuerit singulis creditoribus terminus ad propria nomina exhibenda, interminata secus pæna caput, et usuras ipsorum nominum amittendi; ideo ansam a temporum vicibus Decuriones Cæsenates arripuere detrectandi in posterum Censualium fructuum solutionem.

Instaurato autem in Æmiliæ Provincia legitimi, ac Sacratissimi Principis Imperio, egit Sodalitium apud Cardinalem Legatum ejusdem Provinciæ, et nihil intentatum reliquit, quo facilius ad insoluta interusuria Census rependenda Cæsenæ Municipium adigeretur. Sed præter bona verba nil aliud consequi datum ei fuit. In lucem postea prodiit, anno 1820 ad *septimam* diem Decembris, Motus Proprius S. M. Pontificis Pii VII, quo demandatum fuit, ut Universitatis Provinciarum, quæ serius sub Ditione redierant Ecclesiastica, et propria non amiserant bona, ad dimittenda nomina, tam frugifera, quam infrugifera, tenerentur, ideoque sua deberent Creditores singuli jura proferre atque experiri apud Cardinales Legatos. Tunc alacriores facti Sodales Sanctissimæ Conceptionis e re sua censuerunt Cæsenæ Commune, ac hæredem simul defuncti interea fidejussorisComitis Pauli Æmilii Manzi, in jus vocare coram abrogato Assessore Tribunalis A.C. Advocato Grazioli, qui Sententia sua debitores in solidum damnavit ad persolvenda scuta *septingentum octo*, et obolos *octoginta*, pro fructibus Census usque ad diem *decimam septimam* Augusti ejusdem anni 1820 non satisfactis. Aliter tamen existimavit nunc pariter abrogatum A. C. Juridicum Collegium, a quo, priori revocata Sententia, tum Civitas Cæsenæ, tum ejus fidejussores absoluti fuere. In hac Sententiarum varietate, cum provocatum ad Sacrum Nostrum Ordinem fuerit, Dubii formulæ, quam his verbis conceptam = *An sit locus solutioni fructuum Census, ita ut, et pro qua summa: et contra quem sit relaxandum mandatum in casu etc.* = in bodiernis Comitiis Dominis Meis exhibui, continuo responsum est. *Affirmative in omnibus pro summa liquidanda ad formam Motus Proprii S. M. Pii VII diei 7. Decembris anni* 1820., *et mandatum esse relaxandum etiam contra fidejussorem* =.

1 Censualium siquidem fructuum creditum ex publicis oritur, ac solemnibus Instrumenti tabulis Camerali obligatione vallatis, quæ sane, rejectis altior indaginis exceptionibus, celerem suapte natura exequutionem reposcunt. Donec igitur, legitimis allatis monumentis, probetur Censum illum redemptum deinde, dimissumque fuisse, expeditissima semper actio suppetit illius creditoribus ad conventa interusuria

condicenda, *Card. de Luc. de judic. disc.* 26 *num.* 1., *Costantin. ad Stat. Urbis annot.* 44 *art.* 5*num.* 456. *Rot. decis.* 2 *num.* 12 *tit. de fid. Instrumen. coram Falconerio*, *decis.* 296 *num.* 7 *coram Olivatio*, *et decis.* 358 *num.* 1 *coram Riminaldo*. Nihil quidem afferebatur ex parte Municipii Cæsenatis, quod sequutam suadeat census redemptionem. Ejus nihilominus defensores summis viribus objiciebant Gallicas Leges, tum illam scilicet, quæ in Æmiliæ Provincia juris publici facta fuit anno 1797 die *sexta* Septembris, quam aliam, quæ bidno post in vulgus prodiit. Porro in priori illa Edictali Lege cantum fuerat, ut = *Alla guisa dei crediti particolari delle Contribuzioni, si sodisfi pure intieramente colla vendita dei beni nazionali ad ogni altro credito di Censo, Cambio, imprestito creato finora per qualsivoglia tempo contro le Municipalità della Emilia, loro Annone, Comitati, Deputazioni, e Casse di qualsivoglia modo denominate sieno* =. Hanc in rem illud quoque demandatum in Lege ipsa legitur = *che ogni creditore di simil sorte debba nel termine di giorni quindici riportare dalla Municipalità debitrice la scheda di verificazione, e liquidazione del proprio avere, sì per sorte, come pei frutti, colla indicazione precisa dell' Istromento, Scrittura, o ricapito, da cui risulta il credito stesso* =. Posteriori vero Lege præstitutum placuit differre terminum usque ad dies *viginti* pro iis, qui in Æmilia degebant, atque ad dies *triginta* pro aliis qui extra illam commorabantur Provinciam: termino autem inutiliter emerso, denuo renuentibus propria jura exhibere inflicta est caducitatis pœna = *Chiunque creditore* (ita concludit præfata Lex) *non adempisse al prescritto termine l'Articolo sudetto, decada dalla pubblica garanzia, in modo che il suo credito sarà riputato insolcibile tanto per frutti, quanto per sorte* =.

2 His legibus freti Municipii Cæsenatis oratores inquiebant, quod, cum semper præstituto tempore neglexerint Sodales Sanctissimæ Conceptionis Censuales tabulas producere, ut de proprio credito capitis, et fructuum Census cum bonis Ecclesiæ, et Fisci satisfierent; hinc a jure petendi fructus ita eos ex Gallicæ Legis litera delapsos esse censendos, perinde ac si legitima Census redemptio antea inita fuisset. Has enim Leges, licet ab usurpatoribus, atque invasoribus alieni dominii editas, servari tamen, ac religiose ab ipso legitimo restituto Principe custodiri oportere, ex juris publici Scriptorum, quos inter *Grotius jur. belli, ac pacis lib.* 2 *cap.* 14., *et de regim. usurpat.* § 3., *Coccejus dissert. proemial. ad part.* 12. *Lib.* 6 *cap.* 3 *sect.* 1 § 649 *num.* 1, auctoritate, et Sententia subdebant: quia scilicet jus tertii non lædunt, et in publicam cesserunt utilitatem. Sed hæc Juris Publici principia minus congruunt subjectæ materiæ, in qua habemus Legem die *nona* Octobris anni 1819 ab immortalis Memoriæ Pontifice Pio VII ad solium reduce latam, in qua irritum, ac nullitate infectum in alio simili casu declaravit quidquid in Æmilia de alienis proprietatibus, juribusque delendis Democratici præscripserant Magistratus = *Convinta la Santità di Nostro Signore* (ita jussit prædicta Lex) *che la liberazione del peso di pagare le annue prestazioni nella Provincia della Romagna, ossia Emilia della così detta Amministrazione centrale della Repubblica Cispadana, e della così pariménti detta Giunta di difesa generale, sia manifestamente nulla, e di niun valore, ed effetto tanto per la mancanza nei detti Corpi Amministrativi di ogni potere legislativo, quanto per la inoccultabile ingiustizia, ed esorbitanza di quelle arbitrarie risoluzioni lesive dei diritti legittimamente acquistati, o in forza di stipolazioni espresse, o in forza di antichissime consuetudini* =.

Nullum igitur superest dubium, quin 3 contemnendæ omnino sint jussiones illæ iniquissimæ, quæ creditores Municipiorum, et Universitatum legitimo suorum bonorum dominio spoliarunt. Cæterum difficultatem removet omnem Motus Proprius ejusdem Pontificis anno 1820 ad *septimam* diem Decembris

evulgatos. Post enim Æmiliam, caeterasque Provincias serius ei restitutas, dum afflictis Communium rebus opem ferre studuit, quoad Municipia = *delle Legazioni* = novit = *ch' essendosi distaccate queste Provincie dai Dominj della Chiesa avanti l' emanazione del nostro Moto Proprio dei* 19 *Marzo* 1801 *non ha giammai in esse avuto luogo nè l'incamerazione de loro beni, ne la trasfusione nell' erario de' loro debiti, e conseguentemente, nè l'associazione de beni stessi al Monte di Milano, nè l'accollazione al medesimo delle loro antiche passività, di modo che la loro posizione non ha sofferto verun alterazione dall'antico stato* = Sapientissime hinc summaque cum ratione constitutum, ut =*rimanendo quindi essa nel possesso delle loro proprietà, ogni ragion vuole, che sostengano le loro passività. Rispetto ai debiti fruttiferi i quali devono avere per loro natura anche una ipoteca speciale sù i fondi, non può non riconoscersi giusto, che si debbano pagare gl'interessi dalle Communità debitrici.* = Quamobrem si Pontificia Sanctio, invitis Gallorum legibus, quæ caducitatis poenam eis inflixerant, qui sua proferre jura renuissent, facultatem fecit Municipiorum creditoribus propria nomina condicendi, veluti ac si Leges ipse nunquam prodissent; non est sane expendenda clarae caeteroquin, et apertae Legis ratio, sed illius exequutionem demandare ad Judices spectat, et secundum eam jus dicere. *Cap.* 1 *de offic. Judic. ordin:, ibique Gloss. vero secundum canones, leg. illicitas* § *Veritas ff de offic. præsid., Xammor. de offic. Judic. et Advocat. part.* 1 *quæst,*18 *num.* 1 *et seq. Constantin. vot. decis.* 463, *num.* 28. Lex namque, quamvis esset dura, et inclemens, servetur jugiter oportet, quia lex est, ut inquit *Jurisconsultus in leg. Prospexit ff qui, et quibus manum;* cui plaudit *Rota in Rec. decis.* 103 *num.* 1 *part.* 3, *et decis.*72 n. 36 *cor. Ansaldo.*

4 Verum accedit Legem illam Pontificiam, quae singulos creditores Municipiorum Æmiliae ad primaeva jura restituit, legitimam et undequaque consultissimam fuisse. In primis enim Gallicanae sanctiones, quae creditoresMunicipiorum ad proferenda nomina intra certum tempus coegerant, non poterant non abnormes videri, et *tertii* jus certe laedebant semel ac legitimos creditores adigebant ad recipienda loco numeratae, quam antea dederant, pecuniae publicata bona Ecclesiae, et Fisci, quin ulla quoad Census praecesserit assueta denunciatio per duos menses ante facienda, ut jubet famigerata S. M. Pii V. Constitutio: Deinde vero, et illud serio animadvertendum occurrit, quod licet, tunc temporis, videlicet anno 1797. Gallorum Copiae Æmiliam finitimasque alias invaserint Provincias, Alma tamen Urbis nostra, caeteraeque quamplures Ditionis Ecclesiasticae Regiones, nihil de veteri statu mutaverant, atque adhuc sub felici Pontificis Imperio reperiebantur. Omni ergo penitus quoad eas effectu Leges Gallicae carebant, cum Leges in non subditos non ferantur, et aequeant excedere fines territorii, ubi a Legislatore, et Principe condnntur. Certius id retinendum est, quia agitur de Sodalitio seu *Archiconfraternitate*, Ecclesiastica auctoritate instituta, et Ecclesiam, aliaque signa Ecclesiastica habeate, quae, cum in Hierarchia Ecclesiasticorum contineatur, eorum quoque gaudet privilegiis, et juribus. *Rota in Rec. decis.* 482 *num.* 34 *part.* 4 *tom.* 2, *et decis.* 661 *numer.* 10 *part.* 19 *tom.* 2. Ne Gallorum proinde militum imperio, et legibus obstringeretur sacrorum Canonum disciplina vetabat. Quisquis enim sit laicus legislator, licet legitimo polleat imperio, nihil tamen potestatis, sive de rebus, sive de personis Ecclesiasticis sibi potest adsciscere, nec ejus Leges percellunt Ecclesiasticos, nisi saltem eos probaverit, totius Ecclesiae Catholicae Caput, et Rector Pontifex Romanus *Cap Ecclesia S. Mariæ de Constitut. Cap. Eccernimus de judic. cap. fin. de immun. Eccles.* in 6, *de rub. in Annot. ad decis.* 14 *par.* 3. *Recen. num.* 12., *Rot. in Rec. decis.* 580 *num.* 10 *part.* 18 *tom.* 2 *decis.*411

num. 48 *cor. Crescentio*, *et decis.* 615 *n.* 7 *cor, Olivatio.*

5 Caeterum non ex eo solum, quod qualibet leges in Ecclesiasticos ferendi potestate carebant legislatores illi, sed ex eo etiam, quod Romae, uti sodalitii degebant moderatores, promulgari ae leges nequiverunt, ne vel leve quidem ipsius Sodalitii juribus detrimentum attulerunt. Ex notissimis porro, non jurisprudentiae dumtaxat, sed juris quoque publici principis, non aliter subditos lex quaelibet obligat, quam si fuerit idonee promulgata, *Cap. quia cunctis* 1 *de concess. praeben. Authen. Ut factae novae Constitutianes* § *sancimus collat.* 5. *Ferrar. Bibliot. Can. verb. lex Art.* 2 *num.* 1. Hac autem deficiente promulgatione, quæ alterum ex peculiaribus legis extremum constituit, ignorari eam sine culpa posse compertissimi juris est *Voet in Pand. lib,* 1 *tit.* 3 *num.* 9. Nec recte reponebatur, dimissum ex ea ratione babendum esse censum, quia nimirum, tam onus debiti, quam jus crediti in una eademque coaluit Napoleonis persona, qui postea, ut Æmiliam, ita quoque Urbem nostram invasit. Nam Dux militum Napoleo, et Gallorum Imperator deinde renunciatus, Æmiliæ Provinciam Regno Italorum addixit, et Urbem hanc principem Imperio Gallorum adjunxit. Qua de re Fiscus Regni Italici debitor factus est Census, quo premebatur Cæsenæ Municipium: e converso autem Fiscus alter diversi Regiminis, et Gallici Imperii creditor ejusdem Census evasit. Verum proinde non est in una, eademque persona coaluisse onus debiti, et jus crediti, ac in uno propterea, eodemque subjecto actionem, passionemque consistere contra censuram *leg. Urianus Antoninus* 72 *ff de fidejussor. et mandat.* Depulsis itaque hostibus, ac ad sedem suam reverso Sacratissimo Principe, jure postliminii optime vindicant Sodalitii moderatores caput, et fructus Census.

6 Nihil post hæc sodalitio nocet ea pars Pontificii Motus Proprii anni 1800 qua Cardinalibus Legatis commissa fuit = *la liquidaziane*, *e formazione degli stati dei debitori* =. Multis siquidem monumentis revincebatur, jura sua, tum apud Forolivii Delegatum, tum penes ipsum Cardinalem Æmiliæ Legatum deduxisse Sodalitii Moderatores, omnemque lapidem movisse, ut ad legis tramites Censuale caput et ejus interusuria ad liquidum perducerentur. Cum nil hinc proficere potuerint, ideo censuerunt rem in judicium deferre, et fructuum solutionem postulare. Ejusdem insuper Sodalitii creditum adeo perspicuum nullisque ambagibus involutum est, ut nullo indigeat examine, et satis sit publicas illius tabulas rimari, ut *in genere* certum, ac in *specie* liquidum appareat. Utcumque demum se res habeat, absoluto præsenti judicio, Cardinalis Legati prudentiæ et justitiæ erit creditum ipsum æstimare, eodemque tempore definire, an solvendi nec ne sint fructus Censuales usque ad diem præfati Pontificii Motus Proprii, et qua rursus methodo rependi eos oporteat, ne Municipium, culpa non sua, sed ex publica calamitate, et Invasoris facto, æris alieni mole extemplo obruatur. Responsionis autem. honore indigna visa sunt cætera, quæ dicebantur quoad defectum fundi Censui subjecti, de quo nullum occurrebat probationis vestigium. Tantum imo aberat hunc fundum defecisse, ut potior decidendi ratio, quæ recolendæ semper Memoriæ Pontificem Pium VII impulit ad restituendos ad primæva jura municipiorum creditores, ea fuit, quod suorum bonorum possessionem nunquam amiserant = *rimanendo quindi esse nel possesso delle loro proprietà, ogni ragian vuole, che sostengano le loro passività.*

Quoniam vero, quo tutius esset Pii 7 Sodalitii negocium, una cum Decurionibus in illo census Instrumento fidem suam quoque interposuit, seque insolidum pro fructuum solutione obligavit, modo defunctus, Paulus Æmilius Manzi Cæsenas, juris hinc ratio postulabat, ut ad solutionem fructuum in solidum condemnarentur, tum Decuriones, tum hæres Pauli Æmilii, scilicet

Marchionissa Paula Manzi, in quam auctoris sui transiit obligatio, et onus fidejussionis. *Leg. fidejussor* § 2 *Inst. de fidejussor. Hering. de fidejussor. cap.* 20 § 10 *num.* 21 *Rota in rec. decis.* 110 *num.* 12 *et* 13 *part.* 18 *et decis.* 43 *num.* 7 *cor. Ansaldo.* Noverunt profecto Patres præ summa eorum sapientia, quod licet Paulus Æmilius sese in solidum, ac nomine proprio devinxerit, clausulæ tamen istæ eum non constituunt uti debendi correum, nec ejus obligationem secernunt, atque distinguunt ab alia, quam commune Cæsenæ suscepit. Certum quippe in facto erat, nec in discrimen revocabatur, totum Censuale negocium anno 1757 actum ad unum pertinuisse municipium; in ejusque commodum, et utilitatem cessisse pecuniam, tunc a sodalitio numeratam. Hoc autem posito, quæcumque clausula magis efficax potis non est naturam accessoriæ obligationis in principalem convertere. Non enim sunt verba, sed facta potius, quæ indolem designant obligationum. Cum itaque ex facto constet evidenter in stipulatione census obligationem Municipii Cæsenatis principalem fuisse, eam vero, qua se devinxit Manzius, dumtaxat accessoriam; frustra amplitudo clausularum extollitur; quæ sane fidejussorem in correum debendi mutare nequeunt. *Faber. in Cod. lib.* 4 *tit.* 29 *definit.* 20, *et lib.* 8 *tit.* 27 *definit.* 1 *Rot. decis.* 510 *num.* 3 *cor. Manzanedo et in Ferrarien. seu Cæsenaten. Liberationis a Molestiis* 8 *Junii* 1823 § 5 *cor. R. P. D. meo Martinez.*

8 Si quæstio hic esset, utrum Nobilis Matrona, Manzii hæres, juvari possit beneficio *ordinis, et excussionis*, quod leges fidejussoribus tribuunt, amplitudo ista clausularum ex quibus auctor sese obstrinxit, maximum in judicio pondus haberet. Tanta siquidem vis est solidalis fidejussionis, ut etiam, non excusso antea principali debitore conveniri valeat. *Leg. Marcellus in princip. ff. de fidejussor., Cenc. de Cens. part.* 2 *cap.* 2 *quæst.* 8 *art.* 2 *num.* 8 *Card. de Luc. de Feudis disc.* 50 *num.* 3 *et seq. Rot. dec.* 294 *num.* 5 *part.* 17 *recen.* Cum tamen unice disputetur, num obligatio, a Comite Manzio emissa, principalis fuerit, vel potius accessoria; atque hinc subsistere, vel non subsistere valeat seorsim ab obligatione municipii; supradicta quidem clausularum adjectio augebit vim fidejussionis, quolibet amoto excussionis, atque ordinis beneficio nunquam vero efficere hæ poterunt ut is, qui fidejussor tantum accessit, censendus sit debendi correus. *Rota in Romana Census* 21 *Januarii* 1803 § 10 *cor. Emo Bussio et in confirmatoria* 27 *Januarii* 1804 § *fin. cor. Eodem.* Occurrunt sane in jure casus, in quibus alter ex debendi correis remanet obligatus licet alterius obligatio defecerit. Ut autem locum hæc habeat juris regula, ita se devinxisse correos oportet, quin unius obligatio ad alterius respexerit obligationem, et liberatio unius alteri prodesse valeat: quemadmodum accidit in obligationibus, quas ætate majores vel cum fœminis contrahunt, quæ S. C. Vallejano excusantur, vel cum minoribus, qui Macedoniani Senatus Consulti beneficium implorare possunt.

Exemplum affert Jurisconsultus *in leg. si Titius* 48 *ff. de fidejussoribus*, cujus ope in casu duorum fidejussorum Titii, et Sejæ = *Subducta muliere dabimus* (ut ipse inquit) *in solidum adversus Titium actionem, cum scire potuerit, aut ignorare* non *debuerit mulierem frustra intercedere* = Non raro imo Sacrum Nostrum Auditorium unam ipsamque stipulationem quoad alterum ex correis infirmari jussit, dum in alterum illius implementum demandavit, ut monstrant exempla *in decis.* 338 *num.* 11 *cor. Olivatio, decis.* 4 *num.* 1 *tit. de S. C. Vellejano cor. Falconerio*, *et decis.* 231 *num.* 5 *cor. Riminaldo.* Sed longe abest Comitem Manzium ita se obligare voluisse, quippequi ex demonstratis nil aliud egit, nisi tamquam fidejussorem accedere susceptæ a Municipio obligationi. His nihilominus non obstantibus, Patres censuerunt ad solutionem fructuum una cum Municipii Decurionibus eum quoque in solidum damnare, non quia debendi correus habendus 9

sit, sed quia adhuc integra manet principalis Municipii obligatio, eaque integra manente, consistit simul accessoria fidejussoris obligatio, qui liberatus a suscepto onere haud censetur, nisi postquam fidem datam impleverit debitor principalis.

Et ita in triplici tam Sodalitii Sanctissimæ Conceptionis Urbis quam Municipii Cæsenatis; et Paulæ Manzi certamine decisum est.

ROMANA SEU CESENATEN

FRUCTUUM CENSUS SUPER LIBERATIONE A MOLESTIIS

Lunae 20 *Februarii* 1826.

ARGUMENTUM

Liberatio a molestiis debetur ab eo tempore, quo fuerunt illatae, sive justae sive injustae sint, maxime si pactum expressum accedat. Neque simplex assumptio molestiarum, secumfert liberationem.

SUMMARIUM

1. *Principalis debitor indemnem servare debet fidejussorem a quovis damno.*
   Correus actionem habet omnimodae consequendae indemnitatis ab altero correo - ibi. -
2. *Liberatio a molestiis eo magis erit probanda, si disertissimum pactum accedat.*
3. *Nunquam mandati fines praetergreditur, qui omnia agere poterat, quae mandans ipse gessisset, si praesens fuisset.*
4. *Stipulatio liberationis a molestiis eo tempore comissa censetur, quo molestiae fuerunt illatae, sive justae, sive injustae.*
5. *Simplex molestiarum assumptio, effectum promissae liberationis minime secumfert.*

DECISIO CCLXXXVIII.

Ex Sententia abrogati A. C. Assessoris Advocati Grazioli in solidum una cum Cæsenatis Municipii Decurionibus damnata nobili Matrona Marchionissa Paula Manzi, uti Filia, atque hæres defuncti Comitis Pauli Æmilii, ad persolvendos censuales fructus, de quibus edisserit alia mea hujusce diei Decisio, satius censuit, ut indemnitati prospiceret suæ, ad Supremum confugere Signaturæ Justitiæ Tribunal, ac non provocationem modo ab ea Sententia postulare, sed facultatem quoque agendi *tamquam in prima* coram Juridico, nunc pariter abrogato, A. C. Collegio, ad quod in gradu Appellationis rei cognitio deferebatur, pro liberatione a molestiis adversus Cæsenæ Municipium. Voti sui compos facta, liberationis a molestiis judicium statim instituit coram iis Judicibus, qui actricis petitionem rejecerunt. Duplicem siquidem pronunciarunt Sententiam, quarum altera Assessoris Grazioli infirmarunt judicatum, et a solutione fructuum Censualium tam Marchionissam Paulam, quam Municipii Decuriones duxerunt absolvendos. Altera vero imploratam negarunt liberationem a molestiis, cujus petendæ rationem, et causam omnino deficere rati fuerunt, semelac Sodalitii Moderatores, pro assequendis Census interusuriis agentes, contextim repulerant. At, delata ad Sacrum Nostrum Auditorium utriusque controversiæ definitione, secus ei visum est. Ut enim existimavit vigere adhuc censum a Cæsenæ Municipio Anno 1757: impositum, ejusque fructus Sodalitio Sanctissimæ Conceptionis. Urbis esse persolvendos, teste prædicta mea coæva Decisione sub titulo *Romana, seu Cæsenaten. Fructuum Census*, ita etiam excepit petitam a Marchionissa Manzi adversus Municipium liberationem a molestiis. Hac enim quoque Causa mihi commissa, quæsitum hodie est = *An sit locus liberationi a molestiis ita ut, et pro qua summa sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = et protinus datum est Responsum = *Affirmative in summa liquidanda* =.

Posito enim Comitem Paulum Æmi- 1
lium, non debendi correum fuisse in ea Census stipulatione, quem super prædio quodam in agro Cæsenae sito ejus Municipium imposuit erga Sodalitium Sanctissimæ Conceptionis Urbis, sed imo fidejussorem, ut multis comprobat argumentis sæpe citata mea hujusce diei Decisio; plane sequebatur, ex jure

teneri ejusdem Municipii Decuriones ad liberandam ejusdem Comitis filiam, hæredemque a molestiis, quas ex parte creditoris Census pati cogitur. Principalis siquidem debitor indemnem servare debet fidejussorem ab omni quocumque damno, quod ab emissa oriri possit fidejussione *Rot. in Ferrarien. Liberationis a molestiis* 14 *Februarii* 1755 § 2 *coram Bussio*, *in Fanen*, *Liberationis a molestii* 1 *Junii* 1795 § 4 *coram cl. memor. Malvasia, in Perusina Pecuniaria super secundo Dubio* 22 *Junii* 1804 § 3 *coram Resta*, *et in Ferrarien. seu Cæsenaten. Liberationis a molestiis* 9 *Junii* 1823 § 5 *coram R. P. D. Meo Martinez del Campo*. Nec deterior evaderet illustris matronæ conditio, etiamsi dici vellet ejus auctorem, et patrem, Comitem Paulum Æmilium, ita se devinxisse, ut illius obligatio ad aliam a Cæsenate Municipio susceptam minime respexerit, et nedum *ordinis*, *et excussionis* beneficium rejecerit, sed præterea, ipsa quoque obligatione deficiente, voluerit ad solutionem compelli, veluti sunt casus, quos indicat altera contemporanea *Decis.* § 11. Ingenue profecto profitebantur ipsi Municipii Decuriones totum, atque integrum Census negocium ad eos pertinuisse, ac in eorum dumtaxat compendium, et commodum solutam a Sodalitio pecuniam cessisse. Atqui ipse etiam debendi correus, juris rigore remisso, ac æquitate sequuta, ex literali censura *leg. Creditore Cod. de duob. reis stipulan.*, *et promitten.* actionem habet omnimodæ consequendæ indemnitatis ab altero correo, si nihil ex pecunia, quæ obligationi contrahendæ causam præbuit, ad eum pervenit, vel pro ea parte, quae ad alium correum pervenit. *Fabr. in Cod. lib.* 8 *tit.* 27 *definit.* 8 *num.* 2 *Vinn. in Instit.* § 1. *de duobus reis stipulan., et promitten. n.* 4 *Voet in Pandect. tit. de duob. rei num.* 7 *Rot. in cit. Ferrarien. seu Caesenaten. liberationis a molestiis* 9 *Junii* 1823 § 3 *cor. R. P. D. Meo Martinez del Campo.*

2 Sive igitur fidejussor fuerit Paulus Æmilius, sive correus debendi, seorsim ab obligatione Municipii, utroque in casu præstanda ejus hæredi indemnitas est. Juris autem dispositioni pactum adstipulatur. In eo quippe procurationis mandato, cui Proceres Municipii Cæsenatis subscripsere, ut inde venditio Census iniretur, explicitis ipsi verbis sub adjecto Cameralis obligationis vinculo spoponderunt indemnem fore Comitem Manzium, procuratorem constitutum, ab omni damno servaturos, quod postea forte passus hoc nomine fuisset. Multo magis hinc ex vi disertissimæ pactionis probanda erat actio liberationis a molestiis a Marchionissa Paula instituta. *Leg. Lucius Titius ff. mandati*, *Card. de Luca de credito disc.* 103 n. 4., *Rot. post Cenc. de Censibus decis.* 198 *num.* 4 *in Æsina Liberationis a molestiis* 7 *Decembris* 1753 § 2 *coram Amadeo*, *et in dict. Ferrarien., seu Cæsenaten. Liberationis a molestiis* 9 *Junii* 1823 § 6 *coram R. P. D. Martinez del Campo*. His ita constitutis, injuria prorsus objiciebatur in mandatis a Caesenate Municipio habuisse defunctum Comitem Manzium, ut stipulationi publicarum Census tabularum adesset tantum, ac vice Decurionum hoc in negocio fungeretur: non autem ut se nomine proprio, et qua solidalis fidejussor obligaret. Prætergressis ergo mandati finibus, perperam inferebatur, liberationis a molestiis actionem ei minime suppetere, ac illius præsidium irrito conatu eum implorare. Nam adeo late patebant procurationis verba, ut potestatem amplecterentur ea omnia absque discrimine gerendi, quae Decuriones ipsi, ac Municipii Proceres facere potuissent, si per se stipulationi interfuissent = *Dando facoltà* (ita mandatum) *al detto Procuratore di fare tutto ciò, che potremmo noi fare, se fossimo presenti* =.

At nunquam mandati fines eum prætergressum fuisse censetur, qui omnia 3
agere poterat, quæ mandans ipse gessisset, si præsens fuisset. *Leg. si procurator Cod. de procurat, Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 7 *Tit.* 16 *num.* 24 *Rot. in Hortana Cambii* 17 *Junii* 1803 § 7 *coram Strasoldo*, *et in Auximana*

Antichresis 10 *Januarii* 1823 § 7 *cor. Reverendissimo P. D. Meo Isorard Decano.* Adversabantur autem, potiusquam faverent Municipii Decurionibus objecti *Textus in leg. Si remunerandi* 6 §. *Si passus, et leg. Qui fide* 53 *ff. mandati,* in quibus denegata fuit mandatario, et procuratori actio contraria mandati quia pro invito intercesserat, aut donandi animo negotium gesserat. Non enim, invito Municipio, fidem suam interposuit Comes Paulus Aemilius, sed eo imo consentiente, ac plaudente, a quo mandatum acceperat, ea omnia agendi, quæ ipsi fecissent præsentes Municipii Decuriones. Non animo rursus donandi is se devinxisse existimandus videtur, qui nihil de hoc dixit, quique præterea tali innitebatur mandato, quale indemnitatis pactum amplissimum erga mandatarium continebat. Si itaque, ut tutius redderet Pii Sodalitiii negocium, ac sacrorum canonum servaret disciplinam, acceptis usus fuit facultatibus Paulus Aemilius, et Municipii obligationi, qua fidejussor accessit, nulla profecto subest ratio, cur indemnis fieri de damnis passis, ac in posterum patiendis ab ipso Municipio non debeat.

4 Etiam vero disertis hisce facultatibus caruisset Paulus Aemilius, non ideo minus indemnitati ejus filiæ, et hæredis succurrendum esset actione liberationis a molestiis. Semelac porro constat, Municipio Cæsenati non ignorante, rem utilem fecisse Paulum Aemilium, si non actio directa mandati, actio saltem utilis negociorum gestorum semper ejus prodest hæredi. Receptum siquidem in jure est haud teneri fidejussorem, ut a principali debitore liberationem a molestiis obtineat, hujus mandatum exhibere, sed satis esse, quod fidejubendo ei gesserit utile negocium. *Donell. in Comment. ad leg. Si pro eo* 10 *Cod. mandati n.* 27., *Rot. decis.* 246 *num.* 12 *coram Herzan.* Neque dicendum liberationis a molestiis actionem in themate locum habere non posse, quia illatæ a Sodalitio pro Censualibus fructibus molestiæ nullius momenti sunt. Hæc enim exceptio, si inanis erat, antequam quæstio de credito Census, et fructuum in judicium deduceretur, inanissima facta est, postquam Sacer Ordo certis facti, et juris innixus principiis, tum vigere Censum, nihilque ei Gallicis legibus detractum fuisse, tum ejus fructus rependendos esse in alia mea hujusce diei Decisione constituit. Cæterum hoc jure vivimus stipulationem liberationi a molestiis ab eo tempore commissam omnino censeri, quo molestiae inferuntur, sive justae illae sint, sive injustæ. *Mangil. de evict. quæst.* 184 *num.* 10., *Farchin. controv. jur. lib.* 2 *cap.* 39 *Rota in Romana, seu Spoletana Dotis, et Lucri super liberatione a molestiis* 19 *Februarii* 1756 § 4 *coram Bussio in Ravennaten. Spolii super liberatione a molestiis novis* 5 *Julii ejusdem Anni.* 3 *coram Eodem, in Ferrarien. Molendini super liberatione a molestiis* 20 *Januarii* 1799 § 8 *coram Herzan, et in Viterbien. Liberationis a molestiis* 9 *Junii* 1817 § 5 *coram Emo Bussio juniore.*

Denique nihil obest, Cæsenæ Municipium illatas sibi suscepisse molestias, 5 et petitam adversus Urbis Sodalitium fructuum Censualium solutionem impugnare. Proprio quippe nomine Decuriones in præsenti judicio sistunt, non item nomine nobilis Matronæ Paulæ Manzi, quæ molestias patitur, et ab eis liberari flagitat. Cum vero simplex molestiarum assumptio effectum promissæ liberationis minime secumferat, neque efficiat, ut molestiæ omnino cessent, vetitum proinde mulieri esse nequit, quominus veram urgeat liberationem, et *mandatum ad factum*, ut in Foro dicitur, obtineat. *Rota decis.* 226 *num.* 8 *coram Bichio, decis.* 14 *n.* 1. *Tit. de Salviano interd. cor. Falconer., decis.* 271 *num.* 2 *coram Herzan, et in Nullius, seu Farfen. Liberationis a molestiis* 5 *Februarii* 1798 §. *fin. coram Eminentissimo Burdaxi.* Jam alias tamen Sacer Ordo definivit indemnes servandos esse fidejussores, qui pro Municipiis æs alienum contrahentibus fidem interposuerunt: prout patet in sæpe dicta *Ferrarien. seu Caesenaten. Liberationis a molestiis* 9 *Junii* 1825 §. 1., *et sequen. coram R. P. D. Meo Mar-*

tinez del Campo, in qua punctim agebatur de debito ab eodem Municipio Cæsenæ sub alterius fidejussione contracto, ut publicao Annonae caritati consuleret. Nihil ergo superest dubii, quin recte a molestiis liberatio postuletur. Sed quoniam incertum adhuc est, quæ, quantaque summa Censualium fructuum nomine, quos ad liquidum perducere, ad Pontificiæ legis tramites debebit Cardinalis Aemiliæ Legatus, persolvenda sit; ideo Patres in hac secundaria quæstione mandatum actrici tribuere censuerunt *in summa liquidanda*.

Et ita, utraque parte jura sua deducente, definitum est.

ROMANA SEU FLORENTINA

EXPENSARUM

Veneris 3. *Martii* 1826

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCLIX. -

SUMMARIUM

1. *Quidquid non ex necessitate, sed ex arbitrio impensum est, non est reficiendum.*
2. *Firma manere debent illa dumtaxat, quae in ultima decisione constituta fuere.*
3. *Per simplex consilium non revocatur mandatum.*
4. *Expensarum detrimentum sentire is debet, qui praematurum actionem instituit.*
5. *Quidquid in genere sub expensarum reficiendarum nomine venit, est in sp.cie rependendum.*

DECISIO CCLXXXIX.

Vario Marte diu inter Mencaccium et Bancherium Equites, alterum Romanum, alterum Pistoriensem, pugnatum est ob petitam a primo adversus secundum damnorum sarcitionem, quæ ex non libera traditione coempti Latifundii *Pescarella*, jampridem Lillio Locati, ei obvenerunt, ut narratum est in altera mea Decisiune, quam die 4. Junii anni præteriti in lucem edidi. Vario item marte res cessit cum Mencaccius, qui tandem ab ea judicii sede victo discessit, expensarum refectionem a Banchicrio postulavit. Contumaciali siquidem prodiit primum Decisio die 24 Novembris anni 1820 me Ponente vulgata, qua R. P. D. Mei Tiberj taxa in scutis *Septiagentis* probata est. At, re iterum S. Ordinis examini subjecta, Patres in decisis pro parte tantum standum esse censuere; nam expensarum reficiendarum summam ad scuta *tercentum nonagiata quatuor* cohibendam esse duxerunt, ut expraedicta patet mea decisione diei 4. Junii 1825 Quo factum est, ut novæ Audientiæ beneficio quoad expensas exclusas a Mencaccio impetrato, die 20 Februarii nuper elapsi quæsitum fuerit = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis in casu etc.* = Semel tamen iterumque Patrum hæsere suffragia: quapropter omnibus dominis hoc mane ad judicandum accitis, novissimæ Decisioni robur adjectum et per responsum » *in secundo loco Decisis* =

Et merito. Onus enim in se susce- 1
perat Mencaccius Lillium Latifundii conductorem ab hujus possessione expellendi; et ad litis sumptus ferendos *centum* aureos nummos, vulgo » *doppie* », a Banchierio receperat. Extant siquidem anno 1810 ad diem 10 Februarii exaratae hujusmodi conventionis tabulæ, ad quarum calcem hæc una adjecta reperitur conditio: ut scilicet Mencaccius ad sua primaeva jura regressum haberet, restitutis tamen *centum* aureis numois, quoties actus quilibet exhiberetur, et quo constaret Banchierium consensisse, ne Lillius a conductione Latifundii expelleretur. Hic igitur unus casus erat, quo Mencaccio licuisset a lite contra Lillium peragenda recedere, et rite recteque a Bancherio damnorum emendationem expetere. Atqui vix ipse coram Prætore pro conciliatione, ad tramites legum illius ævi, Lillium vocavit; cumque cognovit eum a conciliatione abhorrere statim conticuit, nec quid ultra perfecit: ergo intempestive de damnis sibi reficiendis actionem contra Ban-

chierium promovit, ac propterea a judicio super iis instituto coram S. N. Ordine victus discessit. Ex quibus aperte consequitur frustra ipsum expensas sibi rependendas contendere, quas tum passus est, quasque complectuntur *quatuor ex tresdecim* capitibus computi a Perito confecti, ceu fusius narratum est in *ultimo* §. præcedentis Decisionis, quæ confirmatur. Hæ siquidem omnes expensæ ad eas referuntur Caussæ propositiones, in quibus, ante litem contra Lillium ad finem perductam, Mencaccius succubuit, eumque, uti dictum fuit, succubuisse ex propria culpa necesse fuit. Facto igitur proprio proprieque oscitantiæ easdem imputet, eisque inconsulto, ex arbitrio, justaque causa deficiente se obviam ivisse fateatur oportet. Quidquid vero non ex necessitate, sed ex arbitrio impensum est, numquam esse reficiendum jam, pluribus adductis auctoritatum exemplis, firmatum fuit *in* §. 6. antecedentis Decisionis.

2 Hæc eadem statuerat N. S. Ordo in Decisione diei 12 Martii 1815 coram Piccolomini, quæ muneri suo Mencaccium haud satisfecisse constituit per inceptam tantum litem coram Judice conciliatore; declaravitque ex contractus patula stipulatione eum teneri ad omnes adhibendos, et ad exitum perducendos judiciales actus, quibus opus fuisset ad Lillium ex conductione expellendum. Quod magis etiam magisque evinci jam tunc novere Patres ex non modice vi scutorum *viginti* supra *terceatam* Mencaccio subministrata, cujus ope patebat Banchierium consuluisse haud brevis litis sustentationi. Et perperam quidem opponebant, qui a partibus Mencaccii erant, nullo in calculo ejus Decisionis argumenta habenda esse ex eo, quod semel, iterumque a S. Ordine fuerit revocata. Quin imo ex hac ipsa illius revocatione supra exposita rationum momenta nitidus elucescunt. Eadem enim ratio, quæ Patres ad damnorum refectionem Mencaccii favore per eam Decisionem denegandam induxit, eadem, inquam, ed illam revocandam deinceps suesit. Perspexerunt ipsi namque Mencaccium haud esse in cjusmodi contentione audiendum, donec omnia explevisset ad Lillium exfractandum necessaria: ideoque ejus de damnis sarciendis instantiam, quam ante litem perfectam rejecere, jure deinde, recteque excepere, cum lite ad exitum perducta, Lillium haud esse e conductione expellendum constitit. Firma igitur maneant oportet, quæ in ea Decisione sunt deducta; cum apertissime pateat ommissionem judicialis perfecta experimenti in Caussa fuisse, quod damnorum refectio Mencaccio primum denegaretur: ejusdemque litis expletam deinde actionem ejus culpam emendasse, et Decisionis revocationi locum fecisse.

At Banchierius ipse litis continuationem prohibuit: ei itaque morem gessit, omnisque propterea expers culpæ Mencaccius dicendus est. Ite sane argumentabantur hujus defensores, et epistolium quoddam exhibentes ad Mencaccium missum per Riccium, qui Banchierii Negotia gerebat, omne defensionis suæ robur hisce verbis consistere autumabat = *E' inutile trattenersi sulla conciliozione della scissura di opinione fro me, ed il Sig. Avvocato Pieratti rapporto all' offare Banchieri, e Lilli. In questo stato fintantochè più serie riflessioni m' inducono nel sentimento del del prelodato Signor Pierotti, o mi confermino nel mio trovo soviezzo, che si sospenda lo Couso introdotto contro il nominato detentore Lilli* ». Nihili tamen hæc facienda censuere Patres; nec aliud his in verbis contineri perspexerunt quam simplex Riccii consilium, tempore maturandum. At non ideo facultas Mencaccio data est omnem adversus Lillium litem prorsus deserendi; suspendere quippe eam poterat, rem bene perpendere ac deinde, si licuisset, Banchierium inducere ad onus sibi commissum retractandum, aliasque, prout temporis ac negotiorum circumstantiæ suadebant, ineundas pactiones. Minime vero ei facta potestas est, litis cogitatione despecta, de damnorum sarcitione contra locatorem agendi. Firma enim manebant pacta 3

anno 1810 conventa, ex quorum vi tuno solum ei regressum patere ad primæva jura sancitum est, cum actua in medium proferretur apertam Banchierii consensum præseferens de Lillio non expellendo a conductione. Hac autem non impleta conditione, temere prorsus ac inconsulte a Lillio perseqnendo Mencaccius destitit, ac locatorem aggressus est: sibique, iterum dicam, infelicem caussæ exitum in primis propositionibus debet imputare, ex quo consequitur expensarum onus ab eo ferendum esse.

Accedit vero, quod ad demonstran-
4 dum se in lite suspendenda Banchierii consilium fuisse sequutum se reddidisse etiam sc. *tercentum, et viginti* ad illius sustentationem recepta, evincere Mencaccius deberet. Quod cum nunquam perfecerit, apertius constat, eum de lite prosequenda adhuc cogitasse, cum de lite prosequenda adhuc cogitasse. nec suscepti oneris implendi obligationem ignorasse. Ex quo evidentior evadit ejus actioni inanitas in damnorum sarcitione intempestive expostulata. Nec deest testis etiam, qui affirmat Pierattium, ejus Procuratorem, de ea restituenda pecunia, ac de litis prosequendæ onere dimittendo interpellatum, respondisse = *che non intendeva restituire, e che lui voleva far la lite contro Lilli, e se voleva il Sig. Cav. Banchieri, poteva farsi ammettere a Causa* =. E quorum conspectu nullum jam dubium esse potest, quin reapse nullam Banchierius, omnem Mencaccius quoad litem cum Lillio agendam culpam admiserit; ideoque hic omne etiam ferre debeat detrimentum ex præmature promota damnorum petitione, ad quam ea expensarum summa refertur, cujus refectionem ei denegandam
5 iterum Patres censuere.

Supervacaneum est autem alia persequi a Mencaccio rursus proposita argumenta, quibus expensa, de quibus agitur, sibi reficiendas esse, suadere conatur. Quod enim desumitur ex eo Praxeos Judiciariæ theoremate, per quod receptum est, eum, qui postremo judicio victus discedit, expensas omnes rependere debere factas ab initio litis, ac per totum illius progressum, licet in aliqua dimicatione vicerit, ut pluribus allatis S. N. Ordinis definitionibus firmavit *Decisio Romana, seu Florentina Expensarum* 5. *Decembris* 1817 §. 6 *coram R. P. D. meo Tiberj*, pro Banchierio contra Mencaccium edita super refectione expensarum in Caussa quoad solutionem fructuum compensativorum, quos hic illi debebat e pretio non repense Latifundiorum *Vallelata, e Pescarella*, qua in caussa Mencaccius prius vicerat, id præcedenti mea Decisione, quæ confirmatur, *sub* §. 8 jam satis explesum est. Non enim in præsenti caussa primarum propositionem expensas ideo a Mencaccio ferendas esse constitutum fuit, quia simpliciter in iis, uti evenerat in alia illa Caussa, succubuerit, sed quia succubuit ex propria culpa, nec vicit deinde, nisi rerum statu per ipsum immutato, ac eadem culpa emendata. Aliud vero argumento ex iis verbis desumptum = *in omnibus expensis* = in quibus S. Ordo erga Mencaccium damnavit Banchierium, omni item vi destitui *in* §. 8 ejusdem Decisionis demonstratum est. Frustra enim contenditur, quidquam *in genere* esse rependendum, quod *in specie* sub expensarum reficiendarum nomine venire nequit. Sat est itaque, quod me super hisce ad prædictam meam Decisionem referam.

Et ita, habita in cæteris ad præcedentem, quæ confirmatur, Decisionem relatione, definitum fuit. Universa Aula suffragantur. Utraque etc.

ROMANA SEU FLORENTINA

EXPENSARUM

Veneris 16 *Junii* 1826.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur – DECISIO CCLXXXIX. –

SUMMARIUM

1. *Expensarum refectio non est deneganda illi, qui victus a causa haud abscessit.*
2. *Qui aliquod adimplendi factum onus suscepit, si non adimplevit, ad damna tenetur.*
3. *Judicis est, non cujusquam e populo definire, an aliquid ad juris tramites, peractum fuerit nec ne.*
4. *Simplex consilium non est confundendum cum mandato.*
5. *Non est quaerenda tacita causa, ubi adest expressa.*
6. *Juxta Motus proprios* Pii VII *et* Leonis XII, *omnes expensae sunt reficiendae, licet victus victor in primae causae propositionibus discessit.*
7. *In judiciis quilibet ad paria dijudicari debet.*

DECISIO CCXC.

Pluries jam super expensis a Petro Banchierio, Equite Pistoriensi, reficiendis favore Laurentii Mencacci, Equitis Romani, qui damnorum sarcitionem contra illum obtinuit ob possessionem Latifundii *Pescarella*, quod ab ipso coemerat, sibi præpeditam a quodam Lillio, ejusdem conductore, cor. S. N. Ordine disputatum fuit, et quarta bodie hac de re prodiit Decisio. Postquam enim illarum taxam in scutis *septingentis* ad liquidum perduxit R. P. D. Meus Tiberi, Bancherius de ejus excessu querelam movit, sed, ipso ab judicio absente, eam Patres probandam esse facile censuerunt die 24 Novembris 1820, ut monstrat decisio, quam ad illam diem vulgavi. Causa vero iterum proposita Periti Curialis relationem oportere ipsi putarunt; eaque expleta, *In decisis*, steterunt = *pro summa scut.* 394 *in reliquis vero a Decisis* = recessere, ceu pandit altera mea Decisio diei 4 Julii anni præteriti. Hanc dein confirmarunt Patres die 3 Martii hujusce anni, postquam bis anceps eorum hæserat judicium, et Universa Aula fuerat ad suffragandum accita, ac tertiam tunc edidi Decisionem. Novæ Audientiæ beneficium Laurentius tamen obtinuit: quo factum est, ut Dubium hoc mane proposuerim = *An sit standum in primo, vel in secundo, et tertio loco decisis in casu etc.* = nec a sententia recentius pandita recedendum Patres duxere: responderunt enim = *in ultimo loco decisis* =.

Quæ fusiori calamo in superioribus 1
Decisionibus exposita, ac perpensa fuere, apertissime evincunt totam hujusce controversiæ summam in hoc uno stare, ut scilicet videatur, an Petrus, qui ex judicio super emendatione damnorum victus tandem abivit, eas rependere debeat, nec ne, Laurentio victori expensas, quas hic in iis propositionibus sustinuit, in quibus, ob non expletum ab ipso adversus Lillium exfractationis judicium, damna eidem reficienda non esse decisum fuit. Expensa enim omnes in scutis 667 constituendas censuere Patres: et ab iis detrahendas esse, quæ propositiones respiciunt cor. S. R. Tribunali, dierum 27 Februarii, et 12 Maii anni 1815, et 9 Februarii anni 1816, in quibus pro refectione damnorum Laurentius adversus Petrum egit, antequam lis contra Lillium esset absoluta; adeout residua tantum scuta 394 reficienda superessent. Patent hæc omnia ex Decisione a me edita *Romana*, *seu Florentina Expensarum diei 4 Julii* 1825 § *ult.* Ad hanc unicam disquisitionem hodiernum cohiberi judicium probe utriusque Partis novere Defensores: ac proptorea omnes Laurentii nisus eo tantum spectant, ut evincat se ad litem contra Lillium absolvendam nullimode devinctum fuisse: nil propterea culpæ in illa derelinquenda admisisse: ideoque expensarum refectionem sibi ea de causa denegari non posse.

Quod tamen Patribus, ut jam semel, 2
iterumque displicuit, nec hodie tertium placere potuit. Perspexerunt enim obligationis a Laurentio susceptæ mensuram non aliunde quærendam esse, quam ex conventione diei 10 Februarii anni 1810. In ea porro onus in se Laurentius suscepit conductoris Lillii a Latifundio expellendi; cessionem ad id rationum omnium a Petro retulit; obtinuitque *centum* aureos nummos, vulgo = *Doppie* =, ad litis instituendæ sumptus ferendos. Unica vero ejus o-

bligationis declinandæ ratio adjecta porro est, scilicet = *se mai nel progresso del giudizio, ossia nell'esercizio che sarà per fare il Signor Mencacci de'suoi diritti contro il Sig. Lilli, venisse prodotto un'Atto mediato, o immediato, in forza del quale fosse giudicato, che il Sig. Banchieri abbia in qualunque modo legalmente prestato il suo consenso all'anzidetto asserto contratto di Affitto* =. Ex quibus luculentissimis verbis duo manifeste deducebant Patres: Mencaccium scilicet, tum solum a Lillio persequendo desistere potuisse, eum et documentum aliquod exhiberet Lillius præstiti a Bancherio consensus, et documentum idem tanti faciendum fuisset, ut per illud *fosse giudicato*, Banchierium non solum consensisse, sed et *legalmente* consensisse in Latifundii locationem erga Lillium. Bona siquidem fide se gerebat Banchierius: non is juris callebat principia, et quamvis sæpe sæpius eum Canonico Barattinio de locatione conductione ineunda Latifundii = *Pescarella* = verba fecisset, et sciret Lillium conductoris nomine Latifundium jam possidere, sperabat tamen per hæc omnia consensum suum non satis *legalmente* demonstrati, seque ab eo servando eximi posse. Quod et aperte demonstrat *centum* aureorum Laurentio facta traditio. Ni enim fatuum Petrum dicere velimus, aliquam in eo contra Lillium victoriæ consequendæ spem agnoscamus oportet.

3 Debebat itaque Laurentius Lillium in judicium adducere nec ab incæpto desistere ei licebat, statim ac aliquod consensus a Petro præstiti documentum ab illo afferretur; sed onus ei incumbebat documenti ipsius vires perscrutandas Judici committere, qui definiret, fuisset, nec ne, præstitus = *il consenso* = ac præstitus = *legalmente* =. Audiendus igitur non erat hodie Laurentius, dum regerebat verba illa in pactione adhibita = *un Atto, in forza del quale fosse giudicato* = intelligenda esse de judicio arbitrio boni viri non Judicis Sententia ferendo. Præstitum siquidem aliquo modo fuisse consensum, et ipse sciebat fortasse Banchierius: At in dubium vonerat, num *legalmente* præstitus fuisset. Judicis autem est, non cujusquam e populo, definire, an aliquid *legalmente*, ad juris scilicet tramites, peractum fuerit, nec ne. Congrua itaque congruis referentes, novere Patres verba illa = *fosse giudicato* = de Judicis Sententia, non de boni Viri arbitrio esse intelligenda. Ast alia ejus ejusdem conventionis verba carpebant Laurentii defensores, ex quibus sententia haud opus fuisse ad consensum demonstrandum concludere nitebantur. Scriptum siquidem in ea est = *se mai nel progresso del giudizio, ossia nell'esercizio ecc. venisse prodotto un atto ecc.* = Unde arguebant, lite nondum absoluta, potuisse Mencaccium ad primæva sua jura regressum habere. At perperam, subsequuntur enim statim verba = *in forza del quale fosse giudicato* =. Quod idem est, ac si dictum fuisset, si Sententia prodeat in vim actus cujuslibet pendente judicio prolati. Nil enim tam naturale est, quam quod nullum judicium edi possit in vim actus, qui ante judicium ipsum non fuerit productus. Redit igitur, quod supra positum fuit, duo nempe copulativo in pactionem venisse: productio scilicet documenti, ex quo consensus appareret, et ipsius consensus probatio per Judicem admittenda. Atqui Mencaccius, vix instituto judicio, ab eo destitit, ac erga venditorem pro damnorum sarcitione se convertit; ergo jure tum causa cecidit, et frustra expensas repetit, quas in ea propositione, aliisque similibus passus est.

Quin judicii ipsius interruptionem ex consilio, et auctoritate Banchierii tueri valeat. Ut enim in præcedenti Decisione, quæ confirmatur, sub § 4 animadversum est, merum purumque consilium continetur in ea Riccii epistola, quæ a Mencaccio exhibetur. Accedit, quod, etsi dici vellet verbo ipsius epistolæ = *trovo sariezza, che si sospenda la causa introdotta* = quidquam mandati ultra consilium, præseferre, quisque tamen videt, non de lite penitus seponenda Riccium loquutum esse, sed ea in suspenso relinquenda = *finchè più serie riflessioni m'inducano nel sen-* 4

timento del Sig. Pieratti =. Suspendere igitur aliquandiu potuit judicii prosequutionem Mencaccius, at non illud omnino derelinquere: vel, si derelinquere ei illud placuisset, tunc curare debebat alias cum Petro inire conventiones, et rem amice componere, ceu Riccius ipse in votis habuisse videtur ex aliis epistolis ad Laurentium missis, et ab hoc productis numquam vero Petrum judicialiter lacessere, ac in eum derelictæ litis culpam convertere poterat. Redit insuper, quod § 5 *Cit. Decis.* expositum est, ad demonstrandum scilicet, se in litis cogitatione abjicienda Banchierii consilium fuisse sequutum, ostendi a Mencaccio debere, se reddidisse etiam scuta *tercentum et viginti* ad litis sustentationem recepta.

5 Conventum enim fuerat sub die 10 Februarii anni 1810, ut, si *lis* favore Lillii definiretur, Laurentius = *dovrà rendere al Signor Banchieri le* 100 *doppie ricevute, non però quelle, che documenterà aver già speso, ed erogato fin'allora nella lite* =. Nihil autem hoctenus eum reddidisse pacificum est. Nec satis. Ut enim narrat *cit. Decis.* § 5 testis adest etiam, qui affirmat, Pierattum, Mencaccii procuratorem, de ea restituenda pecunia, ac de litis prosequendæ onere dimittendo interpellatum, respondisse = *che non voleva restituire* = inutiliter vero objiceretur eam restitutionis negationem, non a voluntate litis prosequendæ ortum duxisse, sed ab ea pacti parte, in cujus vim conventum fuerat, restituendum non esse, quidlibet litis gratia jam impensum fuisset. Non enim quærenda tacita renuentiæ causa, ubi adest expressa ex ejusdem testis fide. Respondit enim Pierattus = *che non intendeva restituire, e che lui voleva far la lite contro Lilli, e se voleva, il Sig Cavaliere Banchieri poteva farsi ammettere a causa* =. Culpam igitur in lite derelinquenda admissam frustra Mencaccius in Banchierium retorquet, et jure illam damnatum misit Sac. Ordo, cum primum damnorum sarcitionem adversus hunc postulavit; ad cujus judicii expensas ferendas nunc merito cogitur.

Revocationem nihilominus Decisionis 6 illius iterum objicit Laurentius: victorem tandem se discessisse clamat in judicio damnorum: addit de unica instantia agi, licet pluribus constantem propositionibus Caussæ, ac Sac. Trib. Decisionibus: ideoque, tam ex censura praxeos, quæ vigebat, dum lis acta fuit inter insum Mencaccium, et Banchierium super sarcitione damnorum, quam etiam ex Art. 1168 Motus Proprii diei 22 Novembris 1817 San. mem. Pii VII; ac ex Artic. 647 alterius novissimi Pontificis Leonis XII diei 5 Octobris 1824, quibus constituitur = *Nella tassa delle spese avanti i Trib. di Appello non si comprenderanno le spese di quella istanza, in cui uno, o più litiganti fosser vincitori, benchè siano rimasti soccombenti in fine della Lite* =, hujus instantiæ omnes expensas a Banchierio esse rependendas; prout *in omnibus* eum condemnovit S. N. Ordinis Sententia. At omnia hæc fere jam in præcedentibus, quæ confirmantur, Decisionibus eliminata fuerunt. Revocata quidem fuit prima Decisio adversus Mencaccium lata: sed ipsum revocationis factum demonstrat, eum sibi imputare debuisse, si victus in primis Causæ propositionibus discessit. Litis enim ommissio, adversus Lillium prosequendæ, eum a damnorum sarcitione obtinenda arcebat: ac deinceps ejusdem litis absolutio bonum ipsius jus constituit.

Esto igitur, quod unica fuerit in- 7 stantia: et quod ex Sac. Nostri Ordinis praxi, non quælibet Decisio separatam constituat instantiam: sed unica semper sit, quæ sub una commissione, ac citatione instituta, ab unica item Sententia conclusa est. Cum tamen in primis Causæ propositionibus id punctum ex Mencaccii culpa deficeret, quod deinde probe peractum bonum ipsius jus constituere valuit; cum non idem semper rerum status permanserit; cum Decisionum discrepantia ex factorum varietate, ipsi solum imputanda, ortum duxerit: rito recteque Patres semel, iterum, tertiumque censuerunt, sumptus primarum propositionum ab expensarum reficiendarum cumulo de-

trahendos esse, non obstante condemnatione in *omnibus*, quam referendam esse duxerunt ad eas dumtaxat expensas, quarum refectio in genere probata est : ut firmarunt superiores Decisiones § 8, et 6 Æqualitas enim , quæ ubique servanda est, in judiciis maxime debet obtinere, ne quilibet ad imparia dijudicetur *L. non debent acta ff de reg. jur. L. cum oportet. Cod. de bon. quæ lib. et L. fin. Cod. de fruct., et lit. expens. Cap. in Judicis, et Cap. non licet de reg. jur. in VI.*

Et ita in acri Partium certamine , Patres omnes una mecum suffragantes, confirmationis robur binis postremis Decisionibus adjecere.

ROMANA SOCIETATIS

Veneris 18 *Junii* 1824.

ARGUMENTUM

Illicitum in jure non est advocare quempiam in societatem conductionis. vel jam initae, vel ineundae absque ulla collatione ex illius parte. qui in societatem recipitur , dummodo particeps ex aequo periculo fiat , lucri scilicet , aut damni, quod commune secumfert societatis negocium.

SUMMARIUM

1. *Ad perpendendam justitiam, ac aequalitatem societatis , inspici debent tabulae contractus.*
2. *Maxime cavendum est in societatis contractu , ut pacta utrinque serventur.*
3. *Nulla peculiaris causa requiritur ad societatem coeundam.*

   Cujusque societatis finis , in quaestu consistit , quem ab ipso societatis initio socii sibi proponunt - ibidem. -
4. *Illicitum non est quempiam in societatem advocare absque ulla collatione ex illius parte, dummodo particeps fiat lucri , aut damni. -* Et num. 5. -
6. *Lucri communio ex indole societatis est , et nihil hoc commune habet cum usuraria labe.*
7. *Societas leonina tunc dicitur contracta , cum alter ex sociis omne lucrum sibi quaerit, alter vero damnum omne substinet.*
8. *Quamvis difficilis admodum sit immissi capitis amissio, non ideo societas erit ad caput salvum.*
9. *Etiam in societate locationis conductionis , multi accidere possunt casus , in quibus caput sociale non sit immune ab omni calamitate.*
10. *Errores calculi argumentum non praebent ad societatis nullitatem , sed ad novam dumtaxat rationum expunctionem.*
11. *Non est socius cogendus ad scripturas , libros , rationes iterum exhibendas, nisi prius in supputationis judicio errores irrepsisse demonstretur.*

DECISIO CCXCI.

Ex auctoritate, et Lege Pontificii Rescripti S. M. Pii VII. bodiernis in Comitiis ad examen oportuit revocare Remjudicatem post bines Sententias , primam Tribunalis A. C. , alteram Sacri Nostri Ordinis , ac totidem Decisiones exortem , in qua merito constitutum fuit velidum, ac justum renunciandum esse societatis contractum, quem, ineunte anno 1812, celebrarunt Carolus Guidi, ac Rosa Macciò, fervente lite de functa, super locatione conductione ad annos viginti septem urbanarum ædium, quæ prope Forum Antoninum extant, ac vernaculo vocabulo nuncupantur=*dell' Impresa* =. Qui jurium cessionem ab hoc societatis contrectus proficiscentium a Carolo patre retulit , et hanc litem instituit, Medicus Hyppolitus, is inutiliter plurimum adlaboravit in hac nova concertatione, ut Decisionum fundamenta convelleret, quas primum pridie Nonas Julii anni 1821 ac dein postridie. Idus Januarii insequentis anni R. P. D. Meus Spada in vulgus edidit. In irritum temen ejus studie cesserunt. Cum enim, dum quæritur de restitutione in integrum , ab Universa Aula ex neotericis praxeos institutis absolvi debeat controversia, adeo valida rationum momenta editarum Decisionum inventa fuerant , ut proponenti mihi Omnibus Dominis dubii formulam = *An constet de Rejudicata , seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = responsum illico fuerit = *Constare de rejudicata.*

Perpendenti justitiam, ac æqualita- 1
tem socialis contractus , hoc maxime occurrit animadversione dignum, locationem conductionem ædium inter cl. me. Ducem Franciscum Cesarini , et

Carolum Guidi, actoris Hyppoliti patrem, initam sub ea præcipua pactione, finalique causa fuisse, ut teneretur conductor instaurationes multas conficere, quæ in notula quadam ipsi adjecta contractui designabantur. Debebat namque ædes conductas, et sortitionis publicæ negotiis antea destinatas, in plures dicta convertero, tum lacunaria, tecta, et strata lateritia reficere; tum parietes dealbare, ac fores, fenestras, infumibula aquaria, et alia hujus generis similia construere, quæ maximam pecuniæ vim requirebant. At non is erat Carolus, qui posset ære proprio suscepta onera implore. Hac de re, priusquam etiam contractui Locationis conductionis, cum Duce Cesarinio postmodum inito, subscriberet, sociam sibi adscivit honestam fæminam, modo defunctam, Mariam Macciò, quam unicum viro suo Francisco Della Rosa mercaturam facere, ac opibus valere pernoverat. Cum hac itaque muliere bene nummata societatem coivit, scripta in id privata syngrapha ad diem decimam Junii anni 1812, in qua non modo convenit, ut annua ponsio argenteorum nummorum *quatuorcentum*, Locatori solvenda, bifariam inter socios divideretur, sed illud quoque cautum fuit, uti instaurationes omnes cum Locatore constitutæ sumptibus fierent unius Mariæ, = *bene inteso però di rivalersene, e reintegrarsene sulle pigioni della casa locata, detraendo prima la pigione dovuta al Signor Duca Cesarini, gli acconcimi che abbisognassero, e così pure qualunque gravame, che dal governo venisse imposto* =.

2 Societatis demum apocha continobat, ut quidquid ex inquilinorum portionibus a Carolo exigendis superesset post satisfactam Mariam de pecuniis instaurationum causam impensis, ac post expunctionem onerum omnium, quæ in singulos annos contingunt, ex æquo diribendum inter socios foret. Adeo autem de implendis conditionibus in stipulationem deductis, anxia et sollicita fuit Maria, ut, necessariis reparationibus operam dando, brevi creditrix evaserit in egregia quantitate argenteorum nummorum *bismillium sexcentum*, prout patet ex rationum dispunctione a ratiocinatore communi placito electo exarata, quam et ipsum Carolum passim, ac præcipue publicis in tabulis ejusdem societatis; triennio elapso confectis, ratam habuisse, et approbasse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Rimata hinc contractus societatis Litera, ejusque pactionibus pervolutis, si datam fidem, quod ad eam pertinet, Maria ad unguem implevit, nulla ratio subest, cur a pactorum observantia desciscat Carolus, aut, qui ab eo causam modo habet, Hyppolitus. Si enim interest Reipublicæ, ut in omnibus contractibus pacta serventur *ad Text. in leg. Juris Gentium* §. *Ait Prætor Cod. de pactis*, de qua meminit tam prima Causæ *Decis*. §. 4., quam secunda §. 2., id maxime cavendum est in sociotatia contractu, qui in hominum commercio sæpius iniri solet. *Leg. de societate* 6. *Cod. pro socio, Michalor. de fratr. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 17., *Ansald. de commerc., de mercat. disc.* 74. *num.* 11. *Mans. consult. forens.* 13. *num.* 1. *Rot. in Rec. decis.* 484. *num.* 6. *part.* 18. *tom.* 2.

Nihil vero proficiebat Hyppolitus, 3
dum ad assuetas redibat querelas de causæ defecto; de usuraria labe, de qualitate Leonina contractus, deque erroribus demum in supputatione computorum irreptis. Non ex eo siquidem, quod fortasse Hyppolitum penituerit societatem cum Maria coivisse, ideo licebat legitimo contractui asperam hanc, et in juro non præsumendam vitiorum notam inurere, quæ quo plura numero sunt, eo leviora pondere Patribus visa fuere. Utque prius de causæ defectu sit sermo; nulla peculiaris causa requiritur ad societatem coeundam, et ipsa societatis coito congrua, et sufficiens causa sibimet ipsi est. Coeuntur quippe societates, ot rite, ac valide coeuntur, ut in negocio, quod suscipitur, participes, ac socios habeamus, cum iisque dividamus lucrum, aut damnum, quod societatis exitum consequitur. Cum enim non aliter societas definiatur, quam duorum, vel plurium rationabilis, ac honesta conventio ad

commodiorem usum, et uberiorem quæstum sibi comparandum, ut optime monet Sacrum Nostrum Tribunal *dec.* 582. *num.* 13. *tom.* 2. *coram Molines*; nemo hinc non intelligit unius cujusque societatis finem in quæstu consistere, quem ab ipso societatis initio socii sibi proponunt. *Leg. Coire* 7. *et Leg. Sed et si* 13. *ff. pro socio Tholosan. syntagm. univers. jur. part.* 3. *lib.* 27. *cap.* 4. *num.* 16. *Leotard. de usur. quæst.* 1. *num.* 22· *Felic. de societate cap.* 2. *n.* 9., *et cap.* 31. *num.* 39. *Zanch. eod. tract, part.* 2. *cap.* 9. Verum in casu, de quo agitur, haud certa defuit causa, cur Carolus in Societatem advocaret Mariam, quæ una poterat sumptus omnes obire, quos requirebant permultæ illæ instaurationes ex pacto cum Locatore convento in ædibus explendæ.

4 Quod autem urgebat Hyppolitus, nihil de suo in eamdem societatem contulisse Mariam, et plures instaurationes, vel ab eodem Locatore, vel a Carolo conductore, antequam societas cum Maria coiretur, in ædibus peractas fuisse, id quidem non modo falsum *in facto*, sed in concreta etiam specie omni juris præsidio carere dignoscebatur. Si enim necessarias reparationes, aut ipse Locator, aut conductor saltem explevisset, nulla aderat ratio, cur societatis tabulis pactum adiiceretur, ut onus susciperet Maria = *degli acconcimi, e restauri parimenti convenuti in detta Locazione, a forma della nota alla medesima inserta* =, ac præterea sub hac conditione fieret societas, ut nempe eadem Maria teneretur = *improntare, e somministrare quella somma necessaria da erogarsi negli acconcimi, e restauri necessarj* = Cæterum falsum in facto erat, nihil de suo contulisse Mariam, cum e contra ex Legitimis monumentis, et ab ipsa rationum dispunctione, pluries a Carolo, Actoris patre, probata, et accepta habita, constet, præter aleam, et periculum utrique socio commune, non leves pecuniarum summas, pro explendis reparationibus necessarias, unam prænumerasse Mariam. Quod si etiam nihil in eam causam prænumerasset, nihilque de suo contulisset, hoc tamen haudquaquam adversetur indoli societatis, quia illicitum in jure non est advocare quempiam in societatem conductionis, vel jam initæ, vel ineundæ absque ulla collatione ex illius parte; qui in societatem recipitur, dummodo particeps ex æquo periculi fiat, lucri scilicet, aut damni, quod commune secumfert societatis negocium, veluti, adductis auctoritatum exemplis, recte arguit utraque causæ Decisio, prima §. 5., altera §. 3.

Non injuria itaque querelam hanc ab Hyppolito propositam in eum retorquebant hæredes Mariæ quippe qui nihil reapse præter merum, nudumque nomen de suo contulit in societatem. Nec ei profuit excipere, se jus conductionis in societatem immisisse. Nam etiamsi jus conductionis revera immisisset Hippolyti pater, illud redit semper, æquitati, ac juri non repugnare, ut quis super re jam conducta sibi socium adsciscat, qui nihil conferat de suo, præter spem, aut metum lucri, vel damni ex societate manantis. Jus autem conductionis utrique socio commune fuisse, semel, et iterum fassus fuit Carolus, tum nempe in privata societatis syngrapha, tum potissimum publicis in tabulis triennio post celebratis, ubi nitide declaratur = *che allorquando il Signor Guidi trattava col Signor Duca Cesarini la formazione di detta Locazione contemporaneamente era ancora in trattato di ammettervi in società la Signora Maria Della Rosa* = Si quo ergo tempore de contrahenda cum Cesarinis Locatione conductione, eodem de coeunda cum Maria societate Carolus agebat; jam plane sequitur, ita Locationem conductionem ædium eum sibi quæsivisse, ut esset cum Maria communis, quam totius lucri, vel damni sociam, et participem elegerat, ut pariter perpendit prima, et altera causæ *Decis. loco citat.* 5

Usurariam vero, ac *Leoninam* societatem, arguere, sive quia ad prænumeratam ad reparationes explendas pecuniam particeps evaserit Maria Lucrorum omnium conductionis, sive quia de eadem prænumerata pecunia satisfieri ex 6

stipulato deberet ex conductarum ædium pensionibus, non modo incivile, sed calumniæ proximum erat. Ad usuram, et fænus sane quod pertinet, cum lucri communio ex indole societatis sit, et ejusdem scopus, ac finis habeatur, nihil proinde commune habet cum usuraria labe, quæ nonnisi in mutui contractu potest intelligi. Non raro quidem usuvenit, ut, qui collata pecunia societatem contrahunt, lucrum inter se dividant, quod peperit sociale negocium, eodem ferme modo, quo et damna, si quæ sunt, perferre coguntur. Non inde tamen sequitur, ut illa pars lucri, quam socii diligentiæ, ac industriæ ope a societato collegerunt, usurariam sapiat pravitatem, cum imo respondeat immissa in societatem pecuniæ, et laboribus, ac curis omnibus, quas sociis adhibuerunt ad majorem utilitatem comparandam, ac omne detrimentum vitandum. Si namque contractus omnes, in quibus agitur de lucro captando, utpote usurarii, et ad palliandum mutuum, et illicitas cohonestandas usuras gesti traduci possent, nulla amplius stipulatio honesta, et æqualis inveniretur, quæ in istos objurgationum scopulos non incideret.

7 Nec secus censeri debet de qualitate *Leonina*, seu ad caput, ut inquiunt, *salvum*, qua infectam societatem inquiebat Hyppolitus, quod pactum intercesserit de pecunia prænumerata ex pensionibus ædium recuperanda. Leonina porro societas, quam veteres Jurisconsulti, ut narrat *Duaren. Comment. jur. civ. lib.* 4 *Pandect. tit.* 38 *cap.* 1, talem appellarunt ex Æsopi apologo de societate Leonis, Vulpis et Asini, tunc dicitur contracta, cum alter ex sociis omne lucrum sibi quærit, alter vero damnum omne substinet, ut Cassii Responsum referens scribit *Ulpianus in leg. Si non fuerit* 29 *ff pro socio*. Atque hoc sane societatis genus, quod inæqualitatem maximam inter socios secum fert, contra naturam, atque indolem societatis esse, quæ æquale inter socios exigit damnum, et lucrum ac legibus omnibus improbari, docent Doctores, quos plena manu colligit *Zanch. de societate part.* 1 *cap.* 6 *n.* 110. Nedum autem non repugnat, sed congruit imo societatis indoli ac æqualitati inter socios servandæ, ut unusquisque repetat capitis partem in societatem immissam; antequam lucra dividantur. Tunc profecto Leoninæ qualitatis insimulari posset societatis contractus, de quo controversia est si pactio restituendi capitis in societatem immissi ita adjecta contractui fuisset, ut omni in casu, atque eventu, et etiam si caput ipsum ex aliquo infortunio periisset locum habere deberet.

At vero tam iniqua conventio, quam maxime abest a contractu societatis inter Carolum, et Mariam inito, in quo pactum de recuperandis pecuniis immissis non aliter exerere vias suas poterat, nisi quatenus sociale negocium bene cessisset, post impleta nimirum onera societatis. Cæterum etiamsi ex litera societatis non bene colligeretur immissi capitis restitutionem non aliter, neque antea explendam esse, nisi capite ipso sospito, integro post satisfacta societatis onera superextante, adhuc tamen hujusmodi pacta reddendi capitis ita interpretari debent, ut insitam, nisi contrarium expressis verbis cautum occurrat; conditionem habeant; quatenus nempe sociale negocium bene cesserit, et salva atque integra maneant capita, quemadmodum sapienter edisserunt præteritæ Decisiones, prima § 9 secunda §. 4. Quia obsit, sociale negocium ejus generis fuisse, veluti reponebat Hyppolitus, ut pecunia per Mariam immissa nunquam perire potuisset. Utilitatis enim certa spes non adversatur indoli societatis, quæ hoc unum prohibet; ne pactum accedat de capite reddendo etiam in casu deperditionis, et infortunii. Si difficilis admodum sit immissi capitis amissio, non ideo descendit societatem fuisse Leoninam, ac *ad caput salvum*, sed secum gratulari potius debent socii, quod ad ejus indolis negocium animum intenderint, ex quo certa utilitas, certumque lucrum erat obventurum. E converso enim si homines certa aliqua lucrandi spe ad societates ineundas, aliosque contractus peragendos non impellerentur, raræ admodum essent ipsæ socie- 8

tates, rari contractus et commercium, et mercatura vilesceret quod sane non leve afferret communi hominum societati nocumentum.

9 Præter hæc tamen animadvertebant quoque Patres, non adeo tutam esse capitis restitutionem, atque ab omni calamitate immunem, ut eam ostendebat Hyppolitus. Fieri enim poterat, ut ædes conductæ repentino aliquo incendio conflagrassent, vel chasmate, ictu fulminis, terræmotu, aliaque superiori vi corruissent, veluti alias in iisdem ædibus acciderat, ut Hyppolitus ipse testabatur. Haud difficile rursus erat, præcipuo ob temporum vicissitudines, ut inquilini defecissent in persolvendis quolibet anno pensionibus, iisque insolutis obiissent. Fieri etiam poterat ut mensura pensionum ædinm in Urbe ita decresceret, ut vix socii ex iis, de quibus agitur, tantum perciperent; quantum ad æquandam summam cum Duce Cæsarinio conventum sat esset. Contingere demum poterat, veluti saepe experientia novimus, ut Locatoris actio, ob inquilinorum, ac conductorum inopiam inanis evaderet. Esto sane, quod in hoc rerum infortunio rependi minime deberet primo Locatori, aediumque Domino Duci Cesarinio annua conventa, pensio. Attamen lugere aeque debuisset Maria immissi capitis amissionem. Non enim agebatur de contracto perpetuo, sed ad viginti septem annos dumtaxat duraturo; quo sane tempore fieri poterat, ut aliquo ex iis infortuniis obveniente Locationis conductionis exitus instaret, quin impensae pecuniae satisfactionem obtinere Maria valuisset. Quamobrem corruit evidens illud Lucrum, quod praeseferre conductionem propinabant Hyppoliti defensores, dum haec omnia infortunia, si forte contigissent, quamcumque non solum abstulissent utilitatem, sed damno etiam ingenti socios affecissent.

10 His autem animadversis, levioris momenti erant, quæ disputabat Hyppolitus de quibusdam erroribus in dispunctione rationum irreptis, ac de quibusdam juris sibimet ipsi propriis, et peculiaribus pro incolenda parte ædium absque ulla pensionis solutione. Nam admodum improbabile est, quod errores irrepserint in rationibus expungendis, in quibus socii ratiocinatoris operam adhibuerunt, et quas pluries actoris patet accepto habuit, ac per septennii spatium probavit. Quod si etiam errores aliqui in computis occurrerent, satis consultum est indemnitati Hyppoliti ex eo temperamento, quod selegerunt Triumviri A. C.; et Patres Domini confirmarunt, jus scilicet Hyppolito reservandi « *agire nel suo congruo, e separato giudizio per esaminare, se tutte le partite di debito, e credito canonizzate nell'Istromento del* 10 *Aprile* 1815 *siano in regola, e se vi sia occorso verun errore* » Atque optimo consilio id constitutum fuisse nemo non intelligit. Objecti siquidem errores, quamvis a societatis contractu descendant, cum rem tamen a societate distinctam præseferant, nullum præberent argumentum, et si maxime probarentur, ad societatis nullitatem, et rescissionem decernendam, sed ad novam dumtaxat ineundam rationum expunctionem, ut corrigantur errores, qui, sive ex uno contractu, sive ex pluribus emerserint, veritati præjudicium non afferrent, unde rationes etiam sæpe computatas denuo tractari posse compertum est ex *Leg. unica Cod. de errore calculi.*

Extranea pari modo ab hodierna quæstione cognoverunt Patres ea jura, quæ in medium proferebat Hyppolitus ad partem ædium, absque ulla pensione incolendam ex peculiari quadam sibi facta, nec tamen probata, vel Supremi Principis, vel ipsius Locatoris concessione. Et si enim pronis auribus excipi posset malè sarcta bariolatio, vel quod Locator Cesarinius in fraudem initæ cum Carolo Locationis conductionis partem ædium, absque pensiones inhabitandam Hyppolito concessisset, vel quod immortalis memoriæ Pontifex Pius VII. cum gravi alieni juris Læsione Hyppolito permisisset, ut in aliena domo degere posset absque ulla solutione pensionis, hæc omnia nihilominus, licet inepta, et scurrilia, nihil commune haberent cum vi, et observantia socialis 11

contractus inter Carolum Guidi, et Rosam Macciò celebrati, de quo uno hodie quæritur. Quod si placuit Carolo divitem foeminam sibi sociam adscire in ea ædium conductione, si Societatis jura, et obligationes ex cessione facta n Carolo in Hyppolitum transierunt; jam plane descendit iisdem obligationibus erga Mariam, aut ejus hæredes modo Hyppolitum teneri, quibus antea Carolus ex eodem Societatis contractu tenebatur. Quoties vero religiose observari contractum Societatis oportet, ac do computorum erroribus, si qui sunt, peculiare judicium instituendum est, inutiles profecto sunt quæstiunculæ aliæ de amovendo exactore ac de exhibendis scripturis, quas pariter excitavit Hyppolitus, et quas recte diremit in hisce pariter Comitiis Sacrum Tribunal ope Rescripti « *Utatur jure suo* » Sospite enim, ut par erat, relicto societatis contractu, pensionum exactioni non aliter prospici poterat, quam eo modo, quo in contractu conventum fuit, neque erant cogendi Mariæ hæredes ad scripturas, libros, rationes, atque acceptilationes exhibendas, nisi post institutum novæ supputationis judicium, ac postquam in vado erit, errores in expunctionem rationum revera irrepsisse.

Et ita in cæteris relatione habita ad Superiores Causæ Decisiones resolutum fuit, Vid. OO. DD., ac meo etiam accedente suffragio, Utraque etc.

ROMANA SUPER NULLITATE LAUDI

Veneris 13 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Si arbiter non omnes, et singulas praecidat quaestiones sibi propositas, laudum eb eo pronunciatum nullum, irritumque habetur.

SUMMARIUM

1. Periti jurecousulti officium est, rationum expunctionem recipere, ac super hiac inde deductis referre.

2. Si arbiter non omnes, et singulas praecidat quaestiones sibi propositas, laudum ab ea pronunciatum est nullum.

3. Unicum arbiter de omnibus controversiis debet dicere laudum, ubi inter se conjunctae sint.

4. Laudum per se nullum, nunquam censetur ratihabitum.

5. Arbitratoris, non arbitri, est litem componere per concordiam, potius quam jus reddere unicuique suum.

6. Forma adhibita in proferendo laudo, discrimen indicat inter arbitrum, et arbitratorem.

7. Si aliquod vitium aut injustitiae, aut nullitatis laudum inquinat, adversus illud impune agi potest, quovis remoto clausularum obstaculo.

DECISIO CCXCII.

Longe lateque patens Latifundium *Camposcala* in regione Montis Alti, quod ab Apostolico Fisco pro annuo canone modiorum *quingentum quinquaginta* frumenti in Emphitheusim accepit Vincentius Candelorius, is postea anno 1801 die 22 Maii, Salvatorio Sensinio, ac Joanni Bottonio ad duodecim annos locavit; publicis scriptis tabulis, nominatim conventum fuit, ut argentei nummi *octomille* a conductoribus pensionis nomine in annos singulos solverentur, præter alia scuta *millia* in causam fructuum pro valore pecoris, rerum venalium, ac instrumentorum fundi, quod eisdem conductoribus una cum re locata tradebantur. Sed locatio conductio ad longum tempus stipulata, brevi dissoluta est. Cum enim Bottonius ac Sensinius a prospera, ridentique, qua utebantur, fortuna, in malam, diramque repente incidissent, ab hac conductione sese subducere, annuente Candelorio, et præmio imo a novis conductoribus obtento, statuerunt. Novi isti conductores fuerunt Franciscus, Antonius, aliique germani Fratres Garofolo, qui peculiarem quamdam conventionem posteriori anno 1802, ad diem *trigesimam* Decembris cum Candelorio celebrarunt, cujus ope cautum ut ipsi per totum illum annum jam ceptum a die *vigesimanona* præcedentis Septembris, Bottonio, ac Sensinio in omnibus intelligerentur suffecti, no-

vatione tantum facta quoad pensionem ab eis praestanda in modiis *quingentum quinquaginta* tritici, ac nummis argenteis *quatuor mille quingentum*: eo autem clapso anno rustico, nova initium duceret locatiu conductio ad duodecim annos, quo tempore, præter modo dictam frumenti quantitatem, quam Apostolicæ Cameræ ex pactis in Emphiteutico Instrumento conventis pensitare Candelorins adigebatur, tenerentur quoque conductores annua scuta *sex millia* locatori rependere.

Plures aliae deinde, locatione conductione procedente, locum habuerunt conventiones. Deficientibus quippe fratribus Garofolo in traditione frumenti, priorem apocham anno 1803 die *secunda* Augusti oportuit obsignari, ex qua potestas conductoribus facta fuit frumentum illud eo anno retinendi ad segetes ampliandas, augendamque fundorum culturam, dummodo tamen illius pretium in scutis *novem mille nogentis* constitutum ratis portionibus in posterum restitueretur. Cum deterior interea temporis, ex furtunæ vicibus evasisset conductorum conditio, insequenti anno 1804 die 10 Jsnuarii inita fuit apocha altera, ex qua plura conventa fuerunt, ut fructuum colligendorum, aliarumque rerum securitati foret consultum. Convenit primo, ut duo viri rei agrariæ periti, ac ab utraque parte eligendi, ad Latifundium accederent, cuncta æstimaturi, quæ inibi reperiebantur. Convenit item, ut fructus vendi a conductoribus nequirent, nisi ex anctoritate, et venia ipsius Candelurii locatoris. Convenit tandem, ut locator haberetur, uti arcarius, qui fructus Lstifundii colligeret, pecuniamque, aut ex arca exquirendam, aut fænore accipiendam, tum ad cultnræ continuationem, tum etiam ad fratrum Garofolo conductorum necessitatem, et exhibitionem erogaret. Provida hæc nihilominus consilia impedire non potuerunt, quominus in pessum adeo iret fratrum Garofolo patrimonium, ut Joseph, alter ex germanis fratribus, implorare a recolendæ memoriæ Pontifice Pio VII cuactus fuerit beneficium cessiunis bonorum absque ignominia, cæteris vero conductoribns privativus Judex, atque Æconomus datus fuerit defunctus Ermenegildus Rossetti, non incelebris Romanae Curiæ Advocatus.

Vix hic jactati hujusce patrimonii babenas suscepit, nuva statim, quæ tertia fuit, apocha eodem anno 1804 die 12 Februarii scripta, non modo confirmavit quidquid secunda fuerat syngrapha conventum, verum etiam pacisci cum Candelorio voluit, ut Latifundii locatio conductio exitum suum assequeretur proximo ineunte Septembri illius anni, et res omnes in Latifundio ipso extantes, ac antea ab Agrimensoribus æstimatæ eidem Candelorio tribuerentur in satisfactionem cujuslibet crediti, quod adversus conductores experiri posset. Initis tamen his pactionibus, multæ ex hac contractus rescissione ortæ fuerunt locatorem inter, ac conductores quæstiones, tam super quantitate crediti locatoris, quam super remissione pensionum a conductoribus ob tempestatum infortunia cælique inclemontiam petitæ, et aliis hujusce generis. Ad bæc omnia componenda, ac ad vitandos judiciorum sumptus, harum contentionum definitio ex mutuo partium consensu, initoque compromisso, commissa judicio fuit Juris Legumque periti, Sacrique Concistorii Advocati Vincentii Bartolucci modo defuncti, quem Arbitrum, et Judicem sibi constituerunt. Post aliquod tempus die nempe 10 Decembris anni 1805 arbitrium sententiamque suam hic pronunciavit *quinque* distinctam capitibus, quorum *primo* quamlibet rejecit remissionis pensionum jus a conductoribus propositum: *Altero* probavit quidquid anterioribus conventionibus, in apocham quamdam die 29 Septembris anni 1804 deductis, condonatum a locatore fuerat eisdem conductoribus: *tertio* dixit rationes de retenta arca recte reddidisse Candelorium: *quarto* pecus in Latifundium a fratribus Garofolo immissum Candelorio adjudicavit in dimissionem partis ejus crediti: *quinto* demum creditum ipsum Candelorii reli-

quum constituit in scutis *novem millibus centum septem* obulisque *quodroginta novem*, ac nonnulla alia ejusdem locatoris nomina partim rejecit, partim in suspenso reliquit.

At Arbitrium illud, quod omnes debebat quæstiones amputare, semen fuit, et germen plurium controversiarum, quæ huc usque multorum hominum contorserunt ingenia. Cum enim Arbitri sententiam implere detrectarent fratres Garofolo, quippe qui eam uti nullam atque injustam criminantur, illius executionem demandavit A. C. Contra censuit, sub postrema Gallorum occupatione Ecclesiasticæ Ditionis, Appellationis Aula, quæ propositas a Fratribus Garofolo nullitatis querelas excepit. Restitutis tamen Pontificiis Tribunalibus, Antonius, ac Alexander Candelorii interea defuncti Vincentii filii deferendam curarunt rei cognitionem ad Sacrum Nostrum Ordinem sub Dubii formula = *An sit locus executioni Laudi, itaut sit relaxandum Mandotum, et in qua summo in casu etc.* = cui in Comitiis dici 17 Maii anni 1815 vadimonio a fratribus Garofolo deserto responsum fuit = *Pro informontibus* = scilicet = *Affirmative od primam partem, et mandatum esse relaxandum in sc.* 9107 49 veluti constat ex illius diei Decisione, quam tunc in lucem edidit Reverendissimus tunc P. D. Cesarei De Leonibus emeritus hujusce Nostri Auditorii Decanus, ad Sacram deinde Purpuram, ac Æsinæ Diæcesis infulas evectus. Facta deinde succumbentibus obloquendi potestate adversus prædictam Decisionem, ac Eminentissimo Cesarei, jam causæ Ponenti, subrogato R P. D. Odescalchi, nunc pariter ad dignitatem S. R. E. Cardinalis evecto, in duas partes divisa est quæstio, quarum altera pertinet ad nullitatem sententiæ, seu *Laudi* ab Arbitro lati, altera vero ad illius justitiam.

Quoad itaque primam, de qua præsens Decisio agit, propositam Dubii formulam = *An constet de nullitote Loudi in casu etc.* = Patres Domini ad *Quintum, et Sextum* usque quæsiti *affirmativo* Responso dirimendam censuerunt, ut testis est Decisio anno 1818 die *quinto* Junii a prædicto Eminentissimo Odescalchi secundo tunc Causæ Ponente evulgata, quæ in aliis Comitiis ad diem *septimom* ejusdem mensis insequentis anni habitis, inducias frustra postulantibus Candeloriis, in omnibus probata fuit. Quoniam vero baud difficile fuit Candeloriis novæ audientiæ veniam ab humanitate Sacri Ordinis obtinere, renovatum ideo est judicii periculum in Comitiis diei *decimae quintae* Martii anni 1820, atque proposito de more dubio = *An sit etondum, vel recedendum a decisis in cosu etc.* = Responsum fuit = *Diloto, et ad Dominum Ponentem pro deputatione Periti Curialis cum foculltate assumendi Peritos Compestrem, et Ratiocinatorem, et referendi super omnibus hinc inde deductis, et cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis* =. Hodie autem mane, postquam suam apud acta retulit relationem Advocatus Aloysius Cecconi Curialis Peritus in id deputatus, eamdem ego, Eminentissimo Odescalchio subrogatus, proposui Dubii formulam, ac Responsum retuli = *In Decisis* =.

1 Postquam Sacrum Nostrum Auditorium jussit, ut Peritus Jurisconsultus ex utraque parte rationum redditionem exciperet, simulque credita omnia, adscitis secundariis Peritis Ratiocinatoribus, et Agrimensoribus, sedulo perpenderet, si non *explicite*, saltem *implicite* definitum est latam ab Arbitro sententiam nullius roboris, et efficaciæ esse. Secus enim si Sententia illa e medio sublata perpetuo non fuisset, inutile omnino videretur, quæstiones jam *Laudo* compositas, atque definitas ad vitam revocare, easque Periti Jurisconsulti examini subiicere. Neque id a S. Ordine demandatum fuisse dicendum est, ut ex illius relatione cognosci posset, an *Laudum* ab Arbitro pronunciatum objecto, nec ne, vitio nullitatis inficeretur. Semelac porro *Loudum* ex ea ratione nullitatis insimulabatur, quod Arbiter non omnibus satisfecerit quæstionibus sibi propositis, nihil sane profuisset Periti Juri consulti relatio,

cujus officium erat, rationum expunctionem recipere, et credita constituere, ac super binc inde deductis referre. Seorsim tamen ab his animadversionibus, *Laudi* nullitas manifestissima est. Nam compromissum initum inter partes fuit, ut dirimentur quæstiones omnes super locatione conductione Latifundii *Camposcala* excitatæ, ac in folio quodam ipsi Arbitro dein exibito, descriptæ, quibus singillatim respondere, damnando, vel absolvendo ille tenebatur.

2 Jam vero idem Arbiter non omnes, et singulas quæstiones definivit, sed alias silentio præteriit, alias reservavit Quæstio erat, utrum pecus æstimandum hyberno tempore esset, an autem sub initio Autumni; et tamen nihil Arbiter dixit. Nihil item constituit de pecunia foenere sumpta a Candeloriis periculo conductorum, ac sub gravissimis usuris. Nihil rursus de refectione damnorum statuit, qood locatorum culpa perpessos se fuisse conductores inquiebant. In suspenso reliquit quaestionem aliam de pretio *quingentum quinquaginta* modiorum frumenti, quod scutis *decem octo* in singulos modios, seu *Rubra* fuerat æstimatum, contra pactum locationis conductionis tabulis adjectum, ubi conventum legitur, ut scutis *decem* deberet triticum æstimari. Uno demum verbo sollicitum se præbuit Arbiter de iis tantum definiendis quæstionibus, quæ Candelorios respiciebant, aliasque posthabuit, quas fratres Garofolo proposuerant. Satis hæc igitur sunt ad declarandam *Laudi* nullitatem. Receptum siquidem in jure est, ut si Arbiter non omnes, et singulas præcidat quæstiones sibi propositas, *Laudum* ab eo pronunciatum, nullum, irritumque habeatur. *Leg. Dicer*: 23 *ff. de recept. Arbitr. Glos. ad eamd. leg. verb. A tota, Fab. in Rational. ad dict. leg. sub litt. A., Voet* in *Pandect. lib.* 4 *tit.* 8 § 18 *Staiban. resol.* 56 *numer.* 57 *Card. de Luca de judic. disc.* 11 *nume.* 19 *Constantin. ad Stat. Urbis annot.* 20 *num.* 272 *Rot. in Recen. decis.* 59 *num.* 10 *part.* 8 *decis.* 164 *num.* 4 *coram Lancet. decis.* 680 *numer.* 18 *coram Molines et præt. Caus. Decis. coram Emo Odescalchio, prima* § 4 *altera* § 2.

Qui tamen Candeloriis patrocinabantur molta cumulabant in *jure et facto* ut validitatem *Laudi* revincerent. In jure ex *Ulpiani* responso *in lege Quis tamen ff. de recept. Arbitr.* contendebant, tunc tantum ab Arbitro omnes una die, unicaque Sententia controversias definiendas esse, cum nominatim conventum fuerit in compromisso, ut una die, atque unico Laudo proferri ab eo judicium debeat; non autem cum hæc pactio deficiat. At Jurisconsulti in citata Lege responsum de pluribus loquitur controversiis, nihil inter se communibus, ac omnino disjunctis, quæ Arbitri sententiae fuerint permissæ. Quamvis e contra multæ essent quæstiones Candelorios inter, ac Fratres Garofolo ortae, ac Arbitrio Advocati Bartoluccii commissæ, arcto nihilominus vinculo insimul conjungebantur, utpote quæ ab uno conductionis locationis contractus fonte manabant, numque constituebant in plura divisum capita judicii subjectum. Tam longe ergo abest, ut themati nostro adversetur *Ulpiani* responsum, ut imo ei faveat, et in ipsos retorqueatur Candelorios. Nam si Arbiter plures Sententias ferre valet, cum de pluribus quæstionibus nihil inter se communibus agatur; a contrario sane sensu unicum de omnibus debet dicere *Laudum* ubi inter se conjunctæ sint controversiæ, si præcipue de voluntate contrahentium constet, ut omnes propositæ quæstiones simul definiantur, veluti arguunt præteritæ Causæ Decisiones, prima § 5 altera § 3. 3

Perperam autem Candelorii reponebant silentio comprobasse suo fratres Garofolo Arbitri Sententiam, eamque in rem censuram implorabant *Leg. cum autem* 5 *Cod. de recept. Arbitr.* ubi sancitum est, quod si partes latam ab Arbitro Sententiam = *roboraverint*, *et non intra decem dies proximos attestatio missa fuerit vel Judicii, vel Adversario ab alterutra parte, per quam manifestum fiat, definitionem non esse amplectendam; tunc silentio partium senten-* 4

tiam roboratam esse, et fugienti exceptionem, et agenti memoratam actionem (ex compromisso) *competere* =. Præter enim quod questi semper de Laudi nullitate, et injostitia fuerunt Fratres Garofolo, et adeo semper illud executioni committere renuerunt, ut oportuerit eis diem dicere coram A. C. Tribunali, accedit etiam præfatæ legis sanctionem vires suas haud exerere posse, ubi Laudum nullitate aliqua laboret, cum id quod nullum est, nullum gignere valeat effectum *Rot. decis.* 443 *numer.* 1 *part.* 13 *Recen., et decis.* 380 *num.* 8 *coram Ansaldo.* Nec meliora visa sunt ea, quæ arguebantur *in facto.* Nibil quippe interest in acta relata non fuisse ea folia, in quibus recensebantur quæstiones utrinque excitatæ, quæque exbibitæ Arbitro fuere. Non enim oportet, folia illa fidelibus oculis subjicere ut pateat, quæ contentiones fuerint definitæ, quæ vero prætermissæ, aut reservatæ, quoties ipsa Arbitri Sententia multas præterisse quæstiones verbis oon ambiguis io Capite *quarto* profitetur.

5 Unico nibilominus *Lauda* controversias omnes diremptas foisse ex eo concludebant Candelorii, quod quæstiones illæ ab Arbitro postbabitæ, compositæ jam fueraot in cooventione quadam Mensis Septembris 1804. Quam Arbiter servandam fore declaravit. Sed pessime id quoque regerebatur, nedum quia falsum est, illius conventionis ope compositas füisse quæstiones omnes ab Arbitro prætermissas, verum etiam quia illi conventioni unus subscripsit Vincentius Candelorius non autem fratres Garofolo, ideoque ne conventionis quidem nomen mereter, quæ duorum, vel plurium in idem placitum consensus dicitur *in leg. Hujus edicti* 1 *ff. de Pactis.* Cæterum non Arbitri erat, quæstiones componere, earumque concordiam imperare, sed lites definire tenebatur, absolvendo, vel condemnando, et jus suum unicuique tribuendo. Nibil ergo egit Arbiter, dum conventionem illam probavit, etiamsi vera conventio nuncupari posset. Tum autem compromissi verba, tom etiam latæ ab Arbitro sententiæ contextus omnino suadent merum Arbitrum constitutum fuisse a partibus Advocatum Bartoloccium, non *Arbitratorem*, compositorem mediatorem, cui licuisset, præscripta potius concordia, quam reddito judicio controversias dirimere. Ad Compromissum, quod spectat, cum contrahentes nominarunt = *per Giudice compromissaria arbitramentale* =, cui quidem facultatem dederunt = *di decidere e comporre* =, sed non ideo Arbitri munus in *Arbitratorem* conversum est. Cum enim congrua congruis referenda sint, intelligi proptcrea debet decidendi, et componendi facultatem a contrahentibus Advocato Bartoluccio datam, non indefinitam fuisse, sed circumscriptam, atque his limitibus coercitam, quos habet Arbitri officium, cujus est, lites per Sententiam juri, ac justitiae consonam componere, atque definire.

Id ipsum luculenter ostendit Arbiter ipse, qui eam adbibuit metodum quæ oon mediatori, et amico compositori, sed uni Arbitro convenit. Nam *Laudum* edidit suum ad instar judicialis sententiæ, Dei nempe nomine invocato, pronunciatisque verbis = *definisco, e decido* =, aliisque = *dichiaro obligati, e condanna* = quæ vi sua demonstrant, non ex bono, et equo rem componere Arbitrum voluisse, sed eam imu ad juris tramites defioire. Atqui formam adhibitam in proferendo *Lauda* adduci in ambiquis casibus pro certo argumeoto ad Arbitri facultatem metiendam, inducendumque discrimen inter verum Arbitrum, et Arbitratorem exploratum in jure est ex monitis per *Ja. Baptistam a S. Blasia de Arbitr. et Arbitrat. cap.* 4. *num.* 10. *Tract. magn. tom.* 3. Manet ergo, non omnes sibi propositas quæstiones Arbitrum definiisse; quin obsit excipere quæstiooes ab arbitro prætermissas alia locatoris credita, non conductorum jura respexisse, ideoque utilem ei fuisse prætermissionem. Quoties porro compromissarii Judicis arbitro commissa fuerat definitio quæstionum omnium, quas utraque pars excitaverat, fratrum Garofolo certe intererat ita eas dirimi, ut nulla alia imposterum exoriretur 6

controversia, nec ullum aliud creditum proferre Candelorii possent. Quod si jura ad hæc credita deinde assequenda eis reservabantur, ipse deficiebat compromissi finis, et scopus, ac compromittentium voluntas eludebatur, qui omnia antevertere controversiarum germina sibi proposuerant.

7 Quæcumque vero fuerit utilitas, quæ ex prætermissione venire potuerit in fratres Garofolo, ea quidem sanare nullitatis vitium nequit, eoque minus ipsi probibentur, quominus nullitatis actionem exerceant, etiamsi id, quod ex jure est, peculiari pacto conventum in compromisso fuerit, ut ratum haberi, atque servari a Partibus *Laudum* deberet, veluti ac si plena esset solemnisque Resjudicata. Hujusmodi namque obligationi tacita semper inest conditio, si Laudum justitiæ innitatur, quia nemo præsumitur assentiri injustitiæ, quæ lesionem secumfert, ac quascumque promissiones, licet solennissimas, evertit. Si aliquod ergo vitium aut injustitiæ, aut nullitatis Laudum inquinet, quovis remoto clausurum obstaculo, adversus illud impune agi potest *Rota in Tudertina Reductionis super executioni Laudi* 25 *Junii* 1804 § 2 *cor. De Alteriis*, et superiores Causæ Decisiones, utraque § *ult.* Qua de re merito nullum irritumque declaratum est *Laudum* ab Advocato Bartoluccio editum, atque ita de medio sublatum perinde ac si nullo umquam tempore prodiisset. Et ita, confirmatis præcedentibus Decisionibus, ac *quinto*, *et sexto* suffragium ferentibus, jus redditum est.

Utraque etc.

ROMANA SUPER JUSTITIA LAUDI

Veneris 27 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Frustra quæritur de injustitia laudi, quando constat de nullitate.

Non entis nullae sunt qualitates - ibi -

DECISIO CCXCIII.

Scissa in duas partes quæstione super executione Laudi a defuncto Sacri Concistorii Advocato Bartoluccio pronunciati, altera nimirum super nullitate, altera super justitia, quoad hanc postremam partem retineri placuit veterem Dubii formulam his verbis conceptam = *An sit locus executioni Laudi*, *itaut sit relaxandum Mandatum*, *et in qua summa in casu etc.* = quæ primum proposita anno 1815 in Comitiis diei 17 Maii vadimonium fratribus Garofolo deserentibus, juxta vota Alexandri, et Antonii Candelori definita fuit, ut fusius narrat altera Decisio super nullitate Laudi in Comitiis diei 13 currentis mensis edita. Vix autem jura sua deduxerunt Fratres Garofalo, statim conversa est judicii alea, et ex victi victores ipsi facti sunt. Cum enim quæsitum de more fuerit = *An sit standum*, *vel recedendum a decisis* =, bæsit primo paria inter se suffragia controversiæ definitio; at, renovato deinde periculo, accitisque ad suffragium ferendum *quinto et sexto* ex Patribus, exhibitæ dubii formulæ responsum fuit = *Recedendum a decisis* =, ut patet ex Decisione diei 5 Junii 1818 a tunc nostro Collega, modo vero amplissimo S.R.E. Card. Odescalchio publici juris facta, et anno subsequenti ad diem *septimam* Junii nova Decisione comprobatam. Postquam vero rei cognitio commissa fuit *Periti Curialis* examini, ac deinde etiam tota Aula ad judicandum fuit vocata, dum die 13 hujusce mensis, suffectus ego Emo Odescalchi dirimendum proposui Dubium = *An sit standum* in *primo*, *seu potius in secundo*, *et tertio loco Decisis in casu etc.* = hodie eidem Dubio a me iterum proposito fuit datum Responsum = *in ultimo loco Decisis*, *et ad mentem* = inferius explicandam.

Simul ac altera mea Decisio super nullitate Laudi præteritis evulgata Comitiis nullum irritumque declaravit Laudum, de cujus justitia quæritur, per consequens descendit, ut injustum quoque sit renunciandum, nullaque exe- 1

cutione donandum, cum nulla major detur injustitia, quam nullitas, in qua comprehensa manet injustitia. *Scacc. de appellat. quæst.* 17 *limit.* 19 *num.* 1 *Ridolphinc. in prax. parte* 1 *cap,* 13 *num.* 286 *Sabell. summ. divers. ractat. tom.* 3 *Nullius n.* 1 *in Recent. Dec.* 298 *n.* 3 *part.* 10 *et in Romana restitutionis in integrum quoad Decretum diei* 30 *Maii* 1804, 21 *Aprilis* 1823 § 3 *cor. Me.* Præterea si declarata Laudi Nullitas efficit, ut illud ita habeatur, veluti ac si nunquam prodiisset, inutile profecto est illius rei, quæ non existit qualitates expendere, non entis enim nullæ sunt qualitates, oilque post ex Philosophorum axiomate simul esse, et non esse. Quamobrem merito posthabuerunt Patres Domini haoc provinciam intrinsecæ justitiæ Laudi, ac Litigantium jura quoad contractum locationis conductionis sarta, atque integra servantes, voluerunt ut Causa progrediatur cum disputatione unius, vel plurium Dubiorum formularum, prout exigere videbitur defensionis, ac definitionis ratio super singulis quæstionibus, et creditis ab utraque parte propositis. Ne imo sumptuum jactura fiat, facultatem impertiti sunt Partibus eadem in futuris experimentis *Summaria* exhibendi, eademque utendi judiciali Relatione, quam exaravit Curialis Advocatus Ceccooi in eo deputatus. Et hæc est Sacri Tribunalis *Mens* in hac Decisiono explicanda.

Et ita VV. OO. DD., Utraque etc.

UTI PRAELATO

SPOLETANA IMMISSIONIS

Veneris 21 *Januarii* 1826.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCLXIV. -

SUMMARIUM

1. *Quaecumque sit juris praesumptio, ea cedere veritati debet, ac contrahentium voluntati. Generi per speciem derogatur -ibi-*
2. *Tantum emptum venditumque censetur, quantum antea locatum, conductumque fuit. Testi referenti sine relato, nulla est fides adhibenda -ibi-*
3. *Ubi ab actore non revincitur documenti existentia penes reum conventum, et sua interesse ut illud in lucem proferatur, actio ad exhibendum non admittitur.*
4. *Peritorum hominum relationes, contractibus normam non dant.*
5. *A constitutione pretii, non recte argumentum deducitur ad noscendum, quid et quantum fuerit venditum.*

DECISIO CCXCIV.

Quoniam superiori Anno ad diem *vigesimam septimam* Junii publici juris feci, Decisio rejecit immissionem, seu redintegrationem ab Equite Valerio Travaglino, Patricio Spoletano, petitam ad duo terræ frustula prædii = *Colle Morozzo* = in Agro Spoleti existentis, quæ ab iis, qui sub postrema Gallorum invasione summam imperi tenebant, sibi divendita fuisse, una cum aliis bonis ab Præsbiteros ex Instituto Divi Philippi spectantibus, contendebat. Multis ille quidem viribus, post imploratam, atque obtentam a Sacri Nostri Ordinis humanitate novæ Audientiæ veniam, adnisus est rationum momenta convellere, quibus Decisio ipsa fulcitur. Ea tamen ad examen hodie mano revocata, adeo cum justitia conveniro visa est, ut responso = *In Decisis* = probari omnino meruerit.

Judicandi ratio præteritæ meæ Decisionis in eo potissimum versatur, quod 1
a Gallico Fisco emptio venditio illorum bonorum erga Equitem Valerium inita fuerit ad normam, et præcedentis locationis conductionis tramites, quam de iisdem boois ipse Gallorum Fiscus cum quodam Jacobo Marignolio contraxerat. Atqui extra omnem dubitationis aleam positum est in locationis conductionis cotractu compræhensa nequaquam fuisse duo illa terræ frustula, quae hodiernæ disputationis subjectum constituunt, quæque a prædio = *Collo Morozzo* = per viam vicinalem secernuntur. Necessario ergo sequitur inclusa oadem terræ frustula dici in emptio-

ne venditione non posse. Ut vim hujusce argumenti minuerent Equitis Valerii defensores longa oratione dicebant, quod cum ex Censualibus tabulis fundum = *Colle Morozzo* = quamvis pluribus a vetustissimo tempore, ob culturæ, ac colonorum commoditatem, constet partibus, in tres dividatur regiones, ac sub diversis jaceat confiniis unum tamen, idemque prædium constituat, censendum ideo est totum, atque integrum fundum fuisse locatum, etsi singulæ ejus partes in bonorum locandorum indice non fuerint descriptæ ad prædium = *Colle Morozzo*=fuerit tantummodo nominatum. Quæcumque vero sit juris presumptio, ea cedere veritati debet, ac contrahentium voluntati, quæ una in contractibus dominatur, ac eorumdem contrahentium jura metitur. At cum ex notula bonorum hastæ publicæ subjiciendum, ac ex locationis conductionis tabulis appareat descripta diligenter singulorum quæ locabantur, prædiorum vocabula, fines, mensuram fuisse, tum illud præcipue patet, prædium = *Colle Morozzo* = vix constaro di *modioli* 45. *e stara* 4. Si porro generi per speciem derogatur, ut cautum habemus *in leg. In toto jure* 81 *ff. de regulis juris*, non aliud sane a Gallis locatum, et a Marignolio conductum dicendum est quam ea tantum prædii quantitas in prædicta notula, ac posterioribus tabulis descripta: non autem integrum prædium, quod longe mensuram illam excedit.

Haud licet igitur Equiti Valerio quos alios fundos in vadere, qui, cum par-
2 tem locationis conductionis non fecerint, ne facere quidem emptionis venditionis potuerunt, quia semper illud redit ineluctabile argumentum, tantum emptum venditumque fuisse, quantum antea locatum, conductumque fuit. Nec refert, ut in novo hoc jurium experimento strenue Eques Valerius objiciebat, duos fuisse Agrimensores, qui occasione locationis conductionis cum Marignolio ineundæ prædia inviserint, atque descripserint, primum scilicet Franciscum Cortecci, qui ad loci faciem, antequam locatio conductio contraheretur, accessit Gallorum jussu, ut ex hujus relatione, et judicio statui posset pensio quotannis a conductore solvenda; sed non satis accurate rem peregit, et tres tantum prædii partes recensuit: alterum vero Joannem Baptistam Cortecci, Francisci filium, qui accitus fuit, et a Gallis in eadem prædia missus, post jam stipulatum cum Marignolio contractum, ut prædia describeret, fines notaret, inventarium de rebus ibi existentibus conficeret, ac possessionem conductori traderet; quique diligentius muneri suo satisfecit, omnesque numeravit partes, prædium illud conflantes, ac duas illas præcipue, quæ in quæstione modo sunt. Tota hæc enim sermocinatio uni innititur nuperrime expiscato testimonio alterius hujusce decempedatoris Joannis Baptistæ Cortecci, ac fere portentosæ, qui minutissima hæc post quindecim annorum lapsum adhuc recordatur. Dubiæ adeo fidei testimonium eo minus ullum probationis momentum in judicium constituit, quia ad relationem ab eodem Agrimensore confectam provocat, quæ tamen relatio deficit, et nullo unquam tempore allata fuit. Ergo tamquam referens sine suo relato, quod corpus sine anima a Jurisconsultis dicitur, et nunquam probat ex *leg. Si ita scripsero ff. de condit. et demonstrat. Auth. Si quis in aliquo Cod. de eden. Rot. in Rec. decis.* 219. *num.* 27. *port.* 16. *et decis.* 273 *num.* 18. *coram Ansaldo*, nullus ponderis existimari debet testimonium, cui recens Joannes Baptista Cortecci subscripsit.

Ab onere hanc relationem exhibendi sese eximere conabatur Eques Va- 3
lerius, ac Gallicas, quæ tunc temporis obtinebant leges implorabat, ubi cautum legitur, ut authentica inter relationis, ac descriptionis a Perito Viro confectæ exemplaria retineri unum a novo prædiorum conductore deberet. Cum itaque sub Marignolii nomine ipsa latuisset Religiosa Divi Philippi Familia, ideo concludebat, ad relationem illam edendam eam unice teneri. At recolendum in facto est jam judicium

hnc de re Equitem Valerium instituisse apud abrogatos A. C. Triumviros, qui Presbiteros Divi Philippi, lata sententia, absolvendos doplici de Causa a petita relationis exhibitione censuerunt. Nedum quippe ab actore non revincebatur prædictæ relationis existentia penes reos conventos, sed ne demonstrabatur, quidem, sua interesse, ut ea in lucem proferretur. Explorati e contra juris est, alterutro ex his extremis deficiente, actionem ad exhibendum nunquam probari. *Leg. in hac actione in princ. et Sciendum ff. ad exhiben.* Dunec igitur in implicito, ut pragmatici dicunt, validitatis statu permanet hæc sententia, nunquam opponi poterit, ad ernendam veritatem testimonii ab Agrimensore Corteccio subscripti, unos teneri Presbyteros Divi Philippi archetypum illius relationis exhibere. Re autem vera, etiamsi hæc relatio adduceretur, nihihil Equiti Valerio prodesset. Non enim ante initum locationis contractum, sed eo jam expleto, et absoluto, suam edidit relationem Corteccius, et rei conductæ possessionem Marignolio tradidit. Si igitur tria tantum prædia sub distinctis vocabulis, ac sub certa clarisque verbis expressa quantitate, et mensura sibi quæsivit Marignolius; non poterat sane Corteccius, qui hoc in negocio mandatarii a Gallicano Fisco constituti vices gerebat, præter nullitatis vitium, mandati limites excedere, et illorum prædiorum possessionem conductori. permittere, quæ exempla a locatione conductione fuerant, = *Leg. Diligenter.* 5 *ff Mandati* =

4 His omnibus nil detrahit decempedatorem alium Petrum Sterbinium ex mandato eorum, qui æri publico luendo præerant prædia ante licitationem perlustrasset, ac fundum =*Colle Morozzo*= propediem Equiti Valerio vendendum, sex partibus constare dixisse, quas inter duo illa prædiola modo controversa. Sive erravit Sterbinius, sive tuto id affirmaverit. continuo retinendum est, non ad tramites relationis ab eo exaratæ, sed ad tramites precedentis locationis conductionis cum Marignolio initæ, in qua certo hæc duo prædiola non continebantur posteriorem emptionis venditionis contractum fuisse celebratum, ut arguit superior mea *Decis.* § 9. Quin imo pluribus sententiis, ac decretis Gallicæ Præfecturæ definitum, est peritorum hominum rèlationes nunquam normam dedisse contractibus, sed confici tantum ad peculiarem eorum instructionem, qui publicorum nominum dimissionem moderabantur. Nihil pariter detrahit exceptio altera, consuevisse Gallum Fiscum prædia divendere juxta censuales tabulas, earumque geminato valore, atque hanc metodum jugiter servatam in casu nostro fuisse, in quo prædium = *Colle Morozzo* =, quod una cum duobus aliis terræ frustulis, per viam vicinalem ab ipso Prædio dissitis in Censualibus tabulis scutis 755 11 æstimabatur, in notula bonorum auctioni subiiciendorum pro pretio scutorum *bismillium viginti unius, et obulorum decem* descriptum fuit.

5 Neque enim verum est, juxta tabularum Censualium æstimationem prædia semper Gallos distraxisse, qui potius, ut multa docent exempla, ultra etiam duplum valoris eisdem tabulis adjecti, ac modo divisum, modo conjunctim bona Ecclesiastica sæpe vendiderunt, ac eis pretium ad libitum addixerunt. Tantum vero abest, hoc in casu geminatum fuisse Codicum Censualium valorem, ut pretium imo, quod, hoc servata methodo, vix excrevisset ad scuta *mille quingentum decem, et obulos viginti duo*, versa vice ad notatum in bonorum vendendorum indice fuerit usque ad scuta *mille septingentum viginti unum*, obolosque *quadraginta*, ac plus etiam ex aliis Causis deinde auctum. Nullum ergo a constitutione pretii, quod arbitrium, ac libido Gallorum perficiebat, argumentum deduci valet ad cognoscendum quid, et quantum fuerit Equiti Valerio divenditum. Una bonorum notula, atque una contractus litera punctum ferre debet, cumque ex utraque pateat ad tramites præcedentis locationis conductionis, in qua duo illa prædiola deficiebant, prædia vendita fuisse; haud fas est conjecturas contra

expressam contractus literam insectari, et factum obiicere defuncti Præsidis Religiosæ Divi Philippi Familiæ Caroli Scaramucci, qui libenter passus fuit, ut ea duo quoque terræ frustula, in contractu non comprehensa, ab Equite Valerio in Censualibus tabulis proprio nomine describerentur. Utcumque erratum fuisse dixeris a Congregationis Divi Philippi Præposito, qui tamen nullum errore suo præjudicium inferre Congregationi poterat, nec rei veritatem destruere; semper illud redit, non aliud sibi quæsivisse Equitem Valerium in Regione « *Eggi* » ac in Vocabulo « *Colle Morozzo* » quam solam quantitatem « *di Modioli* 45, *e stara* 4. » Cum igitur hanc prædii quantitatem ipse habeat, nulla subest ratio, cur invadat alienum, et rem in contractu non comprehensam persequatur.

Et ita relatione babita in coeteris ad præcedentem Decisionem, quæ confirmatur, ac me quoque judicante, definitum est, Utraque etc.

ALATRINA MANUTENTIONIS

SEU REINTEGRATIONIS SUPER FRUCTIBUS

Lunae 24. *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Fructus uti dominii accessiones, ei debentur, ad quem bonorum dominium spectat.*
2. *Si quis falsa interpretatione testamenti ductus, bona alterius occupaverit, quia in bona fide est, fructus non debet nisi a die contestationis litis.*

DECISIO CCXCV.

Tributa per Sententiam A. C. Grimaldi Sacerdoti Augustino, aliisque fratribus et sororibus Caporilli manutentione, seu reintegratione pro portionibus eis debitis super bonis hereditariis ipsorum matris Claræ, illis præsertim e substantia Theodori Razza provenientibus, ab ipsorum fratre natu majore occupatis, de quo contemporanea mea agit Decisio *Manutentionis, seu Reintegrationis*, reservata eisdem fratribus ac sororibus ea in Sententia fuere jura = *pro fructibus hereditariis a Ferdinando perceptis, prout tamen, et quatenus de jure* = Cum de viribus hujus Sententiæ, ob provocationem a Ferdinando interpositam, coram S. N. Ordine disputandum esset, præter principem controversiam super prædicta manutentione seu reintegratione, alia etiam super fructibus, ab ea consequens, a Patribus definienda fuit; quos idcirco cum hodie rogaverim = *An et a quo tempore sit locus restitutioni fructuum; ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = statim Ipsi Responsum mibi dederunt = *Affirmative a die motæ litis, et mandatum esse relaxandum in summa liquidanda* =.

Perceptos quippe a Ferdinando fructus e bonis, de quibus agitur ab ipso detentis, restituendos ab eo esse fratribus et sororibus, ad hæc bona jus habentibus, uti statuit contemporanea mea præd. Decisio, in dubium revocari neqnit, cum hi sint dominii accessorii, et eis ideo debeantur, ad quos bonorum dominium spectat, *ad Text. in Leg. Herennius* 42 *ff de usuris leg. si tibi homo ff de legatis* 1 *et Rota* passim, præsertim *in Bononien. Immissionis super Fructibus* 9 *Maii* 1795 *cor. Soderino, et in Maceraten. Immissionis quoad fructus* 5 *Julii* 1822 *cor. bo. me. Martinez*. Illud tantum quæri posset, an hi restituendi a Ferdinando sint a die apertæ successionis, quod ejus fratres postulant, rem esse contendentes de judicio petitionis hereditatis; innixi *leg. item veniunt fructus ff de petitione hereditatis; Leg. non ambigendum Cod. Familiæ erciscundæ et Rota Dec.* 769 *n.* 2 *cor. Lancetta; Dec.* 478 *n.* 9 *cor. Molines, et Dec.* 492 *n.* 2 *cor. Olivatio*, vel a die motæ litis. 1

Hujus quæstionis definitionem pendere Patres censuerunt ab inspectione bonæ vel malæ fidei, qua Ferdinandus in bac possessione fuerit versatus, si- 2

cuti sæpissime statuit S. N. Tribunal, præsertim in *Maceraten. seu Firmana Consuccessionis* 18 *Aprilis* 1788 § 6 *cor. Strasoldo*, *in Bononien. Consuccessionis quoad fideicommissum Jacobi de Andreis* 5 *Februarii* 1790 § *final. cor. Paracciano*, *et in Pisauren. Immissionis* 3 *Junii* 1797 § 12 *cor. Acciajuoli*, *in Romana Petitionis hereditatis super fructibus* 22 *Januarii* 1818 § 2 *cor. nunc Rmo Archiepiscopo Athenarum R. P. D. Tiberi*, *et in Faventina Nullitatis Transactionis* 11 *Junii* 1824 § *fin. cor. Eod.* Quare, cum viderint ipsum Ferdinandum, non temere, sed falsa interpretatione testamenti avunculi Theodori deceptum, bona ab eo provenientia Clara matre defuncta, occupasse, id ipsum bona fide egisse putarunt, et in hac occupatione pari bona fide versatum fuisse duxerunt usque ad diem motæ adversus ipsum litis pro assequenda illorum bonorum restitutione; atque ideo ab hac die tantum eum ad fructus perceptos restituendos damnarunt, quia tunc in eo bona cessavit fides, ad firmata per Rotam in *Signina Petitionis hereditatis* 21 *Februarii* 1820 *cor. bo. me. Martinez del Campo: in Camerinen. Immissionis super Fructibus* 4 *Julii* 1823 § 2 *cor. Emo Isoard*, *et in confirmatoria* 30 *Aprilis* 1824 § 2 *cor. Eodem*, *et alibi passim.* Cum vero incerta sit quantitas eorum fructuum, quos Ferdinandus restituat oportet, mandatum contra ipsum pro summa liquidanda ipsius fratribus tribuerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

BALNEOREGIEN

DOTIS, EXTRADOTALIUM ET FRUCTUUM

Veneris 6 *Julii* 1827.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Soluto Matrimonio, dos restitui debet, quoties de illius constitutione, et traditione constat.*
   Ex viri praedecessu, uxor jus habet ad condicendos fructus dotis, a die obitus viri – ibi –
2. *Legatum creditori non aufert actionem ad suum creditum reposcendum, nisi voluntas testatoris compensare volentis evidentissime pateat.*
3. *Bonorum paraphernalium, nedum dominium sed etiam administratio libere ad uxorem spectat.*

DECISIO CCXCVI.

Conciliatis nuptiis inter Isabellam Tarquini, et Joannem Baptistam Spazza, ambo sponsæ parentes haud exiguam ei dotem, partim in numerata pecunia, pro rata scutorum 300 partim in bonis rusticis, et urbanis, publico stipolato instrumento assignarunt. Vir dotem istam accepto ferens eam diligenter conservare adpromisit, solutoque matrimonio suam fidem illius faciendæ restitutioni interposuit. Reque vera hic casus a contrahentibus prævisus contigit Anno 1825., quo Joannes Baptista convolavit ad superos. Quapropter non distulit Tarquinia judicio agere adversus ejus levirum Felicem Spazza, hæredem a defuncto viro institutum, traditæ dotis ad formam nuptialis instrumenti restitutionem una simul cum fructibus exposcens. Neque hic tantum suam petitionem cohibuit. Contendens enim etiam paraphernalis sua bona quæ præcipue consistebant, tum in summa scutorum 100., quæ sibi occasione nuptiarum ab amita Cæleste Capati donata fuerant, tum in hæreditaria portione, quæ sibi super intestata ejusdem Cælestis successione obtigerat, a viro occupata, et administrata fuisse, postulavit etiam, ut ad hæc quoque bona restituenda defuncti viri hæres adigeretur. Acta primum Causa fuit coram Viterbiensi Prætore, qui mulieris votis plenissime annuit. At, cum, provocatione interposita, quæstio ad Sacrum Nostrum Ordinem conscendisset, Patres propositam mulieris actionem tantum *quoad* dotalia bona, quæ exhibebant nuptiales tabulæ probare pro nunc censuerunt, dilato quoad cætera judicio, ut maturiori-

bus probationibus adductis luculentius constaret, num revera ea parapfernelia, prout asserebatur, in viri dominium transierint. Proposito iteque per me Dubio = *An*, *èt super quibus bonis, et in qua summa sit restituenda dos, et bona extradotalia, et respective a quo tempore et in qua summa rest'tuendi fructus ita ut mandatum sit relaxandum in casu ec.* = Responsum incunctanter accepi » *Quoad bona dotalia affirmative ad formam instrumenti dotalis, et fructus esse restituendos a die obitus Joannis Baptistæ, et esse relaxandum mandatum, in reliquis coadjuventur probationes.*

1 Et merito. Explorati siquidem juris est, soluto matrimonio, locum esse dotis restitutioni, quoties de illius constitutione, et traditione constat, ad *Text.* in *leg.* 1 *ff solut. Matr., leg. unic.* §. *Cum autem Cod. de rei Ux. act.* Cum igitur nulle in presentiarum adsit contentio, quin revera in viri manus omnie pervenorint, quæ sive in spes cie, sive in quantitate uxori ab utroque perente in dotem constituta sunt, et nuptiale instrumentum ostendit, necessario consequitur, expeditissimem mulieri præsto esse actionem, vi cujus omnia a viri hæreditate condicat, quæ dotis nomine ei tradita fuisse constat, Maxime vero quia juris dispositioni majus in themate robur addit conventio. Quando quidem expresso pactu vir in casu dissolutionis matrimonio sese, omniaque sua bona pro dotis restitutione solemniter obligavit. Si igitur sua manere debet conventionibus auctoritas, nefes est dubitare, quin actio mulieri pro dote sua recuperanda undique in titulo posita sit. Nec de fructibus diversum, ac de dote reddi debet judicium. Res est porro comperta cunctis, ut, quemadmodum viduæ soluto matrimonio ex viri prædecessu, datur actio ad condicendam dotem, sic etiam jus sit ad fructus expetendos a die obitus viri. quo mora facta ejusdem dotis restitutionis fuit. Sunt enim fructus appendices dotis eodem jure debiti, quo dos ipsa debetur.

2 Inaniter vero, ad hanc adeo per spicuam mulieris actionem eludendam, Felix Spazza obiiceret dotale creditum compensetum fuisse cum legato usufructus, quod vir superstiti uxori in testamento reliquit. Hoc enim vivimus jure, quod legatum creditori non euferat actionem ad suum creditum reposcendum, nisi voluntas testatoris compensare volent's evidentissime pateat. Cum vero nil hujusmodi argui possit ex testamentariis defuncti viri tabulis, nemini ullum vel minimum dubium superesse potest, quin jure Tarquinia legatum, et dotem una simul consequi debeat ut post. *Text.* in *Leg. Creditorem ff. de leg.* 2 *leg. primum Cod. de rei Ux. Act.* tradunt *De Luc. de Dot. disc.* 99 *n.* 2. *Castill. de usufruct. Cap.* 46 *n.* 12, *et Rota in decis.* 68 *n.* 9 *Nuperrim. decis.* 86 *num.* 19 *cor. Cerro, decis.* 212 *n.* 8 *cor. Riminaldo, et in Romana Dotis, et lucri* 6 *Julii* 1822 § 3 *cor. Rmo Tiberi Archiepiscopo Athenarum.* Deterius vero etiam bisce devictus Felix obtruderet, non esse in restitutione dotis rationem habendam de dotali fundo nuncupato = *l' Oliveto bruciato* =, qui ab ipsa Tarquinia pro pretio scut. 95 divenditus fuit. Nam haud secus ipsa suum buic venditioni nomen dedit, nisi duplici una simul cunditione expressim adjecta, scilicet quod illud pretium erogeretur = *nell' acquisto di diversi beni provenienti dalla eredità Capati* =, et quod empta bona pro securitate restitutionis ejusdem pretii obligata in perpetuum manerent. Cum igitur reepse, ut non controvertitur, prædium vocatum » *il Piano* » ad hæreditatem Cælestis Capati spectans, cum iis dotalibus pecuniis emptum fuerit, fieri sane non potest, quin illud, tum ex jure, tum ex pacto pro intranti quantitate dotali fundo subrogatum recte a Tarquinia impeti valeat.

Verum hæc omnia adeo erant perspicue, ut nlla fere absque controversia utrinque procederent. Non ita tamen res sese habebat quod bona extradotalia, quorum etiam restitutionem Tarquinia viribus omnibus, sed inani adbuc labore, a viri bæreditate repo- 3

sciebat. Nemo siquidem ignorat bonorum paraphernalium, nedum dominium sed etiam administrationem libero ad Uxorem ex jure spectare, quæ de iis pro lubito disponere potest, ut docet *Text. in Leg. Maritus Cod. de procur*, traduntque *Sard. Cons.* 290 *n.* 6 *lib.* 2. *Rota decis.* 572. *n.* 3. *part.* 4. *dec.* 566. *n.* 11. *part.* 5. *Recent.* Nisi igitur undique certis, et meridiana luce clarioribus probationibus Tarquinia contra juris præsumptionem, eorum bonorum paraphernalium possessionem, et administrationem a viro occupatam fuisse demonstret, qualibet ipsa actione ad ea recuperanda omnino destituatur oportet. Verum tamen hunc evidentiæ gradum attingere probationes Patribus visæ non sunt, quæ a Tarquinia afferebantur. Quandoquidem ex ipsis testibus ab ipsa adductis haud levis exurgit dubitandi ratio, quin universa extradotalis substantia sub dominio, et administratione solius Tarquiniæ perpetuo subjecta manserit, nec vir in iisdem bonis nunquam sese immiscuerit, nisi speciale ad aliquid pro opportunitate agendum Uxoris mandatum accederet. Quapropter, cum de re meri facti agatur, quæ licet adhuc in summa obscuritate versetur, tamen facillime majoribus probationibus adductis ipsum evidentiæ gradum attingere potest, æquissime Patres judicium suum super hisce extradotalibus bonis hodie consuerunt, ut rerum veritate in aperta luce posita, jus suum unicuique reddere tuta conscientia valerent.

Et ita ec. Utraque ec.

BALNEOREGIEN

NULLITATIS TESTAMENTI

Veneris 6 *Julii* 1827.

ARGUMENTUM

Testamentum conditum servata forma cap. cum esses. non est nullum, ob casum praeteritionis, vel ob alios accidentales defectus; ideoque legata in ipso relicto deberi minime dubium est.

SUMMARIUM

1. *Testamenta quae jure Canonico rite fiunt coram Parocho duobusque testibus, eamdem vim obtineat ac si Caesareo ritu condita fuisseat.*
2. *Traditio testamenti in manibus Notarii non rite facta per parocham non inducit nullitatem.*
3. *Praescriptiones Lambertinianae pro Bononiensi Diocaesi, in hac materia, meri consilii limites non excedunt.*
4. *Testamenti relevatio, coram Parocho duobusque testibus, non est substantialis, maxime si testamentum fuerit a testatore subscriptum.*
5. *Incivile, et indignum est propter inanes observationes irritae fieri tabulas, et judicia mortuorum.*
6. *Sanitas mentis in quolibet homine etiamsi in extremis laboret praesumenda.*
7. *Matris praeteritio non concludit in testatore mentis insaniam.*
8. *Maxime si claras adsint integrae illius mentis probationes.*
9. *In conflictu testium ii praeferendi, qui de mentis integritate non qui de insania deponunt.*
10. *Testis singularis omnino sperneadus.*
11. *Quidquid ex praeordinata, certa, ac libera voluntate geritur ex alterius fraude et molestio impulsu gestum dici non potest.*
12. *Ea est vis inofficiosae querelae, ut sola haeredis institutione rescissa, reliqua firma remaneant.*

DECISIO CCXCVII.

Lethali morbo correptus Advocatus Joannes Baptista Spazza, eum supremum diem jam sibi instare intelligeret serio excogitavit, ultimum de rebus suis dicere arbitrium, eaque executioni committere, quæ præsertim, ut dilectissimæ uxori Isabellæ Tarquinj prospiceret, jamdiu, dum plena valetudine lætabatur, sibi proposuerat. Non erat tamen in parvo Oppido Polymartii, ubi is procul a forensibus negotiis quietam vitam agebat notarius, qui cautione præstita ad formam vigentium legum rite morientium elogia exeipere valeret nec morbi impetus, qui die 2 Februarii anni 1825, vesperascente cœlo, repente sæviit, sinebat, quod res crastinam

diem differetur ut tabellionis jam a Viterbiensi Urbe arcensiti expectaretur adventus. In re igitur adeo trepida in medico. et Parocho admonitus nil amplius esse cunctandum, si quæ cura ei testamenti esset, extremas suas tabulis condere constituit , servata forma *Cap. cum esses*, quæ quidem tastandi ratio ex Canonico jure inducta, in tota Ecclesiæ Ditione legitime usurpatur. Accito itaque Parocho Angelo Emanuelli duobus aliis testibus, scilicet Religioso Odorico, Franciscanæ Familiæ Vicario, et Francisco, Fusci hora tertia noctis mentis suæ plene compos, licet in extremis laboraret. suam Foscio scribenti voluntatem dictavit; qua mistis cæteris, nonnullorum bonorum usumfructum uxori legavit , hæredemque ex asse fratrem suum Felicem instituit. Ne quid cautionis omitteretur schedam sua subscriptione obsignavit paruhus, obsignaruntque pariter testes, qui testamenti confectioni adstiterunt. Verum haud solis hisce consuetis solemnitatibus testator committere volens suæ voluntatis firmitatem, non solum tabulas testamentarias sua subscriptione roboravit, sed etiam coram aliis quinque testibus eas cum formali declaratione in iis ultimum suum arbitrium contineri, parocho tradidit qui postea testatore defuncto, de more eas penes acta Viterbiensis tabellionis deponi curavit.

Testamento itaque tanto studio condito, nil sane minus expectandum fuisset, quam quod de hujus existentia, et veritate ulla unquam exoriri posset dubitatio. Attamen, perinde ac si Joannes Baptista intestatus decessisset, incunctanter Felix ejus frater, qui fuerat hæres ex asse in testamento istitutus et Teresa Oglietti ejusdem Mater , quae in Testamento præterita fuerat , in possessionem omnium bonorum ad defuncti hæreditatem in spectantium irruere non dubitarunt. Verum tantam hujusmodi licentiam impunitam iro hand passa est infelix vidua, quæ nulla mora interposita, *tum* leviro , *tum* socrui coram Viterbiensi Prætore diem dixit, ut sibi ad tramites testamenti legatus traderetur ususfructus. Hoc itaque judicio lacessiti Felix, et Theresia testamentum uti non rite factum impugnare aggressi sunt , aliaquo idcirco congrua vicissim coram eodem Viterbiensi Prætore proposita instantia , viribus omnibus expostularunt, ut tabulis ruptis, successio revocaretur ad causam intestati. In irritum tamen, ut par erat, omnes eorum cesserunt conatus. Prætor enim nil hæsit quominus utramque controversiam Tarquiniæ favore illico absolveret, duplici edita consultissima Sententia, quarum *altera* declaravit Tarquiniæ legatum ususfructus competere, *altera* decrevit non constare de testamenti nullitate , resorvato tantum matri injusto præteritæ jure agendi in congruo judicio pro testamenti inofficiositate. Animo tamen haud sibi desponentes Felix , atque Theresia incunctanter provocarunt ad Sacrum Nostrum Ordinem Unde hodierna proponitur quæstio. *An constet de nullitate testamenti, seu potius sit locus legato ususfructus ita ut sint restituendi fructus a die obitus Joannis Baptistae mandatum relaxandum in casu etc.* quam Domini mei dirimerunt responso, provocantibus non minus inimico, scilicet = *Negative ad primam partem affirmative ad secundam* =

Defuncti viri sui Joannis Baptistæ 1
Spazza testamento nititur Isabella Tarquinj, dum legatum ususfructus ab hærede sibi tradi expostulat. Indubie igitur ipsa bono jure potitur, si nil extet , quod contra supremas testatoris tabulas obiici valeat. Nam per leges uniusquisque est rei suæ moderator , et arbitrer, et jam usque ab antiquissimo Decemvirali jure statutum fuit , quod, *uti quisque pater familias legassit* suprema pro lege esset habendum. Nisi igitur Felix Spazza, et Theresia Ojetti, qui cessare in themate jura testatæ successionis contendunt , luculentissimas , et plene concludentes probationes in id afferant , satis id superque erit, ne presumdetur defuncti voluntas cujus validitatem insuper etiam tuetur firma juris præsumptio, ut tradunt *Ruger. de Testament. can. lib.* 1 *Disp.* 3 *cap.* 7 *num.* 19 *Rota in Ferrarien. Im-*

missionis 24 *Junii* 1783 § 3 *coram Soderini in Romana Nullitatis Testamenti* 16 *Decembris* 1815 § 2 *coram Piccolomini, et in Bononien. Nullitatis Testamenti* 3 *Julii* 1826 § 3 *coram R.P.D. Meo Marco Almae Urbis Gubernatore.* At spectata, sive *forma* sive *substantia* controversi testamenti. Nil sane vitii deprehendi in eo poterat, quod ejus nullitatem suaderet. Et sane pro eo, quod formam respicit, cum Joannes Baptista extremam suam aperuit voluntatem coram Præsbytero suo, duobusque adstantibus idoneis testibus, nil ultra opus erat, ut testamentum plene consisteret, ad tramites celeberrimæ Decretalis Alexandri III. in *Cap. Cum esses*, cujus dispositio late obtinet, ubi Juris Canonici leges observantur, magis vero magisque, quia quod robus illi adjici poterat, illi fuit reapse adjectum. Siquidem testator propria sua manu testamentarias tabulas subscripsit, easque insuper coram aliis quinque testibus Parocho tradidit, affirmans ultimum suum, quod rebus suis dixerat arbitrium in iis contineri. Cum igitur translatitium in jure sit, testamenta, quæ Canonico ritu fiunt coram Parocho, duobusque testibus, eamdem vim obtinere, ac si solemni Cæsareo rito condita fuissent, ambigi profecto nequit, quin bujus testamenti validitas quoad ejus extrinsecam formam sit in themate abunde comperta, ut advertit Rota *in Hortana, seu Montis Falisci Immissionis* 4 *Februarii* 805 § 3 *coram Strasoldo, et in Bononien. Nullitatis Testamenti* 5 *Maii* 1826 § 3 *cor. R. P. D. Meo Marco Almae Urbis Gubernatore.*

2 Hisce perstricti Felix, et Theresia, ad nullitatem tabularum ex formæ defectu evincendam, Canonico jure seposito, præsidium sibi quærebant ab encyclicis litteris Archiepiscopi Lambertini, quas is super hujusmodi testamentis rite condendis in sua Bononiensi Diœcesi vulgavit, quasque hodie Pontifex Maximus in suo nuperrimo Motu-proprio diei 5 Octobris 1824 ratas haberi jussit. Sed inutili admodum labore. Reque vera perperam omnino ii, perversa earum literarum interpretatione, negabant legitimae dispositionis loco haberi posse controversas testamentarias tabulas, quia nec intra præscriptum octo dierum terminum, nec ab ipso met parocho illæ penes acta publici Viterbiensis tabellionis fuerunt exhibitæ. Nam hujusmodi inanissima exceptio, nec in *facto* nec in *jure* consistit. Non in *facto*, quia longe a veritate abest, quod non intra fatale tempus Parochus deponi apud Notarium curaverit testamentarium defuncti Spazza dispositionem dum e contra certo constat, ipsum septima die post conditum testamentum diligentissime suo huic muneri satisfecisse, dato mandato cuidam de Paolis, ut notarium adiret, cique testamentum traderet. Quod si vero is alienis curis distentus id per se explere intra brevissimum tempus a lege præscriptum non potuit, illico occurrit responsum nullibi in Lambertinianis Edictis cetitum legi ne, parocho legitime impedito, aliena uti liceat persona, quæ sese in hac traditionis solemnitate repræhesentet, suasque vices gerat. Sufficerent hæc ut quælibet prorsus exularet dubietas. Sed exceptio magis corruit in jure, cum propositæ formæ contemptus haud secum actus nullitatem inducat.

Invaluit quippe in foro opinio, nequaquam vim et necessitatis habere 3
quidquid in illis encyclicis literis præscribitur. Et merito. Nam Lambertinius, quemadmodum ex universo earumdem literarum contextu patet Canonici juris sanctioni super modo testandi nil admodum detraxit vel superaddidit. Vir ille sapientissimus provide sollicitus ne parochorum imperitia vel incuria fierent, ut persæpe contingebat, pandita coram ipsis defunctorum elogia, plures regulas, et formulas in hisce testamentis in sua Bononiensi Diœcesi condendis invexit. Sed non ideo quod normam intra meri consilii limites proposuit, qua duce facilius ambages, et errores vitarentur, in qoos juris imperiti continuo offendebant, is quidquam *substantialiter* immutavit, quod formam testandi ad suam veram simplicitatem ad tramites

juris gentium ab jure canonico restitutam, ut monet *Rota in Bononien. Immissionis* 16 *Maii* 1825 *in ejus confirmat.* 20 *Januarii* 1826 § 10 *coram Rmo P. D. Meo Spada nunc S. R. Decano*, *et in Bononien. Nullitatis testamenti* 4 *Juni* 1826 § 4 *coram R. P. D. Meo Marco Almæ Urbis Præside*. Si igitur Canonicum in bujusmodi testamentis nullas admodum solemnitates exigit, si in Lambertinianis Edictis juris Canonici sanctio, nec minimum eversa fuit, inaniter, ullaque sine lege, nullitas ob objectos formæ defectus in testamento Joannis Baptistæ inducitur, quæ nullibi præscripta legitur. Et sane bina assurda secus orirentur, nunquam profecto ferenda, scilicet, quod simplicissima bujusmodi testamenta, in apertam eversionem *cap. Cum esses* majoribus solemnitatibus obnoxia fierent, quam quæ juxta juris civilis formam conduntur, et quod a fortuito casu, vel ab alieno arbitrio pendere deberet ut invitus intestatus decederet, qui rite testamentum fecisset. Absit igitur, ut ex non rite facta traditione testamenti in manibus notarii ullum perspicuæ voluntati Joannis Baptistæ Spazza discrimen impendeat.

4 Deterior erat altera exceptio ex eo desumpta, quod testamentum debita relevatione caruerit. Monendum enim hic quoque est relevationem testamenti facti coram parocho, et testibus non substantialem esse, quia non a Decretali, sed a Lambertiniano uberioris cauthelæ gratia præscripta fuit. Quamobrem merito in jure constanter receptum est relevationem ea tenus esse adhibendam, quatenus testatoris voluntas oretenus tantum parocho, et testibus fuerit concredita. Etenim cum in boc casu tota dispositio defuncti ex depositione pendeat eorum, qui testamenti confectioni adfuerunt, æquum sane, et justum est, ut parochi, et testium judiciale intercedat examen, ex quo testatoris voluntas certa evadat. At quoties, prout in themate, testatoris voluntas non perituræ scripturæ committitur, quam non modo parochus, et testes subsignarunt sed ipsemet testator *tum* sua subscriptione. *tum* sua viva voce confirmavit, cum disputari amplius de præcisa testatoris voluntate prorsus nefas sit, ita quælibet omnino cessat relevationis necessitas, quemadmodum in durioribus terminis, unum casum ab altero distinguendo, monuit Rota *in Decis.* 133. *numer.* 9. *part. recent. decis.* 88 *num.* 7 *coram Ratto*, *in Romana seu Velitern. Immissionis* 3. *Februarii* 1749 § 5 *coram Canilliac.*, *in Hortana seu Montis Falisci Immissionis* 4. *Februarii* 1805 § 13 *coram Strasoldo*, *et in Melevitana Codicillorum* 4 *Junii* 1823 § 2 *coram Emo Isoard*. Neque contra hanc certissimam juris regulam quidquam facessunt Decisiones *Civitatis Castelli Nullitatis Testamenti* annis 1802 et 1803 editæ *coram Resta*, in quibus irritum declaratum fuit testamentum ob relevationis defectum, licet illud in scriptis fuisset redactum. Eæ siquidem in ea facti specie prodierunt, in qua præterquam quod subscriptio testatoris desiderabatur, manifesta insuper collusionis, et circumventionis undique emicabant argumenta, ac proinde ad rem præsentem aptari nullimode poterant, ubi nulla, vel minima, fraudis, dolique aderat suspicia, atque postrema testatoris voluntas undique exploratissima erat.

Longe vero inanius objiciebatur in eo peccatum fuisse quod testes rogati in testamento non fuerint. Contrarium porro ipsimet testes profitentur; sed quamvis rogati ipsi haud fuissent, nil tamen detrimenti testamentum pateretur. Nam hæc rogatio est pura solemnitas omnium subtilissima, atque ideo est quam maxime aliena ab ea formæ simplicitate, quam jus Canonicum in testamentis condendis restituit. Itaque ubi certo constet, quod testator coram testibus, et parocho, non jocose, et perfunctorie, sed animo deliberato testandi suam voluntatem aperuerit, nil interest, an testes studiose et expressim rogati ad audiendum illius arbitrium accesserint, cum tunc rogatio implicite adfuisse dicatur, quam satis superque ad testamenti validitatem suf- 5

ficere docent *Ruger. de testam. lib.* 1. *Disp.* 3 *cap.* 4 *num.* 12 *de Luc. de test. disc.* 25 *num.* 7, *Rata in Pisauren. Legati Pii* 22. *Junii* 1722 § 10 *coram Litta*, *et in superius relata Bononien. Nullitatis testamenti* 3. *Julii* 1826 § 6 *coram R. P. D. Meo Marco Almæ Urbis Præside.* Quaqua igitur versus res inspiciatur, jam illico patet, nil admodum esse, quod in forma hujusce testamenti reprehendi valeat. Verum, quamvis aliquid leve peccatum in ea fuerit, recte animadvertebant. Patres haud nimis scrupolose de hujusmodi objectis inæptiis, quæ accidentalia respiciunt, esse curandum, cum aliunde de germana testatoris voluntate apprime constet =*Incivile namque et indignum est propter inanes observationes irritas fieri tabulas*, *et judicia mortuorum* =, ut monuit Imperatur *in leg. Quoniam cod. de testam.*, docuitque Rot. in *Decis.* 492 *num.* 4 *coram Crescent. in Romana Testamenti* 15, *Aprilis* 1764 § 5 *coram Giraud. et in Ferrarien. Immissianis* 27. *Junii* 1783 § 3 *coram Soderino*,

6 At si ex hactenus præmissis testamentum nullo admodum vitio quoad *formam* criticari poterat, multo minus illud criticabile erat quoad *substantiam.* Eo siquidem potissimum actares omnia sua studia intendebant, ut ab amissam ex vi morbi mentis integritatem defunctum Joannem Baptistam impotem fuisse testandi evincerent. At nil dari poterat hac exceptione deterius. Etenim cum sanitas mentis in quolibet homine, etiamsi in extremis laboret, præsumatur, ad *Text. in leg.* 2 *ff qui test. fac poss. leg.* 5. *Cod. de Codicill. de Luc. Disc.* 9 *num.* 7 *de testam. Rata in pec.* 10 *nnmer.* 16 *coram Falconer. de testam*; adeo evidentes probationes, adeo perspicua argumenta assertæ mentis testatoris imbecillitas afferant actores oportet, ut nullus omnino locus dubitationi supersit. Atqui tantum abest, ut hoc probationis onus ab iis posset adimpleri, ut vicissim legataria cui sat etiam erat vincere per non jus aetorum, savissimam testatoris mentem luculentissime e contra ostendat. Et sane primum dubitare de ea non sinunt univocæ testium omnium depositiones quæ nullis esse queunt exceptionibus obnoxiæ. Medicus porro, cui maxime ratione officii deferendum est, testatur quod = *Gio. Battista Spazza fu sempre sano* di *mente*, *tanto nella sua malattia, quanta negli ultimi momenti della medesima*, *avendo soltanto perduto l'uso della parola pochi momenti prima della sua morte* =. Ei consonat Parochus qui deponit, quod testamenti tempore *esso stava in perfetti sentimenti* = Idem confirmat Franciscus Fosci addendo, quod = *diversamente non avrebbe egli avuta la facoltà di dettar l'atto con quella esattezza, e precisione, e così minutamente ricordarsi* di *far descrivere i diversi interessi di sua Casa*=. Atqua demum idem testantur cæteri testamentarii testes, quibus omnimodam fidem esse adhibendam nemo est, qui ignoret. Porro injuriosum, et absurdum foret præsumere quod Parochus cæterique honestissimi viri; qui scra ei testamento subscripserunt; in deterrimam fraudem ullo absque præmio conspirare voluerint: qua testamentum subriperetur ab homine non integræ mentis, legitimaque testandi capacitate destituto,

Robur testium depositionibus addit ipsamet dispositio, sano, ac prudenti homine dignissima. Legata enim unicuique, qui de se bene meruerat, in ea relinquntur; singula debita, et credita accuratissime enumerantur; atque mutua ipsorum compensatio præscribitur. Ususfructus quorumdam bonorum in solatium senectutis, et viduitatis dilectissimæ traditur uxori, qua cum longe *viginti quinque* annorum spatio conjunctissime testator vixerat; hæres demum is instituitur, qui ab intestato successisset. Si igitur nil in eo testamento statutum legitur quod rectæ rationi, et pietatis, et justitiæ officiis congruum non sit, concludere profecto necesse est a morbo minime obtenebratam, læsamque fuisse mentem illius, qui hujusmodi tam æque dispositioni condendæ par fuit. Repugnat enim communi sensui ut is mentis insania laboret, qui 7

tam recta, tamque ordinata suarum dispositionum serie adeo prudentem solertemque sese ostendit, ut recte etiam animadvertit Rota in *Decis*. 167. *numer*. 16. *cor*. *Celso*. *in Decis*. 474. n. 6. *Decis*. 500. *num*. 20. *cor*. *Molin*., *et in Ferrarien Immissionis* 27. *Junii* 1783, §. 9. *cor*. *Soderino*. Quin obstet Matrem in eo testamento fuisse præteritam, perinde ac si arguere ex eo liceret minus compotem sui esso illum debuisse, qui adeo impie in filialo officium peccavit. Hæc enim præteritio, non insaniæ, non impietati, sed juris errori dumtaxat est tribuenda. Oblitus siquidem testator matri ex jure legitimam deberi, et recte alioquin existimans satis superque ei consuluisse, dum fratri quo cum ipsa una simul vitam degebat, universam suam hæreditatem reliquerat, consulto inutile censuit ipsi seorsim consulere. Erraverit is nec in jure, inquirere nunc haud præstat. Animadvertere dumtaxat sat est, tam longe abesse, ut ex ea præteritione, deliberato animo expleta, concludi liceat, quod testator integra mente caruerit, ut vicissim argumentum luculentissime in ipsos arguentes retorqueatur.

8 Maxima hæc sunt, sed majora etiam supersunt. Non enim in solo actu confectionis testamenti coercitæ sunt integræ defuncti mentis probationes. Siquidem fere proximo, atque immediato tempore, antequam infirmus testamentum conficeret, constat ipsum summa religione, et pietate Sacramentalem Confessionem emisisse, ac Sacro Eucharistico Cibo fuisse refectum. Item, tribus fere horis post exaratas testamentarias tabulas elapsis, constat extrema Sacri Olei unctione roboratum fuisse, mente adeo integra servata, ut, dum liniebatur, diceret = *varie preci appartenenti a detta Amministsazione* =. At sanæ mentis melius dari nequit argumentum, quam Sacramentorum administratio. Nam cum a nostra Religione prorsus abhorreat existimare, Sacramenta homini mentis suæ haud compoti ministrata fuisse, non est amplius, cur disputari valeat, quin is omnimodo pollens mentis sanitate, postquam animæ consuluerat, de terrestribus etiam rebus suis recte disponere potuerit, ut ad rem tradit Rota in *Decis*. 359. *num*. 25. *cor*. *Crispo*, *in Romana Testamenti* 9. *Junii* 1756. §. 7. *cor*. *Millin*., in *Ferrarien*. *Testamenti* 23. *Junii* 1755. §. 12, *cor*. *Stadion*., *et in Camerinen*. *Testamenti* 3. *Junii* 1776. §. 5. *cor*. *Origo*. Nec demum Patres fugit supremum hisce omnibus culmen imponere, horæ tertiæ noctis qua testamentum exaratum fuit, scrupolosam, et insolitam designationem. Nam cum Parochus cæterisque testes testamentarii adeo stulti, et hebetis ingenii reputari non possint, ut per accuratam, et precisam illam horæ descriptionem aditum aperire voluerint, ex quo facilius machinatio prodiret, et crimen detegi posset, necessario fatendum est ideo dispositionis horam designatam fuisse, quia omnia sincere gesta sunt, veræque mentis plene compositum temporis testator erat, ut Rota recte perpendit in *Hortana seu Montis Falisci Immissionis* 4. *Februarii* 1805. §. 5. *coram Strasoldo*.

Nullam vero animadversionem promeruerit singulare Testimonium Religiosi Odoricii; qui extrajudiciali sua depositione affirmare non dubitavit = *che il testatore non era più ne' suoi sentimenti*, *ma quasi delirava* = eo tempore, quo suam aperuit voluntatem Principio enim universo illius depositionis tenore inspecto, facile statim deprehenditur, tanta ipsum in contradictione versari, ut impossibile sit ab ea assertam mentis testatoris imbecillitatem erucre. Porro, qui, ut ipse narrat, nomine instigante, aut suggerente proprio ore universam adeo accurante suam dispositionem nuncupat; qui verens, nequid ex ore imprudenter exciderit, quod voluntati suæ repugnaret, pluries sollicite perlegi jubet, quod dixerat, quodque scriptum fuerat; qui demum propria manu, testamento subscripto, anxie querit, num = *la sua sottoscrizione andava bene*, = is profecto mentis suæ impos, et delirus, ipso teste Odoricio, dici non potest. Verum etiamsi ille pro certo affirmasset, quod testator sana 9

mente testamenti tempore caruerit, nil tamen proficeret. Siquidem si nemo ignorat testium in conflictu eos esse præferendos, qui de mentis integritate, non qui de insania deponunt, ut tradunt *Montic. de conject. ult. Vol. lib.* 2 *T.* 5 n. 6 *Andreol. contr.* 223 n. 3, *et Rota in Licien. Transactionis* 5 *Martii* 1759 § 10 *cor. Bussi*, *et in Camerinen. aullilatis Testamenti* 11 *Januarii* 1790 § 17 *cor. Soderino* ideo vel magis obtineat in themate oportet *tum* quia Odoricius a longo majori testium, qui contrarium affirmant, numero vincitur, *tum* quia præsertim is aperti mendacii ab ipsa suamet subscriptione in testamentariis tabulis adjecta arguitur. Quidquid igitur is contra testamenti a semetipso subscripti veritatem, sibimet contradicens propriamque allegans turpitudinem, de testatoris insania deponit nullo admodum est in calculo habendum.

10 Ejusdem furfuris sunt depositiones *tum* Armarolii, *tum* Testacuzzi, quorum alter se parochum audivisse narrat dicentem, quod defunctus = *ha fatto*, *e fatto*, *e non ha fatto niente* = alter affirmat, sese a Francisco Fosci accepisse, quod testator dum suam aperiebat voluntatem = *non connetteva oro diceva una coso*, *ora l'altra* = Nam primum uterque testis, uti singularis, est omnino spernendus; præterea in aperta etiam uterque deprehenditur falsitate, si ea verba cum aliis Parochi, et Foscii depositionibus conferantur, nec vel minimum immorandum est in inanissimis conjecturis, vel ex eo desumptis, quod testamentum exaratum fuit brevi termini intervallo ante testatoris obitum, vel ex eo quod vitiosa apparet literarum structura; quibus subscriptio efficitur, ut proinde argui liceat Joannem Baptistam testamenti confectionis tempore sanitate mentis penitus caruisse. Primum enim gravitas sævientis morbi, qui quo diuturnior, eo est remissior, non concludit infirmum sanæ mentis non esse, cum ea persæpe sit morbi natura, ut penitus liberas ægroto intellectuales facultates usque ad ultimum ejus vitæ anhelitum relinquat. Quidquid vero de vitiosa literarum structura temere obtruditur, ne responsionis quidem honorem meretur. Nam, si testator, dum subscripsit lecto decumbens gravissime ægrotabat, nil sane mirum esse potest, si non æquali ductu Literas is exaravit. Verum non ideo dici potest ipsum latuisse quid ageret, cum præsertim non fortuito ipse sollicite quæsierit, num = *la sua sorizione andava bene* =.

Nec magis relevat propudiosa altera criminatio, qua contenditur, Joannem Baptistam ad testamenti confectionem devenisse, non ex utronea, et deliberata sua voluntate, sed tædio affectus improborum medici, et parochi importunitatum. Etenim ex ipsis depositionibus eorum testium, qui hoc affirmare dicuntur, nil aliud habetur, nisi quod parochus, et medicus ægrotum, minime adhuc de morte, quæ sibi jam imminebat, suspicantem, monuerint nullam esse a se moram interponendam si familiari rei suæ consulere vellet. Atqui alicui suadere, ut testamentum conficiat, neque inhonestum, neque fraudolentum est; immo in medico, et parocho rationo muneris officium est necessarium. Cum igitur minime constet, aliquod ab ipsis adhibitum fuisse artificium, ut illum invitum ad testandum bujus, vel illius favore pertraherent, jam pluribus opus non foret, ut inanissima hujusmodi exceptio in auras prorsus abiret. Verum majora urgent. Nam si memoriæ revocetur jam antea a testatore notarium a Viterbiensi urbe accessitum fuisse; si menti occurrat infirmum initio non denegasse testamentum conficere, quia intestatus decedere vellet, sed quia id in crastinam diem differre cupiebat, ut Notarii expectaretur adventus; Si demum animadvertatur universam dispositionem, singulas vel minimas res comprehendentem quæ non alii nisi ipsi innotescere poterant, proprio ore dictatam, et propria manu subscriptam, et parocho traditam ab eodem testatore fuisse, jam illico exceptionis inanitas ipsum fere calumniæ gradum attingat oportet. Quidquid enim ex præordinata, certa, ac libera voluntate geritur, 11

ex alterius fraude, et molesto impulsu extortum dici non potest.

12 Perditissime demum, ultimam arripiens naufragii tabulam, Theresia contendebat ob vitium inofficiositatis testamentum corruere. Illiusmodi enim exceptio, quæ legatariæ, juribus minime obest, nullum in hoc judicio plausum promeruit. Quæritur porro hic dumtaxat, num testamenti nullitas impedimento esse queat, quominus Tarquiniæ legatum ususfructus debeatur. At ignorat nemo eam tantum vim esse inofficiosæ querelæ, ut institutione sola rescissa, reliqua firma maneant, ut post *Text.* expressum *in Nov*, 115 *Cap.* 3 *in fin.* tradunt *Cujac. Tom.* 8 *pag.* 59 *litt. B et Donell. Comment. jur. Civil. lib.* 6 *Cap.* 14 *num.* 12. Quamobrem si Theresia injuste preterita jura sua revindicare in animo habet, congruo judicio, congruam actionem adversus filium hæredem in testamento vocatum instituat. Sed si hoc prætextu præteritionis, quæ nullum legatariis affert præjudicium nurui suæ ex condicto cum filio molestiam afferre contendit, causa omnino cadat necesse est. Re igitur huc perducta, et vindicata a quolibet, *tum* formæ, *tum* substantiæ vitio testamentaria Joannis Baptistæ Spazza dispositione, quemadmodum sponte sua sequebatur ut ad testamenti tramites Tarquiniæ legatum esset præstandum, ita nec dubitandum erat, quin etiam ejusdem legati fructus a die obitus testatoris ei una simul deberentur. Nam cum constet Felicem, et Theresiam mala cum fide possessionem occupasse eorum bonorum, quæ utenda fruendaque a Tarquinia erant, fieri sane non potest, quin fructus ullo absque titulo ab ipsis perceptis usque ab initio ei restituendi non sint.

Atque ita in acerrimo partium certamine jus redditum est.

BONONIEN PECUNIARIA

Lunae 25. Junii 1827.

ARGUMENTUM

Resjudicata confirmari debet, quae nec nullitatis, nec injustitiae vitio laborat.

SUMMARIUM

1. Cuilibet creditori licet ad satisfactionem proprii crediti assequendam actione utili agere adversus debitorem sui debitoris, et omnia jura experiri, quae in eum huic competunt.
Et num. 2.

3. Declaratio sequestratarii captiosa nullius ponderis est nec impedit exequutionem mandati.

4. Judicis arbitrio relinquitur novam exigere declarationem.

5. Qui plures habet actiones, eam experiri potest, quam sibi magis libet ad finem consequendum.

6. Deponere non est solvere.

7. Si ex arbitraria pretii distributione impar hoc pretium evadit debitis hypothecariis dissolvendis; Id omne quod pretium ipsum excedit damno acquirentis cedere debet.

8. Nefas est litem iterum excitare per rem judicam, et transactionem sopitam.

DECISIO CCXCVIII.

Annuum, quousque viveret, reditum sibi cupiens constituere Maria Ferraria Cajetani Fantonii uxor, *mille* nummos argenteos, publicis in id tabulis anno 1815 ad diem *vigesimam tertiam* Januarii conscriptis, Lugdovico Dall'Olio præbuit, onere adjecto, tum certam pecuniæ quantitatem quotannis usque ad obitum ipsius Mulieris solvendi, tum summam illam foenori collocandi, atque ita retinendi quoad in humanis mulier ipsa versaretur. Qui pro persona nominanda contractum fecerat, Lugdovicus Dall'Olio pecuniam primo ad quinquennium foenori dedit Viro Neapolis Patricio, Trojano Marulli, qui Latifundium in agro Bononiæ situm, ac vulgo dictum — *Quaderna* — hypothecæ nexui subjecit, ad indemnitatem creditori parandam, deinde vero in utroque contractu nominavit Bononiensis Curiæ Doctorem Jo-

sephum Mezzettum, qui pacta omnia tam *vitalitii* contractus, quam mutui frugiferi, quod tunc per Gallorum leges obtinebat, et postmodum, reverso in Sedem suam Pontifice, in collybum lege ita ferente, conversum fuit, sibi suscepit, eaque religiose sese servaturum promisit. Dies restituendi frugiferi mutui anno 1818 jam cesserat, et venerat, cum susceptam obligationem implere detrectantem Marullium traduxit Mezzettus apud Judices de Primis Actionibus jus tunc temporis Bononiæ dicentes, atque petiit, et per Sententiam illius Tribunalis obtinuit, ut sibi a Marullio redderetur pecuniæ caput, dummodo tamen illico foenori eam denuo collocaret, juxta pactum cum Ferraria conventum. Interim vero Marullius, ut suis, quibus obruebatur, creditoribus satisfaceret, longe lateque patens latifundium in agro Bononiensi item positum, cui vocabulum = *la Guardata* =, ingenti pretio scutorum *triginta trium millium* per publicas tabulas die 29 Novembris anni 1824 Aloysio Mattejo distraxit.

Hæc pretii solvendi ratio emptori præstituta fuit: ut nimirum certam pecuniæ partem in dimittendis quibusdam creditoribus statim impenderet: ut rursus alteram partem sibi retineret ad reliquum, quod præfatum quoque collybum amplectebatur, æs alienum luendum, juxta *graduationis* ordinem, vel in judicio, vel ex condicto absolvendæ, ut demum scuta *quatuormillia* venditori persolveret, quorum tamen *quinquaginta* supra *centum* dumtaxat numeravit, exhibita pro reliquis facti depositi schedula, quod non erat amovendum, nisi, accedente deponentis consensu, ad contractus tramites, cujus initium ducere contrahentes statuerunt a Kalendis prædicti mensis Novembris: quamvis eo exeunte fuerit celebratus. Ut primum latifundii dominium emptor nactus fuit, nomine suo in publicis hypothecarum tabulis illud inscribendum curavit. Quantum autem animum intendit nominibus illis dimittendis, quæ in stipulationis actu erant absolvenda, tantum indiligens, et desidiosus fuit in assignanda sede cæteris creditoribus subinde dimittendis, atque in ipso pariter Instrumento nominatim designatis, quibus in onum veluti follem coactis, ad libitum satisfecit, nonnihil etiam de quantitate crediti detrahens. Sed horum creditorum exemplum noluit imitari Mezzettus, cujus sæpe panditum propositum consequendi integram collybi summam, una cum interusuriis, adeo transversum egit Mattejum, ut detrectaverit is per biennium debiti solutionem, quosque tandem, rupta patientia, judicio adversus eum agere creditor constituit.

Ex præcedenti itaque Sententia Tribunalis Primæ Jurisdictionis Bononiæ, quam exequutioni committi deinceps jusserat Prætor Bononiensis, vadimonio dicto etiam debitori Marullio, judicialem sequestrationem indixit eidem Mattejo, ne quid amplius solveret, vel Marullio, vel ejus creditoribus in causam reliqui pretii coempti latifundii, ejusque fructuum. Cum hinc de more petiisset, ut Sequestratarius ad declarandum compelleretur, quid, et quantum retineret de pecuniis ad debitorem pertinentibus, generalis Episcopalis Curiæ Bononiensis Auditor petitionem excepit, Decretoque suo quinque dierum terminum ad emittendam declarationem præstituit. Sed illa declaratione apud acta relata, nil amplius sibi superesse professus fuit de pretio latifundii, quod ex stipulata partim jam solutum, partim solvendum venditoris creditoribus erat. Captiosam vero, subdolamque hanc declarationem reputans Antistitis Auditor, irritam eam nullamque renunciavit, damnavitque Sequestratarium ad summam solvendam, pro qua fuerat sequestratio interposita. Nec quidquam querelas de nullitate prolatæ Sententiæ proposuisse coram Signatura, sin minus provocationem in *suspensivo* ab ea postulasse, Mattejum juvit; quippe qui inimicam in utraque petitione sortem expertus fuit, edito Rescripto = *Nihil de circumscriptione in reliquis sine præjudicio, ad effectum investiendi ad formam Sententiæ* 10 *Maii* 1818, *et amplius* =, quam-

vis deinceps, allato testimonio obitus Mariæ Ferrariæ, quæ fuenori collocari pecuniam voluit, clausula illa = *ad effectum investiendi* = fuerit revocata.

Tunc tandem ad diem *vigesimam quintam* Septembris superioris anni sequestratarius summam scutorum 1093 77 quot creditum sequestrantis officiebant, in Æde Sacra Bononiæ deposuit indicta lege, ut nemini solverentur absque deponentis venia, ac tribus desuper adjectis conditionibus. Prima conditio fuit, ut deleri deberet hypotheca, quam super Marullii bonis creditrix Ferraria susceperat: secunda, ut nuncium mitteret Mezzettus judicialibus actis ad *graduationem* creditorum ex pacto conventam obtinendam expletis: tertia demum, ut idem Mezzettus jura omnia, et actiones, quibus potiebatur adversus Marullii patrimonium, solventi Sequestratario cederet. Hisce conditionibus, quibus jure potuisset obsistere, paruit Mezzettus ad dirimendas controversias: atque ita pecuniam depositam exegit. Mox tamen quæstio Sequestrationis repullulavit ex jure *devolutivæ* provocationis, quo uti voluit Mattejus. Ita factum est, ut hodie, commissa mihi causa, proponerem Dubii formulam = *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* =, cui responsum est = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* =.

1 Decet confirmari Remjudicatam, quæ nullo, nec nullitatis, nec injustitiæ vitio laborat. Neutro sane vitio inficitur Sententia, quam in subjecta specie dixit Auditor Episcopalis Curiæ Bononiæ in Remjudicatam prolapsa. De nullitate enim disputari vetat Signaturæ Rescriptum, ex quo circumscriptionis querela rejecta fuit: de justitia vero æque constat. In jure compertum est cuilibet creditori licere, ad satisfactionem proprii crediti assequendam, actione *Utili* agere adversus debitorem sui debitoris, et omnia jura experiri, quæ in eum huic competunt. *Pacifici de Salviano inspect.* 3 *cap.* 2 *N.* 195 *Rota Decis.* 106 *num.* 9 *post Merlin. de pignor. in Recen. Decis.* 76 *num.* 2 *part.* 17 *cor. Molines Decis.* 395 *et* 471 *utrobique num.* 1 *Decis.* 147 *Num.* 1 *cor. Ansaldo et Dec.* 137 *num.* 14 *cor. Eodem.* Ab hac receptissima regula vetus oritur jus Sequestrationum incidendarum, quibus certam normam in judicio omnino servandam neotericæ praxeos leges præstituerunt. Duo autem sunt sequestrationis extrema: Quod nimirum sequestrans judiciali polleat mandato adversus debitorem exequutioni committendo quod rursus sequestratarius certus sit debitor debitoris, ut solvat, cum dies solutionis venerit, veluti monuit Sacer Ordo *in Bononien. Pecuniaria* 2 *Februarii* 1816 § 5 *cor. R. P. D. Meo Marco Almæ Urbis Gubernatore.* Jam vero nil dubium, quin judiciale mandatum Mezzetto præsto sit. Is namque, qui sub alieno nomine pecuniam a Ferraria receperat, eamque foenori dederat Marullio, cum nihil, advento restitutionis tempore, consequi posset, eum vadatus fuit apud abrogatos Judices Primarum Actionum Bononiæ, a quibus Sententiam votis suis consonam, et in Remjudicatam, debitore non reclamante, prolapsam, retulit, cujus exequutionem Prætor Bononoņiensis deinde mandavit.

Claro in loco æque positum est extremum aliud debiti sequestrari, prout ostendunt publicæ tabulæ Anno 1824 sub exitum Novembris exaratæ. Ex his patet, a Marullio coemisse Mattejum latifundium = *la Guardata* =, convento pretio scutorum *trium* supra *triginta millium*; hujus partem erogatam fuisse in dimittendis certis, et designatis vendentis nominibus: scuta item 3750 in Æde Sacra Bononiæ deposita fuisse cum lege, ne ulli solverentur, absque deponentis assensu: scuta denique 7741 15 penes emptorem superfuisse, ab eo solvenda una cum usuris, tam ex æquitate *leg. Curabit ff de act. empt. et vend.*, tum etiam ex pacto publicis contractus tabulis adjecto. Comprobatis itaque Sequestrationis extremis nil pariter dubitandum, quin in hoc sequestrationis judicio formulæ omnes a nuperrimo Motu Proprio Sacratissimi Principis super Tribunalium reforma- 2

tione *sub lit.* 4 præscriptæ ad unguem fuerint a sequestranto servatæ. Nam primum ex *art.* 672 ubi non aliter sequestrationem fieri permittitur, quam in vim judicati = *in stato eseguibile* =, exequntioni committi sententiam a Judicibus Bononiensibus latam impetravit; deinde ad tramites Art. 677 sequestrationem indixit Mattejo, dica ad eum transmissa, in qua ad illius notitiam deduxit, tam creditum suum adversus Marullium, quam obtentum judiciale mandatum. Judex vero, qui interpositam probavit sequestrationem, juxta *art.* 683. Sequestratio terminum præstituit quinque dierum ad juratam declarationem emittendam. At sequestratarius officio suo minime satisfecit: immo vero contra literam contractus, se nihil habere de pecunis ad Marullium pertinentibus professus fuit, non parum in hoc sibi contradicens, quod nihil retinere, et aliud retinere dixerit de iis pecuniis ad prædictum Marullium spectantibus, sed illius creditoribus ex pacto solvendis.

3 Declaratio imo ista, nedum subdola, et captiosa fuit sed in eo præterea peccavit, quod non præfinivit summam a sequestratario debitam sequestrantis debitori, quamvis diserte jubeat præfata lex *art.* 687, ut continere declaratio debeat = *l' indicazione precisa della somma, ed effetti, che esistano di pertinenza del Debitore* = Qua de re, cum vidisset Auditor Episcopalis Curiæ Bononiensis, regulis a Motu Proprio præscriptis declarationem refragari, irritam eam, nullamque sequestratarium damnavit ad solvendam summam a sequestrante petitam. Ita enim mandat *Art.* 686 sæpius citatæ legis, ubi ita scriptum legitur = *Il sequestratario non adempiendo a quanto gli fu ingiunto, sarà soggetto alla esecuzione dei rispettivi mandati* = idque aliis verbis repetitum extat in casu, quo captiosa fuerit sequestratario declaratio = *se sarà emessa* (ita Art. 691) *una dichiarazione capziosa, sarà in facoltà del Creditore sequestrante di domandare, che non ostante la emessa dichiarazione, debba procedersi alla spedizione, ed esecuzione del Mandato* = Non licet quippe sequestratario quacumque declaratione se tueri, et ita creditorem, et legem eludere, sed eam emittere declarationem tenetur, quæ clara ac perspicua sit, quæque bona fide explicet quid, et quantum retineat de pecuniis debitoris.

Ad hæc irrito prorsus conatu De- 4
fensores sequestratarii reponebant, neque captiosam dici posse declarationem, in qua relatio habita fuerit ad contractus tabulas; neque potuisse Judicem sequestratarium illico damnare ad summam solvendam a sequestrante petitam, sed novam indicere debuisse declarationem, si minus aptam, et perspicuam priorem duxisset. Ex Instrumenti quidem tabulis cognosci poterat, quæ fuissent pacta contractus; quod pretium constitutum: in quas ratas portiones divisum: cui solvendum, et quando. At quid fuisset de pretio solutum; qui creditores dimissi; quid reliquum superesset; quæ usurarum summa rependenda foret, ab una sequestratarii declaratione eruendum erat, qui, si in eo solum defecisset, quod omisit contra literam legis = *l'indicazione precisa della somma, ed effetti, che esistono di pertinenza del debitore* =, hoc unum satis esset ad irritam nulliusque momenti renunciandam illius declarationem, quam cæteroquin captiosam, et fraudolentam fuisse ex hactenus dictis apparet. Nec ulla urgebat ratio, cur damnare Judex debuisset, ut sequestratarius cogetur ad novam declarationem emittendam. Is enim, postquam emissam expenderat declarationem, quodocumque Decretum ferendi facultate poticbatur, ad normam *Art.* 693 prædicti Motus Proprii, qui ita se habet = *Dopo avere esaminato il tenore della dichiarazione, emanerà* (Judex) *quel Decreto, che crederà* = Quod si addita fuere verba = *anche per una più precisa dichiarazione* =, nemo non intelligit hoc Judicis arbitrio, ejusque prudentiæ fuisse relictum juxta varios casus rerumque circumstantias, si nimirum nulla in declarante fraudis concurrat, dolique suspicio. Cum autem ipse vidisset, haud his vitiis destitui declarationem a Mattejo factam, recte censuit abstinendum a

nova declaratione indicenda, eumque damnandum ad sequestrantis creditum dimittendum.

5 Abs re erant, quæ objiciebantur de actione hypothecaria, quam experiri Mezzettus tenebatur ad satisfactionem sui crediti assequendam. Inutilius etiam erat methodum enucleare, quam praxis judiciaria præscribit in his judiciis servandam. Duplici enim actione pollebat Mezzettus, tam *hypothecaria* scilicet adversus prædia huic vinculo a Marullio subjecta, quod *personali*, *seu utili* adversus debitores ejusdem Marullii exercenda. At vero qui plures habet actiones, eam experiri potest, quam sibi magis libet, ut finem sibi propositum obtineat. *Leg. Qui servum* 34. *ff. de obligat.*, *et action. leg. Quoties* 41. §. *Si eodem ff. eodem tit.* Inter duas autem actiones, *hypothecariam*, *et personalem*, seligendam hac postremam censuit Mezzettus, quam magis facilem, atque expeditam reputavit, quin se implicaret hypothecario judicio, diuturnis est, ac persæpe salebrosis. Pari inanitate urgebant sequestratarii defensores, nondum venisse diem solutionis, quo tempore molestum seqoestratario Mezzettus se præbuit, cui ideo jure poterat denegari solutio, quemadmodum denegari Marullio potuisset. Quandoquidem hoc ipsum bona fide, si verum fuisset, proferre in declaratione sua sequestratarius debebat, quin captiose, et sophistice, non sine perjurii nota, diceret pecuniam se retinere, et simul non retinere: Quod unum sat est, ut ad debitum solvendum condemnetur, cum sua nemini fraus, ac dolus debeat opitulari.

6 Præter hæc tamen, quæ summi momenti sunt, illud etiam accedit animadvertendum, inter alios creditores quos sibi suscepit, et dimissurum sequestratarius promisit; creditum quoque contineri, quod Mezzettus in Marullium experiebatur. In emptionis venditionis tabulis cum Marullio initis utique convenerat, ut æs alienum luendum esset juxta hypothecæ epocham, quam quisque creditor inscripsisset. At pactum nullo modo violandum, non sine creditorum detrimento posthabuit sequestratarius; creditores ad libitum ac nullo ordine servato dimisit, cum eis transegit, eorum credita demum imminuit. Sic biennium effluxit, quin tamen unquam consuluisset Mezzetto, quem eadem ratione dimittere volebat, qua cæteros dimiserat. Est itaque ineptum fariendæ creditorum *graduationis* exceptione uti, quæ, si etiam facta fuisset, non ideo minus a credito sequestrantis solvendo sequestratarius eximetur. Nam, præter summam in dimissionem creditorum hypotheca pollentium impensam, supererant ex lege contractus *scuta quatuor millia*, *quorum bis centum quinquaginta* tantum emptor Marullio numeravit; cætera vero in æde Sacra Bononiæ deposuit, quia suspicabatur, a die initi contractus usque ad expletam suo nomine publicis in tabulis latifundii transcriptionem, alias supervenire posse ex facto venditoris hypothecas. At postquam agnoverat, nullam interea temporis inscriptam super latifundio hypothecam fuisse, cum impleta facti depositi lex esset, nulla ratio patiebatur, cur eo vinculo devincta pecunia maneret cum venditoris, ejusque creditorum jactura. Deponere enim non est solvere, ut ait juris adagium, de quo *text. in leg. Rem libere* §. 1. *ff. quib. mod. pign.*, *vel hypothec. solvat.*; *Tiraqnell. de retract. lignag.* §. 1. *glos.* 3. *num.* 3., *Rota Decis.* 470. *num.* 10. *coram Ansaldo et Decis.* 769. *num.* 1. *et* 2. *cor. Eodem.*

Verum non ea tantum supererant scut. 3750. in æde Sacra deposita, sed ex capitali pretio in dimittendis creditoribus erogando adhuc præcipua quantitas penes sequestrarium insoluta manebat. Siquidem in posteriori computo, cui ipse Mattejus die *trigesima* Octobris superioris anni subscripsit, debitorem sese renunciavit in egregia summa scutorum circiter *trium millium* in causam ponetim residui capitis insoluti. Accedit præterea fructuum quoque debitorem fuisse sequestratarium, tum ad tramites *Leg. Curabit. Cod. de act. empt.*, quam etiam ex pacto, ex quo usuras sese soluturum ille spopon- 7

dit super summa, quæ penes se remanebat, cæteris creditoribus deinde solvenda, quæque evehebatur ad scuta 7742. 15. Harum autem usurarum non levis erat cumulus, initio præsertim hujus debiti ducto a Kalendis Novembris anni 1814. His denique addendum, quod si etiam alia dimittenda superfuissent hypothecaria nomina, ita ut impar esset pretii quantitas a sequestratario debita, hoc sane, non aliorum creditorum, sed ipsius sequestratarii culpæ, damnoque verti deberet, qui violavit pacta stipulationis, et creditores, no ipsis quidem posthabitis chirographariis, nulla regula servata, ad libitum dimisit; Hypothecaria siquidem lege Motus Proprii S. M. Pii VII. die 6. Julii anni 1816. *Art.* 91. sancitum est, ut quoties = *il prezzo da pagarsi dall'acquirente sia minore delle somme collettive per le quali è so,getto alle iscrizioni ipotecarie, potrà l'acquirente medesimo eseguire d'appresso gli ordini dei Trib. di deposito per il pagamento dei crediti anteriori fino alla continenza del prezzo sudetto bene inteso però che non sia in sua facoltà di fare pagamenti parziali* = Innuere enim hoc modo lex voluit, usi ex arbitraria, proprioque marte facta pretii, distributione impar hoc prætium evadat debitis hypothecariis dissolvendis, id omne, quod reliquum est et pretium ipsum excedit, acquirentis damno cedere debeat.

8 Nec omittendum erat, hoc judicium inciviliter fuisse instauratum, et ejus *devolutivæ* provocationis in præsens sequestratarium injuria experiri. Postquam *suspensivam* appellationem rejecerat Signaturæ Tribunal una cum circumscriptionis querela, cum in eam conditionem adductus is fuisset, ut non posset amplius debiti solutionem remorari, consilium arripuit deponendi pecuniam non aliter sequestranti tradendam, quam si is susceptam a Maria Ferraria super Marulli bonis hypothecam delendam curaret; nuncium insuper mitteret judicialibus actis *ad graduationem* creditorum faciendam expletis; jura denique cederet, quibus ipse pollebat adversus ejusdem Marullii patrimonium. Etsi non obligatus, sed volens, et lubens, ad dirimendas cum homine litigioso controversias; accepto has tamen conditiones habuit sequestrans, qui e contra Jure contendere potuisset, ut sibi libere pecunia traderetur, ad formam Reijudicatæ. Non erat itaque admittendum, ut post acceptas conditiones, ex quibus quasi transactum inter litigantes fuisse videtur, sopitam, et Rejudicata, ac transactione, finitam litem iterum excitare sequestratario fas esset.

Et ita, utriquo parti sese defendenti jus dictum est.

CAESENATEN SOCIETATIS

Veneris 9 *Februarii* 1827.

ARGUMENTUM

Saepe sub nomine Societatis non vera intelligitur propriaque societas; quae non est confundenda cum simplici jure participandi lucra, non ex ullo contractu, aut jure societatis, sed ex voluntate, ac oblatione partis pollicita.

SUMMARIUM

1. *Non datur beneficium restitutionis in integrum nisi aliquo vitio vel nullitatis vel injustitiae rem judicatam inquinari probetur.*
2. *Testis deponens de re cujus scentiam habuisse declarat ab eo qui illum in testimonium inducit, eamdem fidem facit, ac si iste in re propria testimonium diceret.*
3. *Qui curam habet de minimis, de re gravi multo magis habuisse praesumendum est.*
4. *Societatis nomine non semper intelligenda est vera et propria societas,*
5. *Si unus ex Sociis praeter operam, pecuniam dat in causam societatis: Alter autem solam commodavit operam, huic vix quarta aut tertia lucrorum pars geometrica proportione adhibita, addicenda est.*
6. *Qui nullum habet censum, praesumi non potest quod arduis negociationibus implicare se possit.*
7. *Major probatio lucri est utriusque socii litigantis confessio.*
8. *In omittendo tantum, nunquam autem in committendo Procuratores possunt mandantibus officere.*

Peritorum relatio non officit partium confessioni - ibi -

9. Quando rationes expunctae utrique litiganti placuerunt; Inutile est novas rationes disquirere, et controversias consopitas denuo excitare.

DECISIO CCXCIX.

Binis Sacri Nostri Auditorii Sententiis, quarum alteram, ad tramites præeuntis ejus Decisionis diei *vigesima octavæ* Aprilis Anni 1820 evulgavit R. P. D. Meus Marco, Almæ Urbis Præses, alteri vero, post unicam Decisionem biennio post vulgata ad diem *decimom nonam* item Aprilis, subscripsit Rmus P. D. Meus Tiberi Archiepiscopus Athenarum, probata fuit inter Joannem Brighium Caesenæ mercatorem, ac Josephum Modernium societas, seu jus participandi lucra negociationum, ac præsertim rei frumentariæ, cui hic postremus, primo Brighii Minister, dein ab eo missus anno 1799 per emporia Piceni, atque Æmiliæ, usque ad exitum anni 1801 operam dederat, fruges utiliter emens, et Cæsenam transmittens, ut ibi carius, in illis potissimum temporum difficultatibus, bellorumque tumultu, venderentur. Hinc jus in iisdem Rotalibus Sententiis factum est Josepho consequendi duas ex quinque partibus totius compendii ex negociationibus obventi: idque, non ex ea ratione, quia societas ab initio instituta inter eos hoc pacto fuisset, sed quis Brighius ipse ad dirimendas quæstiones, ac ad evitandas litium et judiciorum ambages, hujusmodi lucrum sponte obtulerat. Quoniam vero in ipso judicii exordio penes arbitros a Tribunali Mercatorum Arimini deputatos inter se convenerant, litigantes quoad rationum expunctionem a Brighio exhibitam, nullumque prodiit quoad mercium pretium, sumptus, et lucra controversiæ germen, ita in præfatis Sacri Ordinis Sententiis merite commissum est juris perito dein eligendo, opus referendi de mutuis litigantium creditis, juxta rationes jam expositas, eidemque data fuit, ad prædictum opus absolvendum, facultas expertum ratiocinatorem in subsidium advocandi. Hoc modo revocatum est quod Judices Ariminenses Josephi postulationibus annuentes in primo jurisdictionis gradu definiverant, nec non Bononienses in secundo, in eo quod in istorum judicio extat priorum decisioni consentaneum.

Easdem vices habuit secundaria quæstio, quam Josephus ipse, parum sibi constans, postea excitaverat, acriter contendens, a communibus rationibus oportere sejungi tria negocia, duo scilicet ex indico promercali frumento, tertium ex oleo, quorum lucrum sibi uni addicendum esse affirmabat. Nam aliæ duæ Sacri Tribunalis Sententiæ, quarum alteram, præcedenti Decisioni supradictæ dici *vigesimae octavae* Aprilis Anni 1820 consentaneam, in vulgus edidit item R. P. D. Meus Marco; alteram autem præfatus Rmus P. D. Meus Tiberi, ad normam duplicis Decisionis, dierum *decimoe septimoe* Maii Anni 1822 ac *decimoe octavae* Junii anni 1824., publici juris fecit, merito definitum est, haud segreganda a communibus rationibus esse tria illa negocia, eorumque lucrum pariter esse dividendum. Cum tamen Josephus adversus quatuor prædictas Rotales Sententias a Præsule, qui Sacra vice fungitur, obtinuerit beneficium restitutionis in integrum; de verbis ideo utriusque Rei judicatæ distinctis quidem iisdem verbis conceptis, dubiorum formulis disputatum hodie esse. Nil autem Josepho profuit obtentum restitutionis in integrum beneficium. Cum enim de societate, seu jure participandi lucra, super quo præsens Decisio vertitur, universam aulam, ut in hujusmodi restitutionis in integrum controversiis ex novis praxeos institutis fieri solet, constituta formula rogaverim, scilicet = *An constet de Rejudicota, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = Responsum accepi = *Constare de rejudicota* =.

1 Notissimum porro est, non aliter integrum restitutionem concedendam esse, quam si aliquo, vel nullitatis, vel injustitiæ vitio Remjudicatam inquinari probetur. At nulla quæstio movebatur quoad Rejudicatæ validitatem, tumque examen ad justitiam redibat,

quæ Patribus Meis perspectissima visa est. Qui enim societatem cum Brighio contraxisse clamabat. Modernius sane nihil afferebat in propositæ actionis probationem; non publicas initæ societatis tabulas, non privatam aliquam syngrapham in medium adducebat. Hujusmodi quidem est societatis contractus, ut nulla indigeat scriptura, et verbis etiam contrahi possit *ex leg.* 4 *ff. pro socio.* Cum tamen societas quid facti sit, nunquam ideo præsumitur, et non ambiguis conjecturis et argumentis adeo evincenda ab actore est, ut partes Judicis et sint, si quid dubii supersit, jactatam rejicere communionem. *Zanch. de societate part.* 4 *Cap.* 5 *n.* 5 *Rot. in Civitatis Plebis Societatis* 5 *Julii* 1751 § 3 *cor. Bussio in Romana, seu Sabinen. Societatis* 30 *Martii* 1753 § 3 *cor. Figueroo, in Romana Cambii et Fructuum* 4 *Julii* 1777 § 4 *cor. Mannelli, et in Romano Redditionis Rationis* 6 *Julii* 1804 § 6 *cor. Emo Bussio.* Duo erant, quibus maxime Modernius innitebatur, ut contractum societatem ostenderet: testimonium scilicet cujusdam mercatoris Belluccii: epistolæ rursus nonnullæ ipsius Brighii, ex quibus erui dicebat, negocia communia fuisse. His duabus exceptis objectationibus, nulli proferebantur actus, qui citra jus, et nomen societatis fieri nequivissent, et societatis existentiam necessario supponerent. Verum nullam sibi fidem vindicabat Belluccii depositio, quippe qui unicus erat testis, cui profecto, si de quacumque re agatur, credendum non est, multo magis fidem, et audientiam non meretur in materia societatis, in qua et si testes ad eam probandam recipiantur, oportet attamen, ut idonei sint, omni exceptione majores, et de certa perspicua, ac concordi deponant partium voluntate contrahendi societatem *Rot. dec.* 128 *n.* 26 *cor. de Veri, et in cit. Romana seu Sabinen. Societatis* 30 *Martii* 1753 § 3 *cor. Figueroa* 5.

2 Prætcrea Belluccius ipse propria dicta revocavit et initæ, de qua testificatus fuerat, societatis scientiam, non ab aliis habuisse declaravit, quem ab eodem Modernio. Non alia agitur fides adhibenda Belluccio, quam quæ Modernio adhiberetur, si testimonium diceret in re propria, idest plane ulla, veluti in similibus casibus monuit Sac. Noster Ordo, ac præ cæteris *decis.* 73 *n.* 10 *cor. Olivatio.* Nec pluris faciendæ sunt objectæ Brighii epistolæ in quibus totam pene defensionem suam proponebat Modernius, quia in eis passim occurrunt pluralia verba – *nostri formentoni, nostri grani* –, et alia hujus generis, quæ nihilominus, cum citra jus, nomenque societatis proferri valeant, leve semper præbuerunt argumentum ad inducendam societatem, ut probat adductis auctoritatum exemplis secunda Causæ *Decis.* § 2 *cor. Rmo P. D. Meo Tiberi.* Cum uostrum saepe dicamus, quod ab altero administrator, non immerito loquutiones illæ in subjecta specie referri possunt ad ministerium, quo functus antea fuerat Modernius, et ad studium curamque, quam hic adhibebat in comparando pomercali frumento. Certius vero ea vocabula spernenda erant, quia plura, contra proponebatur ad excludendam societatem. In primis jamdiu erat quod Modernius exercebat Ministri munus in taberna Brighii in qua versatus quoque fuit postorioribus annis, dum ab emendo tritico interdum vacabat, et Cæsenam repetebat. Simile præstitit officium absoluta post annum 1801 rei frumentariæ negociatione, quemadmodum pluribus reviucebatur testibus, qui eum ministri munus exercentem vidisse deponebant.

Nec constabat hoc munus abdicasse 3
Modernium postquam administrandum suscepit cujusdam Massinii patrimonium imo contrarium patebat ex multis aliis testimoniis, et ejusdem præcipuæ Massinii, qui Modernium patrimonii sui habenas suscepisse affirmabat hoc pacto, ne scilicet administrationem tabernæ Brighii desereret: Ad hanc rem conferunt etiam facta Modernii, qui, si quando literas ad Brighium mittebat, quod sæpius factum apparet, eumque certiorem de negociis gestis reddebat, ita scribebat, ut quasi famulus ab il-

lius nutu pendere videretur. Conferunt rursus adnotationes multæ Modernii charactere, manuque scriptæ in libris, ac Kalendariis mercatoriæ Brighii tabernæ. Ipsi imo libri, qui legali forma servatis plenam constituebant in judicio probationem, argumento erant nullam extitisse societatem. Ne dum enim nulla nec vola, nec vestigium in eis aderat de jactata societate, quando o contra mentionem de minutis quibuscumque sumptibus faciunt; verum accedit etiam, quod in illis descripta fuit societas alia super quamdam mellis negociatione, Brighium inter ac Modernium antea contracta. Quod si in re tenuioris momenti, qualis fuit negociatio mellis, adeo solliciti socii fuere de ea in mercatoris codicibus adnotanda, ne quis eorum esset in damno, non est sane præsumendum, secordes, et nimirum resupinos eos esse voluisse in re gravi quæ multis deinde jurgiis, et simultatibus, veluti in societatibus accidit, ansam præbere potuisset. Videatur secunda Causæ *Decis.* § 3 *cor. Rmo P. D. Meo Tiberi.*

4 Res absurda videbatur oratoribus Modernii quod Sacer N. Ordo primum definierit *constare de societate*, et jus postea fuerit Josepho participandi duas ex quinque partibus lucri, non tamen in sequelam societatis, *sed in vim oblationis a Brighio factae.* At omnis evanescit absurditas, si animadvertatur. Patres Dominos sub nomine societatis non veram intellexisse, propriamque societatem, quæ ex adductis huc usque argumentis explosa remanet; sed jus tantum participandi lucra, non ex ullo contractu, aut jure societatis, sed ex voluntate Brighii, ac sponte ab eo emissa oblatione. Oblatio ista scatebat ab epistolio quodam, quod Modernio scripserat Brighius, et in quo, licet expressis verbis protestaretur.=*Noi non abbiamo fissata alcuna società*=pro bono tamen pacis, ac præsertim =*per mostrare la correntezza, e l'inclinazione a giovare, e non esser soggetta a sentir doglianze* =se ei daturum promissit =*due quinti degli utili* =. Erat enim maxime observandum, epistolium istud ab ipso Modernio relatum in acta fuisse Tribunalis Arimini ad probandam societatem; ideoque impugnari ab eo amplius non posse, ac mirum in modum adversus eumdem producentem retorqueri ad eliminandam societatis actionem ex collectis in secunda Causæ *decis.* § 4 *cor. Rmo P. D. Meo Tiberi.* Quandoquidem, si Brighius scribit commentum esse putidissimum objectam societatem; si inquit, ære suo merces omnes coemptas fuisse, et præter nummos operam quoque contulisse; si ex largitate tantum obtulit duas ex quinque partibus lucrorum; si haec audiens tacet Modernius; non factum improbat non querelas excitat plane consequitur ipsum agnovisse Modernium ne umbram quidem societatis unquam extitisse.

Nihil igitur jure, et nomine societatis Modernio tribuendam erat. Etsi autem societas revera inter Brighium et Modernium extitisset, tunc sane æquis partibus societatis lucra communicanda inter socios essent, atque ita communicanda, ut servetur inter eos proportio, non quidem *Arithmetica sed geometrica* pro ratione scilicet collatæ ab unoquoque pecuniæ, industriae, laboris. *Leg si non fuerint* 29 *ff. pro socio Vinn. Comment. ad* § 1 *Inst. de sociel. n.* 2 *Mantic. de tacit., et ambig. lib.* 6 *tit.* 14 *n.* 35 *Zanch. de Societate part.* 2 *cap.* 7 *n.* 153. Jam vero ex invictis monumentis eruebatur, pecuniam omnem ad merces acquirendas Brighium contulisse: ipsum item solvisse sumptus itineris, et alimenta, dum provincias Æmiliae, ac Piceni peragrabat, Modernio suppeditasse: praeter haec operam quoque suam praestitisse. Nihil e contra de pecuniis suis Modernius impendit, et solum praestitit operam pro mercibus comparandis. Qua de re, si unus ex sociis, praeter operam, pecuniam dedit in causam societatis, alter autem solam commodavit operam, huic sane vix *quarta* aut *tertia* lucrorum pars, supradicta proportione adhibita, addicenda erit. Nec conqueri de hac divisione potest Modernius quippe qui alias fassus est, vix lucrorum trientem sibi vindicare posse, qui 5

solius provisoris partes in societate sustinuit. Plus ergo ipse retulit a liberalitate, et munificientia Brighii, quam quod ex jure competere ei potuisset, societate negociationum probata.

6 Quæ cum ita se habent frustra reponebatur non omnem pecuniam numeratam a Brighio fuisse, sed nonnihil etiam de suo impendisse Modernium, cujus imo pecuniis tritici negocium cæptum fuisse dicebatur. Cuilibet namque præsumptioni contrarium erat, quod Modernius homo tenuis, nulliusque censu, qui vix ad vitam tolerandam paucis obulis tabernam instruxerat, in qua tantum reperiebantur quorumdam victualium quisquiliæ, repente, et subita metaphorphosi bene nummatus evasisset, magniqua nominis Mercator, qui sese arduis negociationibus implicare posset Flocci autem faciendus erat apodicticus quidem calculus ab ipso Modernio fabrefactus, et ab extrajudiciali ratiocinatore expolitus, in quo demonstratur Scuta quatuorcentum Josepho Mariæ Tabacchio solvisse Modernium in pretium turcici frumenti ab eo coempti. Ipsæ porro Tabacchii literæ ad Modernium scriptæ Anno 1800 die *decima Octava* Januarii ostendunt, pretium illud eo tempore nondum fuisse solutum, ae ab ipso Brighio rependi debuisse. Accedunt libri mercatoriæ Brighii tabernæ, validiores ex Modernii subscriptione facti, ex quibus manifestum est pecuniis unius Brighii dimissum nomen Tabacchii fuisse. Si qui ergo societate admissa, nil aliud cundicere a socio potuisset, nisi *quartam*, aut *tertiam* lucrorum partem is quidem scilicet Modernius, assequutus fuit = *due quinti* = totius lucri ex societate percepti; gaudeat oportet heri sui beneficientia, nec ejus manes exagitet, qui prope animam Deo redditurus de hac intentatæ litis calumnia memorare non destitit, præcipiens hæredibus, ut ingrati hominis ausibus obsisterent.

7 Quid autem lucri ex negociis profectum si non aliunde quærendum est quam ab ingenua solemnique utriusque litigantis confessione, emissa cor. Arbitris, ipso urgente Modernio ab Ariminensi commercii, et mercatorum Trib. electis, apud quos Brighius exhibuit redditionem rationum. Certum siquidem est nullum detectum in ea dispunctione rationum errorem fuisse = *nè sulla spesa e costo de' generi acquistati per la pretesa Società, nè sulla quantità delle spese vicendevoli, e ricavati dai generi in questione, nè sugli utili, che i Negoziati hanno prodotto nella somma d'Italiane lire venticinquemila cento ottantotto risultanti dal conto che il Sig. Brihi affacciò nella sudetta precedente seduta* =, nec alia de causa compositas, atque diremptas inter litigantes controversias haud fuisse, nisi quia Modernius loco = *dei due quinti* = dimidium omnium lucrorum sibi deberi propugnabat. Extat de hac mutua partium confessione monumentum ære perennius ac literis traditum, quod exotico vocabulo dicitur = *Processo Verbale* =, cui non modo arbitri, sed ipsi quoque Brighius, ac Modernius subscripserunt. Huic monumento, quod relatum apud acta Trib. Arimini, publica potiebatur auctoritate fidem perperam detrahebant Modernii defensores, tum quia judiciales Arbitri ob non impletum munus intra terminum juris rem omnem perducere ad exitum nequiverunt; tum etiam quia Brighii procurator professus ea occasione fuerat, aese novae Arbitrorum electioni assentiri dummodo, ea quæ gesta fuerant cor. prioribus Arbitris *pro nihilo* haberentur, et novum cor. secundis Arbitris judicium exordiendum esset.

Non adhuc enim praeterierat termi- 8
nus ad judicandum Arbitris præfinitus, quo tempore de rationibus, et computis ad liquidum perducendis actum apud eos fuit. Non erat item in facultate procuratoris, qui Brigbii jura substinebat, absque peculiari procurationis mandato nuncium mittere iis omnibus, quæ gesta antea fuerunt, et non leve præjudicium inferre mandati. Scitum est in omittendo tantum, nunquam autem in committendo procuratores posse mandantibus officere et damno esse nisi peculiari prædíti sin aductum noxium gerendum mandato. *Leg.*

si procurator Cod. de prorat. Rot. cor. Ludovisio decis. 460 *n.* 1 *cor. Celso dec.* 243 n. 10 *cor. Ratta decis.* 181 *n.* 22 *cor. Rezzonico decis.* 26 n. 10., *et decis.* 140 *n.* 10 *cor. Eod.* Quod si Arbitris jurisdictio judicandi defecit, non idcirco delenda est partium conventio, eorumque confessio, quæ nec a potestate Arbitrorum, nec ab exitu controversiao pendebat. Poterant itaque Arbitri ab accepti muneris exercitio desistere, et potetat æque consistero litigantium factum ab eorum consensu, et voluntate dimanans, non vero ab Arbitrorum jurisdictiono. Imo novum non est, ut servetur, et integra maneat confessio, quamvis actus, in quo fuerit emissa, quocumque demum de causa pereat; et abrogetur. *Rot. decis.* 211 n. 12 *cor. Olivatio, decis.* 8 n. 3 *cor. de Veri*; *in Perusina Haereditatis super* 1 *Dubio quoad reservata* 6 *Maii* 1780 § 8 *cor. Lancellotto, et in Ferentina Dotis* 5 *Julii* 1822 § 3 *cor. R. P. D. Meo Marco Almae Urbis Cubernatore.*

9 Responsionis honore penitus indigna denique visa sunt ea, quæ ratiocinator quidam Puccinellius effutiebat in relationc sua extra judicii ritum confecta, et nunc primum in postremo agone adducta, in qua calculos, ex consensu partium cor. Arbitris initos, immutatos deinde fuisse contendebat ex novo computo, quod protulit Brighius ipse, et in quo discrimen aliquod sese detegisse prædicabat. At vero si judiciales Arbitri *in Verbali processu* notarunt haud contineri in prioribus calculis lucra ex olei, ac Indici frumenti negociatione obventa nihil facilius, quam quod hæ ipsa lucra descripta in novo computo fuerint. Evenire etiam potuit, ut si quid ope novi computi adjectum, aut immutatum de primis rationibus fuit, id quidem non respexerit negociaaes jam initas, sed quotidianas tabernæ mercatoriæ rationes. Si quæ propterea additiones aut mutationes obvenerunt, haud quaquam ex eis destruitur rei substantia, multoque minus emissæ confessionis corruit auctoritas quoad nomina in priori computo descripta, initosque communi placito calculos = *sulla spesa, e costo dei generi acquistati per la pretesa società, sulla quantità delle spese vicendevoli e ricavati dei generi in questione e sugli utili, che i Negoziati hanno prodotto* =. Quando autem rationes jam expunctæ utrique litiganti placuerunt; quando nullum ex descriptis nominibus reprobatum est; quando nullus detegitur error; inutile esset rationes denuo disquirere, et controversias omnes jam consopitas, et absolutas iterum excitare.

Atque ita, confirmatis primæ ac secundæ instantiæ Decisionibus et suffragium omnibus Dominis una mecum forentibus jus redditum est; Utraque etc.

CAESENATEN SOCIETATIS

Veneris 27 Aprilis 1827.

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXCIX. -

SUMMARIUM

1. *Societas non facile praesumitur ideoque comprobari debet indubiis argumentis, quae scripturae solemniis aequipolleant.*
2. *Operis tantum praestatio non probat societatem.*
3. *In divisione lucri inter socios habenda est proportio geometrica.*
4. *Quilibet vetitum est a proprio facto, et agnitione judiciali resilire.*
5. *Ab actu quoque nullo alicujus rei veritatem sentere potest.*
6. *Societatis nomine saepe non vera intelligitur et propria societas, sed jus assequendi lucra ob opus praestitum.*

DECISIO CCC.

Placuerunt Dominis Meis rationum momenta, a me iterum, inhærendo præcedentibus Decisionibus R, P. D. Mei Marco Almæ Urbis Gubernatoris et Rmi R. P. D. Mei Tiberi, Archiepiscopi Athenarum in Decisione diei *nonæ* Februarii proxime elapsi exposita, in qua definitum est nullam unquam societatem extitisse inter defun-

ctum Joannem Brighium ac Josephum Modernium, cives Cæsenates, super negociationibus quibusdam, præsertim frumentariis, per annos 1799 1800 ac 1801 gestis, et absolutis; sed jus tantum esse Modernio *binas* assequendi ex *quinque* partibus totius lucri ab eis obventi, in causam oblationis ultroneæ, et liberalitatis, quam exercere Brighius erga eum voluit, ne jurgiis, ac simultatibus occasionem præberet. Nam roganti mihi, ac assuetam proponenti Dubii formulam = *An sit standum vel recedendum a decisis* in casu = responsum est = *In Decisis* =.

1 Hujusmodi quidem est societatis contractus, ut verbis etiam contrahi possit, soloque consensu perficiatur, quin peculiari scriptura opus sit. Id tamen non officit, quominus Societas, quæ in facto consistit et non facile præsumenda est, facto debeat comprobari, certis scilicet, ac indubiis argumentis, quæ scripturæ solemniis equipolleant: quod, quamvis actor, hodie Modernius minime præstabat. Profecto mercatoris Benucci deposito nihil facienda erat, quia is deponebat de iis, quæ audivisse dixit ab ipso Modernio, adeo ut Benucci testimonium pro ejusdem Modernii in re propria testimonio habendum est, quod nullam sibi vindicat in judicio fidem. Etsi vero ex ore Modernii non testoretur Benuccius, is tamen, tamquam unicus, si in qualibet re non meretur audientiam, multominus mereri eam valet, dum agitur de inducta societate probanda, in qua testes idoneos esse, omnique exceptione majores oportet. Neque secus censendum de objectis quibusdam Brighii literis; in quibus sæpius occurrunt pluralia verba = *nostri formentoni*, *e nostri grani* = et alia hujus generis, quæ arguendo societatis contractui leve præbent argumentum; quia non inter socios tantum, sed inter heros etiam, et administros sæpe hujusmodi loquutiones adhibentur, procul ab ulla Societate. In themate vero hoc præsertim animadvertendum est, apud Brighium ministri munus semper exercuisse Modernium, tum antequam pro mercibus comparandis, emendoque promercali frumento ad emporia Piceni, atque Emiliæ mitteretur, tum etiam postquam in patriam, negociis absolutis, regressus est. Quin imo ministerium suum apud Brighium retinuit Modernius, quamvis administrandum deinde suscepisset Massinii patrimonium, qui sane, hac re rogatus respondit hoc pacto illius patrimonii gestionem aggressum fuisse Modernium, ne scilicet administrationem aliam Brighi tabernæ præteriret. Cæterum non deficiebant plures aliæ ejusdem Brighii epistolæ de negociis tunc temporis initis scriptæ, in quibus laboris operæque mercedem Modernio se daturum ille promittebat; quod haud scriptum certe fuisset, si partem aliquam lucri ex stipulatu, et in vim institutæ societatis condicere Modernio licuisset.

Opponebatur pariter, non omnem ad suscipienda, et absolvenda negocia pecuniam Brighium suppeditasse, sed nonnihil de ære suo impendisse Modernium, cujus imo pecunia tritici negocium cæptum fuisse, ejus contendebant oratores. At hoc tam præsumptioni, quam veritati contrarium apparuit. Haud prime verisimile erat, quod modernius, cui erant res familiares exiguæ nulli usque census, quique ad se, suamque familiam alendam, vix instruere potuerat Cæsenæ parvam tabernam, ubi merces vendebat esculentas tenuis momenti adeo dives subito evosisset, qui negociari posset, et non leves pecuniæ summas commercii, et mercaturæ vicibus exponere. Missis præterea Brighii literis ab ipso Modernio ad acta delatis, et tempore, veluti inquiunt, non suspecto datis, ex quibus planam est, primum industriam, et nummos præbuisse ad negociationes exercendas, Iterum vero operam præstitisse suam, et Picenum, ac Emiliam, Brignio jubente, petiisse, qui victum, et itineris sumptus Modernio subministravit: præstu sunt epistolæ ipsius Modernii, quae pecuniam omnem a Brighio collatam fuisse revincunt. Professus in his epistolis fuit Modernius, nummos argen- 2

teos *quingentum* a comito Ricotti recepisse, eosque erogasse declaravit pro arrhis eo temporis articulo solutis, quo incepto est negociatio: alia item scuta *millia* ab eodem obtinere potuisse; collybisticas litteras ad Brighium misisse, ut statim dimitterentur: multum quoque pecuniæ habuisse a negociatoribus Benuccio, et Morellio: multum denique collegisse ex venditione mercium, quæ ad Brighium pertinebant, ex prædictis Modernii epistolis constat. Quod autem dicebatur, saltem Josepho Mariæ Tabacchio scuta *quatuorcentum* de suo numerasse Modernium, id falsum ostendebant, præter litteras supra memoratas, codices, et libri mercatoriæ Brighii tabernæ, solemniores ex Modernii subscriptione facti, ex quibus unius Brighii pecunia Tabacchio cruitur fuisse satisfactum. Nil ergo præter operam præstitit Modernius, et pecuniam omnem, ac simul industriam impendisse Brighium invictissime patet.

3 Si hæc excipias, quæ probandæ societati paria minime sunt quæque explosa remanent ex ipsa Moderni confessione, nulli alii ab eo proferebantur actus, qui citra jus et nomen societatis fieri nequivissent. Accedunt imo facta Modernii, qui pluries ad Brighium scribens, ut de negociis gestis certiorem eum redderet, nullam unquam mentionem de societate fecit, ac talem adhibebat in scribendo sermonem, quali nimirum famuli erga dominos utuntur. Is rursus adnotandas curans in mercatoriis Brighii libris, qui legali forma servati plenam constituebant in judicio probationem, minutas quascumque expensas, et tenuem quamdam societatem super negociatione mellis antea institutam, nihil meminit de frumentaria gravioris momenti Societate, quæ multo magis recensenda fuissel. Consultatur Superior mea *Decis.* § 5. Nulla igitur Societas intercessit, quæ si etiam inter Brighium, ac Modernum extitisset, tunc sane lucra societatis ita communicanda, ac partienda inter socios forent, ut servetur inter eos proportio, non quidem *arithmetica*, *sed geometrica*, habita scilicet ratione laboris industriæ ac quantitatis pecuniæ ab utroque socio in societatem immissæ veluti ex compertissimo jure statuit præcedens mea *Decis.* § 7. Atqui ex demonstratis patens est, unam operam præstitisse Modernium, præter autem industriam, pecunias dedisse Brighium ad negociationes exercendas. Qui igitur solam commodavit operam, vix quadrantem, aut trientem lucrorum omnium societatis sibi poterit vindicare, ipso fatente Modernio, qui alias non negavit, tertiam dumtaxat lucri partem addicendam ei esse, qui solius provisoris munere in societate functus fuit.

Si itaque duas ex quinque lucrorum partibus Modernio tribuenda censuit sacer Ordo, non alia de causa ita decisum est, nisi quia Brighius ipse præter necessitatem liberalis esse voluit erga Modernium, eamque lucri partem sponte ei obtulit ad litium germina tollenda cum eo, qui fide, et honestate sua bene aliunde de Brighio meruerat. Nec plus aut minus hodie decerni, et Modernio tribui, aut ei adimi poterat, postquam oblationem ultro, ac sponte a Brighio factam accepto habuit, ac probavit, quod magis est, in judicio Modernius, cui ideo vetitum est a proprio facto, et agnitione judiciali resilire. Nil refert namque quod Modernius, judicio sistens, et oblatam lucri partem accepto habens, jus sibi, actionemque reservaverit ad reliquam dimidii lucrorum partem condicendam. Reservatio ista suas exerere vires posset, si revera de societate constare, et omnia ejus lucra æquis per consequens partibus essent dividenda. At non aliud, explosо societatis commento; censequi potest Modernius, nisi id tantum, quod ei obtulit Brighius. Quid autem lucri profectum ex gestis negociationibus sit, non aliunde eruendum, nisi ab ingenua solemnique confessione emissa coram Arbitris, qui ab Ariminensibus Commercii, ac mercatorum judicibus, ipso Modernio urgente, electi fuerant. 4

Cum enim apud hos Arbitros suam rationum redditionem Brighius protulisset, nullus dectectus fuit in hac dispunctione error, nec quoad mercium pretium, nec quoad sumptuum quantitatem, nec denique quoad lucra, quæ ex ipsis promercalibus mercibus obvenerunt. Quod si compositæ ea occasione controversiæ non fuere, id quidem evenit, quia dimidium lucrorum sibi debitum contendebat Modernius; duas vero tantum ex quinque partibus ad oblationis tramites tradere Brighius volebat, prout constat ex monumento literis tradito, quod exotico nomine vocari cæpit = *Processo verbale* = et cui, tum Judices, quam ipsi litigantes, subscripserunt.

5 Duplici ratione Modernii defensores fidem detrahere conabantur huic monumento, quod in acta relatum Tribunalis Arimini publica potiebatur auctoritate, tum quia scilicet judiciales Arbitri commissum munus intra præstitutum terminum non absolverunt: quam etiam quia Brighi procurator novæ Arbitrorum electioni assentitus hoc facto fuerat, ut nimirum pro nihilo haberetur, quidquid coram prioribus Arbitris gestum fuisset. Sed nihil utraque ratione deterius. Praeter enim quod non adhuc terminus ad judicandum præfinitus præterierat, quo tempore de expungendis rationibus apud eos actum fuit; illud etiam accedit, quod etiamsi judicandi jurisdictio Arbitris defecisset, non ideo delenda est partium confessio, quæ nec a potestate Arbitrorum, nec a controversiæ exitu pendebat. Poterat enim jurisdictio corruere, et integra nihilominus manere litigantium confessio; cum explorati juris sit, ab actu quoque nullo atque irrito veritatem alicujus rei scatere, eamque in judicio mercri eamdem auctoritatem, quam baberet, si actus, a quo descendit, adhuc consisteret ad tradita in priori mea *Decis.* § 10. Ad factum procuratoris quod pertinet, recte respondebatur: non fuisse in illius facultate absque peculiari procurationis mandato a Brighio subscripto valedicere judiciariis actis ad illud usque tempus gestis, atque ita non leve mandati præjudicium inferre. Procuratores quippe in committendo possunt mandanti nocere, nisi saltem mandato præditi sint ad actum illum gerendum, ex quo detrimentum in mandantem venit, veluti arguit predicta *Decis.* § 10.

Postquam demum redditionem rationum a Brighio exhibitam Modernius in judicio probavit, perperam in medium adducebatur; extra judicii ritum confecta, ratiocinatoris Puccinelli relatio, cujus hoc maxime fuit studium, ut calculos, antea initos coram Arbitris, immutates ostenderet ex novo computo, quod Brighius ipse protulit, et in quo non nullæ descriptæ reperiebantur partitæ in prioribus calculis omissæ. Constat enim ex judicialibus actis nihil descriptum in primo computo fuisse, vel de lucris ex negociatione olearia, et turcici frumenti obventis, vel de quotidianis tabernæ mercatoriæ, rationibus. Quo circa facile præsumendum, quod in secundo computo tam rationes istæ, quam lucra illa continerentur, quæ diversum prorsus computum constituunt. Caeterum Brighius nuperrime demonstravit inter eos calculos, quoad nomina in utroque deducta, nullam adesse differentiam, ita ut Puccinelli in hac de judicium, sicuti omissioni quarumdam partitarum ab ipsamet Brighio enucleatarum innixium, pro nihilo esse habendum eruebatur. Si quæ alioquin mutationes, ac additiones factæ sunt, ex eis haud destruitur rei substantia, multoque minus emissæ confessionis corruit auctoritas quoad nomina in priori computo descripta, initosque communi placito calculos super expensis, quantitate, ac sumptibus mercium promercalium. Nulla proinde est causa cur rationes coram Arbitris jam expunctæ, et utrinque approbatæ denuo debeant ad trutinam revocari, nec absurdum videri debet, quod definitum sit in editis sacri ordinis sententiis, *constare*, *de societate*, et jus postea factum fuerit Modernio participandi binas ex quinque partibus lu- 6

cri, non in vim societatis, sed ob ublationem a Brighio factam. Sub nomine enim societatis, non vera intelligitur, et propria societas; sed jus tantum assequendi lucra ab ipso Brighio oblata, qui, licet protestaretur = *noi non abbiamo fissota alcuno società* =, ad dirimendas attamen controversia, ac præcipue = *per mostrare la correntezza e l'inclinazione a giovare, e non esser soggetto* o *sentir doglianzo* =, se daturum in eo, in quo hac scribebat, epistolio promisit duas ex quinque partibus utilium. Non decebat ergo in hominem adeo munificum, et liberalem præbere se molestum, ejusvo filios, ac hæredes injustis litibus divexare.

At, ita, relationo habita ad praecedentem Decisionem, judicatum est, VV. una mecum OO. DD. Utraque.

CAESENATEN SOCIETATIS

SUPER CREDITIS

Veneris 27 Aprilis 1827

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Nequit quis iterum rationum redditionem petere, nisi errore ductum se rationes approbasse demonstret.*
2. *Propriae confessioni nemini licet refragari* - Et num. 3. -
4. *Res pro uno actu dumtaxat gesta, nequit ad alios diversos actus, ac effectus traducere.*

DECISIO CCCI.

Quod in Comitiis diei *nonæ* Februarii nuper effluxi probatis Sacri Nostri Ordinis Sententiis, decisum fuit, nullum jus esse Josepho Modernio a societate quam cum defuncto Joanno Brighio initam dicebat, sejungendi duo negocia frumentaria, atque alterum olearium eorumque lucrum sibi uni addicendi; id hodie Patres denuo confirmarunt exhibitæ de more dubii formulæ respondentes = *In Decisis* =.

Punctum omne in hac controversia 1
ferebat libellus a Modernio propositus coram Judicibus Arimini, in quo redditionem rationum de singulis negociis, nullo facto discrimine, a Brighio postulans *tria* illa peculiariter adnotavit, quæ deinde segreganda a communi societate dixit: *primo* scilicet emptionem modiorum *biscentum septuaginto septem* tritici indici cymba Dominici Pelosi transvecti: *secundo* emptionem modiorum *biscentum quinquaginta* frumenti item indici a naviculario Vincentio Candelara exportati: *tertio* denique oleum transmissum navi Vincentii Ventori Ariminonsis. Neque satis Modernio fuit redditionem rationum de negociis omnibus indiscriminatim urgeret sed tria ista negotia, quod plus est, socialia affirmavit, nedum apud Ariminenses Juridices, dum eligi Arbitros petiit anno 1807 ad diem *vigesimom septima* Septembris, verum etiam apud ipsos Arbitros, apud quos, ut constat ex coæva mea *Decisione super Societate* § 5 *et* 6 rationes a Brighio subductas Modernius approbavit, nihil excipions, aut do quantitate mercium, aut de earum protio, aut do lucris demum ex venditione mercium haustis. Postquam igitur negocia cuncta ex societate descendere fassus fuit Modernius, nec restitit exhibitæ rationum redditioni, sed imo lucra omnia ex æquo dividenda maximo propugnavit, absonum a justitia, et jure visum est, ut propria dicta ipse hodie revocaret, nisi saltem errore ductum so rationes approbasse demonstret; quemadmodum, adductis auctoritatum exemplis, animadvertit superior mea *Decis.* § 3. Jam vero, se ea occasione: ot iteratis illis actis haud errasse Modernius fatebatur; sed tantum jura sibi reservasse dicebat quodlibet aliud creditum proponendi: ex quo, invita confessione, contra proprium factum insurgere posse, irrito studio reponebat. Nam illa jurium reservatio respicere poterat, credita, et nomina nondum adducta, dispuncta, approbata. Cum igitur nihil, quod no-

vum sit, nec antea dispunctum, dodie afferat Modernius, firma semper remanent ejus confessio, et factum ineluctabile, ex quo de negociis omnibus, eorumque lucro redditionem rationum ac divisionem ex æquo postulavit.

2 Minus autem licebat propriæ confessioni refragari, postquam oblationem duarum ex quinque partibus lucri non ex jure societatis sed liberalitatem exercendam, et ad removendas controversias a Brighio factam accepto habuit, probavitque Modernius. Ex hoc enim sequitur, oblatione a Brighio emissa: quæ respicit lucra negociorum omnium, eaque a Modernio ratihabitione sua firmata, nil aliud superesse, quod jure petere possit. Porro nil obstat quod duabus ex quinque partibus lucri assentitus fuerit, Modernius, illis clausulis adjectis quæ sarta tecta ejus jura reddebant ad reliquum assequendum; nimirum *senza pregiudizio delle sue ragioni* = Haec siquidem jura, nec quoad tria illa negocia, bina, frumentaria, et alterum olearium, a communi societate sejungenda unquam Modernius probavit, sed factis imo suis futilia, nulliusque momenti esse demonstravit. Caeterum nec ferendum erat, ut Modernius, qui socium contendebat suum Brighium in exiguis, tenuisque lucri negociis, eum rejiceret, et repudiarct quæstuosis in rebus, qualia fuerunt frumentaria, atque olearia negocia, nec præsumendum est, voluisse Brighium quas sponte remittere ex quinque partibus lucri, si animo præconcepisset suo his contentum haud iri Modernius sed ad majora contendere sibi uni addicenda esse lucra trium illarum negociationum propugnantem.

Nec plausum merebat Modernius objicens, sese duas emptiones indici frumenti, ac tertiam olei Brighio significasse, qui eas, scriptis epistolis, reprobavit. Utcumque enim a principio Brighius aversatus fuerit ea negocia, sive quod nimis ampla; sive quod lubrica, ac periculosa visa fuerint; eis tamen, mutato consilio, sese postea accomodavit, ac Modernii precibus cessit, qui, pecunia indigeret ad negociationes illas absolvendas, totis viribus dimovendum ab opinione sua Brighium curavit, ut subsequens ostendit rerum eventus. Unus namque Brighius mercibus recipiendis, custudiendis, vendendis operam dedit: is accepto habebat collybisticas literas; is pecunia sua eas solvebat. Nec ab his discrepabant facta Modernii, qui ad Brighium scribens, quomodo, et a quibus merces comparaverit; quantum pretii rependerit, qui venditores satisfaciendi manerent; quid faciendum de eis esset ad majus compendium, et lucrum consequendum, aut ipsi Brighio, aut ejus filio, qui patris tabernæ addictus erat, diligenter enarrabat. Id vero non fecisset sane Modernius, si negocia illa sua, et propria fuissent, nec enim Brighio communicanda. Denique, quamvis invictis monumentis probaretur dissentitum Brighium fuisse a tribus illis negociis, nec damni, aut lucri participem esse voluisse, postquam tamen antea evenisset de negociis singulis redditionum postulavit, et lucra omnia ex æquo dividi petiit, hoc unum factum judiciale præ oculis habendum est, ad illius tramitos præsens definienda contentio.

Immerito hinc confugiebat Modernius ad testimonium quoddam ejusdem Brighii, ut suo nomine, et causa sese mercatum fuisse *biscentum septuaginta* indici frumenti modios ostenderet. Licet enim hoc testimonio Brighius affirmasset sese vendidisse frumentum indicum = *per conto ed ordine del Signor Giuseppe Moderni*, = animadversione tamen dignum est, adhibitum testimonium illud fuisse in lite quadam coram Anconæ Judicibus acta cum venditore Josepho Maria Maggio Recinetensi, adversus quem noxalis actio instituta fuerat, quia stato tempore triticum non tradiderat. At noluerunt ea occasione, tam Brighius, quam Modernius palam omnibus fecere, quid inter se de illis negociationibus convenissent. Quin imo incivile erat, rebus pro renata usurpatis, ac pro unu actu dumtaxat gestis, ad alios diversos actus, ac effectus eas traducere, quoties e 4

contra ex multis epistolis comprobatum est participem hujusce quoque negociationis Brighium fuisse, et Modernius ipse coram Ariminensibus Judicibus propugnavit se non administri operam, sed socii partes in ea sustinuisse. Nec interest, Brighium pro binis negociis frumentariis, alteroque oleario mercedem postulasse. Id enim fecit, postquam Modernius contendere cæperat commodum, aut incommodum illarum negociationum sibi uni adscribendum esse. Voluit idcirco sibi consulere, si forte causa cecidisset, ne cuncta amittere. Quare nullum sibi præjudicium intulisse Brighium, dum de assequenda a Modernio laboris sui mercede sollicitum se præbuit, ex præmissis omnino patet: adeo ut, si nec hujusmodi probatio ei prodesset, postquam cuncta ex æquo diriberi in judicio, petiit, per consequens descendit, ut de his tribus negociationibus duas ex quinque lucri partes consequi ex oblatione debeat ipse Modernius, reliquum vero Brighio addicendum sit.

Et ita confirmata priori mea Decisione, tota Aula una mecum judicavit. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER PRIMO DUBIO

QUOAD PIGNUS PECUDUM

Veneris 23 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Belluae, fruges, ac instrumenta rustica, quae post rescissum locationis conductionis contractum in latifundio manserunt, data in solutum censeri debent locatori, in satisfactionem distractae dotis et non numeratae pecuniae.

SUMMARIUM

1. *Belluae, fruges ac instrumenta rustica, quae post rescissum locationis conductionis contractum in latifundio manserunt, data in solutum censeri debent locatori in compensationem distractae dotis, et non numeratae pecuniae.*
2. *Quando ingens est conductoris debitum, et ipsius patrimonium in maximis inveniatur angustiis; rescisso ante praestitutum tempus contractu, quidquid in fundo relinquitur, in satisfactionem crediti relictum praesumendum est.*
3. *Non fit locus interpetrationi contractus quando verba in eo contenta sunt clara.*
4. *Ex jure receptum est ut accessiones seu fructus pignoris ad pignorantem, non ad pignoratorium, qui dominio caret pertinere debeant. Si pignus conventionale sit, non autem si praetorium.*
5. *Quando pignus in satisfactionem crediti datum sit, accessiones pignoratarii sunt propriae.*
6. *Quando agitur de interpetratione alicujus epistolii, ea civile est nisi tota perspecta, de eo djudicare.*

DECISIO CCCII.

Ager Fiscalis in regione positus Oppidi Montis Alti, ac vulgo = *Campo-scala* = nuncupatus, quem trigiota circiter ab hinc annis, ita jubente S. M. Pontifice Pio VI. in Emphiteusim acceperat Vincentius Candelorius, jam vita functus, anno 1801 die *vigesima secunda* Maii locatus ab eodem Candelorio emphiteuta fuit ad duodecim annos Salvatori Sensinio, ejusque socio, ac fidejussori Joanni Bottonio, sub annua pensione argenteorum nummorum *octo millium*, præter alia scuta *millia*, ac *centum*, et obulos 93 in causam fructuum traditæ dotis, pecudis, nempe, frugum, instrumentorumque campestrium, aliave scuta *septingento octuaginta tria*, et obulos 50 pro quibusdam aliis fundis, quos Candelorius in eo territorio possidebat, ac in afflctu comprehensis. Sed ære alieno paullo post obruti, tam Sensinius, quam præcipue Bottonius, ob improvidas bonorum, quæ *Nationalia* dicebantur, negotiationes, annuente Candelurio, nuncium conductionis juri miserunt, pollicito etiam, ut dicitur, præmio scutorum *millium* a novis conductoribus Antonio Francisco, aliisque germanis fratribus de Garofolis, quod tamdiu repetendum erat, quamdiu nova hæc locatio

conductio perstitisset. Cum his itaque anno 1802, die *penultima* Decembris, ventum est a Candelorio ad Instrumenti stipulationem, in quo primum contrahentes convenerunt, ut novi conductores, per totum illum annum, ab exeunte mense Septembris inceptum, Bottonio, ac Sensinio subrogati pene in omnibus intelligerentur, si præstandam excipias pensionem, quæ in modiis *quingentum quinquaginta* frumenti, æstimandis scutis *decem* in eorum quemlibet, ac nummis argenteis *quatuor mille quingentum* pro illo anno rustico prælinita fuit: quo tamen absoluto, placuit pacisci, ut nova ad duodecim annos inciperet locatio conductio pro annua pensione modiorum *quingentum quinquaginta* tritici, qui Reverendæ Cameræ tradendi erant in satisfactionem conventi cum Candelorio canonis emphiteutici, ac argenteorum præterea sex *millium* quotannis persolvendorum, alia qualibet rejecta alterius generis moneta.

Cæteris autem missis pactionibus, cautum nominatim fuit, ut novi conductores acciperent latifundii dotem valoris scutorum *viginti millium*, et amplius, eamque restituere in conductionis exitu tenerentur, hypothecæ vinculo pro illius indemnitate interea mancipatis = *tanto i capitali spettanti ai detti Signori Affittuarj, quanto quelli spettanti al detto Sig. Candelori, si esistenti nelle Tenute, che altrove* = Hinc mense Januario insequentis anni 1803, cum traditioni dotis latifundii in belluis multiplici speciei, instrumentis rusticis, ac frugibus, peritis viris adhibitis, opera data fuisset, gemini ex fratribus Garofolis in ima syngraphæ, tunc exaratæ, cera, cui aliorum quoque fratrum nomine subscripserunt, potissimum fassi sunt = *di aver ricevuto dal Sig. Vincenzo Candelori Enfiteuta di Camposcala i sudetti scudi ventiquattromila settecento cinquantacinque moneta fina nei sopra descritti capitali di comun consenso stimati, e periziati per restituirli nei tempi descritti, obbligandoci nella più valida forma della Reverenda Camera Apostolica* = Plures postea, precedente locatione conductione, locum habuere conventiones. Cum enim impares evasissent conductores rependendæ quantitati frumenti in pactum deductæ, die *secunda* Augusti anni 1803 prior obsignata est apocha, in qua licentia iisdem conductoribus facta est, frumentum, in modis 560 pro pensione tradendum eo anno, retinendi ad segetes ampliandos, eoque præsertim, quod integrum, ut legitur in prædicta syngrapha, hic referre necessum est = *Siccome la dote* (ita pactum) *consegnata ai Signori Garofali nell' ingresso dell' affitto venne liquidata in scudi* 24750. 83 *dalla quale dovettero detrarsi scudi* 2260. 95 *per l'estiasione addossata ai Garofoli medesimi degli ordini corrispondenti a simil somma tratti dall' Emo Economo del Patrimonio Bottoni; così si dichiara, che la dote, come sopra, consegnata in scudi* 24750 83 *detratte le Cambiali, ed Ordini sudetti, resta residuata a scudi* 18000 *che unita all' importo della corrisposta a grano in scudi* 7500 *forma il totale della dote nella somma di scudi* 25500.

Quamvis nihilominus ingens hæc scutorum *viginti quinque millium*, ac *quingentum* latifundii dos conductoribus fuerit tradita, adeo deterior interea temporis effecta est eorum conditio, ut alia apocha, ad diem *decimam quartam* Januarii anni 1804 conscripta, plura invicem constituta fuerunt, ut fructuum colligendorum, aliarumque rerum securitati prospiceretur. Sed provida hæc consilia prædire non potuerint extremum fratrum de Garofolis excidium, quibus tandem, ob gravissimum, quo premebantur, æs alienum, rerum suarum administratio interdicta, et Æconomus datus fuit; qui tunc vivebat, Advocatus Hermenegildus Rossettius. Hic vero rescindendum locationis conductionis contractum illico curavit: id, quod a Candelorio obtinuit per novam, quæ tertia fuit, apocham, eodem anno 1804 ad diem *duodecimam* Februarii scriptam, ex qua cautum, ut latifundii locatio conductio, quæ ex stipulatu progredi ad *duodecim* usque annos debebat, exitum suum, novationa facta, sortiretur proximo ejusdem anni

ineunte Septembri. Illud pariter ipsa in Apocha conventum, ut res omnes in latifundio extantes, prævia Agrimensorum æstimatione, eidem Candelorio locatori tribuerentur in satisfactionem cujuslibet crediti, quod adversus conductores experiri posset. Quod si, post æstimationem expletam, quod superesset, quod creditum locatoris excederet, commodo illud cedere conductorum debere expressis verbis statutum in prædicta apocha fuit, firma tamen manente, ad indemnitatem locatori parandam, hypotheca super pecore, ac omnibus latifundii fructibus tam collectis, quam recolligendis. Eadem de causa vetitum conductoribus fuit, ne quid a latifundio sine venia locatoris amovere possent: item arca negotiationis concredita fuit Antonio alteri ex Candelorii filiis, una cum potestate conquirendi, accipiendique sub fænore nummos pro culturæ sumptibus: huic demum onus impositum reddendi rationes, ad exitum vergente Septembri prædicto.

Hæc cum jam expleta fuissent, multæ ex hac contractus recessione prodierunt inter locatorem ac conductores quæstiones, ad quas ex bono, et æquo componendas, mutuo partium consensu, initoque compromisso, deputatus fuit juris, legumque peritus, Sacrique Concistorii Advocatus, Vincentius Bartoluccius, nunc e vivis ereptus. Antequam tamen arbitrio suo hic manus admoveret, duo electi periti viri fuerunt, qui belluas in latifundio existentes, partim locatoris, partim conductorum stygmate notatas, scutis 11241 æstimaverunt. Hac summa deducta a credito dotis latifundii, pensionum insolutarum, ac pecuniæ demum sub fænore, in culturæ causam acceptæ, manifeste patuit, evehi Candelorii creditum ad summam scutorum circiter *sexdecim millium*. Disputari exinde cæperat coram Arbitro de mutuis quæstionibus, cum repente in scenam prodiit Ursula Brunellia, Josephi Garofoli Uxor, eaque anno 1805, mense Junio, sistens coram A. C. Met ex credito dotis, lucri dutalis, ac cujusdam donationis ab Innocentio Sponsi patre peractæ, *manutentionem* super universis patrimonii Garofoli bonis postulavit, obtinuitque ad summam usque scutorum *quindecim millium*. Quatriduo post, æstimatione mobilium omnium, rerumque soli in patrimonio adhuc existentium, confecta, cum compertum fuisset, earum valorem summam scutorum 17616. 36 efficere, traditus in solutum fuit prædictæ Ursulæ, ejusque filiis grex ovium, eodem jubente Judice, qui *manutentionem* antea decreverat. Definiendis interim obortis controversiis operam dare cæperat Judex compromissarius ex quo probe intelligens fratrum de Garofolis Æconomus futurum fore, ut debitores ingentis summæ ipsi renunciarentur, conciliationem totis viribus proponebat, exhibens Candeloriis = *un dieci per cento del loro credito* =, ac dationem in solutum promittens cujusdam nominis = *per un sacco d'ossa, e senza evizione, condonando il tutto a titolo di carità*.

Re tamen infecta, arbitrium, Sententiamque suam die *decima* Decembris anni 1805, Judex compromissarius pronunciavit, *quinque* distinctam Capitibus; quorum *primo* quamlibet rejecit remissionem pensionum a conductoribus petitam: *altero* probavit quidquid anterioribus conventionibus, in Apocam exeuntis Septembris anni 1804 deductis, condonatum a Locatore fuerat eisdem conductoribus: *tertio* dixit Antonium locatoris filium rationem de retenuta negotiationis arca recte reddidisse: *quarto* pecus in latifundium a conductoribus immissum adjudicavit Candelorio in dimissionem partis ejus crediti: *quinto* denique creditum ipsum Candelorii locatoris reliquum constituit in scutis *novem millibus centum septem*, obolisque *quadraginta novem*: non nulla alia ejusdem locatoris nomina partim rejiciens, partim in suspenso relinquens. Hanc Arbitri Sententiam exequutioni committendam anno 1806 ad mensem Junium jussit A. C. Met, qua Judex Supremo imperio fratribus de Garofolis deputatus. Sed contra censuit, sub postrema Gallorum invasione, Aula de Appellationibus jus Romæ dicens, quæ irritam, nullamque Arbitri sententiam de-

claravit. Depulsis deinde Gallis, et jam elata Ursula Josephi Garofoli uxore, quæ *manutentionem*, uti narratum est, in possessione bonorum ad patrimonium Garofolo pertinentium pro suis creditis assequuta fuerat, ejus filii, ad eumdem redeuntes Judicem, authumare cœperunt belluas a conductoribus Garofolis in latifundium immissas, et locatori, rescisso contractu, traditas, non alio jure, nisi pignoris retineri ab eo potuisse: ideo postularunt in vim præcedentis Decreti super *manutentione*, quod in Remjudicatam transierat, eumdem locatorem compelli, aut ad restituendas belluas, aut ad illarum æstimationem, prætiumque repræsentandum.

Annuit huic petitioni præfatus A. C. Mei: aliter vero censuit Sacer Noster Ordo, ad quem, inter cæteras quæstiones, cum ea quoque delata fuisset, quæ pertinet ad Decretum super exequutione Reijudicatæ, proposito Dubio = *An sit locus reportationi, seu exhibitioni capitalium, de quibus agitur, et solutioni fructuum, seu potius an, et in quo summa, tum pro pretio, tum pro fructibus sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, in Comitiis diei 5 Julii anni 1816, utraque parte jura sua deducenda, responsum fuit = *Negative in omnibus* =, teste Decisione, quam publici juris fecit Emus Cesarei, jam emeritus Sacri Nostri Ordinis Decanus, et modo Æsinus Antistes. Anno ante, ad *diem* scilicet *decimam septimam* Maii anni 1815, coram eodem Sacro Tribunali disputatum etiam fuit de viribus sententiæ ab Arbitro prununciatæ, constituta Dubii formula = *An sit locus exequutioni Laudi, ita ut sit relaxandum mandatum, et qua summa in casu etc.* =, quem diremptum, vadimonio a fratribus de Garofolis deserto, fuisse Responso = *Pro Informantibus* =, nimirum = *Affirmative ad primam partem, et mandatum esse relaxandum in scutis* 9107 49 =, docet Decisio tum temporis edita coram eodem Emo Cesarei. Obloquendi venia a fratribus de Garofolis obtenta, in duas partes divisa est quæstio, quarum altera ad nullitatem, altera ad justitiam pertinet Sententiæ, quam Arbiter dixit. Quoad primam itaque, cum quæsitum fuisset = *An constet de nullitate Laudi in casu etc.* =, hæsit semel paria inter suffragia controversiæ definitio, accitisque ad judicandum *Quinto, et Sexto* ex Patribus exhibitæ Dubii formulæ responsum est = *Affirmative* =, veluti patet ex Decisione a tunc Collega nostro, modo vero amplissimo S. R. E. Cardinali Odescalchio die *quinta* Junii anni 1818 evulgata Altera pariter quæstio super justitiam sententiæ Arbitri juxta vota cessit fratrum de Garofolis. Nam Dubii formulæ, quæ his verbis de more proponebatur = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = responderunt Patres Domini = *recedendum a Decisis* =, quemadmodum videre est ex coæva alia Emi Odescalchii Decisione, ad diem *septimam* Junii subsequentis anni confirmata.

Renovatum deinde est jurium periculum in Comitiis, anno 1820, ad diem *decimam quintam* Martii habitis, in quibus comperendinari judicium placuit edito Rescripto = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis cum facultate assumendi Peritos campestrem, et ratiocinatorem, et referendi super omnibus hinc inde deductis; et cum omnibus facultatibus necessoriis, et opportunis* = Postquam vero suam apud acta deduxit relationem Curialis Peritus in id electus Advocatus Aloysius Cecconius, utraque quæstio quoad nullitatem, et justitiam sententiæ Arbitri instaurata est: ac subrogatus ego Emo Odescalchio, secundo Causarum Ponenti, rogavi quoad primam quæstionem Patres proposito de more Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, a quibus Responsum retuli = *In Decisis* =, teste mea Decisione diei 13 Januarii anni superioris. Eodem tempore, iisdemque in Comitiis exhibui Dominis Meis alteram super sententiæ Arbitri justitia Dubii formulam his verbis conceptam = *An sit standum in primo, seu potius in secundo, et tertio loco decisis in casu etc.* =, quæ tandem, post vocatam ad suffragium ferendum totam Aulam, dimissa fuit Responso. = *In ultimo loco decisis, et ad mentem* =, ceu constat ex

alia mea Decisione. Mens autem ista eo respexit, ut Causa deinde progrederetur cum disputatione tot Dubiorum, quot singulis ortis quæstionibus responderent. Ad tramites hinc hujusce mentis Sacri Tribunalis *sex* concinnatæ, juxta Ejus Decretum, coram me fuerunt Dubiorum formulæ, quarum prima spectat *ad pignus pecudum*; altera *ad damnum pecudis:* tertia *ad dotem datam, et restitutam*: quarta *ad remissionem mercedis:* quinta *ad responsiones*: sexta *demum ad redditionem rationum*: Quod pertinet itaque ad primam quæstionem, de qua agit præsens Decisio, cum dirimendam Patribus Meis exhibuissem Dubii formulam quærentem – *An constet de datione in solutum, seu potius de pignore gregis, ita ut, et quomodo sint calculandæ accessiones in casu etc.* – Responsum retuli, quod sequitur – *Affirmative* ad *primam partem*; *negative ad secundam juxta modum in Decisione exprimendum* –.

1 In eo profecto omnis quæstio versatur, utrum scilicet belluæ, fruges, ac instrumenta rustica, quæ post rescissum locationis conductionis contractum in Latifundio manserunt, data in solutum censeri debeant locatori in satisfactionem, *ac compensationem* distractæ Dotis, non numeratæ pensionis, ac æris alieni pro conductoribus in caussam culturæ contracti: an potius *pignoris loco* relicta apud locatorem existimanda sint, adeo ut belluarum accessiones non ejusdem commodo cesserint, sed imo conductoribus sint restituendæ. Verum huic pignoris actioni obstare primum visa est laudata Sacri Nostri Auditorii Decisio coram Emo Cesarei, qua sano contendentibus Ursulæ Brunelliæ filiis, seu ipsis fratribus de Garofolis bellnas, fruges, ac instrumenta campestria, in latifundium illata, loco pignoris apud locatorem relicta fuisse, ideoque restituenda una cum accessionibus esse, re accurate discussa, ex optimis rationum momentis Sacer Ordo definivit, ea omnia, quæ immissa in latifundium fuerant, tamquam distractæ ejusdem latifundii doti suffecta, in illius compensationem omnino cessisse. His positis, cum obiter, ac perfunctorie revocari nequeant Decisiones, obstaculo erit dicta Decisio, donec firma manebit, institutæ pignoris actioni. Cæterum justum prorsus rectumque fuit judicium illud. Certum enim est, initio locationis, conductionis insignem frugum, belluarum, ac campestrum instrumentorum copiam, juxta æstimationem ab electis communi placito peritis viris ineundam, fratribus de Garofolis traditam fuisse; qui in ima cera notulæ ea occasione confectæ declararunt, sese recepisse scuta *viginti quatuor millia septingeatum quinquaginta quinque*, atque obolos *octoginta tres* – *nei sopradescritti Capitali di comun consenso stimati* –, interposito sub vinculo fiscalis obligationis pacto, cuncta statis temporibus in locationis conductionis exitu restituendi.

Idipsum conceptis verbis promiserunt conductores publicis in tabulis antea celebratis, in quibus, cum incertum adhuc esset, ad quam usque summam perventura foret dos latifundii propediem æstimanda, generatim dictum fuit, ad scuta plusquam *viginti millia* dotem ipsam evehi, quam restituturos se fore contrahentes dixerunt – *nel modo, e colla stima che sarà fatta nella prossima consegna* – Pars utique gregis, ad æs alienum luendum, quo premebatur Bottonius, alter ex præcedentibus conductoribus, distracta fuit: at æque compertum est, modios *quingentum, ac quinquaginta* frumenti, quæ in causam pensionis rependenda erant, in augmento dotis latifundii collatos fuisse, adeo ut in peculiari syngrapha cui tunc temporis subscripsere conductores, declaratum præ cæteris fuerit – *che la Dote consegnata in Scudi* 24755 83, *detratte le Cambiali, ed ordini eudetti resta residuata a scudi* 18000, *che unita all'importo della corrisposta a grano in scudi* 7500 *forma il totale della dote in scudi* 25500 –. In eadem autem syngrapha; in qua traditæ latifundii dotis quantitas constituta fuit, denuo conductores spoponderunt – *di mantenerla immancabilmente maggiore, e non minore di scudi trentamila sino alla restituzione* 2

della medesima = Ingens ergo erat conductorum debitum, quod, et ipse agnoscens patrimonii curator ideo proponebat in maximis ejusdem patrimonii augustiis = *un dieci per cento* =, Candelorios rogans, ut reliquum condonarent, ac conductoribus remitterent = *a titolo di Carità* =. Qua de re præsumendum minime est, rescisso ante præstitutum terminum contractu, recipere Candelorios voluisse gregem loco pignoris non autem in satisfactionem Crediti, quod adversus conductores experiebantur.

3 Valent hæc quidem, suasque exerunt vires quoad belluas, quæ gignere fructus poterant. Restitutæ namque fruges, ac instrumenta rustica, conductione defecta, res evaserunt steriles, et infecundæ, quæ profecto, aut loco pignoris, aut in solutum traditæ Candeloriis fuerint, aptæ certe non erant ad pariendas accessiones. Sed ad ipsas quod spectat belluas, nova occurrunt argumenta ex contrahentium voluntate deducta, quæ ad evidentiam ostendunt, non loco pignoris, sed in solutum traditas locatori belluas fuisse. Omne siquidem fert punctum apocha diei *decimæ secundæ* Februarii anni 1804 qua convenit, ut exeunte Septembri illius anni, exitum suum haberet locatio conductio: ut rursus pecus omne, instrumenta fundi, segetes demum æstimarentur. ut cuncta commodo cederent Candelorii locatoris, non quidem pignoris loco, sed in satisfactionem crediti; quo adversus conductores locator ipse pollebat. Interprete porro non indiget illius Apochæ litera, in qua eloquio dissertissimo cautum extat, quod = *i capitali così stimati dovranno intieramente con tutto ciò, che esisteva nei fondi, sia in bestiami, sia in genere di granaglia, e di dispensa, di qualunque specie, consegnarsi al Signor Candelori, o a chi per esso in compenso non solo dei capitali somministrati dalla Casa Candelori a titolo di Dote, ed aumento della medesima, ma ben' anche per qualunque debito del Signor Garofali di risposta, di Cambiali, e di qualunque altro, che avesse contratto colla sudetta Casa Candelori, e sotto la di lei garanzia* = Additum prælerea legitur, quod si post dotem, ejusque auctarium restitutum, post solutas pensiones, post satisfactas collybi literas, aliquid superesset, tradi conductoribus deberet, firmis interim sequestro, et peculiari hypotheca erga locatorem.

Huic apochæ adstipulatur epistolium 4
a Candelorio ad curatorem patrimonii fratrum de Garofalis scriptum, ubi, ad tramites præcedentis conventionis, tertio quoque verbo declaratur, ea omnia, quæ in latifundio continebantur, instrumenta, scilicet, belluas, segetes tradendas locatori esse = *la restituzione di quello che fu nel principio dell'affitto consegnato al Signor Garofolo* = Atqui, si convertantur oculi ad relationem judiciarii cognitoris creditores erant in locationis conductionis exitu Candelorii in scutis *tresdecim millibus biscentum quinque*, et obulis *septuaginta quinque*, a quibus, si æstimatio detrahatur belluarum, frugum, ac instrumentorum fundi, quæ tradita eis fuerunt ad vim usque scutorum *novem millium biscentum novem*, et obolorum *octoginta*, semper tamen firmum manet eorum Creditum in scutis 3995 94., ut calculanti patet. Ex quo illud etiam sequitur, ut etiamsi dicendum esset, belluas jure pignoris Candelorium retinuisse, nullæ nihilosecius fratrum Garofalo favore supputandæ sunt accessiones. In jure quidem receptum generatim est, ut successiones, seu fructus pignoris ad pignorantem, non ad pignoratarium, qui dominio caret, pertinere debeant, Sed fallit regula, si pignus *prætorium* a pignore *conventionali* distinguamus. In illo, quod ab imperio Judicis profluens indolem mutare non potest, semper accessiones pignoranti sunt reservandæ. Secus in altero, quod, si debitum adæquet pignorantis, ac præcipue si spes luitionis deficiat, dationis in solutum vices assumit, aut in illam resolvitur, ideoque creditor, non tamquam pignoratarius, sed tamquam dominus, fructus, et accessiones pignoris acquirit, et facit suos. *Leotard. de usur. quæst.* 12 *num.*

1., *Samniat cantrov.* 75 *num.* 25 *Merlin. dc pignar. lib.* 5. *tit.* 1. *quœst.* 45 *num.* 73., *Ansald. de Cammere. disc.* 71 *num.* 10 *Valent. de contract. tat.* 34. *n.* 40., *Zanch. de prælat. ered. Exerc.* 3. §. 8 *num.* 10 *Rot. in Rec. dec.* 46 *num.* 7 *part.* 6., *Dec.* 228 *num.* 3 *et* 4 *part.* 18, *et dec.* 202 *n.* 5. *cor. Molines.*

5 Figmentum ergo est, armentum stetisse loco pignoris, quod in dominium imo transit locatoris. Quin obsit, Curialem Peritum Creditores deinde fecisse fratres de Garofolis in summa scutorum circiter *decem millium* ex causa accessianum armenti. Hoc enim creditum falso innititur supposito, quod armentum loco pignaris relictum fuerit penes lacatarem, non autem in satisfactionem cesserit ejus crediti. Cum igitur ex demonstratis corruat jactatum armenti pignus, per consequens corruunt etiam illius accessiones, et creditum ab eis descendens. Acerbitati vero proximum esset, si excogitata a Garofal is pignoris hypothesis obtineret, Armentum dedit locator, quod frugiferum erat: recissa item cantractu restituenda erat dos latifundii, aut subroganda erant tot capita in locum deficientium, ex quibus fructus locatori redirent. Absordum ergo, ac intollerabile videtur, ut creditum locatoris sterile maneat, et e canversa fructus ex fructibus tribuendi sint Canductoribus, ut hac speciosa metodo jacturam faciat locatar, et ranductores, qui pacta, datamque fregerunt fidem, cum aliena jactura locupletentur: quod sane ab omni juris disciplina devium est. Si vero inter belluas, quas Candelorius accepit, nannullæ aderant stygmate conductarum signatæ hæ quidem juris ministeria censendæ sunt in locum deficientium subrogatæ, perinde ac si nulla unquam mutatio intercessisset *Leg. Grege* 13 *ff. de pign. et hypothec.*; *Gratian. discept. forens. cap.* 897 *num.* 17., *Ansald. de Commere. disc.* 83 *num.* 28, *Rot. in Rec. decis.* 566. *num.* 8 *part.* 4 *tom.* 1., *cor. Ratto dec.* 136 *num.* 4 *et dec.* 132. *num.* 6 *et* 7 *cor. Rezzonico.* Idque fortius attenta pactione in Apocham incuntis Augusti anni 1803 relata, ex qua non servare dumtaxat, sed augere latifundii dotem, conductares sese devinxerunt.

Hisce perculsi Oratares fratrum de Garofalis confugiebant ad particulas quasdam prædicti epistolii, ac quodammodo lubentes in iis verbis, quæ inibi occurrunt, videlicet = *in aria di temperamento* = *infino a tanto che saranno discusse le questiani innanzi l'Arbitro, e saranna appurati i vicendevali conti di dare* ed *avere* =, ex illis arguebant retineri a locatore belluas, aliasque res, nonnisi quam jure pignoris patuisse = *At incivile est, nisi tata lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita judicare, vel respandere* = *ut, ait Celsus in leg. Incivile* 24 *ff. de legibus.* Jam vero, ut supra animadversum est, duas habebant partes, tam apocha anni 1804 ad diem 12 Februarii scripta, quam subsequens Candelorii epistolium. In prima parte conventum fuit, ut belluæ, fruges, instrumenta fundi in solutum locatori pro suis creditis cederentur. In altera cautum, ut si quid, inita æstimatione, superesset, quod creditum locatoris excederet, id restituendum esset conductaribus, firma interim hypotheca erga ipsum lacatorem. Cangrua itaque cangruis referendo, nema nan intelligit, particulas illas ad hanc posteriorem partem referri, ne secus sibi cantradixisse controhentes dicendum sit. Ut autem secundaria hæc pactio religiose servetur, voluerunt Patres Mei, ut, si in exitu controversiæ, ac post definitionem aliarum quæstionem, de quibus in futuris Comitiis disputandum erit, omnibus deductis de jure deducendis, pateat creditores adhuc superesse fratres de Garofolis, pro quantitate hujusce crediti, quod oriri fortasse poterit, supputandæ sint eorum favore accessiones. Atque hinc est modus in præsenti Decisione explicandus. 6

Etita Videntibus una mecum OO.DD. jus redditum est, Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER SECUNDO DUBIO

QUOAD DAMNUM PECUDIS

Veneris 23 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Agenti pro refectione damnorum, onus incumbit invictis probationibus evincendi, tum illati damni existentiam; tum etiam damnum ex culpa, factoque illius evenisse, qui convenitur.

SUMMARIUM

1. *Agens pro refectione damnorum duo probare debet; quod damnum existat; quod obvenerit culpa et facto partis adversae.*
2. *Qui sua incuria et negligentia damnum dedit, ad damni sarcitionem tenetur.*
3. *Qui obligationem servandi, et custodiendi rem suscepit, tenetur de damnis, donec rem apud se remaneat.*
4. *Datio in solutum nihil obest refectioni damnorum.*
5. *Non sunt coangustandae probationes, ex quibus ostendi possit minoris aestimari damnum.*

DECISIO CCCIII.

In Apocha, anno 1804. die *duodecima* Februarii conscripta, in qua, veluti latius narrat altera mea hujusce diei Decisio *Quoad pignus pecudum*, inter Candelorium locatorem, et fratres de Garofolis conductores actum est de rescindendo ante tempus contractu locationis conductionis latifundi = *Camposcala* =, illud præ cæteris convenit, ut grex ovium a conductoribus in latifundium immissis, ac cum locatoris grege commitus, in solutum ei pro suis creditis cederetur, ex adjecta lege, ut, si post initam belluarum æstimationem constaret, creditum locatoris ei esse inferius, id omne, quod reliquum esset, restitui conductoribus deberet. Aestivo autem adventante tempore, cum juxta morem traducendæ foret oves ad montanas regiones, quamvis primum maxime restiterint fratres de Garofolis, deinde tamen ultro siverunt, ut uterque grex ad pascua immitteretur, quæ sibi ad proprium pecus alendum Candelorius in agro Tipherni quæsiverat. At, redeunte autumno, quo tempore solent oves e montibus in campos planos reduci, Candelorius, qui antea totis viribus contenderat, gregem unum ab altero non esse secernendum, sed utrumque immitti in pascuum a se jam destinatum oportere, nedum prohibuit, ne conductorum grex depastum rediret in latifundium, verum etiam quodcumque aliud pascuum comparare neglexit ad gregem illum nutriendum, qui in Oppido *Valentani* manens, ob inopiam pascui non leve detrimentum accepit. Hinc alia excitata est quæstio de damno pecudis, quod periti viri, a fratribus de Garofolis marte proprio deputati, in scutis *mille quingentum octoginta uno*, atque obolis *quadraginta* præfinierunt. Cum autem declarata judicio Sacri Nostri Ordinis fuisset nullitas Sententiæ, quam Judex compromissarius pronunciavit, itemque jussum, ut mutuæ quæstiones dest ctis dubiis definiendæ exinde proponeretur, peculiarem quoad damnum pecudis concinnandam Dubii formulam fratres de Garofolis cursrunt in hæc verba = *An, et in qua summa constet de damno pecudis, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui hodie responsum est = *Affirmative in summa liquidanda* =.

Utcumque agenti pro refectione da- 2
mnorum onus incumbat invictis probationibus evincendi, tum illati damni existentiam; tum etiam damnum ex culpa, factoque illius evenisse, qui convenitur, ad tradita per *Cyriac. contrav. For.* 688. *num.* 75., *Menoch. de præsumpt. lib.* 5. *præf.* 3. *num.* 137. *Rot. cor. Buratto decis.* 5. *num.* 11., *in Imolen. reparationis Aggerum* 22. *Februarii* 1741. §. 13. *cor. Millino*, *in Ravennaten. Refectionis Damnorum* 6. *Aprilis* 1753. §. 6. *cor. Elephantutio*, *in Romana, seu Portuen. Damnorum* 14. *Maii* 1784. §. 4. *cor. De Bayane*, *et in Romana, seu Prænestina super emendatione damnorum* 13. *Junii* 1803. §. 3. *cor. Emo Bussia*; hæc duo tamen extrema sd ultimam fere evidentiam ab actoribus probata fuerunt. Et primum illa-

ta gregi damna fuisse, ipsa suadet rei natura, semel ac compertum est, nonnullis diebus huc illuc sine certo pascuo gregem errasse, eumque deinde traductum in pabulum Oppidi *Valentani*, fuisse, quod impar omnino erat gregi saturando. Damni existentiam, nec Judex compromissarius nec Curialis Peritus denegarunt, qui non alia de causa illud reficiendum a Candeloriis non esse dixerunt, nisi quia per errorem rati sunt, ab eorum facto, et culpa damnum ipsum haud provenisse. Ejusdem damni existentiam ipse, quo plus est, agnovit fundi locator Vincentius Candelorius, quippe qui assentiri visus est, ut denuo a viro *peritiore* illatum gregi damnum æstimaretur. Quibus ita se habentibus, ineptum esset de existentia damni, vel a longe dubitare. Hinc hoc unum superest inquirendum, an revera damnum ex facto provenerit, culpaque locatoris.

2 Hoc verum extremum æque probatum est, inspecta litera Apochæ anno 1804. ad diem *decimam secundam* Februarii scriptæ, inqua, in solutum accipiens Candelorius belluas, fruges, instrumenta fundi, promisit, si quid, æstimatione earum rerum absoluta, ejusque credito satisfacto, superfuisset, id traditurum se fore conductoribus, firma interim manente hypotheca, ac sequestro super iisdem rebus, ad indemnitatem locatori parandam = *Oltre questa speciale ipoteca* (ita se habet præfata apocha) *espressamente si conviene, che tanto i capitali, che i prodotti, che in qualunque modo possano appartenere ai Signori Garofoli, debbano rimanere sotto sequestro fino al convenuto termine del prossimo Settembre, e fino alla estinzione di tutto il debito, che avranno contratto colla Casa Candelori: in conseguenza di che non potrà rimuoversi dai detti beni alcuno dei sudetti capitali, e prodotti, nè farsene alcun contratto* = Si itaque Candelorii custodes erant, ac sequestrarii gregis opportuna pascua ei comparare debebant, eamque in eo servando diligentiam adhibere, quam adhibuissent in rebus suis. Quocirca, si ex eorum incuria, et negligentia factum est, ut in pessum iret grex, ac plures belluæ deperierint, ipsi solum ad totius damni, quod evenit, sarcitionem omnino teneri ex puriori exploratum est juris censura. *Leg. Si putatur* 31. *ff. ad leg. Aquil.*, *leg. si merces* 35. *ff. locati*, *Leg. in duobus* 52. §. *Quidam sagariam ff. pro socio Gratian. Discept. forens.* 333. *num.* 33., *Bonet. de Sambonel. de animal. cap.* 24. *num.* 82., *Rot. in Rec. decis.* 403. *num.* 7. *et seq. part.* 16.

Hæc obligatio, qua Candelorii premebantur incolumem, quantum saltem in eis erat, servandi gregem, ex eo etiam eruitur, quod ipsi contra vota fratrum de Garofolis voluerunt, ut idem grex, æstivo advento tempore, pastum propelleretur in agrum Tipherni una cum proprio grege. At ea occasione pluribus epistolis, ad curatorem patrimonii Garofoli scriptis, sese omnem adhibituros esse curam spoponderunt, ut integer servaretur grex, parati cæteroquin sarcire damnum, si quod gregi ex eorum culpa obvenisset. Neque reponendum est, obligationem istam servandi gregis cohibitam dumtaxat fuisse ad tempus, quo in montanis pascuis belluæ reperirentur. Deest enim prædictis epistolis hæc conditio, quæ imo verbis generalibus conceptæ sunt, quæque, si deficerent etiam, maneret semper apocha anni 1804., ex qua obligationem istam servandi, custodiendique gregi sibi Candelorii susceperunt eo usque retinendam, donec de integro eorum credito satisfierent, firma interim hypotheca super ipso grege, aliisque rebus latifundii dotem constituentibus. At, si hypothecæ nexui obnoxia ex stipulatu manebat, ad indemnem a quolibet damno reddendum locatorem, dos latifundii, et sane omnia curare debebant Candelorii, sine quibus hypotheca servari non poterat, idest providere, sedulo que prospicere, ne quid ex deficientibus herbis grex ille detrimenti caperet. 3

Noxali huic actioni, quam comprobandam Patres censuerunt refragari non poterat alia mea hujusce diei Decisio, qua constitutum est, latifundii dotem, scilicet gregem, segretes instrumenta 4

rustica, non loco pignoris, sed in solutum ex eadem apocha anni 1804. data locatori fuisse. Nam, illato gregi damno, decrevit ejus æstimatio cum maxima fratrum de Garofolis jactura, quorum intererat, ut ex eodem grege in solutum locatori dato ejus creditum, plusquam fieri posset, dimitteretur. Quantum proinde decrevit gregis æstimatio, tantum auctum est debitum fratrum de Garofolis, quod ex grege ipso dissolvendum ex pacto erat. Datio itaque in solutum nihil obest refectioni damni, ad quam effugiendam perperam Candelorii subdebant, ea de causa se gregem deseruisse, quia tradendus erat Ursulæ Brunelliæ Josephi Garofoli uxori, prout jusserat Judex A. C. met. Quidquid enim illius Judicis Decreto sancitum fuerit, haud sane revincitur exequutioni commissum illud fuisse, ac gregem Ursulæ traditum. Contrarium imo apparet ex actibus omnibus, qui intercesserunt inter Candelorios, ac curatorem patrimonii fratrum de Garofolis, quique initi punctim fuerunt, ut prædiretur traditio gregis fœminæ illi ex Decreto Judicis explenda. Denique cavere etiam Candelorii debebant, ne damna gregi obvenirent, uti revera obvenerunt, antequam grex ipse Josephi uxori pro suis juribus dotalibus traderetur. Si damnum ergo illatum est, nihil magis juri congruum, quam quod ab eo reficiatur, qui illius auctor fuit.

5 Ad æstimationem vero hujusce damni quod pertinet, defensores fratrum de Garofolis ajebant, jamdiu per peritos viros constitutam fuisse summam hoc nomine rependendam in scutis *mille quingentum octoginta uno*, obolisque *quadraginta*, eamque retinendam maxime esse duplici ratione, tum quia scilicet post tanti temporis spatium, et grege ipso deficiente, impossibile est ad novam trutinam revocare æstimationem illati damni; tum etiam quia imputandum est locatoris facto, si magis legitima damni probatio in præsens haberi nequeat. Verum non erat Candeloriis coangustandæ probationes, ex quibus ostendi possit, minoris æstimari damnum gregi illatum, quam æstimatum fuerit a peritis viris extra ullum judicii ritum a fratribus de Garofolis electis, et ab eorum nutu pendentibus, quos revera errasse in illa summa præfinienda ipsi fassi facto suo fuerunt iidem fratres, qui de peritiore eligendo cum Candeloris egerunt. An vero peritior iste electus revera fuerit, ac relationem suam ediderit, latet omnino. Propterea Sacer Ordo, dum illati damni actionem in genere comprobavit, ne litigantium juribus præjudicium inferret, illius æstimationem haud præfinivit, ac Rescripto adjiciens clausulam *in summa liquidanda*, recte voluit, ut deinde illati damni æstimatio ad liquidum perducatur.

Et ita omnes Domini una mecum judicarunt. Utroque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER TERTIO DUBIO

QUOAD DOTEM

Lunae 26 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Ubi conventio intercesserit, quod aut certa res, aut certum pretium praestari deberet, invito debitore non potest in locum rei, pretium peti.

SUMMARIUM

1. *Prudentis judicis est omnia ad justi rectique normam dirimere, et ideo quaestiones sedulo ad examen revocandae.*
2. *Quando pactum sit ut aut certa res, vel certum pretium praestetur, non potest ultra pactum conventum, pretium peti.*
3. *Cum res sit de computo, ratio habenda est de partitis solumodo, quae nullam patiuntur exceptionem.*
4. *In venditione, lucrum aut jactura, adscribenda est ei, cujus nomine venditur.*

   Non possunt damna admitti, si compensata fuerint. - ibidem. -
5. *Si pro damnis ratio habita est, non possunt denuo damna peti, quia bona fides non patitur ut bis idem exigatur.*
6. *Partitae quae respiciunt proprias obligationes non possunt habere locum in computum contra tertios.*

DECISIO CCCIV.

Fusius narratum est in prima mea Decisione *quoad pignus pecudum*, superioribus evulgata Comitiis, in Instrumentitabulis, exeunte Decembri anni 1802 initis, conventum fuisse, ut deberent ducto initio locationis conductionis latifundii = *Camposcala* = a die *vigesima nona* Septembris illius anni, conductores Garofuli a locatore Candelorio accipere dotem, quæ valorem excedet scutorum *viginti millium*. Insequenti anno ad diem *decimam quartam* Januarii, tradita fuit Garofolis prædictis dus latifundii, quam ipsi a Candelorio recepisse declararunt ad vim usque scutorum *viginti quatuor millium septuaginta quinquaginta quinque*, et obolorum *octoginta trium*. Cum tamen nunnulla pecudum capita conductores distraxissent aes alienum locatoris luendum, quod ex pacto dimittendum susceperant; nova hinc apocha, die *secunda* Augusti anni 1803 stipulata, cautum fuit ut modia *quingentum quinguaginta* tritici, pensionis nomine eo anno a conductoribus rependenda, in augmentum cederent dotis latifundii, et ad distractas pecudes supplendas, earumque numerum absolvendum. At in exitu conductionis non integram acceptam dotem conductores, ac locatorem quæstionibus accessit ea etiam, quæ Dotem datam, ac restitutam respicit, quæque judicio Sacri Ordinis pariter proposita, sub Dubii formula = *An et in qua quantitate constet de consignatione, et restitutione dotis, ita ut et in qua summa, et contra quem sit relaxandum mandatum in casu etc.* = definita fuit Responso = *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum, et mandatum esse relaxandum contra fratres Garafolo in summa scut.* 3574 26.

1 Facile esset ab hac quæstione acceptæ, ac restitutæ dotis extricari, relatione amplexa judiciarii cognitoris, qui factis legitimis detractionibus, reliqnum fecit locatoris creditum in causam dotis latifundii, aliorumque nominum in scutis 3995 94. Hoc enim Curialis periti judicium, et ipsi acceptum habuerunt Candelorii, ut multis istis controversiis finis aliquis imponatur. Quoniam vero prudentis est Judicis omnia ad justi, rectique normam dirimere, ac definire, ideo ad examen sedulo revocanda est hac quoque quæstio dotis acceptæ, ac restitutæ, ut cognoscatur quis ex litigantibus, an locator, an conductores, debitor hoc nomine supersit. Qua in re præ oculis habendæ sunt, tum Apoca diei *decimae quarte* Januarii, tum alia apoca diei *secundæ* Augusti anni 1803. Constat ex priori Apoca, debitores in causam acceptæ dotis sese renunciasse fratres Garofoli scutis *viginti quatuor millibus septingentum quindecim*, et obulis *octoginta tribus* = *nei sopra descritti capitali di comun consenso stimati, e periziati per restituirli nei tempi descritti obbligandoci nella più ampla forma della Reverenda Camera Apostolica* = Constat rursus ex altera Apocha, huic doti deinde adjecta fuisse modia *quingentum quadraginta* frumenti, scutis *decem* æstimata in singula modia, quæ summam efficiunt scutorum *quinque millium quingentum* et quæ addita duti jam acceptæ eam augent ad vim usque scutorum *triginta millium biscentum quindecim*: et obulorum *octoginta trium*. Hæc est itaque vera summa, cujus debitores sunt fratres Garofoli conductores in causam acceptæ dotis.

Neque ulla ratio subest, cur ea modia *quingentum quinquaginta* tritici pluris æstimanda sint, quam scutis *decem* in singula modia, porru si ita æstimata utriusque partis consensu ea occasione fuerunt modia illa *quingentum quinquaginta* frumenti a conductoribus præstanda, et quantitati dotis adjecta; si rursus in facultate conductorum erat, vel frumentum pensitare, vel ejus æstimationem in scutis decem pro quolibet modio numerare; contra jus, et æquitatem esset ob conductorum ad prætium, vel rem exhibendam impotentiam, pluris frumentum æstimare, ejusque valorem in scutis *decem et octo* pro quolibet modo constituere: quod sane idem esset ac immodicas usuras 2

pro imperitia conductoribus dilatione condicere, salva interim potestate ad libitum, et quotiescumque, repetendi caput. Cedere igitur debent ea modia *quingentum quinquaginta* tritici in augmentum, et actuarium dotis latifundii: Sed cedant oportet pro pretio, uti pacto convenit, argenteorum *quinque millium quingentum*, quæ addita jam acceptæ doti, vim attingunt scutorum *triginta millium biscentum quindecim*, et obulorum *octoginta trium* a quibus quid detrahendom sit, ut liquidum conductorum debitum constituatur, nunc superest expendendum.

3 Et primo sane ab hac summa deducenda sunt scuta *bismillia* quæ conductores locatori repræsentarunt. Detrahenda item scuta *biscentum*, jussu Candelorii, a conductoribus soluta Sensinio, qui antea ex conducto latifundiorum retinuerat. Expungenda pariter scuta *bismillia sexcentum sexaginta*, atque obuli *nonaginta unus* in causam debiti, quod persolvendum cuidam Cataldio sibi susceperant conductores ex pacto in tabulis interposito, veluti etiam innuit apocha die *secunda* Augusti anni 1803 conscripta; tollenda demum alia scuta *termille nongentum nonaginta duo* in causam pecuniæ, quam de mandato locatoris fratres de Garofolis numeraverant Bottonio, qui fidejussor, ac socios fuerat Sensini in anteacta locatione condnctione latifundii. Omnes istæ partitæ, quæ nullam patiebantur exceptionem, et ab ipsis Candeloriis baud denegabantur, ad vim assurgunt scutorum *octomillium octingentum quinquaginta duorum* ac obulorum *nonaginta unius*, quæ detracta a debito receptæ dotis reliquum illud facit in scutis 21362 92., ut calcalanti patebit, Cætera namque, quæ a conductoribus subducenda proponebantur, erant prorsus inepta, nec imminuere poterant eorum debitum.

4 Reque vera inutiliter querebantur fratres Garofoli multum detractum fuisse veteri pecudum aestimationi, qoia earum pars divendita fuit admittenda nomina Candelorii locatoris. Quemadmodum onim, si qnod lucrum ex venditione illa factum fuisset, adscribendum eis esset, ita quoque adscribendum eis est aliqua, si adfuit, jactura. Cæterum illud etiam animadvertendum erat, ex pacto in Instrumenti tabulis apposito convenisse, ut quædam locatoris nomina dimitti a conductoribus deberent qui si, præsenti pecunia destituti, ad implendam pactorum fidem coacti fuerunt partem gregis distrahero, eorum damno esse hæc venditio debet. Postquam nomina locatoris dimissuros se fore promiserunt fratres de Garofolis, non tam aliena, quam propria nomina dimittebant. Nulla ergo compensatio ex hoc capite conductoribus competebat. Sed æque inepto objiciebatur gregem æstimatum fuisse exeunte Septembri, quo tempore plus valet ac traditum medio pene Januario, quo temporo animalia macrescunt, eorumque decrescit æstimatio. Nedum siquidom hand ostendebant fratres Garofoli deteriorem evasisse gregem ad traditionis tempus, sed nihil ipsi profecissent, et si probatum id fecissent. Segestes namque pecudes; instrumenta fundi, et si quae alia fuerunt, recepturos se fore spoponderunt conductores juxta æstimationem tres ante menses expletam: quod sane facere eos noluisse præsumendum est, si prævidere potuisset, brevi temporis intervallo aliquid detrahi posse pecudum æstimationi. Qnod si, sæviente hyeme ac sub Jove frigido, emacruerunt pecudes; ac imminutus est earum valor, creverant vicissim autumnales partus, ex quibus compensatum quodlibet damnum existimandum est.

Constabat denique ex peritorum hominum judicio, non semper hiberno tempore decrescere pecndum valorem. 5
ac non raro accidere, ut pluris tunc æstimentur, quam autumno. Nec ratio habenda est, aut de fructibus pecudum divenditarum, aut de asinis, qui intercedente æstimationis, ac traditionis tempore perierunt. Redit enim animadversio distractas fuisse pecodes pro dimittendis nominibus, quæ sibi susceperant conductores, quæque consideranda erant, uti propria conductorum

postquam eorum *accollationi* assentiti, fuerant. Redit rursus imminutionem, omnem, aut augmentum; quod eventurum fuisset intestitio illa, ab aestimatione pecudis ad illius traditionem intercedente, commodo, aut damno conductorum cedere ex stipulatu debuisse. Post haec, duo alia manebant a conductoribus objecta credita. *Primum* pro sepibus, quae ad traditionis diem combustae fuerant repertae: *alterum* pro cibariis in scutis 1334 50, quae conductores a se soluta contendebant cuidam Blasio pistori quamvis ad Candelorium locatorem hoc onus pertineret. Verum quoad saepes, etsi damnum passos fuisse conductores in propatulo esset, habita tamen de hoc damno ratio fuit in ipsa consignatione, in qua scuta *quatuorcentum* detracta fuere = *per mancanze ritrovate nelle forme fratte, e sterpature* = Si ergo justam compensationem asequuti conductores fuerunt, eam denuo proponere incivile, et contra bonam fidem est, quae non patitur, ut bis idem exigatur. *Leg. Bona fides* 58. *ff. de reg. jur.*

6 Quoad cibaria autem Blasio pistori soluta, oneri ea fuisse conductorum Garofoli, non autem locatoris, patens est. Quidquid enim pistori debeat Candelorius, pro cibariis praestitis, ante conductionem cum fratribus de Garofolis initam satis factum fuisse ab eodem Candelorio, professi ipsi fratres de Garofolis fuerunt; Hi vero nihil frumenti habebant in horreis Montis Alti, unde prospicere possent alimoniae colonorum, agrique cultorum. Si ergo praefatam summam scutorum 1334 50 pistori Blasio solverunt, ea solvisse pro cibariis a se receptis dicendum omnino est, quibus positis, cum ex demonstratis acceptae dotis debitum ad scuta 11362 92 perveniat, videndum est, quid restituerint fratres Garofoli in exitu conductionis. Atqui Curialis Peritus, a nemine hac in re reprehensus, reddidisse ostendit Conductores in causam dotis latifundii scuta 17788 66. Deducta igitur hac summa a debito acceptae dotis, evidens fit debitores manere fratres Garofoli in scutis 3574 26 pro quibus tribuendum esse Candeloriis mandatum Patres duxerunt. Atque hic erat *modus* in Decisione mea exprimendus, tum quoad, utrinque propositas, partitas, quas excipiendas existimavit Sacer Ordo tum quoad alias quas rejiciendas censuit.

Atque una cum meo suffragio omnes Domini ita judicarunt. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER QUARTO DUBIO

QUOAD

REMISSIONEM MERCEDIS

Lunae 26 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Ad obtinendam mercedis remissionem, haud satis est probare unius, vel alterius anni sterilitatem, sed totum spectandum est contractus tempus: quia facile potest unius, vel duorum annorum sterilitas cum aliorum ubertate compensari.

SUMMARIUM

1. *Remissio mercedis non competit, nisi quando ultra dimiditam justae pensionis laesio probetur.*

   Defalcum competit quando portio rei locatae defecit. Defectus autem debet esse talis ut intollerabile damnum conductori afferat = ibidem. =

   In contractibus ad longum tempus sterilitas unius anni non est causa sufficiens ad petendam responsionis diminutionem - ibid. -
2. *Damnum quod sua culpa quisque sentit, sibi uni, non aliis imputare debet.*
3. *Post dissolutam conductionem non competit remissio mercedis.*
4. *Gratia Principis habet effectum de eo tempore quo fuit obtenta*
5. *Falsi calculi in judicio nullam probationem faciunt.*

DECISIO CCCV.

In publicis tabulis locationis conductionis latifundii = *Camposcala* = in qui-

bus pensionis nomine sese quotannis soluturos promiserunt fratres de Garofolis nummos argenteos *sexmille*, præter modia *quinquaginta* supra *quingentum* tritici, nominatim conventum fuit, ut fidatum locatoribus Candeloriis esset diminutionem aliquam annui Canonis obtinere a Pontificio Fisco, ad quem *directum* illius fundi dominium pertinet, hæc cedere in beneficium, et commodum eorumdem conductorum deberet. Accidit revera, quod Candelorii anno 1806 inducere potuerunt Pontificium Fiscum ad expungenda modia *centum octuaginta* frumenti ab annuo canone, qui antea in modiis *quingentum et quinquaginta* rependebatur. Hæc vero canonis imminutio ansam præbuit conductoribus petendi remissionem mercedis, de qua turbas multas excitarunt coram Arbitro, ubi ipsi Candelorii, ad sedandas quæstiones ultro, ac sponte in remissionis causam obtulerunt argentea *bismillia*. Eadem disputatio renovata est coram Perito Curiali, qui conductoribus favendum existimavit. Secus tamen Sacro Nostro Ordini visum est, qui, cum, inter cæteras controversias ejus judicio commissas, rogatus quoque fuisset = *An sit locus remissioni mercedis in casu etc.* =
1 hanc quæstionem diremit edito Responso = *Negative*, *detractis scutis bismille*.

Discrimen facto inter remissionem mercedis, et detractionem, seu defalcum, evidens apprime est, neutrum conductoribus ex jure competere. Non quidem remissio mercedis, quia patere dumtaxat ei locus potest, quando adest (de quo nulla afferebatur probatio) læsio ultra dimidiam justæ pensionis partem ex jure communi, atque ultra partem tertiam ex Urbis statuto, quod contractus tempore adhuc in honore erat. Non item detractio, seu *defalcum*, quia tuoc illud jure reposcitur cum constet aliquam rei locatæ portionem defecisse. Ut autem detractio competat, non quicumque rei locatæ defectus sufficit; sed hujusmodi requiritur defectus, qui intollerabile conductori damnum afferat, cujus nimirum causa, demptis oneribus, ne tot quidem fructus excgerit, quod dimidium conventæ pensionis attingant, juxta receptam Bartholi theoricam *in leg. Licet* 8 *de locat.*, *et conduct.*, *et in leg. si merces* § *Vis major ff locat.*, *quam sequuntur Menoch. cons.* 669 *n.* 11. *Gratian. discept. forens.* 534 *num.* 39 *Zanch. de læsione part.* 1 *cap.* 8 *num.* 179 *in Romana Affictuum, et Defalchi* 14 *Maii* 1751 § 15 *cor. Vicecomite*, *in Avenionen.*, *seu Auriacen. Affictuum* 4 *Julii* 1743 § 8 *cor. Elephantutio*, *in Romana seu Albanen. Locationis super Defalco* 20 *Aprilis* 1804 § 7 *cor. Strasoldo*, *et in Tyburtina Pecuniaria* 22 *Julii* 1832 § 10 *cor. Emo Serlupi*. At vero non modo probant, sed ne asserere quidem audebant fratres de Garofolis rei locatæ partem defecisse, vel infortunium aliquod contigisse, ex quo ne fructus quidem colligere potuerint, qui dimidium pensionis æquarent. Et si imo tempestatem aliquam sterilem fuisse revinceretur, hoc in consideratione habendum in eo contractu non esset, qui non ad biennium, vel triennium sed ad longum tempus, ad duodecim nimirum annos initus fuit.

Scitum quippe est haud quaquam in hoc casu satis esse probationem qua 2
unius, vel alterius anni sterilitas demonstretur, sed totum spectandum est contractus tempus: cum ex celebri *Papiniani* doctrina *in leg. si uno anno* 17 *ff locati* annorum fertilium cum sterilibus compensationi locus pateat, quia facile potest unius, vel duorum annorum sterilitas cum aliorum ubertate compensari. *Cap. propter sterilitatem* § *de locato*, *leg. Cicero* 8. *Cod. locati*, *Pacion. de locat. cap.* 47 *num.* 76 *Rocc. disput. jur. select. cap.* 120 *num.* 5. *Ansald. de Commerc. et Mercat. disc.* 96 *num.* 3 *Zanch. de Læsion part.* 2 *cap.* 7 *num.* 137 *Rot. cor. Molines decis.* 423 *num.* 10, *decis.* 14 *num.* 4, *et seq. cor. Tanara*, *et in cit. Avenonien.*, *seu Auriacen. Affictuum* 4 *Julii* 1753 § 8 *cor. Elephantutio*. Nec quidquam huic juris dispositioni detrahit, quod locationis conductionis contractus, non

ad annos duodecim, prout fuerat ab initio constitutum, processerit, sed ante tempus fuerit rescissus, vix nimirum elapso biennio. Id enim, non ex locatoris facto, aut culpa ' sed ex ipsa conductorum voluntate provenisse compertum est, qui, cum nec pares, nec idonei essent huic negotiationi, necessitate coacti valedicere conductionis juri debuerunt. Damnum autem, quod sua quisque culpa sentit sibi uni debet, non aliis imputare. *Cap.* 86 *de Reg. jur. in* 6. *Rot. decis.* 535 *num.* 21 *part.* 19 *et decis.* 68 *num.* 33 *cor. Ansaldo.*

At conductorum defensores, vesti-
3 gia prementes Curialis Periti, qui mercedis remissionem utcumque ex jure rejecerit, ex pacto tamen approbavit, tum huic pacto, tum subsequutæ Canonis remissioni quam Candelorii a Rev. Camera consequuti fuerunt, maximopere insistebant. Quamvis tamen pacto convenerit ut, si qua remissio Canonis a Candeloriis obtineri potuisset, uti revera obtinuerunt, in utilitatem conductorum converti deberet, nullam tamen mercedis remissionem eis competere, manifestum est. Non competit enim remissio mercedis, quia remissio Canonis concessa fuit emphiteutis post dissolutam conductionem, eo nimirum tempore, quo fratres de Garofolis jam latifundium dimiserant. Non competit rursus, quia diversas ob causas, quam ob agri sterilitatem, Candelorii canonis remissionem impetrarunt. Nec in calculo habenda sunt verba quædam precibus adjecta, quas Candelorii S. M. Pontifici Pio VII supplices obtulerunt, ubi Canonis remissio ex causa quoque sterilitatis agri reposcebatur. Ad obtinendam quippe remissionem Mercedis, non hæc vaga, et incerta verba, quæ aliis destituta præsidiis plus ad captandum concedentis animum, quam ad veritatem et serio emissa præsumuntur; sed invictæ, legitimæque probationes afferendæ sunt, ex quibus revera constet de agri sterilitate, et messibus infaustis. Si quæ imo fuit conditione jactura, ea quidem non agri naturæ, non Cæli inclementiæ, sed culpæ, et socordiæ conductorum tribuenda est. Quos culturam descruisse, multis comprobatur testimoniis fide dignissimis. At agere nequit conductor ad remissionem pensionis, nisi luculenter ostendat, se omni culpa vacare, fundique culturam statis temporibus curasse, ejusque conditionem deteriorem factu suo non fecisse. *Leg. Si merces § Conductor ff locat., et conduct. Bonet. de Sambonet. de animad. cap.* 57. *numer.* 32. *tom.* 2. *Pacion. de locat. cap.* 46 *numer.* 78.

Cum autem Canonis imminutio ab 4
una voluntate, ac beneficentia Clementissimi Principis processerit, non est certe gratia protrahenda ad tempus præteritum, ut in unum vergat conductorum compendium, nihilque pro illis annis prosit Candeloriis, quibus unice voluit eamdem gratiam Pontifex Optimus Maximus impertiri. Quod si annis 1803, 1804, 1805 integri Canones remissi Candeloriis fuerunt, id quidem non alia de causa evenit, nisi ut ipsis Candeloriis partim satisfieret de ingenti, quod adversus Pontificium Fiscum experiebantur, scutorum *quinquaginta quinque millium* credito. Neque igitur imminutio Canonis a modiis *quingentum quinquaginta* ad modia *tercentum septuaginta* tantum tritici in singulos annos; neque integra ejusdem Canonis remissio pro prædictis annis obtenta, juvare poterat fratres de Garofolis ad mercedis remissionem postulandam: qui cæteroquin tantum abest, brevi duorum annorum spatio, damnum passos in conductione fuisse, ut imo præmium argenteorum nummorum *Millium* prioribus conductoribus polliceri non dubitaverint, tamdiu præstandum, quamdiu perstitisset nova locatio conductio a se cum Candeloriis stipulanda, Annua vero pensio, quam pro bonis sibi locatis soluturos se fore promiserunt fratres de Garofolis paullo auctior est illis, quam rependebat Bottonius, ac Sensinius priores Conductores, congruitque contractui, quem iniit Alexandrinius, alter fundi conductor, qui bona retinuit pari conditione absque ul-

la prorsus querela, vel animo obtinendi pensionis remissionem.

5 Rescisso deinde contractu, ipsi Candelorii fundi culturam cœrsrunt, ob eoque lucrum quolibet anno recepisse scutorum circiter *novem millium*, ex eorum libris, et codicibus constat. Et si vero fides habenda hisce codicibus haud esset, nullo tamen in pretio haberi poterant calculi, quos fratres Garofoli subducebant. Insilit porro in oculos error, cum pro asinorum pastu insumpsisse quotannis asserant scuta *bis centum*, et amplius fœni, et pro equis, ac bobus scuta plusquam *termillia*, dum e converso nulla fit mentio de herbis, ac fæno in latifundio recollectis. Nihil rursus vini penitus in introitu, quando e contra in exitu refertur non levis ad excolendas Vineas imponsa. Perperam autem do annua pensione scutorum *sex millium* in numerata pecunia fratres Garofoli querebantur, quam conventam fuisse dicebant, habita tantum ratione ad latifundi dotem, quæ pluria æstimata fuit, quam reapse valeret. Nam pensio annua scutorum *sex millium* in numerata pecunia depacta fuit, non solum pro latifundii aliorumque fundorum conductione. Nec interest dotem Latifundii longe pluries fuisse æstimatam: id enim factum patet pro solo restitutionis effectu. Si ergo in coæva mea Decisione super restitutione Dotis latifundii, illius æstimatio reducta fuit ad qualitatem, et justum pretium, nihil detrimenti conductores acceperunt ex aucta æstimatione. His animadversis, repudiata mercedis remissione, scuta tantum *bismille* detrahenda ab ea duxerunt Patres, non alia freti ratione, nisi spontanea liberalitate locatorum, qui huic summæ remissionis nomine, conductoribus condonandæ sese paratos exhibuerunt coram arbitro, ut germen controversiarum reciderent.

Et ita, Universa Aula una mecum suffragium ferente, decisum est, Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER PRIMO DUBIO

QUOAD PIGNUS PECUDUM

Lunae 11. *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCII. -

SUMMARIUM

1. *Quidquid Conductor Morosus reliquit in fundo locato post rescissionem contractus non pignoris, sed solutionis titulo reliquisse censendum est* - Et num. 5. -
2. *Idque habet locum etiam quando relictae sunt res quae fructus pariant.*
3. *Quando dos latifundii debet restitui, facienda est restitutio ad formam contractus.*
4. *Qui aliquid accipere debet in sui crediti satisfactionem, is non in causam pignoris, sed in causam acquirendi dominii praesumitur accepisse* - Num. 5. vid. N. 1. -
6. *Qui certum constituit terminum ad rem aliquam agendam, taxative semper praesumitur constituisse.*
7. *Fructus pignoris pignoranti, non pignoratario, qui dominio caret, acquiruntur.*
8. *In pignore conventionali, creditor non tamquam pignoratarius, sed tamquam Dominus, fructus et accessiones pignoris, sibi vindicat, et acquirit* - Et num. 9. -

DECISIO CCCVI.

Stipulatio, solemni Instrumento firmata anno 1802 die *penultima* Decembris, cujus ope fiscalem agrum = *Camposcala* =, in regione Monti Alti jacentem, Vincentius Candelorius, ejusdem fundi emphiteuta, locavit Antonio, Francisco aliisque germanis fratribus de Garofolis, multis causam præbit quæstionibus, ad quas ex bono, et æquo dirimendas concordi animo sese contrahentes permiserunt arbitrio defuncti Jurisconsulti, Sacrique Concistorii Advocati, Vincentii Bartolucci, qui propositis disputationibus, sententiam ferens pluribus distinctam capitibus, revera, paucis parvi momenti quæstionibus prætermissis, satisfecit. Sed irri-

tam itemque injustam, quia nullam, hanc Judicis compromissarii sententiam renunciavit Sacer Ordo, binis potissimum Decisionibus, quas ego suffectus amplissimo S. R. E. Cardinali Odescalchio, Jam causarum Ponenti, publici juris feci anno superiore, ad diem *decima tertiam, ac vigesimam* Jannarii, alteram nempe quoad nullitatem, alteram quoad Laudi justitiam qua postrema demandatum fuit, ut de singulis controversiis ex locatione conductione ortis, totidem rogationes deinde proponerentur. Sex itaque Dubiorum formulas a me subscribi partes curarunt, quarum *prior* de pignore pecudum agit: altera de damno pecudis: *tertia* de dote Latifundii: *quarta* de mercedis remissione: *quinta* de responsionibus: *ultima* demum de redditione rationum. Quod ad pignus pecudum pertinet, in quo vertitur præsens Decisio, quæsitum fuit in Comitiis habitis die *vigesima tertia* Martii hujus anni, utrum pecus fratruum de Garofolis reapse datum fuerit in solutum, an vero loco pignoris extiterit penes Alexandrum, Antonium, alosque fratres Candelorios interim defuncti Vincentii filios. Censuit autem universa Aula, meo quoque accedente suffragio, constare de datione in solutum juxta modum, qui in decisione mea ita panditus est, ut nimirum si forte in exitu litium pateat, creditores adhuc superesse fratres de Garofolis, pro quantitate hujus crediti supputandæ sint eorum favore accessiones. Adeo vero juri, ac justitiæ consonam hanc Decisionem Patres Domini invenerunt, ut, cum de ejus viribus, ex Pontificiæ Delegationis lege, disputatum hodie fuerit, probandam eam duxerint Responso = *In Decisis.* =

1 Quod denuo definitum est, belluas, fruges, ac instrumenta rustica, quae post resoissum ante tempus locationis conductionis contractum in latifundio manserunt, non pignoris loco tradita, sed in solutum locatori data in satisfactionem debiti conductorum erga ipsum censenda esse, id quidem præjudicatum jam fuerat Sacri Ordinis Decisione in *Romana super exequutione Rejudicatae* 5 *Julii* 1806 *coram Emo Cesarei*, quae inter ipsos Candelorios ac fratres de Garofolis prodiit. Recolendum enim in facto est insurrexisse anno 1805 mense Junio Ursulam Brunelliam quae nupserat Josepho, alteri ex fratribus Garofoli, an coram Judice A. C. Mot credita proposuisse suæ Dotis, lucrique dotalis, ac cujusdam denique donationis ad Innocentio, sponsi patre, emissae, quorum causa *manutentionem* imploravit super omnibus patrimonii Garofoli bonis, quam usque ad scuta *quindecim millia* assequuta fuit. Recolendum pariter, elata Ursula, cjus filios reditum ab eumdem Judicem fecisse, et magnis animi autbumasse belluas a Conductoribus Garofolis in latifundium immissas, et locatori, resoluto contractu, traditas, non alio jure, nisi pignoris, retineri ab eo potuisse qui ideo compellendus erat ad eas una cum accessionibus restituendas, vel ad earum pretium repræsentandum. Recolendum tandem huic petitioni Sententia sua Judicem annuisse, quam tamen prædicta Decisione *super executione* Reijudicatæ Sacrum Tribunal infirmavit. Ab hac Decisione novi ineundi periculi veniam nunquam impetrandam fratres Garofoli curarunt, quæ sane, quousque firma manebit, obstaculo erit, quominus pignoris loco traditas fuisse belluas, et alia fundi instrumenta dici valeat. Nil siquidem antiquius, quam quod Sacri Ordinis Decisiones, super uno, eodemque juris articulo editæ, supponendæ sint, neque obiter revocandæ, nisi potestas fiat earum disquirendi justitiam *Rot. decis.* 109 *n.* 11., *et dec.* 129 *num.* 1 *cor. Ansaldo.*

Delirio hinc proximum, aut certe incivile erat contendere, aliud omnino, longeque ad aliud Decisionem illam adstruere, quam quod datum locatori fuerit pecus in solutum. Non modo quippe ejus contextus, et tota ratiocinatio eo tendit, ut probet, de datione in solutum actum fuisse, sed ipsa præterea, quæ definienda proponebatur, Dubii formula idipsum ad evidentiam suadet. Quod si dationem in solutum quoad 2

viva tantum capita probavit, quæ defectis subrogata fuerunt, id accidit, quia de ea tantum parte tunc in judicio quærebatur. Facto autem locatori jure nova capita viva illis subrogandi, quæ perierant, ex identitate rationis jus compensationis super tritico, et rustici instrumentis inductum censendum est. Ad repellendos tamen ausus fratrum de Garofolis, non extrinseca tantum pugnant argumenta, sed intrinseca quoque, et invicta quidem confluunt rationum momenta ad ostendendum, non pignus, sed dationem in solutum fuisse initam, dum, post locationem conductionem cummuni placito ante tempus rescissam, pecus, segetes, et instrumenta fundi tradita locatori morum. In primis, sive de pignore, sive de datione insolutum agatur, id nullius momenti est quoad fruges, et instrumenta rustica, qoæ sane, veluti durante conductione, ita, ea quoque rescissa, res steriles, et in faecundæ manserunt ac pariendis accessionibus omnino impares. Tota hinc quæstio ad pecus cohibetur, quod lacte, lana, et fæturis gignere fructus poterat. Verum pecus etiam in solutum datum fuisse ipsa juris præsumptio suadet.

3 In publicis porro tabulis conductionis, cum adhuc contrahentes lateret, ad quam usque summam eveheturdos latifundii, propediem a peritis viris æstimanda, generatim illius valorum præfinierunt in scutis plusquam *viginti millibus*, ac ad eam in conductionis exitu restituendam esse fratres de Garofolis devinxerunt = *nel modo, e colla stima, che sarà fatta nella prossima stagione* = Traditione, et æstimatione dotis latifundii dein absoluta, notula confecta fuit frugum, pecudis, ac instrumentorum campestrium, cui subscribentes conductores, sese recepisse professi fuerunt scuta *viginta quatuor millia septingentum quinquaginta, atque obulos octoginta tres* = *nei sopradescritti capitali di comun consenso stimati* =; iterumque sub vinculo fiscalis obligationis cuncta ad exitum locationis conductionis sese restituturos fore promiserunt. Non quidem dubium, quin postea pars gregis divendita fuerit, ut ex ejus pretio quædam nomina dimitterentur, præsertim Joannis Bottonii, qui antea latifundium conductionis jure cum Sensinio retinuerat: Sed certum æque est, modia *quingentum quinquaginta* tritici, quæ a conductoribus rependenda erant pro pensione prioris anni conductionis, ex pacto, et ex locatoris liberalitate in augmentum dotis ita cessisse, ut in peculiari syngrapha, quæ pro re nata inita fuit, præ cæteris constitutum fuerit =*che la dote consegnata in sc.*24755 83 *detratte le cambiali, ed ordini sudetti, resta residuata a scudi* 1800, *che unita all'importo della corrisposta a grano in scudi* 7500 *forma il totale della dote in sc.* 25500.

Hic vero observandum est, in hac syngrapha, in qua valor dotis latifundii præfinitus fuit, tertio spopondisse conductores = *di mantenerla immancabilmente maggiore, e non minore di scudi* 30000. *sino alla restituzione della medesima*. Ingenti igitur erga locatorem debito laborabant fratres Garofoli, quorum Æconomus, jam resoluto ante tempus contractu, in maximis patrimonii angustiis, ut rem aliquo modo componeret, obtulit Candelorio = *Un dieci per cento* = eum rogans, ut reliquum conductoribus remitteret = *a titolo di carità* =. Juris præsumptioni contrarium pruinde est, quod voluerit locator gregem loco pignoris, non autem in sui crediti satisfactionem accipere, et ita suum impone jactari contra regulam, de qua loquitur *Textus in Cap. Quia verisimile de præsumpt., et in lege cum de indebito ff. de probat.* Controversiam tamen omnem e medio tollit apocha diei *decimae secundae* Februarii anni 1804 in qua, cum multa cauta fuissent tam quoad rescissionem locationis conductionis ante tempus, executo nempe Septembri illius anni, faciendam, quam quoad dotis latifundii novam æstimationem, tum illud convenit, ut dos ipsa Candelorio locatori cedenda esset, non quidem jure pignoris, sed in satisfactionem crediti, quod adversus conductores experiebatur = *I capitali cosi sti mati*(ita apocha) *dovranno intiera-* 4

mente con tutto ciò, ch'esisteva nei fondi sia in bestiame sia in genere di granaglia, e di dispensa di qualunque specie, consegnarsi al Signor Candelori, o a chi per esso in compenso non solo dei capitali dalla casa Candelori a titolo di dote ed umento della medesima, ma ben anche per qualunque debito del Signor Garofolo di risposta, di Cambiali, e di qualunque altro, che avesse contratto colla sudetta casa Candelori, e sotto la di lei garanzia =.

5 Si autem, dote, et auctario restitutis, ac solutis pensionibus, et collybi literis, aliquid superesset, tunc placuit contrahentibus constituere, ut conductoribus traderetur, firmis tamen interim sequestro, ac peculiari hypotheca erga locatorem. Sic enim prædicta apocha prosequitur = *Qualora poi si riconoscesse, dietro la stima esservi un'avanzo, debba il medesimo Candelori questo liberamente passarlo a disposizione dei suddetti Signori Garofolo, ferma però rimanendo da ora fino al tempo di questa consegna l'ipoteca speciale a favore della Casa Candelori sù tutti i Bestiame, e prodotti tanto presenti, che futuri* = Adeo clara est, ac perspicua hujusce conventionis litera, ut ex ea nemo non intelligat, dationem insolutum in genere fuisse constitutam, et de pignore tunc tantum cogitatum, quoties aliquid, post satisfactum locatoris creditum, reliquum esset, ut arguit præterita mea Decis. § 10. Vim initæ conventioni detrahere conabantur, qui pro Garofolis causam dicebant longa oratione contendentes dationem in solutum in futurum tempus, ad exitum nempe Septembris anni 1804., fuisse conventam: pecudis ideo dominium in locatorem non transiisse: epocham exeuntis Septembris non *taxative* veluti ajunt, sed *demonstrative*, tantum adjectam apochæ fuisse, ut scilicet demonstraretur, dationem in solutum, postquam ad liquidum perductum conductorum debitum fuisset, ineundam esse. Cum autem ad liquidum perductum nunquam fuerit conductorum debitum, sed ad id absolvendem electus fuerit Judex compromissarius, hinc concludebant, dationem in solutum nunquam habuisse locum, et pignoris causam firmam jugiter perstitisse.

At hæc omnia, invita prorsus, ac 6
reluctante litera conventionis, opponebantur. Si enim, exeunte Septembri, id omne, quod extabat in agro, locatori consignandum erat in compensationem, et satisfactionem dotis augmenti, et cujuslibet crediti, ab eo sane tempore rerum illarum dominium adeptus fuit locator, quin expectandus esset exitus *liquidationis*. Qui aliquid profecto accipere debet in sui crediti satisfactionem, is non in causam pignoris, de quo cæteroquin nullum in conventione excidit verbum, sed in causam acquirendi dominii debet accipere. Qui insuper certum, ac præfinitum constituit terminum ad rem aliquam agendam, is, *non demonstrative* sed *taxative* constituit: quod sane tanto magis in re præsenti factum existimandum est, quia Judex compromissarius, non ad debitum fratrum de Garofolis ad liquidum perducendum, sed ad dirimendas dumtaxat controversias ex locatione conductione ortas deputatus fuit. Verum, si dubia adhuc esset litera conventionis, quae ex præmissis talis certe non est, melius eam explicat epistolium, quod Candelorius scripsit patrimonii fratrum de Garofolis curatoris, in quo ad tramites præcedentis apochæ, iterum confirmatur, instrumenta omnia, segetes, ac belluas in latifundio extantes locatori tradendas esse = *in restituzione di quello, che fu nel principio dell'affitto consegnato ai Signori Garofolo* = Quin rem turbent ea verba, quæ in præfato leguntur epistolio, scilicet = *in aria di temperamento fino a tanto che saranno discusse le questioni innanzi l'Arbitro, e saranno appurati i vicendevoli conti di dare, ed avere* =; aeque alia hujus generi, quibus maxime, sed perperam, deliciabantur fratruum Garofoli defensores.

Uti namque superius animadversum 7
est, duas partes tinebant, tam apocham diei *decimae secundae* Februarii anni 1804 quam subsequens Candelorii epi-

stolium, in quarum prima conventum fuit, ut pecus, fruges, et instrumentum fundi in solutum pro suis creditis locator haberet, in altera autem additum, ut, si quid post initam æstimationem superesset, quod creditum locatoris excederet, id conductoribus restitui deberet. Cum itaque, tota conventiona perspecta, judicandum sit, et congrua congruis referri oporteat, palam fit, particulas illas ad eam conventionem, at epistolii partem pertinere, in quo aliquid, æstimationa facta, et creditor locatoris dimisso, pro conductoribus supersit. Longe tamen est, quod aliquid, ære alieno deducto, de dote latifundii superfuerit. Nam, ut multis probat judiciarii cognitoris relatio, Sacri Ordinis jussu confecta, creditores erant ad exitum locationis conductionis Candelorii in scutis *tresdecim millibus biscentum quinque*, a quibus, si valor pecudis, frugum, ac campestrium instrumentorum detrahatur, quæ reddita eis fuerunt, scutis *novem biscentum novem*, atque obulis *octoginta* æstimata, firmum semper remanet eorum creditum in scutis 3995 94. Quo posito, illud etiam consequitur nullas deberi Garofolis accessiones, etiamsi per falsissimam hypothesim diceretur de pignore actum fuisse, quamvis in genere exploratum in jure sit, fructus pignoris pignoranti, non pignoratario, qui dominio caret, acquiri.

8 Generalis haec enim regula fallit, si de *conventionali*, non de *prætorio* pignore res sit, in quo postremo, quod ab uno pendet Judicis imperio, nec naturam mutare potest, accessiones ad pignorantem semper pertinent. Diversa res est in pignora *conventionali*, quod si debitum pignorantis adæquet, ac si præcipue spes deficiat Luitionis, cum tali casu vices suppleat dationis in solutum aut in eam resolvatur, ideo creditor, non tamquam pignoratarius, sed tamquam dominus, fructus, et accessiones pignoris sibi vindicat, et acquirit, volnti probat, adductis auctoritatum exemplis, superior, quæ confirmatur mea Decis. § 11. Neque secus statuit *Cardinalis de Luca*, cujus auctoritate abutebantur defensores fratrum Garofolis, qui imo in *Tract. de Usur. Disc.* 10 *num.* 4., *et seqq.* tunc tantum dationem in solutum respuit, cum ex concepta litera conventionis constet, de pignore actum fuisse. In præsenti vero casu tantum abest, quod de pignore meminerint contrahentes, ut de eo nec verbum, nec vola occurrat in apoca anni 1804, in qua e contra de uno compensationis, et restitutionis titulo, qui dationis æquipollet in solutum, mentio facta fuit. Ineptum autem erat ex æstimatione dotis latifundii mense Septembris peracta dationem in solutum rejicere. Æstimatio siquidem et traditio ad ipsam apocham anni 1804, et subsequens Candelorii epistolium refertur. Cum igitur ambigi nequeat, quin juxta apocam, et epistolium pecus tradendum esset in compensationem crediti locatoris, neque illud ambigendum est, quin et ipsa æstimatio, et traditio in compensationem ejusdem crediti peracta fuerint. Jam enim aestimatio, quam traditio necessarium veluti consequens initæ conventionis, et epistolii fuerunt.

Quæ cum ita se habeant, nullius pe- 9
nis erat relatio judiciarii cognitoris in ea parte, in qua creditores scutorum circiter *decem millium* fratres de Garofolis renunciavit in causam accessionum pecudis. Creditum namque istud a jure pignoris pendet, quo pecus retinuisse Candelorios Curialis Peritus censuit. Si igitur, non de pignore, sed de datione in solutum in præsens constat ex demonstratis, corruit illico creditum fratrum de Garofolis, et in debitum imo convertitur, quod ipse Curialis Peritus, ut supra expensum est, antequam de pignore loqueretur, in scutis 3995 94 constituit. Haec vero constitutio dationis in solutum, potius quam pignoris, cum æquitate maxime cohæret, in omnibus observanda. Ab æquitate siquidem devium est, ut Garofoli, quia datam violarunt fidem, et rescissionis contractus causam præbuerunt, tantum propria culpa, atque obscitantia compenditum referant cum maximo locatorum detrimento, qui pacta fideliter

implevere, qui armentum frugiferum conductoribus dederunt. Si autem inter belluas locaturi traditas nonnullae recensebantur stygmate conductorum signatæ, hæc quidem juris ministerio ita censendæ sunt deficientibus subrogatæ, perinde ac si eædem essent belluæ locatoris, ut moneta prior mea Decis. § 12. Ex his omnibus superiorem Decisionem merito probarunt, una cum modo ibi adjecto Patres, in quo demandatum fuit, ut, si in exitu litis, et post diremptas cæteras controversias, forte pateat alicujus summæ creditores adhuc superesse fratres de Garofolis, pro quantitate hujusce crediti supputandæ sint eorum favore accessiones.

Et ita, VV. OO. DD., et utraque parte dimicante, definitum est.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER SECUNDO DUBIO QUOAD DAMNUM PECUDIS

Lunae 11 *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCIII. -

SUMMARIUM

1. In actione damni, duo probanda. Existentia damnorum, et quod facto, et culpa eorum contra quos actio intentata est; damnum veniat.

2. Qui custodiam rei alienae retinet sic obligatur, uti in suis rebus se gereret diligens Pater familias, alias dolum, et culpam praestare tenetur.

3. Ad sarcitionem damni tenentur, qui rem traditam non curarunt.

4. Nullius momenti rationes non possunt actionem damnorum delere.

5. Datio in solutum nil nocet actioni damnorum.

6. Extrajudiciales peritiae nullius sunt ponderis si de errore et injustitia incusentur.

DECISIO CCCVII.

Ob damnum, quod pertulit grex fratrum de Garofo lis propter inopiam pabulis, disputatum fuit in Comitiis dici vigesimæ tertiæ Martii hujus anni, utrum fratres Candelorii ad refectionem cogendi essent, responsumque fuit, constare de damno in summa ad liquidum perducenda, ut videre est ex Decisione, quam tunc temporis edidi. Hodie vero, ad tramites Pontificiæ Delegationis, quæ controversias omnes inter eosdem Candelorios, ac fratres de Garofolis excitatas Universæ Aulæ commisit præviis duabus Decisionibus dirimendas, renovato periculo, Patres *In Decisis* perstiterunt.

Ad justitiam hujusce Rescripti evin- 1
cendam oportet originem iostitutæ hujusce noxalis actionis exponere. In sæpios memorata apocha diei *duodecimæ* Februarii anni 1804, in qua de rescindendo ante tempus contractu locationis conductionis longe, lateque patentis latifundii = *Camposcala* =, quod ab emphiteuta Candelorio fratres Garofoli conduxerant, præcæteris cautum extat; ut gregem ovium a conductoribus in latifundium immissum, ac cum locatoris grege commixtum, in solutum pro suis creditis sibi retineret ipse locator, qui tamen teneretur, quod reliquum esset post initam æstimationem, et propria credita dimissa, conductoribus restituere. Æstivo adventante tempore, quamvis totis viribus curaverit Candelorius, ut uterque grex ad montanas regiones de more traduceretur, proximo tamen autumno, quo tempore solent oves in campos planos reduci, idem Candelorios, nedum prohibuit, ne conductorum grex depastum rediret in latifundium, sed aliud quodcumque pascuum parare neglexit ad gregem illum nutriendum, qui tenues, malasque herbas depascens agrorum Oppidi *Valentani*, partim ob inopiam pabuli periit, et partim decrevit, et deterioris conditionis evasit. Hæc causa fuit, cur damnorum querelam adversus Candelorios excitaverint fratres Garofoli, qui justissime agunt, dum extrema probant hujusce actionis, damni nempe existentiam, et culpam eorum, contra quos actionem damnorum exercent.

Missis etiam opilionum depositioni- 2
bus, qui curam gregis habebant, et in

subjecta specie de damno testabantur, revera illata damna eidem gregi fuisse naturalia ipsa ratio suadet. Ambigi enim nequit, quin nonnullo tempore huc illuc grex erraverit sine certo pascuo, donec tandem ad pabula traductus fuit Oppidi *Valentani*, quæ haud paria erant gregi saturando. Hoc posito, extenuari gregem, impotem fieri fructui gignendo, quandoque etiam perire recte docuit *Bonet. de Sambonet, de Animalibus cap.* 24 *num.* 82. Præterea nec Arbiter, nec Curialis Peritus damni existentiam unquam denegarunt. Si hi autem de damno æstimando sollicitos sese minime præbuerunt, id accidit, quia primus putavit, ad hanc rem non protrahi jurisdictionem suam; alter vero per errorem censuit a Candeloriis facto, et culpa damnum ipsum haud provenisse. Quod autem plus est, ipse Candelorius annovit detrimentum gregi illatum, quippe qui, non modo nunquam sese objecit Garofolis damnum illico reclamantibus; sed imo ultro assentitus est, ut a viro peritiore damna rursus æstimarentur, prout ex adverso asseritur. Cum ergo cuncta hæc confluant ad probandam damnorum existentiam; tum illud quoque compertum est, his damnis, culpa factoque suo causam præbuisse Candelorios. Principio quisque creditor hoc ipso, quod retinet debitoris rem, eidem creditori non adhuc absolute, ac in totum addictam, ita ut partim penes eum loco pignoris stare possit, ad illius custodiam sic obligatur, uti in suis rebus se gereret diligens pater familias, alias dolum, et culpam præstare tenetur. *Leg. si cum venderet* 13 § *Venit*, *et leg. Ea igitur* 14 *ff. de pignorat. act.*

3 Ab ipsa vero apocha anni 1804 obligatio scatet, qua devincebantur Candelorii curandi, ne pecus damnum acciperet. In ea enim, in solutum defunctus Vincentius Candelorius accipiens pecus, fruges, et instrumenta fundi, conceptis verbis promisit, si quid superesset, æstimatione absoluta, suoque credito dimisso, id omne se fore conductoribus traditurum, salva interim, ad indemnitatem sibi parandam, hypotheca, et sequestro super integro grege = *Oltre questa speciale ipoteca*, (sic conventum in Apocha), *espressamente si conviene, che tanto i Capitali, che i prodotti, che in qualunque modo possono appartenere ai Sig. Garofoli debbano rimanere sotto sequestro fino al convenuto termine del prossimo Settembre, e fino all'estinzione di tutto il debito, che avranno contratto colla casa Candelori: in conseguenza di che non potrà rimuoversi dai detti debiti alcun dei sudetti Capitali, e prodotti, nè farsene alcun contratto* = Necessario itaque ex hoc pacto consequitur, Candelorios ab eo tempore custodes, et sequestratarios gregis evasisse, talique veste indutos gregi comparare pascua debuisse, eamque in gregem custodiendo adhibere diligentiam, quam ipsi adhibuisset in re sua. Si itaque, quia socordes fuerunt, et pabula opportuno tempore non pararunt in pessum ivit grex, et multa ejus capita perierunt, ipsi tantum ad illati damni sarcitionem tenentur. Consulatur prior mea *Decis.* § 3.

Nec posthabendæ litteræ videbantur, 4 quas curatori patrimonii fratrum de Garofolis ea occasione Candelorii scripsere, quibus maxime cupiebant, ut conductorum grex una cum eorum grege, æstivo advento tempore, in agrum Tipherni pastum propelleretur. At in his litteris, ut facilius eorum voluntati cederet patrimonii curator, sese omnem adhibituros fore diligentiam Candelorii dixerunt, ne quid detrimenti grex caperet; obligatione etiam emissa omne damnum, quod gregi foret ex propria culpa posset obvenire, illico reparandi. Reque vera, non has inficiabantur literas, nec obligationem in eis susceptam Candelorii, sed cohibitam eam contendebant ad tempus dumtaxat, quo grex montano pascuo vescebatur: quod sane falsum omnino est. Non his quippe limitibus continebantur literæ a Candeloriis scriptæ, quæ generalibus imo verbis conceptæ tam tempus illud amplectuntur quo grex in montanis agris maneret, quam illud, quo ad campos planos rediret. Utcumque res sit, etiamsi litteræ deficerent, aut ita es-

sent intelligendæ ut eas explicant Candelorii, incolumis et firma jugiter erit Apocha anni 1804 cujus ope ut consultum eorum credito foret in solutum hoc pacto gregem acceperunt, ut, si quid, eodem soluto credito, rcliqnum esset, conductoribus restitui oporteret, hypotheca interim super integro grege conventa. Si ergo, et grex, et reliqua dos latifundii hypothecæ vinculo afficiebantur pro locatoris indemnitate, ei incumbebat sedulo cavere, et accurate, quantum in eo erat, prospicere, ne fame grex interirct, aut macrescens de primæva estimatione remitteret, atque ita inutilis evaderet hypotheca, veluti arguit superior Causæ *Decis* § 4.

5 Ad incitas redacti Candelorii ea de causa gregem deseruisse dicebant, quia ex Decreto Judicis tradendum erat Ursulæ Brunelliæ uxori Josephi de Garofolis. Sed ne hilum quidem hac exceptione proficere poterant. Quidquid namque censuerit Judex A. C., ac quidqnid Decreto suo jusserit, non constat tamen exequutioni commissum illud fuisse, ac dominium, et possessionem gregis nactam Ursulam fuisse. Rem aliter se habuisse, quam Judex decreverit, judicialia acta revincunt inter Candelorios, et fratres de Garofolis gesta, quæ eo punctim spectarunt, ut præpediretur traditio gregis, feminæ illi facienda. Curare demum Candelorii tenebantur ne gregi damnum obveniret, uti revera obvenit, antequam etiam in dominium Ursulæ transiret. Quapropter, si locatoris culpa damnum gregi illatum probatur, recte adversus eum actio naxalis instituta fuit; cui nullum infert præjudicium coæva mea *Decis. quoad pignus pecudum*, in qua definitum est, latifundii dotem in satisfactionem crediti cessisse, quo locator potiebatur, nam semper redit pactio, qua convenit, ut si quid post dimissum locatoris creditum adhuc superesset, conductores sibi vindicarent. Hac itaque animadversa pactione, nemo non videt conductorum interfuisse ne descresceret ob damnum illatum gregis æstimatio. Quo magis siquidem ejus valor imminuebatur, eo minus pro conductoribus manebat, qui non aliter jus poterant expirari ad reliquum assequendum, quam credito locatoris ad ultimum usque quadrantem dimissio. Nil ergo nocet actioni damnorum denuo probata ex alia mea hujusce diei Decisione datio in solutum, ut concludit prima *Decis.* § 5.

6 Quamvis autem damnorum actionem Domini Mei probaverint, ab bis tamen æstimandis in præsens abstinuerunt. Clamabant utique fratres Garofoli jamdiu per peritos viros præfinitam fuisse summam damnorum nomine rependendam in scutis *mille quingentum octoginta uno*, obulisque *quadraginta*. Hanc æstimationem retinendam hoc in casu esse duplici ratione, tum quia post tanti temporis spatium, grege ipso defecto, impossibile est, denuo damnum æstimare; tum quia culpæ locatoris tribuendum est, si plus legitima, et damni æstimatio haberi nequeat: ita demum in casibus similibus judicare S. Ordinem consuevisse. Sed hæc juris, et facti momenta præsenti themati accurate non congruebant, et tunc tantum retineri possent cum probatum esset peritorum virorum relationes, ut cumque extra judicii ritum quæsitas; haud de errore, et injustitia incusari, prout erant casus Decisionum, quas allegabant fratrum de Garofolis oratores, *coram Molines decis.* 37 *num.* 5 *coram Falconerio tit. de usufructu decis.* 2 *num.* 12 *cor. Olivatio decis.* 294 *num.* 1 *et in Spoletana liquidationis quoad mobilia, et jocalia* 12 *Januarii* 1759 § 14 *coram Paracciano*. Verum in subjecta specie adeo abest peritos viros ad justi, rectique normam damnum æstimasse, ut imo ipsi fratres de Garofolis suo probaverint, eos maxime errasse, dum peritiori viro eligendo assentiti fuere: qui sane vir peritior, an retulerit nec ne et damna iterum estimaverit, nemo tuto posset affirmare. Hinc non erant Candeloriis coangustandæ probationes, ex quibus pateat, damna gregi illata minoris æstimari, quam duxerint periti viri, qui ad nutum fratrum Garofoli retulere. Nulla ideo summa in specie præfinita in præsens est, et actio da-

mnorum iterum confirmata *in summa liquidanda.*

Et ita, probata in cæteris priori Decisione, Decisum est ab Universa Aula, una mecum ferente suffragium, utraque parte se defendente etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER TERTIO DUBIO

QUOAD DOTEM

Veneris 15 *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCIV. -

SUMMARIUM

1. *Quando promissa sit, aut certa res aut ejus valor iniquum est, ob impotentiam debitoris eum compellere ad rem exhibendam.*
2. *Quod pravitatem usurariam redolet, jure tam civili quam canonico prohibitum est*
3. *Qui alterius nomina sibi suscepit dimittenda, non aliena sed propria debita dimittit.*
4. *Dotis fundi augmentum conductoribus acquiritur, ita etiam conductorum illius diminutio damno cedat oportet.*
5. *Bona fides non patitur, ut super re eadem compensatio bis decernatur.*

DECISIO CCCVIII.

Quam latifundii dotem fruges videlicet, pecudes, et instrumenta campestria a locatore Candelorio initio contractus acceperant fratres Garofoli conductores, cum non integram restituissent ad locationis conductionis exitum hinc ferbuit etiam de latifundii dote contentio. Hac de causa in Comitiis, *die vigesima sexta* Martii hujusce anni habitis, Universæ Aulæ proposui Dubii formulam ita conceptam = *An, et qua quantitate constet de consignatione, et restitutione dotis ita ut, et in qua summa, et contra quem sit relaxandum mandatum in casu etc.* quam Patres Responsa dimiserunt = *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum, et mandatum esse relaxandum, contra fratres Garofolo in summa scutarum* 3574 26 ut cernere est ex Decisione, quam tunc temporis evulgavi. Modus autem a Sacro Tribunali indictus quædam respexit nomina hinc Inde proposita, quæ partim admissa, partim rejecta fuerunt, et de quibus sermo in præsenti Decisione redibit. Cum autem juxta Rescriptum Pontificium quod rei cognitionem ad Sacrum Ordinem detulit, previis duabus Decisionibus absolvendam, instaurata denuo fuerit de dote tradita controversia, ita in jure, et facto bene constituta reperta est prædicta mea Decisio, ut perstitum fuerit = *in Decisis.*

Ut primum anno 1802 data fuit o- 1
pera contractui locationis conductionis latifundii = *Composcala* = inter cætera convenit, ut conductores Garofali dotem scutorum circiter *viginti millium* accipere deberent. Sed posteriori apocha diei *decimæ quartæ* Januarii 1803. cum ventum esset ad traditionem dotis latifundii, eidem apochæ subscribentes, debitores hoc nomine sese dixerunt conductores in scutis *viginti quatuor millibus septingentum quindecim*, et obulis *octuaginta tribus*; ea se recipisse declarantes = *nei sopra descritti capitali di comun consenso stimati, e periziati per restituirli ne tempi descritti, obligandoci nella più ampla forma della Rev. Camera Apostolica.* = Successit dein alia apocha anno 1803 die *secunda* Augusti confecta, in qua, cum in præstatione frumenti primo conductionis anno defecissent conductores, ad rem gratam eis faciendam, et ad distractas pecudes supplendas, ultro sivit locator, ut in augmentum dotis cederent ea modia *quingentum quinquaginta* tritici, quæ scutis decem in singula modia æstimata, summam conficiunt *quinque millium quingentum*, quæque doti jam acceptæ ex pacto adjecta eam evehunt ad vim usque scutorum *triginta millium biscentum quindecim*, et obolorum *octoginta trium*. Neque enim pluris, quam scutis *decem* pro quolibet medio, frumentum illud æstimandum est semel ac hoc pretium ei tribuerunt ipsi contrahentes in locationi tabulis, ubi de præstatione

frumentaris, ac de pecuniaria pensione quotannis rependenda actum fuit. Si hinc licebat conductoribus, aut triticum in natura, aut illius æstimationem ad tabularum tramites pensitare, iniquum esset ob impotentiam conductorem ad triticum exhibendum, vel ad ejus pretium solvendum, pluris æstimare frumentum, quam in prædictis tabulis præfinitum fuerit, ejusque valorem afferre ad scuta *octo* supra *decem* in singula modia.

2 Id porro non aliud esset, quam debitorem cogere ad fructus obtentæ dilationis rependendos: quod pravitatem usurariam redolet, et jure tam Civili, quam Canonico probibitum est. Non aliter ergo cedere ea modia *quingentum quinquaginta* frumenti in dotis auctarium debent, quam pro pretio dumtaxat scutorum *decem* in singula modia, adeout tota latifundii dos conductoribus tradita vim scutorum *triginta millium biscentum quindecim*, et obulorum *octoginta trium* attingat, ut calculanti patet. Quid vero ab hac summa, quæ debitum conductorum constituit expungendum sit nunc superest congnoscendum, ut hinc constet, quid reliquum pro eadem dote debeant ipsi conductores. Primo autem detrahenda sunt scuta *bismillia*, quæ locatori soluta a conductoribus fuerunt: item deducenda scuta *biscentum*, quæ ex locatoris mandato fratres Garofoli præcedenti latifundi conductori Salvatoris Sensinio repræsentarunt: expungenda pariter alia scuta *bismillia sexcentum sexaginta*, atque oboli *nonaginta unus* in causam debiti, quod cuidam Cataldio persol vendum sibi susceperant conductores ex pacto in Instrumenti tabulis relato: tollenda denique alia scuta *termillia nonaginta duo*, quæ Joanni Bottonio fidejussori Sensinii, eodem jubenta locatore, fratres Garofoli numerarunt. Nulla sane controversia quoad has *partitas oriebatur*, si summam excipias Cataldio numeratam, quam licet ipsi solverint Candelorii, de pretio tamen frumenti solverunt, quod a conductoribus in hunc finem acceperunt. Hæ autem *partitæ* simul collectæ summam conflant scutorum *octo millium octingentum quinquaginta duorum*, ac obulorum *nonaginta unius*, et reliquum faciunt dotis nomen in scut. 21362 92, ut ex arithmetico calculo liquet, et ostendit etiam prima mea *Decis.* § 4.

Cætera namque, quæ deducends pariter esse a dote latifundii fratres de 3 Garofolis objiciebant, haud probanda Patribus visa sunt. Sic perperam, dicis causa, conquerebantur, multum detractum æstimationi pecodum fuisse, quia eorum pars distracta fuit ad æs alienum locatoris luendum. Observandum siquidem est ex pacto in locationis conductionis tabulis interposito onus sibi suscepissa conductores quædam dabita locatoris dimittendi, qui pro inde imputare propriæ culpæ debent, si ad datam fidem exolvendam, præsertim pecunia deficiente, coacti fuerunt gregis partem alienare. Post quam alterius nomina sibi quis suscepit dimittenda, non tam aliena, quam propria debita dimittit. Inutile ergo erat compensationem aliquam hac de causa postulare. At æque futile erat quod dicebatur æstimatum gregem fuisse exeunte septembri; quo tempore plus valet: contra vero traditum illum fuisse medio pene Januario, quo tempore animalia macrescunt, ac deterioris fiunt conditionis. Nam primo non evincebant actores ad traditionis tempus nequiorem gregem fuisse, quam antea: dein, si sæviente hyeme, ac sub Jove frigido emacruerunt pecudes, crevere vicissim partus autumnales, ex quibus compensatum fuit quodcumque damnum, si quod ex tempestatis injuria grex sentire potuisset. Neque imo verum semper est hybernum tempus pecudi nocere, cum non raro accidat, ut bene custoditus, pingnedinem servet ex virescentibus sub autumno herbis acquisitam. Demum rem omnem conficit pactum, ex quo volitum ut ab exeunta Septembri decrementum, vel augmentum quodlibet pecudis damno caderet, vel commodo conductorum: qui sane non tali se pacto devinxissent, si ex temporis intervallo quid detrahi posse pecudum æstimationi animo præ con-

cepissent suo, ut arguit præcedens. *Decis* § 5.

4 His positis, frustra turbæ movebantur, aut de fructibus pecudum divenditarum, aut de asinis, qui intra tempus, quod ab æstimatione ad traditionem intercessit, forte perierunt. Quoad objectos enim fructus pecudum redit animadversio distractas pecudes fuisse pro dimittendis nominibus, quæ sibi conductores assumpserant, quæque ideo uti propria conductorum consideranda sunt, postquam ipsi nominum *accollationi* facile consenserant. Quoad vero asinorum interitum obstat semper conventio qua cautum, ut quodlibet augmentum, aut imminutio pecudis, damno, vel commodo conductorum esset. Quemadmodum itaque, si pretium pecudi augebatur, augmentum conductoribus acquirebatur, ita etiam, illius diminuto valore, hoc decrementum conductorum damno cedat oportet. Cum enim res ad damnum æque ac ad lucrum sese habere potuerit, legitima pactio est, et exequutioni mandanda. Tria alia post hæc credita proponebant Fratres Garofoli, a Sacro Tribunali æque rejecta. Primum pro sepibus, quas conductores in latifundium ingressi combustas invenerunt: alterum pro cibariis ad vim usque scutorum 1334 50 cuidam Blasio pistori solutis, quæ oneri locatoris fratres Garofoli jactabant: tertium tandem pro modiis *biscentum sexaginta duobus* frumenti, quæ penes locatorem manserunt post omnes frumentarias præstationes a conductoribus satisfactas.

5 At nulla ratio de sepibus haberi poterat, quia, et si damnum ex combustis sepibus senserint conductores, compensatum eis fuit, atque sarcitum in ipsa consignatione, in qua scuta *quatuor centum* detracta a valore latifundii fuerunt, ob vitia in sepibus, extirpationibus, ac foveis reperta, nempe «*per mancanze ritrovate nelle forme, fratte, e sterpature* » Non igitur fides bona patiebatur, ut eadem compensatio iterum decerneretur. Idem dicendum de cibariis Blasio pistori solutis quæ ad conductores non ad locatorem certe pertinebant. Nam quidquid Candelorii eidem pistori debebant pro cibariis præstitis ante initam cum fratribus de Garofolis locationem conductionem, solutum ab eis fuisse ipsi fratres Garofoli non inficiabantur. Cum hi vero nihil frumenti haberent in Montis Alti granariis, ex quo colonorum alimoniæ consulerent, si quid propterea Blasio solverunt, id solvisse pro cibariis a se receptis necessario concludendum est, ut arguit *cit. meo Decisio* §. 7. Neque secus statui debet quoad frumentum, quod penes locatorem, rescisso contractu, relictum fuit. Cum enim hoc frumentum traditum a conductoribus fuerit alteri ex Candeloriis filiis, ut ex ejus pretio is culturæ sumptus obiret, et per consequens partem faciat illius administrationis, quam de tota negociationis arca pro aliquo tempore idem filius Candelorii retinuit; de eo propterea ratio habebitur in redditione rationum a Candeloris exhibenda, eorumdem creditum imminuet. Demonstratum ergo est acceptæ dotis debitum, quo fratres Garofoli tenebantur ad scuta 21362. 92. prevenire. Cognoscendum hinc est, quid in exitu conductoribus fuerit restitutum Jam vero extra controversiam est, in causam dotis latifundii scuta 17788. 66. fratres Garofoli reddidisse, ut fusius etiam in relatione sua judicialis cognitor ostendit. Si itaque hæc summa, a Garofolis restituta, a debito acceptæ dotis 3574 26. pro quibus mandatum Candeloriis denuo tribuendum censuit Sacer Ordo, confirmata in cæteris præcedenti mea Decisione.

Et ita, me quoque cum Omnibus Dominicis judicante, jus denuo redditum est, Utraque.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER QUARTO DUBIO QUOAD RESPONSIONES

Veneris 30 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Locatori adversus conductorem, pro pensionis solutione, expeditissima actio competit.*
2. *Etiamsi conductio initium sumat aliquot ante menses a stipulatione contractus, tamen nulla conceditur conductori pensionis imminutio.*
3. *Non competit conductori mercedis remissio, si sponte sua fundum locatum deserait ante tempus.*

DECISIO CCCIX.

Dum, remotis Bottonio, ac Sensinio, conductionem Latifundii = *Camposcala* = obtinuerunt fratres de Garofoliis ope solemnis Instrumenti, quod anno 1802 ad diem trigesimam Decembris initum fuit, præ cæteris pacisci placuit contrahentibus, ut hujusmodi locatio conductio commodo, aut damno cederet fratrum de Garufolis usque a die vigesima nona præcedentis Septembris ejusdem Anni, a quo tempore usque ad diem item vigesimam nonam Septembris futuri Anni 1803 in omnibus pene pactis, ac conductoribus ipsi intelligerentur suffecti prioribus conductoribus, una excepta pensione, quæ in modiis quingentum quinquaginta frumenti, ac in scutis quatuor mille quingentum præfinita pro eodem tempore fuit, quamvis Bottonius, ac Sensinius pensionis nomine antea persolvissent quotannis scuta circiter decem millia numeratæ pecuniæ. Rescisso dein ante tempus contractu, per apocham diei duodecimæ Februarii anni 1804 constitutum est, ut eodem anno 1804 ad diem vigesimam nonamSeptembris suum locatio conductio exitum assequeretur. Cum tamen, hac inita pactione, ineunte Septembri illius anni latifundium sponte deseruerint fratres de Garofolis, hinc urgere cæperunt, ac mordicus postulare, nedum remissionem tam frumentariæ, quam pecuniariæ pensionis pro illis diebus, qui a latifundio ab eis derelicto ad prestitutum in præfata apocha tempus exeuntis Septembris anni 1804 effluxerunt; sed etiam pensionis frumentariæ tantum pro tribus mensibus; a die scilicet vigesima nona Septembris ad diem trigesimam Decembris anni 1802 quibus latifundio caruerunt. Hæc quoque quæstio S. Tribunalis judicio commissa fuit, exhibita Dubii formula = *An quomodo et in qua summa constet de credito responsionum in casu etc.* = cui responsum est = *Affirmative in summa scutorum* 3800

1 Facile est debitum fratrum de Garofolis pro pensionibus locationis conductionis constituere, cum certum sit, uno biennii spatio latifundium ipsos retinuisse. Jam vero pro primo conductionis anno, qui exordium suum habuit a die vigesima nona Septembris anno 1802., ac anno 1803 ad diem vigesimam nonam pariter Septembris explicuit, solvere debuisse conductores modia quingentum quinquaginta frumenti, ac scuta præterea quatuor mille quingentum in numerata pecunia, exploratum ex Instrumenti tabulis est. Ex his etiam patet pro secundo conductionis anno, nimirum usque ad diem vigesimam nonam Septembris anni 1803, præstanda a conductoribus fuisse Modia quinquaginta super quingentum; ac persolvendos nummos Argenteos sex mille. Ad frumentum prioris anni quod spectat, adjectum illud latifundii doti fuisse, ejusque auxisse valorem, docet apocha die secunda Augusti anni 1805 mutuo locatoris, ac conductorum consensu stipulata. Quoad aliud secundi anni frumentum, cum illud stato tempore recepisse Candelorii ipsi faterentur, per consequens sequebatur, nihil aliud hoc nomine præstandum eis esse: Superest ergo inquirendum, quid fuerit in numerata pecunia pro uno alteroque anno solutum. At nulla inter litigantes quæstio erat, scuta tantum quatuor millia, et nonigenta soluta a conductoribus fuisse, quibus addicta summa scut. bismillium pro remissione mercedis sponte ab iisdem Candeloriis oblata, et judicio S. N. Ordinis comprobata ex alia Mea Decisione super IV. Dubio quoad remissionem mercedis in superioribus Comitiis edita, planum est, reliquum manere locatoris creditum in scut. termille sexcentum, pro quibus condicendis expeditissima adversus conductores

actio competit *Leg. Præses Provinciæ* 17. *Cod. de locat. et conduct.*

2 Nec obstat, locationem conductionem Latifundii initam fuisse exeunte Decem anni 1802 sub ea lege, ut initium haberet usque ab antecedenti Mense Septembris, ideoque tribuendam esse conductoribus remissionem frumentariæ præstationis pro eo tempore, quo in latifundio versati non sunt. Sæpe enim usuvenit ut conductiones initium sumant aliquot ante menses a stipulatione contractus, quin tamen concedenda sit conductori ulla pensionis imminutio; quia censetur hoc etiam partem facere contractus. Multominus in præsens tribui potest hac de causa fratribus de Garofolis remissio frumentariæ præstationis, semel ac nullum ex hoc ipso damnum passos eos fuisse constabat. Frustra autem reponebatur ipsum locatorem pro primo conductionis anno, quo trium mensium spatio conductoribus latifundium defecerat remissionem dedisse pecuniariae pensionis in scutis mille quingentum. Non alia siquidem ratione pro primo conductionis anno depacta fuit pecuniaria pensio in solis scutis quatuor mille quingentum, nisi quia pro dicto anno onera omnia, et conductione sibi susceperant conductores, quibus antea devincebantur priores alii conductores Bottonius, ac Sensinius. Quare, cum hi responsionem prestare deberent in scutis annuis fere decem millibus, in eadem quantitate eam solvere debuerunt Garofoli pro primo conductionis anno; nempe in scutis 5500, quae constitnunt pretium Modiorum 550 frumenti in scutis decem in singulos modios, et in aliis scutis 4502 in pecunia numerata. Hæc fuit vera causa diminuendæ pecuniariæ pensionis in tabulis nominatim expressa, in quibus cæteroqnin nulla vola, aut vestigium occurrit, ex quo pateat hanc imminutionem conventam punctim fuisse pro illis tribus mensibus, quibus re locata uti frui conductores nequiverunt.

3 Idem dicendum est de altera ineptissima exceptione a conductoribus adducta, qui remissionem præstationis frumentariæ, ac pecuniariæ pensionis ex eo postulabant, quod latifundium deseruerint per dies undeviginti, antequam resolvi locatio conductio ex pacto deberet. Eadem quippe redit ratio, nullum eos pertulisse detrimentum. Jam enim herbæ, tam hyemales, quam æstivæ universumque fænum eorum beneficio cesserant. Jam fructus omnes latifundii, pecudisque reditus suos fecerant. Jam nil aliud supererat, quo perfrui Candelori possent, ut idcirco imminuere pensionem, habita temporis ratione, deberent. Quin imo, non utilitatis, sed domni Candeloriis fuit, quod conductores latifundium per undeviginti dies ante præfinitum tempus dimiserint. Coacti namque fuerunt necessarios obire sumptus; ac mercedem solvere eis, qui latifundii servitio erant addicti, nullo pro illis diebus fructu recepto. Caeterum non ulla necessitate compulsi, aut imperio locatoris pressi latifundium deseruerunt fratres de Garofolis, sed sponte sua id fecerunt, invita quoque litera contractus. Si quid ergo damni pertulissent, de quo nulla probatio aderat, illud sane, non locatori; sed ipsorum propriae culpae, ac voluntati ita tribuendum est, ut nulla ab eis possit refectio postulari.

Et ita, me quoque una cum omnibus Patribus judicante, definitum est. Utraque ec.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER IV DUBIO

QUOAD RESPONSIONES

Lunae 18. *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCIX.

SUMMARIUM

1. Quid contrahentes statuere voluerint, liquet ex locationis tabulis.

2. *Pro condicenda mercede, expeditissima actio locatori praesto est.*
3. *Quamvis locatio exordium sumat aliquot ante menses a stipulatione contractus, tamen conductori actio non competit ad assequendam pensionis remissionem.*
4. *Conductori, qui proprio marte ante tempus fundum locatum relinquit, nullum jus est ad damna condicenda.*

DECISIO CCCX.

Quæstionibus aliis, quæ ex causa locationis conductionis conductionis latifundii = *Camposcala* = inter hæredes, ac filios defuncti Vincentii Candelori, et fratres de Garofolis exarserunt, accessit ea quoque, quæ de responsionibus agit a conductoribus pro eo, quo in agris versati sunt, temporo debitis. Peculiarem Dubii formulam in Comitiis diei *trigesimæ* Martii proxime elapsi hac de re Patribus exhibui, qui responsionum debitum, quo conductores tenentur, in scutis *sexcentum* supra *termille* præfinierunt, veluti latius patet ex evulgata a me tunc temporis Decisione. Nihil autem profuit fratribus de Garofolis, juxta Pontificium Rescriptum hanc instaurari quæstionem, quæ, hodie denuo discussa, male eis cessit ope Responsi, quod de more profertur = *In Decisis* =.

1 Non inutiliter observandum, quod operam dantes die *trigesima* Decembris anno 1802 stipulationi contractus statuere publicis in tabulis contrahentes voluerunt, ut locatio conductio pro incepta haberetur a die *vigesima nona* præcedentis Septembris, quamvis pro tribus his mensibus latifundio caruerint conductores. Cautum præterea fuit, ut a dicta die *vigesima nona* Septembris anni 1802 usque ad diem *vigesimam nonam* Septembris 1803, in omnibus pene pactis, ac conditionibus subrogati fratres de Garofolis intelligerentur prioribus conductoribus, mutatione tantum facta quoad annuam pensionem, quam præfinire pro eo tempore placuit in modiis *quingentum quinquaginta* tritici, ac in nummis argenteis *quatuor mille quingentum*. Præterlapsa die *vigesima nona* Septembris anno 1803, conventum item fuit, ut nova initium duceret locatio conductio ad annos duodecim sub pensione quotannis rependenda modiorum *quingentum quinquaginta* frumenti, ac alterius scutorum *sexmillium*. Cum oportuisset hinc contractum ante tempus rescindere, ob deterrimam conductorum conditionem, lapsamque eorum fortunam, privata conscripta syngrapha, depactum est, ut exitum suum haberet locatio conductio an. 1804 die *vigesima nona* Septembris, quamvis postea, invita pactione, conductores per *undeviginti* dies ante latifundium sponte deseruerint. His præcognitis, facili negocio ad liquidum perducitur debitum condoctorum pro spatio duorum annorum, quibus latifundium retinuerunt.

Ut supra enim demonstratum est, 2
pro primo conductionis anno scuta *quatuor millia quingentum* repræsentare, ac modia *quingentum quinquaginta* frumenti rependere Garofoli tenebantur; pro altero autem conductionis anno, præter modia *quingentum quinquaginta* frumenti, numeranda quoque ab eis erant scuta *sex millia*. Atqui extra controversiam est frumentum prioris anni, Candeloriis ita consensientibus, adjectum fuisse doti latifundii, et illius valorem auxisse, de quo ratio habita est in alia Decisione super *III Dubio quoad Dotem* in præteritis Comitiis publici juris a me facta. Extra controversiam item est, triticum secundi anni locationis conductionis traditum stato tempore fuisse. Tota ergo quæstio ad pensionem utriusque anni in numerata pecunia solvendam cohibetur, quæ pro uno, et altero anno vim conficit scutorum *decem millium quingentum*. Jam vero invicem partes fatebantur, nil aliud hoc nomine solutum fuisse, quam scuta tantum *quatuor millia quingentum* quibus si addantur scuta *bismillia* sponte a Candeloriis oblata, remissionis mercedis nomine, et judicio firmata Sac. Tribunalis ex alia Decisione super *IV Dubio quoad remissionem mercedis*, in superioribus Comitiis edita palam fit totam summam a conductoribus solutam scuta *sex millia noningenta* non ex-

codere. Hæc autom summa ab integro pensionum debito detrahatur, reliquum est, ut calculanti patet, creditum hæredum locatoris in scutis *termille sexcentum*, quibus condicendis expeditissimam actionem locatoribus præsto esse, prima docet Causæ *Dec.* § 2.

3 Nugatorium erat, quod conductores proponebant, ut pro trimestri spatio, quo initio contractus re conducta caruerunt, frumentaria pensio imminueretur. Non enim insolitum est, ut locationes conductiones exordium sumant aliquot ante menses a stipulatione contractus, quin tamen hac de causa jus competat conductori ad assequendam pensionis remissionem. Hoc quippe censetur partem facere contractus, ut partem revera fecit in hoc, de quo agitur, themate. Neque ab hoc, pacto recedi posset, nisi irrita stipulatio tota declaretur. Nec cavillandi materies petenda est a facto locatoris, quasi is pro primo conductionis anno, quo trium mensium spatio conductoribus latifundium defecerat, remissionem pecuniariæ pensionis in scutis *mille quingentum* eis indulserit. Non ex hac profecto causa, sed quia pro dicto anno onera omnia, et conditiones sibi susceperunt fratres de Garofolis, quibus priores conductores antea premebantur, pensio illa scutorum *mille quingentum* conventa fuit. Qua de re, si priores conductores pensionem annuam scutorum *decem millium* rependebant, in eadem quantitate eam solvere debuerunt fratres Garofoli, tum scilicet in modiis *quinquaginta* supra *quingentum* frumenti, quod scutis *decem* in singula modia æstimatum summam conficit scutorum *quinque millium et quingentum*, quam prætera in nummis argenteis *quatuor mille quingentum*, qui cum supradicto frumenti valore conjuncti quantitatem reddunt scut. *decem millium*, quot a prioribus conductoribus Bottonio, et Sensinio solvebantur: Vide primam Causæ *Dec.* § 3.

4 Dementiæ autem proximum visum est remissionem præstationis frumentariæ, ac pecuniariæ pensionis urgere, quia latifundium deseruerint conductores per dies *undeviginti*, antequam privata apocha constitutum fuisset. Nam non imperio locatoris coacti, neque ulla pressi necessitate, sed sponte, proprioque marte conductionem ante tempus fratres Garofoli dimiserunt. Etiamsi ergo quid damni pertulissent, de quo nulla cæteroqnin affertur probatio, illud tamen non locatori, sed ipsorum conductorum culpæ imputandum foret, qui propterea nullum jus habent damni propria culpa obventi sarcitionem ab altero postulandi. Sed accedit nullum revera passos damnum fuisse conductores, quippe jam herbas byemales, et æstivas, totumque fœnum recollegerant; jam perceperant cunctos latifundii reditus; jam pecudis fructus ita fecerant suos, ut nil superesset aliud, quo perfrui possent. Detrimentosum imo locatori fuit latifundium ante tempus fuisse a conductoribus desertum, quia debuit obviam ire culturæ sumptibus, et stipendia solvere mercenariis, quin datum ei fuisset pro eo tempore ullos fructus recolligere. Profligatis igitur remissionis causis pensionum debitum in scutis *sexcentum* supra *termille* consistere, ad evidentiæ gradum probatum est.

Et ita, relatione habita od præcedentem decisionem, dirempta controversia est ab omnibus Dominis una mecum suffragantibus, in partium conflictu etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER V DUBIO

QUOAD REDDITIONEM RATIONIS

Veneris 30 *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Ut rite; recteque reddita ratio censeatur, oportet singula monumenta proferre; codices, et libros exhibere, ac quidquid aliud ad ipsam pertinet redditionem rationum.

SUMMARIUM

1. *Qui negocia alterius administravit, sive a privato homine, sive a Judice, sive a jure fuerit constitutus, rationes reddere debet.*

Peritus Curialis non debet rationes excipere, sed referre de singulis quaestionibus - ib.-

2. *Si erroribus, vitiisque laborat reddita ratio, denuo reddenda est.*

3. *Ratio reddi non debet nisi de iis, quae quis administrasse probatur.*

DECISIO CCCXI.

Vix elapso anno ab incepta locatione conductione latifundii = *Camposcala* =, adeo labi fortunis cœperunt illius conductores, adeoque deterior evasit eorum conditio, ut oportuerit, majori malo remedium abhibere per apocham die *duodecima* Februarii anno 1803. scriptam, in qua, cum multa pro mutuo contrahentium bono cauta fuissent, tum illud præcipue conventum, ut negotiationis arca fideique committeretur Antonii, alterius ex filiis Candelorii locatoris, cum facultate accipiendi sub fænore nummos pro culturæ sumptibus, et onere præterea ab eo suscepto reddendi rationes, absoluta gestione. Post rescissam hinc ante tempus communi consensu locationem conductionem, inter alias quæstiones actum quoque fuit de redditione rationum coram Judice Compromissario, qui sententia, arbitrioque suo probavit dispunctas a Candeloriis rationes eorumque creditum erga conductores in scutis *novem millibus centum septem*, et obulis *quadraginta novem* constituit. At hanc arbitri sententiam sub Gallorum imperio nullam atque irritam renunciarunt Urbani Judices de Appellationibus jus dicentes, præstituto etiam Candeloriis *triginta* dierum termino ad rationes retentæ gestionis exhibendas. Hoc judicium de laudi nullitate confirmavit Sac. Nostrum Tribunal edita Sententia, quæ Reijudicatæ vires provocatione non interposita, nacta fuit. Quidquid denique senserit de hac redditione rationum Curialis Peritus, controversiis omnibus Sacro Ordini ex integro devolutis concinnata quoque est quoad hanc contentionem Dubii formula his verbis concepta - *An sit locus redditioni rationis in casu etc.* = quam dirimendam Patres Domini censuerunt Responso = *affirmative*, *et ad D. Ponentem pro deputatione Periti ratiocinatoris ad effectum excipiendi redditionem rationis.*

Onus reddendarum rationum neque 1
ipsi in discrimen adducebant Candelorii, neque denegari salva justitia, poterat inspecta juris censura, pacto, ac Sacri Ordinis Rejudicata. Et primo nihil prius in jure, quam ad redditionem rationum eum teneri, qui negocia alterius administravit, et alienas res curavit, sive a privato homine, sive a Judice, sive a jure fuerit constitutus, ut cautum est pluribus titulis *et cod. de tut.*, *et ration. distrahen.*, *et de negoc. gest.* Pacto item disertissimo in prædicta Apocha Mensis Februarii anni 1804. sese devinxit Antonius Candelorius rationes reddere in exitu conductionis. Ipsa demum Resjudicata Sacri Ordinis; dum album calculum adjecit Sententiæ, quam pronunciaverat Tribunal Appellationis Romæ extans sub nuperrima Gallorum invasione, per consequens damnavit Candelorios ad reddendas gestæ administrationis rationes. In eo tamen tot erant Candelorii ut reponerent, sese jam coram Arbitrio rationum redditionem exhibuisse: idem denuo fecisse coram Curiali Perito: non esse propterea cogendos ad rationes iterum expungendas eos, qui jam religiose reddiderunt. At Patres animadvertebant, nihil hæc omnia valere, quia Curialis Peritus, non ad excipiendas rationes electus fuit, sed ad referendum de singulis quæstionibus, queis causa præbuit latifundii locatio conductio. Et si ergo bene; et religiose redditæ coram Curiali perito fuissent Administrationis rationes, ita tamen habendum est, quidquid coram eo gestum fuit perinde ac si gestum non fuisset, cum limites, ac fines concrediti muneris excesserit. Animadvertebant rursus, quod necessario, obliterata Judicis compromissarii sententia, peremptum irritumque mansit quiquid sententiam ipsam præivit, et quidquid actum coram eo fuit, cujus nudæ assertioni parum imo esse fidendum extimabant.

Nec bene urgebant, qui Causam pro 2
Candeloriis orabant, ex actu quoque nullo, atque irrito rei veritatem elici

posse. Exceptionem elidit ipsa Sacri Nostri Ordinis Resjudicata, quæ consentanea Sententiæ, Gallis imperantibus latæ, non modo irritum renunciovit compromissarii Judicis arbitrium, sed per necessarium consequens domnavit etiam Candelorios ad reddendas denuo rotiones. In jure autem, ut rite, recteque reddita ratio censeatur, oportet singula monumenta proferre, codices, et libros exhibere, ac quidquid aliud ad ipsam pertinet redditionem rotionum, ut ea rimari, et examini subjecre Judex possit qui de justitia redditarum rationum decernere debet *Rot. dec.* 480. *num.* 5., *et seq. cor. Ansaldo, et dec.* 728. *num.* 8. *cor. Riminaldo.* Hoc, quod juris rotio docet, ac ipsa etiam imperavit Sententia Tribunalis Gallorum, et confirmavit Nostrum Auditorium, nondum factum est coram judiciario cognitore, ut monstrat, quæ in disquisitionem venit Dubii formula, non de redditis, sed de reddendis rationibus quærens. Ratio quidem semel reddito reddi omplius non debet. Id tamen valet, si pateat revera rationes redditas integras, fideles, nulloque vitio infectas esse. At si erroribus, vitiisque laboret reddita ratio, tunc denuo reddendas esse communi calculo receptum est. *Leg. Unic. Cod. de error. calcul. Gratian. discept. forens.* 563. *num* 30. *Gutlier et de tutor. part.* 3. *cap.* 4. *num.* 119. *Rot. decis.* 25. *num.* 26. *cor. Ottobono, et decis.* 480. *num.* 1., *et seq. cor. Ansaldo.*

3 Cogendi ergo sunt Candelorii ad redditionem rationum. Sed hæc rationum redditio coercendo dumtaxat est ad agrariæ negotiationis arcom, non vero ad universalem latifundii administrationem, ut contendebant conductores Garofoli, extendenda. Nam in apocha diei *duodecimæ* Februarii Anni 1804. sola negotiationis prædictæ arca concredita fuit Antonio Candelori locatoris filio; administratio autem latifundii permansit = *come per il passato presso il Signor Giuseppe Garofoli* = Quod adeo verum est, ut ex pacto in apocha interposito conventum fuerit, ut fructus latifundii vendi a conductoribus nequirent, nisi ex auctoritate et venia ipsius locatoris. Quantum ergo æquum erat, ut de negotiationis Arca, quam ipse unice eo tempore retinuerat, rationes redderent Candelorii, tantum foret iniquum, ut vexarentur pro administrotione latifundii, qua spoliatos in memorata conventiono conductores haud fuisse ex premissis evidens est.

Et ita, meo accedente suffragio, tota Aula judicavit. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER V DUBIO

QUOAD REDDITIONEM RATIONIS

Lunae 18 *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXI. -

SUMMARIUM

1. Qui moderator fuit alterius patrimonii, rationes reddere debet.

Non sufficit rationes utcumque reddere, sed oportet etiam singula monumenta proferre.

2. Sumptibus propriis, quisque debet rationes reddere.

DECISIO CCCXII.

Hodiernis in Comitiis impleta est lex Pontificiæ delegationis, quæ controversias omnes inter fratres Candelorios, et fratres de Garofolis ortas quoad locationem conductionem latifundii = *Camposcula* = dirimi jussit a Sacro Ordine Nostro, binis præeuntibus Decisionibus, ac Universa Aula ad ferendum suffragium accita. Postquam enim mea Decisio die *trigesima* Martii hujusce anni evulgata, fratres Candeloriis damnavit ad reddendam rationem de arca negociationis, quæ ex apocha anni 1804, die *duodecima* Februarii scripta, in præceps ruente conductorum fortuna, eorum curæ, fideique commissa fuit, cum hodie de viribus prædictæ Decisionis disputandum esset, rogavi Do-

minos Meos, Dubii formula de more propusita = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = cui responsum est = *In Decisis* =.

1 In hoc secundo juris experimento non amplius in discrimen Candelorii revocabant onus, quo ipsi premuntur, reddendi rationes: quod sane onus, ut optime ostendit prima *Decisio* § 2; ex juris dispositione, ex stipulatu, ac ex Sacri Ordinis Rejudicata descendit. In jure porro compertum est, ad redditionem rationum unumquemque teneri, qui alienas res curavit, ot moder..tus fuit alterius patrimonium. Quin imo non sufficit rationes utcumque reddere; sed oportet etiam singula monumenta proferre, codices, et libros, ac quidquid aliud ad ipsam pertinet redditionem rationam exhibere, ex quo cognosci valeat, an legitima, nec ne, sit rationum redditio. Dispositioni autem juris accedit pactum expressum, quod in apocha legitur anni 1804, ubi Antonius Candelorius, cui potissimum concredita fuerat arca negociationis, onus assumpsit reddendarum rationum ad locationis conductionis exitum. Nec demum omittenda Res judicata Sacri Tribunalis, quæ onus illud, ex jure, et ex pacto procedens, enixius inculcavit. Sciendum quippe est, Judicis compromissarii sententiam, Gallis imperii summam in Pontificia ditione obtinentibus, nullam atque irritam renunciatam fuisse ab Urbanis Judicibus, jus de Appellationibus Romæ dicentibus, qui præterea mensis terminum exhibendis rationibus Candeloriis præstituerunt. Cum itaque, restituto legitimi Principis Imperio, illius controversiæ cognitio ad Sacrum Ordinem delata fuerit, et sententia Aulæ Gallicanæ in omnibus, nullo facto discrimine, probata per Sententiam Sacri Auditorii in Remjudicatam prolapsam; necessario consequitur onus quoque Candeloriis impositum reddendi rationes fuisse confirmatum.

2 Propriam hinc obligationem nunc Candelorii profitentes, veteres deseruerunt nenias de rationibus coram Arbitro, et judiciario cognitore jam exhibitis, et denuo non exhibendis, quas omnes profligavit, atque rejecit prima *Decisio* § 2. Hoc unum in præsens urgebant hanc rationum expunctionem faciendam esse sumptibus fratrum de Garofoli, quod sane inutiliter proponebatur. Si enim ad rationes reddendas Candelorii compelluntur, vel quia nunquam, vel quia perperam eas exhibuerunt, quidquid expensarum ad hoc onus implendum requiritur ipsi uni rependere tenentur. Sumptibus quippe propriis suæ debet quisque satisfacere obligationi: neque pondus in alterum hujusmodi onere non devinctum transferre potest. At quantum æquum est ut ære suo redditioni rationum Candelorii prospiciant, tantum Patribus visum est conventioni consonum, ut hæc rationum redditio ad arcam negociationis dumtaxat, non ad integram latifundii negociationem extendatur, ut fratres Garofoli postulabant. Missis cæteris argumentis, quæ afferri possent, id unum satis superque est, quod in apocha diei *duodecimæ* Februarii anni 1804 expressis verbis conventum fuit, ut latifundii administratio apud Josephum Garofoli maneret, qui eam usque ad diem illius stipulationis retinuerat. Quod si culturæ præfuit Alexander Candelorius, si contractibus invigilavit, cæterisque latifundii negociis; si fructus latifundii, nonnisi ex auctoritate, et ejus venia venditi fuerunt: id quidem non alia de causa factum est, nisi quia ita constituere ad majora mala vitanda in prædicta apocha placuit. Non erant ergo vexandi Candelorii pro administratione latifundii, quam ex stipulatu uni semper Garofoli retinuere, ac reddendarum rationum obligatio ad unam arcam negociationis cohibenda erat.

Et ita, confirmata priori Decisione, Omnes Domini una mecum judicarunt, Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

IN RE COMMERCIALI

Lunae 18 *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Tum ratione personarum, tum ratione rei in contractum deductae, jurisdictione pollent Judices Commercii. Et quicumque merces emit, ut carius vendat, jurisdictioni Tribunalis mercatorii est subjectus.

SUMMARIUM

1. *Meri agricultores, jurisdictioni Tribunalis Commercii non subsunt.*
   Qui merces emunt, ut carius vendant, Tribunali mercatorio subjecti sunt - *ibidem.* -
2. *Verbum* - DERRATA - *adeo late patet, ut res omnes venalis comprehendit.*
   Qui herbas comparavit, ut ibi pabulum haberent pecudes, actum commercialem explevit - *ibidem.* -
3. *Publicano, qui ex officio refert, omnis fides est adhibenda.*
4. *Creditori societatis actio competit solidalis adversus quemlibet ex sociis, dummodo id, ex quo creditum oritur, in causam societatis cesserit.*

DECISIO CCCXIII.

Privata apocha die 30 Septembris anni 1723 conscripta, Joannes, ac Pontaleus germani fratres Pantalei, herbas hibernas latifundii « *della Rustica* » in agro Romano existentis, quas a Domenico Del-Grandi conduxerat, Francisco Cambi, atque Angelo Santi vendiderunt, qui eo consilio herbas illas acquisiverunt, ut depastum illuc ducerent plures pecudes, quas ipsi negociationis causa, contractu quem nuncupant » *patto stucco* », tum ab aliis, tum præsertim ab iisdem fratribus de Pantaleis, alia inita eodem anno 1823 die 28. Octobris apocha deinde sibi compararunt, Herbarum venditio sub hac conditione peracta fuit, ut nimirum emptores singula in se susciperent pacta, quibus erga Dominicum Del-Grande Fratres Pantalei tenebantur. Qua de re primam pensionis ratam cum eo conventam bona fide rependendam curarunt prædicti Franciscus Cambi, et Angelus Santi: mox tamen, contendentes morbis effectas sese pecudes recepisse, ab observantia pactorum deseiverunt. Coacti hinc fratres Pantalei latifundii Locatori alteram pensionis ratam in scutis 253. Dominico Del-Grande repræbesentare, diem Cambio, ac Santio dein dixerunt coram Juridico Collegio de Mercatorum negociis jus in Urbe dicente, ubi reos conventos damnari postularunt ad solutionem argenteorum nummorum *biscentum quinquaginta trium*, quot nempe ipsi solverant latifundii locatori. Actorum votis annuerunt Urbani Commercii Judices, eo lato Decreto, de cujus nullitate, et injustitia quesiti illico rei conventi fuerunt apud Sacrum Ordinem Nostrum, a quo tamen utraque rejecta hodie fuit exceptio, ope Rescripti = *Nihil de circumscriptione, esse locum solutioni scutorum* 253 et *extandatur Decisio.*

Tum ratione personarum, tum ratione rei in contractum deductæ jurisdictione potiebantur Judices Commercii præsentem dirimendi quæstionem. 1
Codex enim Commercii *Art*, 601 ita præscribit = *I tribunali di Commercio giudicheranno di tutte le controversie relative alle obbligazioni, e contrattazioni tra negozianti, mercanti, e banchieri; in ogni sorta di persone delle contrattazioni relative agli Atti di Commercio* = Quidquid autem sit de fratribus Pantaleis, quoad Cambium et Santium ambigi nequit, quin inter negociatores recensendi sint. Negociationibus siquidem operam eos dedisse, nedum patebat ex pluribus fide dignis testimoniis, sed ex multis etiam contractibus, ac stipulationibus, ex quibus constat pecudes » *patto stucco* » ac « *a staglio* » ut inquiunt, eos conduxisse ad negociationem super lana, lacte, prendumque fætibus exercendam. Nec recte præsidium quærebant rei conventi a celeberrimis Sacri N. Ordinis Decisionibus *in Romana Decoctionis quoad competentiam* 26 *Aprilis* 1816 *coram Emo Serlupi, ac* 2 *Junii* 1817 *coram bo: me: Piccolomini*, quia, cum

in illis ageretur de mero agricultore « *mercante di campagna* » qui certe eum negociatoribus, qui diversum hominum cætum constituunt, diversisque legibus reguntur, commiscendus non est, merito definitum fuit, jurisdictioni Tribunalis Commercii subjectum eum haud fuisse. At e contra Cambius, et Santius, cum non agriculturam exerceant, sed bibernes saltus acquisiverint ad pabulum ovibus præbendum, ac ad faciendum ex ovibus quæstum, ad illum pertinent negociatorum cætum, qui merces, ac res. quæ mercium loco sunt, emunt, ut carius vendant, ideoque jurisdictioni Tribunalis Commercii subsunt.

2 Certius competens fuit Commercii Tribunal ratione rei in contractu deductæ. Nam Lex – *reputa atti di Commercio qualunque compra di derrata, o mercanzia per rivenderla, sia in natura, sia dopo averla travagliata, e posta in opera* – ut inquit citatus Commercii Codex *Art.* 601. Jam vero vocabulum illud «*derrata*» cum adeo lato pateat, ut res omnes venales comprehendat, indole sua amplectitur etiam herbas ad oves pascendas, et negociandi causa coemptas. Quibus positis, non officit quidquid cavetur *Art.* 608 ejusdem Codicis, ubi a jurisdictione Commercii rejiciuntur – *le azioni promosse contro un Commerciante per pagamento di derrata, o mercanzie comprate per uso proprio* – Non enim ad proprium usum coemptæ herbæ dici possunt, quæ imo si comparatæ fuerunt, ut ibi pabulum haberent acquisitæ negociationis causa pecudes, ipsa etiam herbæ in eumdem negociationis finem coemptæ necessario dicendæ sunt, quia sine herbis exerceri pecudum negociatio nequibat. Rite ergo, et recte institutum judicium fuit coram Judicibus Commercii, quorum definitivo Decreto album calculum merito Patres adjecere.

3 Si namque herbarum venditio sub ea conditione inita fuit, ut emptores pactis omnibus succederent, quibus erga Dominicum Del Grande sese devinxerant Fratres Pantalei, nulla ratio suberat, cur data fides violari deberet, et annuæ pensionis solutio detractari, sub qua Latifundii conductionem Fratres Pantalei stipulati sunt. Nec excusare solutionis defectum poterant Cambius, et Santius ex morbis, quibus affici objiciebatur pecudes ab iisdem Fratribus Pantalei sibi comparatas. Nil commune habet stipulatio una cum altera. Quin imo contractus herbarum, non modo tempore anterior est, sed diversa quoque, ac distincta syngrapha continetur. In præsens de pretio herbarum agitur, quod nulla ratione ducti detrectant emptores, quodque pactorum religio suggerit, ut illico solvatur. Si deceptus e converso se putant Cambius, et Santius ex pecudum contractu agant peculiari judicio adversus Pantaleos, quod cæteroquin nunquam cis proderit. Utcumque enim mala scabie pecudes urgerentur, dum montanis pascui nutiebantur, ab hoc tamen morbo convaluisse, anteaquam ad marittimas regiones redirent, tum exploratum est ex testibus, tum magis confirmat, qui ex officio pecudes invisit, publicus minister, et publicanus, cui adhibenda omnis fides erat. Quod si, ut pariter diecbatur, parum lactis, velletris, ac fœturæ pecudes dederunt, id sane nec satis probatum erat, nec, si probaretur, argumento esset, hæc mala ob præcedentem, et sanatum scabiei morbum evenisse. Plures imo aderant opiliones, et peritissimi agrorum cultores, qui hæc vitia, non a veteri scabie, sed ab una custodum socordia, et defectu pascuorum oriri profitebantur.

Idipsum confirmabat, pluribus innixus scriptorum auctoritatibus, ac præcipue *Columellæ de Re Rustica*, præstantissimus Archigymnasi Romani in re medica Antecessor Aloysius Metaxà, qui extra judicii ritum de sententia sua rogatus respondit, ovium abortus, ac tennitatem lactis, et lanæ ab incuria pastorum, et pabulorum inopia, non a morbis, a quibus oves convaluerant, repetendam esse. Animal quippe sanatum reducitur in pristinum statum, perinde ac si nunquam in morbum incidisset. Longe itaque erat quod locum sibi vindicaret pactum, et com- 4

missa dici posset stipulatio, qua contrahentes voluerunt, ut nullum solveretur pretium, ac pecudes commode, vel incommodo locorum in latifundo manerent, si morbo aliquo afficerentur. Juris imo ratio exigebat, ut ad solutionem pretii herbarum, tam Cambius, quam Santius *in solidum* damnarentur. Quamvis enim unus Cambius apochæ venditionis herbarum subscripserit, subscripsit tamen nomino otiam socii sui Angeli Santi, quo cum societatem contraxisse super pecudum fructu, nedum plures alii contractus, sed plura etiam judiciaria acta revincebant. Creditori autem societatis actio competit *solidalis* adversus quemlibet ex sociis, dummodo id, ex quo creditum oritur, in causam societatis cesserit. *Zanch. de societat. part.* 2 *Cap.* 10 *num.* 92. At hærbe adeo cesserunt in causam societatis, ut sine herbis pecudum societas, neque iniri, neque ad exitum perduci posset.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

IN RE COMMERCIALI

Lunae 1 *Octobris* 1827.

ARGUMENTUM

Solutio est quid facti, et proinde factis, invictisque monumentis comprobari debet: nec ad eam evincendam idoneae sunt conjecturae, nisi vehementes istae sint, adeoque graves ut monumento solutionis aequipolleant.

SUMMARIUM

1. *Jurisdictioni judicium commercii recte subjiciantur personae quae emerunt merces non in proprium usum, sed negociationis causa.*
   Documentorum exhibitio quae non nisi ab actore suppeditari potuerint expresso procurationis mandato aequipollent - ibidem. -
2. *Quando aliquid emptum fuit non in genere sed in specie pro certa quantitate, si quantitas pretium solutum non attingit, reliquum ex ipso pretio restituendum.*
3. *Existentia collybisticae literae penes eam qui eam se dimisisse contendit optime solutionem evincit.*
4. *Non semper ex temporis lapsu, quo creditor siluit, argui potest praesumpta debiti solutio.*
5. *Qualitas judicii mercatorii exigit, ut bona fides, ac sola rei veritas prae oculis habeatur, remotisque subtilitatibus, et apicibus juris judicium de bono et aequo feratur.*

DECISIO CCCXIV.

Sationes omnes Kalini cineris, quas duo agricultores Franciscus Derossi, ac Thomas Mercuri peragerant in rure suburbano ad collem exquilinum posito, quod a nobili Negronia familia, ad quam pertinet, nomen accepit, per apocham anno 1810 tertio nonas Sextillis exaratam, coemit, certo constitoto pretio, Franciscus Patriarca, qui etiam nummos argenteos biscentum arrhæ caussa venditoribus in antecessum numeravit. Postea tamen, quasi gestis contractus Patriarcam pænituisset, eodem die, ac in ima ejusdem apochæ cera do illius cessione egit cum negociatore Istraelita Abraham Baraffael, qui ideo, solutis scutis biscentum quot cedens repraesentaverat agricultoribus; omne damnum, lucrumve negociationis sibi suscepit, ac sese in solidum pro pactorum implemento erga agricultores ipsos devinxit. Ortis vero cedentem inter, ac cessionarium dissidiis, res primum in judicium deducta fuit: sed deinde, concordia inita eodem anno 1810 postridie idus Septembris, jus cessionis abdicavit Judæus, illudque denuo collatum hoc pacto in Patriarcam est, ut prior teneretur integram Halini cineris quantitatem ab agro recolligendam sibi comparare pretio scutorum septuaginta duo in singula millena, ac preterea sumptus obire combustionis, ac translatiunis cineris cum pretio ipso deinde compensandos. Cautum autem diserte fuit, ut si plus in pecunia ab Judæo solutum fuisset, quam in merce receptum, id omne, quod mercem excederet, restituendum ei esset.

Factum ex hoc est, ut plures pecuniæ summas ad vim usque scutorum octingentum sexaginta identidem persolverit Hæbræus, quin tamen ne eam

quidem receperit Kalini eineris [quantitatem, quæ traditæ pecuniæ medictati responderet. Siluit ille, donec vixit, ob debitoris inopiam: eo nihilominus elato nuperis annis, cum ex ejus Kalendariis, atque codicibus comperire datum hæredibus fuerit, traditi cineris valorem ad scuta 419. 92 ½ vix evehi, ideoquo creditorem superfuisse defunctnm Abrahamum in scutis quatuorcentum quadraginta, obolisque septem cum dimidio; satius idcirco duxerunt, auctoritatem Capitolini Judieis implorare, ut procuratur ad agendas lites hæreditati defuncti eonstitueretur: quo demum impetrato, electoque ad hoc munus honesto Curiæ nostræ causidico Bartbolomæo Bellio, bic statim in jus rapuit Patriarcam apud urbanum commercii, et mercatorum Collegium, a quo damnari reum conventum ad prædictæ summæ solutionem, obtinuit. Provocavit is quidem ad Saerum Nostrum Auditorium, ubi de nullitate, ac injustitia prolatæ ab urbanis commercii Judicibus sententiae questus est: sed hodie, controversia mature perpensa, cum baud dignae visae fuerint querelae istæ quae exciperentur, merito rescriptum est = *Nihil de circumscriptione; esse locum solutioni scutor.* 440, *et ob.* 07 ½, *et extendatur Decisio.*

1 Perperam de eircumscriptione tam ex jurisdictionis vitio, quam ex defectu mandati querelam movere Patriarcam, luce ipsa clarius est. Si enim de jurisdietione sermo sit, illud eertum est, mereaturam exereuisse tum defunctum Abraham Baraffaelium, tum ipsum, qui nunc de nullitate conqueritur, Franciscum Patriarcam in præsens exereere, ac jurisdictioni Tribunalis Commercii obnoxios per consequens fuisse. Verum nedum ratione personarum, sed ratione etiam rei in contractum deductae jurisdictioni Judicum commercii quæstio subjieiebatur. Ambigi siquidem nequit quin inter contrahentes actum fuerit de emptione, ac venditione mercis non in usum proprium eonvertendae, sed ad emporia negociationis eaussa transmittendae, quo sane casu nemo dixerit, rem jurisdietioni Tribunalis eommercii haud subesse, nisi violare simul velit, atque impune eontemnere manifestam legis eensuram, quae = *reputa atti di commercio qualunque compra di derrate, e mercanzie per rivenderle sia in natura, sia dopo averle lavorate, e poste in opera* =, ut scriptum est *art.* 602 judiciariae commercii praxeos. Idem dicendum est de objecto mandati defectu. Quamvis namque peculiare desit procurationis mandatum; aderat tamen generalem ad acta delatum, nempe decretum Judicis Capitolini, quo causidico Bellio quaestionum omnium ad haereditatem Abrahaam Baraffael spectantium defensio commissa fuit. Accedit, eumdem causidicum apud acta detulisse apodicticum quemdam calculum haereditatis creditum praeseferentem, cujus elementa nonnisi ab actoribus habere potuerat: idque præcipue, quia veritas ejusdem calculi novis monumentis ab ipsis actoribus traditis demonstrata fuit. Jam vero documentorum exhibitio, quae nonnisi ab actore suppeditari potuerint, expresso procurationis mandato aequipollet juxta sanctionem *art.* 68 praefatae commercii praxeos. Inanissimum ergo erat, irritam, nullamque traducere sententiam illam, quae valida prorsus fuit, et ad neotericae praxis tramites edita.

Ad justitiam sententiae quod attinet, ne ipse quidem Franciscus Patriarca denegabat, valorem traditae mercis ad scuta 419 92 ½ tantum pervenisse; sed hoc unum regerebat, totum Kalinum cinerem ab agro recollectum Hebraeo traditum fuisse: quod sane non satis erat, ut sese posset a solutione subducere. Non enim in genere emit Haebreus, uno praefinito pretio scutorum septingentum decem, Kalinum cinerem, qui ab agro recollectus fuisset: imo vero in specie Kalinus cinis in contractum ita deductus fuit pretio scutorum septusginta duo in singula millena, ut si merces solutum pretium non attingeret, quod reliquum ex ipso pretio erat, restituendum foret emptori. Convenit siquidem « *che se il prezzo della soda risulterà minore della somme, che dovrà improntare il Sig. Ba-* 2

raffael, sarà obligato il Sig. Patriarca di restituirgli il di più pagato ». Quod autem peculiari pacto conventum fuit rationi potissimum congruebat. Leges namque, quae aequalitatem in contractibus maxime desiderant, haud patiuntur, ut alter ex contrahentibus questum, lucrumque faciat cum non levi alterius contrahentis jactura. Si itaque a quantitate scutorum octingentum sexaginta, quot Judaeus persolvit, valor Kalini cineris detrahatur in scutis quatuorcentum decem novem, obolisque nonaginta duobus cum dimidio; facile calculanti patebit, creditricem superesse Abrahami hæreditatem in scutis quatuorcentum quadraginta, et obolis septem cum dimidio, quae restituenda ex stipulatu sunt: cum nihil magis fidei congruat humanae, quam ea, quae placuerunt, religiose servari. *Leg. Non minorem* 20 *Cod. de transact.*

3 Nec ad minuendam quantitatem pecuniæ ab Judeo persolutæ recte in discrimen revocabatur summa argenteorum nummorum centum Thomæ Mercurio traditæ ex mandato ipsius Francisci Patriarca, quod forte in nummaria sceda deficiat ejusdem Thomæ acceptilatio. Animadvertendum quippe est Mercurium illiteratum esse, atque idiotam, qui ideo se subscribere schedæ non poterat. Non ideo vero minus de facta solutione constat, semelac nummaria sceda, seu collybistica litera, quam Thomæ solvi ab Judæo jussit Franciscus Patriarca, penes ipsum remansit Judæum. Existentia enim literæ penes illum, qui eam se dimisisse contendit, optime solutionem evincit: *leg. Labeo ait* 2 *ff de pactis, Rot. in Rec. dec.* 225 *n.* 16 *part.* 10 *et decis.* 2 *n.* 10 *tit. de Legat. cor. Falconierio.* Plus autem ad confusionem in re planissima ingerendam, quam ad veram defensionem parandam idem querebatur Franciscus *aut* de scutis biscentum a se agricultoribus arrhæ nomine solutis, quasi restituta ei non fuissent; *aut* de aliis scutis quadraginta, quæ cedere in sui commodum, ac utilitatem debere, cum iisdem agricultoribus convenerat. Quo enim tempore de cessione contractus emptionis venditionis Kalini cineris inter Hebraeum, ac Patriarcam actum est, statim hic postremus recuperavit scuta illa biscentum a se antea Kalini cineris venditoribus numerata, teste litera ipsa cessionis, in qua emptum cinerem eodem pretio cum agricultoribus convento cessit idem Franciscus = *per aver ricevuto lo sborso come sopra di scudi duecento* =. Compensationem demum illam scutorum quadraginta non sibi pepigit Franciscus cum Judeo, sed imo cum agricultoribus, contra quos jura sua illa debet experiri tam pro compensatione ipsa assequenda, quam pro condicenda pecunia, quam indebite fortasse receperint. Quoad Hæbreum, qui sumptus pro comburendo, exportandoque cinere ex pacto erogare tenebatur, sat est ostendere, quid revera solverit, ut si quid præter, et ultra acceptam mercem rependerit, ab uno Francisco Patriarca, cum quo contraxit, condicere valeat.

Quo cum res perducta sit, haud Dominos de eorum sententia dimovere potuit animadversio ex officio facta, juris præsumptioni resistere, quod negociator Israelita (quod genus hominum constat in negociis agendis esse sollertissimum) spatio plurium annorum, donec scilicet in humanis versatus fuit, silentium ea de re jugiter servaverit. 4
Cum enim de præscriptione crediti, quæ cæteroquin odiosa semper est, ac præ difficultate sua piscationi anguillarum a Doctoribus solet assimilari, ut animadvertit *Costa de scient., et ign. cent.* 2 *dist.* 6 *num.* 19, ne meminerit quidem, qui reo convento patrocinabatur, præsumendum omnino erat, in judicialibus, extrajudicialibus saltem actibus, qui intercipiendæ præscriptioni pares sunt ipsius præscriptionis cursum in themate interruptum fuisse. Nec ratio deerat, cur, quamdiu vixit, Hebræus tacuerit, nec debitorem suum judicio vadaverit. Tanta enim laborabat inopia, ut nulla spes creditori suppeteret quidquam ab eo consequendi quamvis usque ad saccum ut inquiunt, *et peram* excusso. Inutilis autem est actio, quam inopia debitoris excludit. *Leg. Nam is* 6 *ff de dol. mal. leg. Titius* 76 *ff de Procurat., Mar-*

Aesan. de commiss. part. 3 § 1 *num.* 49, *Bollet. disquisit. Cleric. debit.* § 1 *num.* 3, *Rot. decis.* 445 *num.* 9 *cor. Emerix Jun.*, *et decis.* 465 n. 32 *cor. Ansaldo*. Nec ex temporis lapsu, quo creditor siluit, recte argueretur præsumpta debiti solutio, de qua pariter nec verbum, nec volam fecit in hoc jurium experimento rei conventi defensor. Solutio enim, quæ quid facti est, factis, invictisque monumentis comprobari debet: nec ad eam evincendam idoneæ sunt conjecturæ, nisi vehementes istæ sint, adeoque graves, ut monumento solutionis æquipolleant. *Rot. post Salgad. labyr. credit. decis.* 23 *n.* 9 *post Merlin. de pignor. decis.* 231 *num.* 18, *in Rec. decis.* 294 *n.* 13 *part.* 19 *tom.* 1 *et decis.* 474 *n.* 2 *cor. Riminaldo*.

5 Hujusmodi vero non erat servatum a creditore silentium, ut eo facile præsumi possit expleta debiti solutio. Temporis siquidem lapsus, utut diuturnus, cum non satis sit ad perimendam obligationem; nec aptus idcirco est ad inducendam solutionis probationem. Sola hinc acquiescentia aliis destituta præsidiis, atque argumentis abesse non valet ob eam rationem, quia creditor, jus suum salvum esse sciens, silendo nullum sibi præjudicium infert. *Rot. in Albanen. Dotis et fructuum* 23 *Februarii* 1752 §12, *et in confirmatorio* 23 *Januarii* 1753 § *fin. cor. Elephantutio*. Leve etiam fuisset objicere, defunctum Abrahamum minime latuisse, quantum oneris confici posset, quia contractus, de quo quæritur, ipsi antea cessus fuerat, qui propterea præsumendus non est, quod integrum pretium incuriose voluerit numerare, si merces in adeo minori quantitate repertæ fuissent: cum praecipue jus ei esset ex stipulatu custodem apponendi, qui combustioni, ac transportationis cineris invigilaret. Atqui non inficiabatur Franciscus Patriarca, traditum cinerem scutis decem novem supra quatuorcentum, obolisque nonaginta duo cum dimidio vix aestimari. Utcumque id inficiatus fuisset, praesto erant Hebraeo domestici codices, ex quibus recepti cineris quantitas erui poterat. Quo posito, locum sibi vindicat pactio diserta contractus inter Hebraeum ac Patriarcam initi, qua cautum, ut si pretium cineris solutam haud aequaret pecuniam, quod superaverat, restituendum Judaeo esset. Caeterum mercatorii, in quo versamur, judicii qualitas, omnino exigit, ut bona fides, ac sola rei veritas præ oculis habeatur, remotisque subtilitatibus, et apicibus juris, judicium de bono, et aequo feratur. *Leg. de submersis* 5 *Cod. de naufrag.*, *Marquad. de jur. mercat. lib.* 3 *cap.* 7 *n.* 5, *Stracc. de mercat. cap.* 4 *n.* 1, *Kurich. ad jus. maritt. tit.* 2 *art.* 3, *Rot. in Romana, seu Liburnen, Pecuniaria* 17 *Martii* 1806 § 5 *cor. Resta. et in Anconitana Pecuniaria* 5 *Junii* 1820 § *ult. cor. Me.*

E ita hoc sollemni die aperitionis Rotae tres tantum ex Patribus, caeteris absentibus, jus reddidere, utraque parte dimicante.

ROMANA SEU FERRARIEN.

NULLITATIS EXTINCTIONIS

CENSUS

Veneris 23 *Novembris* 1827.

ARGUMENTUM

In extinctione census, sunt observanda ad unquem, ea omnia, quae praescribuntur in Constitutione Piana. Et si quid, omissum fuerit, id secumfert retroveditionis nullitatem, ac fructus hoc casu semper decurrunt

SUMMARIUM

1. *In census extinctione sub poena nullitatis omnia sunt observanda, quae a Piana constitutione statuta sunt.*
2. *Denunciatio quod facti est, adeo factis evincenda est, ut demostrari per indicia, et conjecturas non possit.*
3. *Administratores rerum Ecclesiasticarum non possunt suo libito quid minimum remittere quod in perniciem Ecclesiae sit profuturum.*
4. *Irrita est census extinctio, si denunciatio praemissa non sit, et damnum ex praematura census extinctione creditor passus est.*
5. *Qui male solvit ab obligatione sua non liberatur, et solutionem ipsam iterare tenetur.*
6. *Ad tramites notissimae Extravang. Ambitio-*

nae de Req. Eccle. non alienandi, cum censum extinctio alienationem sapiat, non aliter sustineatur quam accedente Apostolico Beneplacito.

7. *Distinguendi sunt casus a casu, et idea non sunt in exemplum adducenda Sacri Tribunalis oracula si quaestioni non conveniant.*
8. *Contractus suapte natura individuus, ne irritus nequit partim rescindi, partim approbari.*
9. *Pactum evictionis plus tabellionis loquacitati quam contrahentium intentioni tribuendum, cum contractui simuletur eique accessorium sit.*
10. *In provocationis gradu postremo correspondali causa committi debet, ut omnes judices appellationis novi ad suffragium ferendum accedant, et appellatio ipsa hoc modo prosit appellanti.*
11. *Instantia promota cor. Signatura absque inhibitione, non impedit quominus procedatur Sacri Auditorii Decanus amplissimis pollet facultatibus pro destinatione, aut subrogatione, ponentis - ibid. -*

DECISIO CCCXV.

Confirmationis pondus hodie promeruerit Sacri Nostri Auditorii Sententia, binis praeeuntibus Decisionibus, prima diei *sextæ* Decembris superioris anni, altera diei *decimæ sextæ* Februarii anni prope labentis, a *R. P. D. meo Muzzarellio* subscripta, in qua definitum est, insanabili nullitatis vitio infici census extinctionem, quem per publicas tabulas anno 1798., ad diem *sextam supradecimam* Junii initas, in re trepida, ac cum tesseris nummariis, seu cædulis, ab hominum opinione collapsis, et jam reprobandis, redimendum curavit Comes Ferdinandus Trotti, Ferrariæ Patricius, fervente lite defunctus, erga Canonicos Regulares S. Laurentii Martyris extra moenia Urbis ejusdem Census creditores. Cum vero quæstio nullitatis extinctionis Census cui caussam præbuerit anterior Judicii A. C. Collegii, recens abrogati, sententia, cujus ope rejecta fuerat actio solutionis fructuum Census; quousque in implicito maneret validitatis statu extinctionis Instrumentum, ex Signaturæ Justitiæ Rescripto delata ad Sacrum Ordinem fuisset, *tamquam in prima*, factum propterea est, ut appellationem adversus prædictam Rotalem Sententiam interponeret, veluti pragmatici dicunt, *sub bancha* Camillus Trotti, Ferdinandi filius. Cum vero ipse postea de eadem appellatione prosequenda minime fuerit sollicitus, Canonici Regulares S. Laurentii extra moenia curaruot, ut Caussa mihi committeretur in provocationis gradu cognoscenda. Hodie tamen, dum erat renovandum periculum, nullam is paravit defensionem et inducias tantum postulavit, quas PP. DD. merito denegarunt, dato ad assuetam, quæ proponebatur, Dubii formulam Responso = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

Adeo siquidem in oculos insilit, et 1
manibus fermo contrectatur justitia Rotalis Sententiæ, quæ nullam, irritamque fecit, extinctionem, seu retrovenditionem Census, ut eamdem jugiter sortem appellans expertus fuisset, etiamsi maximo restitisset, et jura proposuisset suo. Tribus porro de causis, quarum altera tantum satis superque in re præsenti esset ad vitiandum actum, irrita fuit Census extinctio: *tum* scilicet ex omissa denunciatione, seu *disdicta*, quæ ad tramites Pianæ Constitutionis, ad quam sese contrahentes in stipulatione Census retulerunt, a debitore præmitti oportebat, ut creditores de futura extinctione monerentur: *tum* rursus ob non factam bimestris temporis, a die initæ denunciationis incipientis, moram, antequam Census redimeretur: *tum* denique ob prætermissa solemnia, quæ in bonorum Ecclesiasticorum distractionibus servari jubent Sacri Canones. Quoad *primum*, atque *alterum* denunciationis, ac bimestris interstitii defectum, haud interprete indiget famigerata Constitutio S. M. Pii V., ubi ad legitimam Census retrovenditionem inducendam potissimum requiritur, ut per *duos menses ante* de proxima extinctione creditori denunciatio fiat, quæ, nedum ex litera legis, verum etiam ex consuetudine, et observantia *judicialis* esse solet: nec aliter præterea Censum liceat redimere, nisi *post emensum integrum bimestre* tempus, a die initæ denunciationis inchoandum. Cum enim debitor

semper possit, quocumque demum tempore velit, a censualium usurarum præstatione liberari ope redemptionis Censns, cui sese objicere creditor nequit, ne quid ideo detrimenti creditor ipse caperet ex pecunia mox restituenda, æquitati, ac justitiæ congruum visum fuit Divo Pio, celebris illius Constitutionis auctori, ut tempus aliquod ei concederetur ad indemnitati suæ consulendum, ac pecuniam novo fænori collocandam. Si secus res foret, tunc omne compendium, quod ex facultate redemptionis oritur, unum afficeret debitorem, totumque damnum percelleret creditorum, cui ociosa pecunia maneret; idque inæqualitatem secumferre nemo non intelligit, a qua leges nostræ plurimum abhorrent, et ipsum abhorruisse Pontificem Constitutionis spiritus docet.

2 Nedum autem Pianæ Constitutionis censuram, sed pactum quoque disertissimum debitor pessumdedit, atque posthabuit, dum ad Census extinctionem properavit, omissa, denunciatione, nec expectato duorum Mensium exitu a die factæ denunciationis. In censualibus quippe tabulis, tum sanctioni Pianæ legis sese contrahentes generatim accomodarunt, tum *nominatim* cautum voluerunt, ut non aliter, quam denunciatione præmissa, Censum retroemere debitori fas esset. Si ergo sola violatio legis irritas reddidit tabulas extinctionis; multo sane magis irritæ renuncientur oportet, ex quo violata etiam fuit potissimam conventio contractus, ut probant binæ, quæ Sententiam Sacri Auditorii præiverunt, Decisiones, utrobique §. 4. Inane proinde fuisset iterum excipere, quod ex tot annorum fuga, quot ab inita Census extinctione ad motam usque litem effluxerunt, ac post obitum quoque debitoris præsumenda denunciatio sit. Etenim, cum denunciatio quod *facti* sit, adeo *factis* evincenda est, ut demonstrari per indicia, et simplices conjecturas non possit; cumque imo denunciatio ipsa ex observantia, *servato judicii ritu*, fieri debeat, nunquam ei satisfactum censetur, nisi judicialis disdicta, apparitoris ope, ad creditorem transmissa, et subsequens Decretum Judicis in medium afferantur. De his ne vestigium quidem in re præsenti erat: nec vel a longe tabulæ extinctionis innuunt, quomodo, per quænam tabellionis acta, quo Judice probante, quo demum tempore missa denunciatio fuerit. Quin imo adeo de prætermissa denunciatione constat, ut a contrahentibus cautum fuerit, ita per *fictionem*, quæ veritati directe refragatur, habendam eam esse, perinde ac si interposita fuisset.

Nec refert, illis Instrumenti verbis 3
= *la disdetta a forma della Bolla Piana d'ambe le Parti dichiara per fatta* = alia adjecta non fuisse = *benchè non fatta* =, ut exinde demonstraretur nullam intercessisse denunciationem. Ut ut enim hoc modo clarius sese contrahentes explicassent, non est tamen denegandum ex adhibita oratione, satis apparere nullam præmissam fuisse denunciationem, nec expectatum bimestris temporis spatium: cum præcipue mox recitata verba = *la disdetta da ambi le parti si dichiara per fatta* =, non sola per se jaceant, sed alia deinceps eadem periodo sequantur = *e dalla Canonica come avuta, e ricevuta, e come inserita anche nel presente Istromento* =, quæ, cum adverbio illo *tamquam*, fictionem indole sua præseferente, conjuncta, digito ferme ostendunt de denunciatione præmittenda sollicitum sese debitorem minime præbuisse. Atque, cum Religiosis viris, si præsertim de rebus Ecclesiasticis agatur, vetitum sit quidquid de juribus sibi competentibus remittere; tum ad Census extinctionem procedere sine prævia denunciatione ipsi omnino prohibebantur. Potest utique remitti denunciationis obligatio: atque huic beneficio Censuum creditores facile renunciant. At hoc jure non utuntur, nisi privati homines, et ii, qui rerum suarum sunt liberi moderatores; minime vero viri Ecclesiastici, et Religiosi, qui moram habent bonorum administrationem, quique, si ex administratoribus in dominos, atque arbitros converterentur, idem esset, ac totam Ecclesiasticam disciplinam a fundamentis suis ausu nefario convel-

lere. Videris præteritas Decisiones, primam §. 5. alteram §. 4.

4 Gravissimum præterea nullitatis vitium, quo inquinatur Census extinctio, abstergi nequit ex peracta solutione fructuum Censualium ad duos usque menses, qui post denunciationem expletam præterlabi debent, quasi ideo, non expectato bimestris temporis spatio, Censum redimere fas sit, ob reparatum quodammodo damnum, quo affici creditor posset, si ociosam prædicto tempore pecuniam retinere cogeretur. Si aliquando namque præcox Censuum extinctiones, solutis a debitore fructibus per subsequens bimestre decurrendis, probatæ ab Ordine Nostro fuerunt, id sane evenit tantum in casu, in quo denunciatio non fuerit *in pactum deducta*, aut *nullum* ex Census extinctione creditori *damnum* obvenerit. Utcumque e contra soluta inter stipulandum fuerint bimestris temporis interusuria, constanti judicio irritæ factæ sunt Censuum extinctiones, si *vel* denunciatio præmittenda erat ex stipulatu, *vel* damnum ex præmatura Census extinctione creditor passus sit. *Rot. in Romana Census* 21. *Martii* 1801. §. 3. *cor. Gardoqui, in Romana Census* 26. *Junii* 1827. §. 9. *cor. Rmo Pianetti, Episcopo Viterbiensi*, *et in confirmatoria* 25. *Novembris ejusdem Anni* §. 7. *coram Eodem* = Utrumque in re nostra comprobatur: *pactum* scilicet præmittendæ denunciationis, de qua ratio habita huc usque fuit: ac *damnum* insuper, cui caussam dedit præmatura solutio, et quod certe Canonici non tulissent, si denunciatio expleta, et expectatum bimestre tempus fuisset, antequam fieret extinctio. Paullo enim post extinctionem, et longe antea, quam elaberetur bimestre tempus, nummariæ illæ tesseræ, cedulæ vulgo nuncupatæ, aut penitus ex notissimis Gallorum legis sublatæ e commercio fuerunt, aut multum de earum æstimatione detractum est. Ex quo illud infortunii evenit, ut ea quantitas scutorum *bismillium octingentum*, quæ a Canonicis in aurea, argenteaque moneta debitori Census tradita fuit, mox ab eo reddita in tot tesseris papyraceis proxime reprobandis, evulgata reprobationis lege, in inutile fere, et concremandum conversa fuerit chartarum involucrum. 5

Jam vero quantum justitiæ congrueret, ut tantum infortunium damno cedat Canonicorum, si ea servata fuissent, quæ erant ex jure servanda, tantum decet, ut in unum Census debitorem, aut ejus hæredes rejiciatur violata per fraudem legum censura. Qui enim male solvit ab obligatione sua non liberatur, et solutionem ipsam tenetur iterare. *Leg. Si unus* 28. §. *Pacta ff. de pactis, Gotifred. in leg. Si heres* 110. *lit. F. ff. de Legat. et fideicommissis* 2. Consulantur quoque Decisiones, quæ Rotalem Sententiam præcesserunt, prior §. 7. et alia §. 9. Calumniæ autem proximum fuisset, fabulam refricare de Censu anno 1734. a Canonicis non præsenti pecunia, sed cum nummariis schedis ab argentaria mensa S. Spiritus solvendis; ex quo perperam arguebantur, eadem licere in redimendo Censu papyraceæ monetæ speciem restituere, quam in stipulatione Census debitor acceperit. Sed commentum diluit tabularum litera, ex qua patet, unam argenteam aureamque monetam traditam a Canonicis fuisse, et a debitore exactam ab eadem argentaria Mensa S. Spiritus. Ea siquidem pecuniæ vis, de qua postea Censum iniri placuit cum Comite Camillo Trotti seniore, ut tuto in loco maneret, quousque fænori collocaretur, a Canonicis inibi deposita fuerat. Ut primum vero occasio sese obtulit honestum lucrum ex stipulatione Census assequendi, tunc quatuor schedis Canonici subscripserunt ut b Ministris Argentariæ Mensæ S. Spiritus, ac respective Sacri Montis Pietatis, resoluto deposito, pecunia numerata solveretur in actu ipso stipulationis, quemadmodum ex tabulis impositionis Census factum fuisse patet. Quæ cum ita sint, pecunia vero numerata fuit, prout exigit Piana Constitutio. Nihil vero interest, an eadem pecunia in actu ipso impositionis Census a Canonicis S. Laurentii, vel potius a Ministris utriusque Nummariæ

in vim Ordinum ab iisdem Canonicis scriptorum fuerit numerata. Cæterum etiamsi Census mediante traditione dd. quatuor Ordinum fuisset impositus, tamen nec pauxillulum quidem peccatum fuisset adversus formam, aut substantiam Pianæ Constitutionis, quæ numeratam pecuniam in censualibus stipulationibus omnino requirit. Reque vera ipse S. M. Pontifex in quadam declaratione Constitutionis suæ aperte constituit, numeratæ pecuniæ vices gerere *bancarias cedulas*: neque secus tradidit ad prædictæ declaratoriæ normam *Cenc. de Censibus quæst.* 50. *num.* 13., et Sacer Ordo in *Recen. Decis.* 57. *num.* 3., 4. *p. et Decis,* 356. *num.* 5. *p.* 18. *et Dec.* 430. *num.* 4. *p.* 19.

6 Nullitas demum extinctionis census luculentior etiam fit ex defectu solemnium. Cum porro Censum extinctio *alienationem sapiat non aliter ideo sustinetur, quam accedentibus Apostolici Beneplaciti solemniis ad tramites notissimæ Extravag. Ambitiosæ de rebus Eccl. non alienandis S. M. Pauli II.* Opponebatur alias Census retrovenditionem actum præseferre omnino *necessarium*, qui non indiget solemniis a Sacris Canonibus præscriptis in distractione bonorum Ecclesiæ: sed nihil ineptius objici poterat. Tunc utique naturam, atque indolem actus *necessarii* extinctio Census induisset si Canonici haue impedire potuissent quominus censuale nomen a debitore redimeretur: idque non alia ratione fieri poterat, quam ad unguem impletis iis omnibus, quæ mandat Piana Constitutio. Ubi vero legitima denonciatio minime præiverit, nec bimestrales induciæ creditori concessæ præterlapsæ sint, numquam retrovenditio Census ad actus refertur, quos necessitas parit. Census igitur extinctio actum redolet, quoad Canonicos, prorsus *voluntarium*, qui retrovenditioni Census, vel assentiri poteraot, vel adversari. Si tamen ei assentiebantur, id non aliter facere valebant, quam ex auctoritate, et venia Apostolica, veluti, distinguendo casum, quo et denunciatio, et bimestralis mora servatæ fuerint; ab altero, quo utraque fuerit prætermissa, optime docent Decisiones *R. P. D. Mei Muzzarelli* §. 8. *et* 10. Quod si temporibus asperis, aui impossibilis, aut difficilis aditos erat ad Summum Ecclesiæ Antistitem, qui a Sede sua fuerat avulsus, et piaculo omnium improbissimo, in exteras Regiones traductus, aderat tamen, qui in Urbe Romæ ejus sacra vice palam, et publicæ fungebatur, quique alienationes hujusmodi, et alios Ecclesiæ contractus pluries approbavit.

Quidquid autem in præterita actione dicebatur, multis precibus inductum a Canonicis fuisse debitorem ad Censum redimendum, nedum ineptius, sed impudentius est Collum enim flectere Canonici debuerunt temporum difficultati, qua maxime in Ecclesiæ detrimentum debitor proficere voluit; ut æs alienum, certe non leve, levium chartarum, quarum imminebit interitus, numere luceret. Hac de causa procurationis mandatum Ferraria, quam Forum Alienum vocant Romam misit ad Comitem Simonetti, ut incredibili fere præcipitantia census retrovenditionem cum Canonicis procuraret. E contra non tanta præsumenda est in Canonicis ipsis vecordia, ac mentis alienatio, qui vellent redditui certo, ac duabus ædibus inhærenti, valedicere, ut papyri congerium acquirerent, quæ paulo post adeo viluerat, sutut ne ad cam quidem coemendam amplius esset idonea. Neque erat cur debitor, si præsentiam sui fecisset, abuteretur Decisione mea in *Romona Nullitatis Reductianis fructuum Censuum* 15. *Julii* 1821. In specie siquidem illius Decisionis non agebantur de retrovenditione Census, ut opus denunciatione, et bimestralibus induciis foret. Res tantum crat de *reducendis* Census *interusuriis* ex caussa prorsus *necessaria* præcedentis Pontificii Chirographi, ex quo facultas facta fuerat debitori bona fideicommissaria alienandi, ut ex eorum pretio vel caput Census redimeret, vel ejus fructus ad minorem mensuram cobiberet. Si hanc punctim Legem continebat Placitum Apostolicum, haud dici potest, Pontificiam auctoritatem in eo reductionis contractu defecisse: neque necessum 7

erat novum implorare Chirographum, ut id fieret, quod jam Pontifex auctaritate firmaverat sua. Non sunt autem in exemplum adducenda Sacri Tribunalis oracula, si quæstioni noa conveniant, veluti ia re præsenti non coavenire nemo ex demonstratis non intelligit.

8 Absurdum deauo propiaassent Camilli junioris Oratores, si sustineadam, ia parte saltem, esse censu retrovenditioaem propugnasseat. Coatractus suapte iadole individuus, ac irritus, uti ajuat *in radice*, nequit *partim* rescindi, *partim* approbari. Multo minus id licet in themate, in quo ex tabularum publicarum litera docemur, tuac demum debitori fas esse Censum redimere, eum unica *vice* et *solutione* illius pretium rependat: quæ porro conditia haud reperiebatur in casu aliarum Decisionum ia *Romana, seu Imolen. Pecuniaria* 20. *Januarii* 1819. *cor. Ema Odescalchi, et in Romana, seu Imolen. Nullitatis extinctionis Census* 3. *Decembris* 1821. *cor. Emo Bussio*. Ex ea profecto rationa casibus prædictarum Decisionum Sacer Ordo probavit extinctionem Ceasuum utcumque non uaa, sed pluribus solutioaibus expletam, quia nimirum diserto, quod religiose custodiri decebat, pacto conveatum faerat, ut non unica, sed pluribus vicibus, ac solutioaibus Ceasus retrovendi posset. Ne tamea debitor amittat quidquid creditori suo dedit, neque Canonici cum alieaa locupleteatur jactura, sapieatissime prout in aliis, ita etiam hoc in casu voluerunt Domiai Mei, ut id omne, quod solutum est, cedat ia computum fructuum, quorum causa potior in solutioaibus habetur, juxta æstimatioaem quam in commercio habebaat cædulæ ad tempus factæ solutioais. Sic jus unicuique suum tribuitur. Nam si Canonicis impermissum erat præmatur Census extiactioni consentire, aon exquisita veaia Apostolica, non ideo facultate ipsi destituebaatur pecuaiam illam, prout erat in commercio recepta, in fructum computum accipere.

9 Nullius demam pensi suat evictionis pactum tabulis extiactioni adjectum, ac posteriores leges, quæ solutione in antecessuum factas ia *cedulis*, ratas habueruat. Pactum siquidem evictionis quod plus tabellionis loquacitati, quam contraheatium fortasse tribueadum est, cum contractui famuletur. eique accessiorium sit, cum ipso coatractui ruit nullumque gignit effectum. Nec officiunt leges, quæ solutiones, ia antecessum *in cædulis* initas probarunt. Non eaim taatum ex materiæ vitio, seu ex qualitate monetæ, qua ex tinctio Censaus paracta fuit, sed præcipuæ ex formæ scilicet denunciatioais bimestralium induciarium, ac solemnium defectu, irrita renunciata est Ceasus extinctio. Nullitas hiac Census semper maneret, etiamsi non ope cædularum, sed per auri, argentique pondus redemptus Census fuisset. Ultra porro materiæ probitatem requiritur etiam in contractibus juxta formam, qua posthabita, quidquid agitur, omaimo concidit, perinde ac si actum naa esset. Cæterum ipsae legesmonetariæ, non alitar solutiones in aatecessum factas probaruat, quam si nulla *injustitiæ labe* inficeretur. Providum quippe illarum legum consilium eo respiciebant, ut id coafirmaretur, quod beae, et ad juris normam gestum fuerat; aoa idquod ia re trepida ad fraudandos creditores, contra juris censuram, in summissis temporum augustiis debitores dolosi perpetrassent. Videndi secunda *R. P. D Mei Muzzarelli Decis.* §. 12.

10 Quo re perducta, aullum apud Dominos meos meruit plausum conperendinationis petitio a defensore Comitis Camilli ex ea ratiane proposita, quod post Rotalem Sententiam, noa mihi, sed R. P. D. Meo Marco, committenda in gradu provocatioais Causa fusset, tamquam ei, qui ultimus fuit, [ut dicunt, *Corresponsalis* in Rotali Senteatia ferenda. Primo namque in superiore actione R. P. D. Meus Marco non erat postremus, imo nec penultimus inter *Corresponsales*, sed postremus revera fuit Rmus P. D. Isaard Decanus S. Trib. emeritus, aunc S. R. E. Card. Ideo doiade coastitutum est, ut postremo *Corresponsali* Causa in provoca-

tionis gradu commmitti debeat, quia nimirum spiritus hujusce, aut legis, aut consuetudinis, in eo constitit, ut omnes Judices appellationis novi ad suffragium ferendum accedant, et appellatio ipsa hoc modo prosit appellanti. Dummodo hinc habeantur nova suffragia, præterire licet ultimum *Corresponsalem*, et causam cuique alteri, quam ei, deferre. Quin imo, ut sæpe contingit in mutatione sedum, ad nova obtinenda suffragia seligitur aliquoties in novum Ponentem idem ille, qui Ponens fuit in præcedenti instantia; idque factum fuisse constat in *Romana Immissionis* 21 *Martii* 1738 *cor. Peralta, et in Melevitana Viridarii cor. Emerix*, prout patet ex ejus *Decis.* 4. *dec.* 76. *et dec.* 285. ubi exponitur, Causam, de qua res erat, primo *cor. Emerix*, deinceps *cor. Taya* actam fuisse, ac tertio ad eumdem revertisse Auditorem *Emerix.*

11 Cum igitur, me in Ponentem electo, nova provocans suffragia consequeretur, nulla ratio suberat, cur avulsa mihi causa, aliis Ponenti committeretur, atque ita mera ficret in jure dicundo. Neque obstaculum parabat instantia hac de re promota cor. Signatura Justitiæ, quasi illius exitus foret expectandus. Animadvertere enim sat est, instantiam illam ad Signaturæ Trib. delatam fuisse absque inhibitione. Præterea neque illud omittendum, dum agitur de destinatione aut subrogatione Ponentis, amplissimis pollere facultatibus Reverendissimum Sacri Auditorii Decanum, quem, si ulla ei ratio suppeteret, Comes Trotti adire potuisset, quin querelas de re moveret apud Signaturam Justitiæ. Atque hæc, quamvis a præsenti quæstione exranea, in Decisionem meam nihilominus referri Patres Domini volueruut, ut exemplo in postremo sint, et tricarum forensium, si non amputent, imminuant tamen numerum.

Atque ita, rejecta dilatione, a Trottio petita, decisum est.

ROMANA SEU FERRARIEN

NULLITATIS EXTINCTIONIS CENSUS SUPER FRUCTIBUS

Veneris 23 Novembris 1827.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Qui contra formam a Piana constitutione praescriptam causam redimit, nihil agit et tenetur ad fructuum solutionem, donec legitimo modo censum ipsum non redimat.*
2. *Assensus Pontificis in alienatione rei Ecclesiasticae vix praesumitur post centum annos.*
   Ad inducendam actus ratihabitionem, qui ratum actum habet necesse est ut illius nullitatem noscat - ibidem -.
3. *Administratores rerum Ecclesiasticarum non possunt sanare nec ratum habere in perniciem Ecclesiae quod ipso jure nullum est.*
4. *Oritur ipso jure crediti et debiti compensatio, quando quis creditor, et debitor inveniatur.*

DECISIO CCCXVI.

Non uni tantum Rotali Sententiæ, quæ irritam, nullamqne renunciavit extinctionem Census, quo erga Canonicos Regulares Sancti Laurentii Martyris extra mœnia Urbis tenebatur defunctus Comes Camillus Trotti seoior *R. P. D. Meus Muzzarelli* subscripsil, sed alteri quoque, ex qua Censualium fructuum solutio demandata fuit. De viribus hujusce etiam Sententiæ provocatione a Comite Camillo interjecta disputatum est in hodiernis Comitiis in quibus tamen adeo justitiæ congruere tam Rotalem ipsam Sententiam, quam binas, quæ eam præcesserunt Decisiones dierum 6 Decembris elapsi anni ac 16 Februarii anni proxime labentis, compertum est, ut non potuerit, negatis induciis ab appellante petitis, assuetæ rogationi non responderi = *Sententiam Rotales esse confirmandam* =

Semel ac enim ex coæva mea De- 1
cisione super nullitate retrovenditionis Census ad ultimum usque evidentiæ

gradum demonstratum est, *tum* ex non facta denunciatione quæ ex legis, et pacti litera præmittenda erat, *tum* rursus ex omissis bimestris temporis induciis, *tum* demum ex defectu solemnium, quæ in omnibus bonorum Ecclesiæ distractionibus, ac præcipuæ in voluntariis Censuum extinsionibus requiruntur, inutiliter, ac omnino perperam egisse defectum Comitem Camillum Trotti seniorem, dum Censum contra formam a Piana Constitutione præscriptam redemit, ac Censum ipsum adhuc vigere, perinde ac si nihil actum esset necessario hinc sequitur, ut solvendi a debiture sint fructus, qui a die irritæ extinctionis usque ad motam litem cesserunt. Hinc autem oneri solvendorum fructuum satisfacere debitor in posterum quoque tenebitur, usque dum legitimo modo Censum ipsum non redimat, ut statuunt præteritæ Decisiones ante Rotalem Sententiam evulgatæ, *prior* § 3 *altera* §. 2. Neque obiiciendum, de solutione Censualium fructuum nullum ferri posse judicium, donec rejudicata declarata non fuerit nullitas extinctionis Census: judicia enim ista nullitatis extinctionis census et solutionis fructuum, quæ specie, tenus tantum duo sunt, sed unum revera formam judicii subjectum pari passu procedere debent, non inspecta solum judicii indole, reique natura, sed perpensa etiam mentæ Signaturæ Justitiæ, quæ dum controversiam super nullitate extinctionis Census *eidem Auditori Rotæ* commissit, hoc ipso voluisse significavit, ut fructuum solutio, si irrita fieret extinctio eodem
2 contextu demandaretur.

Nec spernenda est Sacri Nostri Ordinis consuetudo, ex qua sæpe sæpius quoties nullas, irritasque fuit Censuum extinctiones, toties solutioni fructuum locum esse eodem tempore declaravit, quemadmodum demonstrat secunda *R. P. D. Mei Mazzarelli Decis. loc. cit.* Nugatorium vero fuisset juge, ac diuturnum extollere servatum canonicorum silentium ab anno 1798, quo inita fuit Census extinctio, usque ad annum 1817, quo primum exarsit judicium quasi valedixerint hoc modo solutioni fructuum, et eorum acquiescientia ratam habuerint Census extinctionem. Non Canonicorum enim vero socordiæ, ac ignaviæ tribuendum est silentium illud, sed temporum injuriæ et nunqnam ab hominum memoria delendæ calamitati invasionis Gallorum, sub qua tota ditio Pontificia, et ipsa diutiitins Ferrariensis gemuit *Provincia.* ut primum tamen ea rediit in Sacri Principis Imperium, illico Canonici diem Census debitori dixerunt, ut ad fructuum solutionem adigeretur. Cæterum nemo ignorat, vix secularem observantiam satis esse, ut alienationes bonorum Ecclesiasticorum absque solemniis peractæ convalescant, et viribus suis consistant, veluti ex Constitutione San. Mem. Urbani VIII. animadvertit Sacer Ordo *in Romana, seu Imolen. Nullitatis extinctionis Census* 22 *Martii* 1822 § 13 *coram Eminentissimo Bussio,* Vix enim post centum annos præsumitur alienandæ cuivis Ecclesiæ rei Pontificem assensisse: *Rota in Cracovien. venditionis* 11 *Martii* 1785 § 3 *coram Vicecomite.* Arguere autem ex silentio, et acquiescientia rati habitionem extinctionis Census inceptum, ac fatuum est. Ad inducendam quippe ratihabitationem actus necesse est, ut, qui ratum actum habet, illius nullitatem noscat, et velit præterea nullitatem ratihabitione reapse sanare. 3

Utcunque perspecta Canonicis esset atque probata nullitas extinctionis, nullam nihilominus intentionem habebant, haud habere saltem poterat sanandi nullitatem. Non habuisse probat rerum eventus ex quo statim, remotis obstaculis de nullitate conquesti sunt. Habere insuper nequivisse palam est Sacrorum Canonum disciplina, quæ non patitur, ut ii, qui sunt meri bonorum Ecclesiæ administratores, id sancnt, et ratum habeant in perniciem Ecclesiæ, quod ipso jure nullum est. Ea igitur solemnia, quæ in stipulatione actus, seu in reveuditione Census, oportebat interponi, eadem omnino requirebantur in ratihabitione consulenda secunda *R. P. D. Mazzarelli Decis.* § 3.

qua de re quidquid ope *caedalarum* a debitore solutum est, non quidem est, sed in causam fructuum juxta æstimationem, qua chartacea illa moneta in commercio fruebatur. Nam erogari in ratam portionem extinctionis Census *cædulæ* non poterat quia pactum obstabat, ex quo non licebat debitori eum redimere, nisi unica vice, et solutione. Præterea eadem forma a Piana Constitutione præscripta servanda erat, et si de rata portione redimende ageretur. Hinc eodem modo, quo integra Census extinctio labe nullitatis inquinatur, ita simiii vitio laboraret extincta pars Census. Nec aptari huic themati potest quidquid definitum est a Sacro Nostro Ordine *in Romana seu Imolen. Nullitatis extinctionis Census* 5 *Decemqris* 1821 *coram Eminentissimo Bussio*, ubi demandatum fuit ut cædulæ a Census debitore traditæ, non in causam fructuum, sed in ratam portionem cederent extinctionis Census, veluti etiam animadvertit coeva moa *Decisio super Nullitatis extin-*
4 *ctionis Census.*

Sed id duplici, et momentosissima ratione factum est. Et primo quia debitori facultas facta fuerat in stipulatione Census ipsum Censum pluribus vicibus, et solutionibus redimendi. Deinde vero quia cædulæ, quas debitor tradiderat, non adhuc ab hominum opinione ceciderant, et crogatæ fuerant a creditoribus in novum quæstum, et lucrnm. Atqui justitiæ repngnasset, ut creditores locupletarentur cum jactura debitoria Census. E contra tantum abest, qnod *cædulae*, qua Canonici receperunt, fænori collocari potuissent, ut inutiles semper manserint apud eos, qui illas postoa penes Magnam, ut imquiebant. Quæsturam, ita lege illius temporis jubente, detulerunt. Reque vera in illis temporum angustiis, ac in tanto rei monetariæ discrimine, in quo cuncti a cedulis, aliisque papyraceis tesseris quotidie vilescentibus, et ad interitum properantibus, tamquom a peste, abhorrebant, fieri sane non poterat, ut in honestum aliquod lucrum impendi valerent. Cum itaque ex una parte Canonici restituere cogerentur valorem cedularum inspecto traditionis temporc, ex altera creditores sint fructuum Census usque ad motam litem: hinc ad inanem, vitiosumque circulum vitandum, oritur ipso jure crediti, et debiti compensatio et a credito fructuum expungendus est verus valor cædularum, ne quis ex contrahentibus in damno versetur, vel cum alterius jactura lucrum inhonestum faciat.

Et ita, rejecta dilationis petitione a Comite Camillo proposita, definitum est.

ROMANA SEU SENOGALLIENSIS

SUPER PRIMO DUBIO

QUOAD

CREDITUM PENSIONUM

Veneris 6. *Julii* 1827.

ARGUMENTUM

Cribrationis decrementum in damnum vergere debet conductoris, qui frumenti pretio pensionum debitum dimittere tenebatur. Solutio, pendente lite peracta, irritam non reddit exequutionem, quae ad diem promotae instantiae referenda semper est.

SUMMARIUM

1. *Cribrationis detrimentum damno est conductoris, qui frumenti pretio pensionum debitum dimittere tenetur.*
2. *Officium depositarii non est gratuitum et quidquid ei solutum est, non largitianem, sed veram mercedis solutionem redolet.*
3. *Executiones patratae pro summa in mandato comprehensa generatim sustinentur pro summa vere debita.*
4. *Qui per alium facit per se ipsum facere videtur.*
5. *Qui nihil de subrogatione cavit in locum dimissi creditorie sese subrogare non potest.*
6. *Utilie actio negotiorum gestorum nunquam denegatur, si negotium alterius gestum sit, absque etiam gerendi consilio.*
7. *Creditor non cogitur ut totum se occupet ex eo genere, quod sub pignore capi poterat.*
8. *Qui nihil accepit, inutiliter a non legitimo creditore executitur.*

9. Cust os, qui male versatus est in suo munere, in se parato judicio compellendus est ad reddendas custodias suas rationes.

DECISIO CCCXVII.

Fisco addictis sub Democratico Gallorum imperio prædiis latissimis = *di Monterado* = seu etiam, nt alii nuncupant = *di Santa Croce del Fonte di Avellana* =, in Agro Ignuvino æqua distantia Callium inter, et novum Sentinum, seu Saxum Ferratum jacentibus, quæ usque ab ævo S. M. Gregorii XIII ad Collegium Germanicum Ungaricum Urbi pertinebant, vendita hæc deinde fuerunt quibusdam Militarium commeatuum redemptoribus, qui ea hinc distrahenda Joanni Bottonio Ferrariensi curarunt. Uberrimos horum bonorum fructus bic percepit per integrum fere quatriennium usque ad annum 1802 donec, expulsis jam pridem Gallis, restituere ea debuit Collegio ex Edictali lege S. M. Pii VII qui novis possessoribus beneficium indulsit consequendi quadrantem soluti pretii, dummodo legitimam fructuum rationem redditori essent. Sed loco quadrantis pretii. Pontificio accedente Chirographo, tum liberationem ipse obtinuit a reddenda ratione fructuum, tum locationem conductionem fundorum contraxit ad annos *viginti septem*, remissis solemniis licitationis, ac addictionis in diem, ac sub iisdem pene conditionibus, quæ jam convenerant Anno 1793 cum veteri Germanici Collegii conductore, si annuam pensionem excipias, quæ a nummis Argenteis *tresdecim mille septingentum ad duodecim mille* cohibita fuit. Inter autem obligationes, quibus vetus tenebatur conductor ot novus voluit devinciri quoque adest, ex qua cautum, ut intributiones omnes, et vectigalia oneri essent conductoris: qui præterea ære suo reficiendis reparandisque aggeribus fluminis *Cesani*, conducta prædia interfluentis, prospicere debebat.

Denuo tamen a Gallis Anno 1808 occupata Pontificia Ditione publicationi obnoxia iterum facta sunt prædia, ex qua primo eorum dominium pervenit in Fiscum Italicum, dein in Montem Napoleonis, ultimo tandem in patrimonium defuncti Viri Principis Eugenii, Italiæ Pro Regis, et postea Ducis Leucthembergensis, quod, tunc Imperiali Decreto constitutum, nedum fœdere Vindobonensi deinceps, sed Pontificio quoque Chirographo cofirmatum fuit. Dum bonorum possessio penes Montem Napoleonis manebat, cum meram in solvendis pensionibus Bottonius fecisset, sequestro positi, fructus fuere. Plures deinde locum conventiones habuere. Prior inita fuit Anno 1811, ex qua revocavit Monti Præfectus interpositum super fructibus Sequestrum, et Annuam imminuit pensionem ad scuta *novem millia*, initio sumpto ab Anno 1803 Kalendis Januarii. Huic accessit conventio altera Anni 1812; cujus ope multa constituta sunt quoad vectigalia a Bottonio super prædiis soluta, et quoad æstimationem damni, quod ille pertulisse jactabat ob arbores quasdam in usum publicum tempore sequestrationis excisas. Nec minorem utilitatem Bottonio attulit tertia conventio Anno 1813, Mediolani stipulata cum moderatore patrimonii Viri Principis Eugenii. In ea enim, non modo sibi suscepit, qui pro patrimonio stipulabatur, onera omnia, quæ antea unum premebant conductorem; verum etiam nonnihil de Annua pensione, jam alias imminuta remisit, eamque præfinivit in Scutis 8971 94 in singulos Annos. Damnum denique ob cæsas arbores illatum, cujus æstimatio peritis viris antea fuerat commissa, compensatum eidem Bottonio fuit postrema conventiono Anni 1814, in qua, cum exhaustæ viderentur controversiæ omnes ab eo excitatæ mutua suspensiono cautum est, ne quid amplius petere liceret.

Ita se res babebant, quo tempore, scilicet Anno 1818, fundos Bottonius sublocavit cuidam Antonio Sirotto, qui ad illud usque tempus prædiorum conductionem pro Bottonio ipso administraverat. Hic vero, cum simul esset Viri Principis Eugenii negociorum gestor et procurator, sæpe Bottonium

vadatus fuit ad solvendas pensiones coram Tribunali Pisauri: idque præcipuè fecit Anno 1822 pro eo, quod reliquum erat ex superioris Anni pensionibus Sed postea, quod fronte non bene de mandante suo mereretur, cum expulsus a ministerio patrimonii fuisset, ære obrutus alieno bonis suis cessit, ne in vincula conijceretur: quæ res multum perturbavit, non minus Comitem Antonium Rè moderatorem Italici Viri Principis patrimonii, quam eumdem Bottonium, tunc Neapoli commerantem apud exercitium Teutonicum, qui procuratorem Cajetanum Ferrium levirum suum, elegit ut conjunctis Studiis cum Italici patrimonii moderatore simul viderent, si quid salvum a direptione illa facere posseut. Cum itaque jam extaret judiciale mandatum pro scutis 1501 31 pensionum nomine a Judicibus Pisaurensibus adversus Bottonium obtentum, et prope dies immineret solutionis primæ pensionis Anni 1822 ex compacto, tam Comes Antonius Re, quam Ferrius exequutioni illud committendum duxerunt, pignori capitis modiis *octingentum quinquaginta* frumenti, quod deinde, eodem probante Ferrio, diveuditum fuit pro scutis 5489 25 Deductis ex hac summa sumptibus acti judicii, cribrationis, proxenetici, aliisque hujus generis, expuncto insuper reliquo debito pensionum Anni 1821, superfuerunt scuta 4093 31, quæ In satisfactionem cesserunt primæ pensionis Anni 1822, ut cum Ferrio convenerat. qui imo, ut melius etiam indemnitati locatoris in futurum tempus consultum foret, et haud ægre tulit, ut fructus omnes ex fundis Anno 1823 recolligendi ita manciparentur, perinde ac si ad eumdem locatorem omninò pertinerent.

Qui rata hæc omnia habuerat a Ferrio procuratore suo gesta, Bottonius quidem per frumentum ex consensu venditum, et posteriorem pecuniæ numerationem, integram satisfecerat primam anni 1822 pensionis partem, sed maximam adhuc debebat alterius partem, quæ ad summam scutorum 3342 56 evehebatur. Cunctari tamen voluit patrimonii Viri Principis Eugenii moderator, nec hoc nomen condixit usque ad mensem Junium anni 1823 quia ex pacto deputandus aliquis erat, qui proxime messis proventum colligeret ad debitum dimittendum. At rei conditio tulit, ut quod privatim conventum fuerat, auctoritate Prætoris confirmandum esset. Cum enim Ferrius ex una parte munus procuratoris abdicasset, illudque, transtulisset in Vincentium Georgium, diribitorio literarum officio Senogalliæ addictum; parte vero ex altera Magnus quidam erupisset, qui impetu magno, utpote Antonii Sirotti decoctoris economus, colonos in judicium vocaverat, na quid fructuum alicui traderent, consilium statim initum est ab abregato Juridico A. C. Collegio implorandi custodis deputationem, qui fructibus recolligendis invigilaret. Hoc judicium, auspice, et consentiente Georgio, cujus factum probavit deinde Bottonius, incipit, et ad exitum feliciter perduxit nevus, qui Sirotti successit, Viri Principis Eugenii procurator, et mandatarius Petrus Francolinius, qui Anselmum Rossium, civem Senogall. Bottonii Procuratori custodem exhibuit. Accepta persona, ita custodis officium exercens ille se gessit, ut nihil egerit, nisi ex auctoritate Vincentii Georgei, et consilio Aloysii Margutti; quem litteris suis ad Francolinium missis Georgeus ipse delegeratur custudi auxiliaretur.

Sed revoluto pallio Bottonius, qui hactenus cæptis pro communi bono a Moderatore, et ministris Viri Principis Eugenii sese libenter accomodaverat, adeo custodis deputationem improbare, ac detrectare sui debiti solutionem cæpit, ut oportuerit diem ei dicere coram A. C. Triumviris ab eoque postulare summam scutorum 1231 $ 50 quot nimirum ille debebat ob residuum nomen Anni 1822 nunquam dimissum, et totam pensionem Anni 1823. Judices vero, calculorum varietate distracti, præsulem Colapietro delegarunt, qui scripto de locatoris credito usque ad diem appesiti custodis referret. Muneri suo Præsel ille satisfecit, ac bipartita relatione, in prima creditum locatoris constituit in summa in judi-

cio petita, in altera autem indicem exhibuit rerum venalium in promptuariis existentium. Nil tamen Bottonium deterruit relatio ista, quippe qui primum removeri a fundis custodem impetravit, ac delata deinde controversiæ cognitione, propter abolitionem Juridici A. C. Collegii tunc superventam, ad eumdem Præsulem A. C. Colapietro, sex in totum sententias ab eo retulit; quarum *prima*, præcedenti abjurata relatione. Judex Bottonium absolvit a petita solutione scutorum 12314 50 eumque cred torem Imo declaravit in scutis circiter *septem millibus*; *altera* jussit, ut eidem Bottonio reficerentur damna ei obventa ex deputatione custodis: *tertia* damnorum refectionem pariter demandavit propter turbatum ab anno 1808 ad annum 1815 rei locatæ usum, et possessionem: *Quarta* decrevit scuta 1266 conductori solvenda esse pro pretio lignorum, quæ pro reparandis amnis aggeribus adhibita fuerant: *Quinta* alia scuta 4094 50 Bottonio tribuit pro arboribus Magistratuum jussu recisis. *Sexta* demum creditorem eumdem Bottonium renunciavit in scutis 10223 10, ob vectigalia indebite ab eo soluta.

Provocatione nihilominus interposita, cum definitiu harum omnium quæstionum ad Sacrum Ordinem conscenderit tot rogationes constitutæ fuerunt, quot editis Sententiis responderent. De singulis autem cum peculiariter disputatum fuerit in Comitiis habitis die tertia Julii Superioris Anni, satius censuerunt Domini Mei quoad primam Dubii formulam rescribere = *Dilata et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Curialis cum facultate assumendi subalternos, qui referat super creditis, et cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis* = Itam pariter consentaneo Rescripto = *Dilata, et ad eamdem Peritum* = demissæ fuerunt reliquæ Dubiorum formulæ, quas dirimendas, uti Causarum Ponens, proponebat Rmus P. D. Pianetti, Sacris Viterbii infulis dein ornatus. Me autem emerito Collegæ suffecto, onus super creditis referendi commisi Ignatio Baccellio, nostræ Curiæ Advocato, qui, cum opus suum absolvisset, et in tabularium Rotale retulisset, instauratæ hodie sunt, curante matrona celsissima Amalia Ducissa Leuehtemberg, uti Vidua Viri Principis Eugenii, et legitima filiorum tutrice ac curatrice, quæstiones omnes eaque præcipue, quæ de pensionum credito agit, et super qua præsens Decisio versatur. Quærenti itaque mihi = *An, et in qua summa, et cujus favore constet de credito, ito ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, comperendinationem perperam Bottonio postulante, Responsio confestim data est = *Pro Informante* = scilicet = *Affirmative*, *et constare de credito Amaliæ in summa scutorum 39241 23 ad totum annum 1828 et esse relaxandum mandatum* =.

Quamvis initio jodicii, dum primum libellum apud A. C. Triumviros proposuerunt, qui a partimus erant locatoris, ad summam scutorum 12314 50 pensionum nomine solvendam damnati Bottonium petierint, hodie tamen huio Summæ posteriores pensiones ad totum annum 1826, addendas contendebat: quod sane æquum visum est ex præclara sanctione *Art.* 521 judiciarii Codicis, ubi ita cavetur = *Il Tribunale di Appellazione avrà la facoltà di pronunciare sopra le rate decorse posteriormente alla domanda avanzata in prima istanza* = Initis vero calculis, subductisque solutionibus a Bottonio expletis, palam erat illius debitum pro pensionibus insolutis evehi ad scuta 39241 23 quamvis judiciarius cognitor ab Ordine Nostro deputatus nun nihil de hac summa detraxerit, atque integrum pensionum debitum constituerit in scutis 39052 89. Sed probandæ nullo modo erant detractiones, utcumque leves a judiciario cognitore factæ. Et primo sane frustra rejecit Curialis Peritus tenuem quantitatem modiorum *quinque* tritici cum *dimidio*, ob decrementum cribrationis modiorum *octingentum quinquaginta*, quæ pignori capta fuerunt, ac, postea divendita, in satisfactionem cesserunt reliqui debiti Anni 1821; et in solutionem primæ ratæ portionis pensionum anni 1822. Jam vero, 1

quod ex jure erat, in pactum quoque deductum fuit, ut quod libet cribrationis decrementum damno esset conductoris qui frumenti pretio pensionum debitum dimittere tenebatur. Si ergo compertum est, triticum fuisse cribratum, et jacturam modiorum *quinque cum dimidio* cribrationem attulisse, totum sane hoc decrementum unus perferre Bottonis debet, qui loco quærendi testes de decremento fidem perhibentes in ea re, quæ sub cujusvis idiotæ captu est, magno imo facere debet, quod leve adeo damnum acceperit in tanta frumenti quantitate quod plerumque ex cribratione decrescit usque ad modia tria, et duas alias quintas parte in singula centum prout alias statuit Sacrum Tribunal in *Ravennaten. seu Ferrarien. Locationis* 4 *Junii* 1790 § 7 *cor. Soderino.*

2 Perperam æque censuit Peritus Curialis, a pretio frumenti haud esse detrahenda scuta sexdecim, publico pignorum Depositario soluta, quia deficiebat epistola quædam Cajetani Ferri, ex qua solutionis monumentum scatebat. Nam hodie defensore, Amaliæ huic defectui supplebant. Aliis æque invictis, legitimisque monumentis allatis, authographas Ferri litteras proferebant, quæ si desiderarentur adhuc, non tamen rejicienda summa illa videbatur. Officium siquidem Depositarii haud gratuitum est, et quid quid ei solutum fuit, non largitionem redolet, sed veram mercedis solutionem, et censura peculiaris legis seu = *Regolamento sulle tasse dei Giudizi* = quæ veluti appendix judiciario Codici adjecta fuit et cujus *Art.* 230 sub cap. 11 titulum habet ita conceptum = *Tasse per gli emolumenti delle Depositerie, e Depositarj publici* = inter quæ recensentur potissimum emolumenta pro custodia pignorum æque rependenda; quamvis non eadem proportione tam si pignora ad Ædem publicam transferantur, quam si ex urbanitate relicta a Depositario fuerint penes ipsum debitorem: idque ratione periculi, cui sese objicit Depositarius, æstimationem pignorum creditori repræsentandi, si ea dolo pereant, et culpa debitoris. Quod autem de mercede Depositario soluta dicitur, pari ratione dicendum est, tum de scutis *triginta* erogatis in sumptus judicii pro consequenda reliqua pensiune Anni 1821 coram Pisaurensibus judicibus instituti, tum de aliis impensis transportationis, Cribrationis ac mensuræ frumenti, summam scutorum 95 55 conficientibus. De primis enim extat ecceptilatio causidici, cui accedit apparitoris relatio, qui mandatum exequutioni committens eam summam expensarum addidit. De aliis vero proferebatur authographa notula ab ipso Ferrrio, Bottonii pro curatore absignata, quæ satis erat, ut impensas, quæ fieri debebant, factas omnino fuisse probaretur.

Constituto itaque pensionum eredito in ingenti illa summa scutorum 39241 23 usque ad integrum superiorem Annum, irrito studio, ut animadvertit in relatione sua Peritus Curialis, ac plus ad rem confundendam, quam ad defensionem, objiceretur jure quidem Bottonium provocatum judicialiter fuisse die *duodecima* Aprilis anni 1822 ad solvenda scuta 1501 31 pro reliqua elapsi anni pensione, sed injuste damnatum fuisse per sententiam sub sequentis Maii illius anni ad integram illam summam numerandam cujus partem, nempe scuta 430 22 lite ferventе, persolverat. Solutio namque ista irritam certe non reddidtt exequutionem deinde ex Pisaurensi Sententia bona fide patratam a Francolinio, novo viri Principis Eugenii procuratore quem prorsus latebat quidquid Bottonius egerat Anconæ paucos ante dies quam publici juris fieret Pisaurensis Sententia, quæ cæteroquin, quocumque tempore prodiiset, ad diem promotæ instantiæ referenda semper erat *Leg. Si ex testamento ff de except. rei judic. Rota in Rec. Decis.* 349 *N.* 10 *part.* 12 *Dec.* 469 *N.* 6 *part.* 19 *et Decis. N.* 4 *cor. Lancetta.* Valida præterea omnino fuit exequutio ex veteri principio quod exequutiones patratæ pro summa in mandato comprehensa generatim substinentur pro summa vere debita, ita etiam ferente Art. 782 judiciarii, qui 3

tunc temporis vigebat, Codicis S. M. Pii VII. Ubi scriptum legitur = *Si sosterrà per la somma dovuta una esecuzione per una somma eccedente, benchè l'esecuzione sia caduta sopra un pegno così detto vivo* = Duos dumtaxat excipiebat casus prædicta lex, si nimirum exequutio fieret pro summa mandatum excedente, aut deductæ solutiones non fuissent post editam Sententiam expletæ. Cum igitur, neque in una oeque in altera re peccaverit exequutio a Francolinio explcta, per consequens descendit, validam eam esse renunciandam, veluti alias judicavit Sacrum Auditorium in *Maceraten., seu Pisaurea. Nullilitatis Executionis* 9 *Aprilis* 1821 *cor. Me.*

4 Noo minus autem locatori, quam ipsi profuit conductori, ut modia octingentum *quinquagiata* frumenti pignori caperentur propter improvisam Sirotti fundorum sub conductoris decoctionem, ejusque fraudes in creditores instructas. Hac de causa Bottonius levirum suum Ferrium procuratorem constituit cum amplissimis facultatibus, ut ex compacto ageret cum moderatore Italici viri Principis Eugenii patrimonii, cum eoque videret, si quid servari a direptione illa potuisset. At Ferrius adeo exequutionem probavit, ut frumentum omne pignori captum cum ejus assensu in granaria Bottonii traductum fuerit: ut insuper consilium cum ipso Ferrio de frumento distraendo initum fuerit: ut rursus operarios qui frumentum cribraverant, de mercede satisfieri idem Ferrius curaverit; ut denique, eo consentiente, et plaudente, quidquid reliquum fuit ex pretiò frumenti, post integram dimissam pensionem anni 1821 in primam ratam portionem pensionis anni 1822 imputatum fuerit. Si igitur, qui per alium facit per se ipsum facere videtur, incivile prorsus erat exequutionem, vel a Bottonio ipso, vel ab ejus procuratore toties ratihabitam, atque probatam nullitatis insimulare.

5 Eadem inanitate laboraret exceptio alias a Bottonio proposita, et a Perito Curiali pariter explosa, de scutis 767 58, quæ io causam vectigalium anni 1822 sese solvisse authumabat. Cum enim Sirottus eo tempore sub conductor Bottonii esset, nec intributiones rependisset duorum bimestrium, illius socordiæ subvenit Joseph Carbonarius exactor Fiscalis Senogalliæ, qui deinceps de pecunia soluta satisfactionem accepit ab ipso Italici viri Principis patrimonii Moderatore. Hoc ipsum fassus fuit idem vectigalium debitum Sirottus, qui cum rationes cum Carbonario expunxisset, scripto etiam anno 1823 declaravit ære suo intributionibus illis satis Carbonarium fecisse. Neque secus se habuit ipse, quod plus est, Bottonius, qui sane, literis Italici patrimooii Moderatori scriptis, eodem anuo 1823 excunte, = *dopo aver conosciuto tutto nel più minuto dettaglio* = conveoit tandem = *esser questo una solenne furfanteria del Signor Sirotti* =; ideoque cuilibet ouncium misit actioni adversus locatorem exercendæ, inquiens = *Comunque sia la cosa, trovo. che inverso il Reale Appannaggio* = (patrimonium viri Principis Eugenii) *io non ho quell' azione che da prima supponevo, e sussistere perciò in verso lo stesso il mio debito per detta partita* = Præ bis autem responsionis honore prorsus indignum, et pro re nata confictum visum est testimonium, quod nuper Bottonius retulit a Sirotto, qui summam illam scutorum 767. 58 in vectigalium casum propria pecunia pro Bottonio numerasse asscrebat. Nedum enim refragabatur iis, quæ antea idem Sirottus pro veritate dixerat; Sed repugnabat etiam confessioni a Bottonio emissæ, qua nullum magis firmum, ac validum dari potest argumentum. Qood vero Carbonarius subrogari non potuerit juribus Fisci, quia vectigalia solvens nil de subrogatione cavit; Quod rursus actionem negociorum gestorum non baberet adversos patrimonium viri Principis Eugenii: id dubio procul ineptissimum est.

6 Subrogatione siquidem in actionibus Fisci, quæ cæteroquin ministerio juris inducitur, haud indigebat Carbonarius, ut, non Bottonii, aut Sirotti pecunia, sed sua, solotum repeteret: nec ei actio deficit negociorum gestorum in Viri Principis patrimonium, ntcumque non ea

mente solverit, ut utile ei negotium gereret. Utilis quippe actio negotiorum gestorum nunquam denegatur, si negotium alterius gestum sit, absque etiam gerendi consilio Leg. *Si pupilli tui* 6 § *Sed et si quis ff. de negos. gest.*, *Rot. in Recent. part.* 3 *decis.* 139 *num.* 1, *et in Urbevetana Emphitheusis* 7 *Decembris* 1781 § 5 *cor. de Bayane.* At falsum est Carbonarium non solvisse eo consilio, ut rem utilem gereret viri Principis patrimonio; cum imo, non aliter solverit, quam ex jussu Comitis Antonii Re, qui Italicum ejusdem, nunc defuncti, viri Principis patrimonium summa cum potestate moderatur ac regit. Etiamsi Carbonarius actione destitueretur in patrimonium viri Principis; hoc certum nihilominus est pecuniam suam ab illius ministris recepisse, qui ideo creditor evasit eodem jure, quo antea idem fuerat Carbonarius. Nulla ergo questio amplius oriri potest quoad hoc vectigalium nomen, quod disertis adeo verbis, Sirottii procuratoris sui flagitio detecto, Bottonius professus fuit, ut ne rimulam quidem ambigendi reliquant. Sed exceptiones has omnes, si non calumnia, futilitate certe sna vinceret objectum a judiciario cognitore optimo exp'osum, quo alias Bottonius sese creditorem locatoris efferebat in scutis 1466 pro tritici modiis *biscentum octuaginta sex*, apud fundorum colonos relictis.

7 Cum enim a Colonia, qui semissem fructuum semper tradiderant, Sirottus exigere plus semisse consuevisset, hinc Bottonius objiciebat, exequutionem baud committendam solum fuisse super quantitate modiornm *octingentum quinquaginta* frumenti, sed eripi colonis debuisse alia modia *biscentum octuaginta sex*, quæ cum erepta non fuerint, eorum pretium condicendi sibi jus esse jactabat. Primo autem Bottonius parum sibi constaret, si hæc hodie proponeret, quippe qui irritam jam alias clamavit exequutionem, quæ crediti valorem excessit; dum hic, e contra validam implicite esm sustinet, plus frugum exequutioni subiiciendum fuisse contendens, quam fuerit revera subjectum. Non modo deinde secum pugnaret sed exceptione uteretur de jure tertii. Unus quippe Sirottus Latifundii subconductor, quia adeo inhumane cum colonis agebat, ut plus semisse fructuum ab eis extorqueret, conqueri posset, colonis ereptam non fuisse reliquam illam tritici quantitatem; Numquam autem Bottonius, cui nihil coloni promiserant, nihil quc co tempore petebant. Quod si ipse in præsens Sirottus de hac re quereretur, inutiliter omnino ageret. Non enim cogitur creditor, ut totum occupet ex eo genere, quod sub pignore capi poterat; imo Sirottus, aut etiam Bottonius, si quod jus habuissent; reliquam frumenti quantitatem a creditore servatam a colonis poterat condicere. Postremo denique poterant locatoris Ministri Colonos commiserari iniquis conventionibus jugulatos, eisque extorsionem judicio vindicaturis patrocinium polliceri, qui tandem, expulso subconductore ab ipso Ferrio Bottonii procuratore ab indebita exactione liberati fuerunt.

Impudentiæ autem, aut delirio proximum esset fabæ pretium reposcere, quam Sirottus vendidit Carbonario, tradens ei claves promptuarii, in quo recondebatur. Scitu siquidem dignissimum est, ut primum ad aures Carbonarii pervenit decoctio venditoris, statim eam deposuisse fabam in uno ex horreis celsissimæ Leuchtembergensis Familiæ, quin aliquid Francolinius ejus negotiorum gestor resciverit. Repetit hinc Bottonius fabæ pretium, quia per aliquot dies in ejus promptuario servata fuit, quasi ideirco sua fuisset; sed fatue pretium hujusmodi a Bottoniu repetitum censuit judiciarius cognitor, tum Sacer Ordo judicavit. Numquam etenim ad Bottonium faba pertinuit, quæ primum erat Sirottii, et postea in dominium transiit Carbonarii, cujus ne creditorem quidem se fuisse Bottonius ostendit; ut fabam, tamquam in fraudem distractam, repetere posset. Quidquid vero negotii Sirottum inter, et Carbonarium intercesserit, duo sunt extra controversiam: fabam primo per aliquot dies in promptuario celsissimæ mansis- 8

se, ignaro prorsus, et inconsulto Francelinio: scivisse insuper, planeque cognovisse Bottonium divenditam eam fuisse Carbonario. Incivile ergo esset, pretium rei non suæ condicere, ab eoquo condicere, qui rem numquam habuit. Idem dicendum de pretio *quinquaginlam septem* modiorum frumenti, quæ pariter, non ad Bottonium, sed ad Carbonarium pertinuisse probatum est, qui majorem illius quantitatem a Sirotto procuratorio nomine coemerat, nec integram acceperat, utcumque pretium integrum solvisset. Si itaque nec frumentum habuit celsissima Leuchtenbergensis Familia, nec in ejus horreis reconditum unquam fuit, inutiliter illius pretium a non legitimo alioquin, neque vero Creditore postulatur.

9 Huc re perducta, frustra vexarentur hæredes defuncti viri Principis Eugenii pro fundorum fructibus a custode recollectis. Non proprio marte, sed auctoritate judiciali, ac ad parandam locatori indemnitatem, deputatum prædiis custodem fuisse acta publica revincunt. Qua fide, et honestate in custodia peragenda Rossius usus fuerit, innumera testantur monumenta, quæ larvam eximunt calumniis nunc primum a Bottonio in ejus gestionem convestis. At etiam posito, custodem male versatum fuisse in suo munere, et fines ejus excessisse, in unus separato judicio a Bottonio, aut Sirotto compellendus est ad reddendas custodiæ suæ rationes. Cum enim celsissima Familia, custode fructibus apposito, non minus ex Bottonii consensu, quam ex Judicum Sententia, nihil unquam totium custodiæ tempore, nihilque post amotum custodem habuerit; necessario sequitur, nihil quoque reddere debere; imo vero legitimam esse Creditricem scutorum 39241. 23 usque ad integrum superiorem annum pro pensionum credito, ad quod assequendum paratam, atque expeditam actionem ei competere exploratissimum in jure est *Leg. Præses Provinciæ* 17 *Cod. de locat.*, *et Conduct.*, *Rot. in Romana Pecuniaria Super V. Dubio quoad responsiones* 30 *Martii hujus anni coram Me*.

Atque ita, comperendinatum frustra pustulatione Bottonio, decisum est.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER SECUNDO DUBIO

QUOAD SPOLIUM

Veneris 6 *Julii* 1827.

ARGUMENTUM

Nemo spoliatus dicitur, si legitime fuerit in judicium citationis ope traductus, et auctoritas Judicis intercesserit: idque maxime sentiendum est, si citatus æquo animo ferat sententiam, ac judicialis mandati exequationem; multo autem minus commissum spolium censetur, cum custos apponitur Judicis auctoritate.

SUMMARIUM

1. *Nemo spoliatus dicitur si legitime fuerit in judicium citationis ope traductus, et auctoritas judicis intercessit.*

   Non est locus actioni damnorum et spolii purgationi, si quid gestum sit auctore Praetore, et adversario rite vadimonio dicto - ibidem. -

2. *Commissum spolium non censetur, cum custos apponitur Judicis auctoritate.*

   Custodes non turbant debitoris possessionem - ibid -

3. *Codice judiciario S. M. Pii VII. Art. 702, ex privilegio pignoris, et reservationis dominii jus oritur locatori obtinendi sequestrationem fructuum, apposito custode.*
4. *Actio spolii inciviliter intentatur, quando apposito custode servati sunt fructus ab auribus alienis, et utile negotium debitori gestum est.*
5. *Cessat actio spolii nec dicitur turbata possessio, cum quis proprio facto propriaque voluntate a possessione cecidit vel eam abdicavit.*
6. *Quando mandatarius excedat mandati limites, si tamen mandans rata habeat ea quae gesta sunt pro ejus arbitrio, nil est quod de excessu mandati queratur.*
7. *Contra factum non valet assertio spolii, si de eo tempore quo conqueritur spolium comissum non sit.*
8. *Ex incerta relatione Judicis non potest dici debitum satisfactum, sed opus est quod legitima Custos rationem reddiderit*

DECISIO CCCXVIII.

In judicium vocatus a celsissima Leuctembergensi Familia Joannes Bottonius, ut summam solveret sc. 12314 50 pro pensionibus locationis conductionis bonorum = *di Monterodo* =, usque ad totum annum 1823 insolutis, plura objicit, atque actiones proposuit, quas inter purgationem spolii, quod sese pertulisse dixit ob custodem prædiis appositum ex auctoritate Prætoris Bene ei, feliciterque res vertit coram Præsule A. C. Colapietro, quo Sententiam votis suis consonam obtinnit. Provocatione tamen interposita, conversa adeo est judicii alea, ut, cum maxima ex parte banc spolii actionem rejecerit Curialis Peritus a Sacro Ordine in primo jurium experimento deputatus, et nunc induciæ Bottonio fuerint denegatæ, Dubii formulæ quæ in hæc verba proponebatur = *An et quomodo sit locus purgationis spolii in casu etc.* = illico Responsum = *Pro Informante* = scilicet = *Negative in omnibus* = Domini hoc mane dederunt.

1 Uu ut justa initio fuisset Bottonii oppositio custodis appositioni, quæ nihilominus nullo fulcro consistit, haud spolii actio promovenda amplius esset, postquam rite coram Judice vocatus ultro passus est ipse Bottonius, ut custos eligeretur, nec unquam est de vi, spolioque conquestus. Ex jure, quod hactenus invaluit, nemo spoliatus dicitur, si legitimo fuerit in judicium citationis ope traductus, et auctoritas Judicis intercesserit: idque maxime sentiendum est, si citatus æquo animo ferat Sententiam, ac judicialis mandati exequutionem, prout pertulit Bottonius per sesquiannum circiter, scilicet a die *secunda* Julii anni 1823 qua custodem abrogati A. C. Triumviri deputarunt, usque ad diem *decimam* Decembris insequentis anni, pro primum de spolio ipse querelas excitavit. Tunc enim tenebatur jus suum si quod habebat, protueri, ac custodis petitioni contradicere, aut a Sententia custodis deputationem secumferente provocare: ei, vadimonio deserto, acquiescere, ut inde damna resposceret, et spoli purgationem, cui numqunm fit locus, si quid gestum sit, auctore Prætore, et Adversario rite vadimonio dicto. *Rot. in Rec. dec.* 506 *part.* 4 *tom.* 3 *num.* 1, *part.* 7 *dec.* 223 *num.* 5 *cor. Merlino, dec.* 687. *num.* 6., *in Romana, seu Viterbien. Immissionis super spolio, vel excessu exequutionis* 18 *Martii* 1757 §. 2 *cor. Borull.*, *in Albanen. Manutentionis super fructibus* 15 *Januarii* 1781 §. 2 *cor. Ratta*, *et in Anconitana Spolii quoad prædium S. Mariæ de Vico* 6 *Junii* 1785 § 3 *cor. Strasoldo.*

Multo autem minus commissum spolium censetur, cum custos apponitur Judicis auctoritate. Custodes quippe, sequestratarii, depositarii, administratores, qui nomine potius, quam re distinguuntur, possessionem non turbant debitoris, qui eam pleuissimam retinet illorum ministerio, quemadmodum per suos institores retineret. Quin imo, cum custodes eligantur ad pignoris causam tuendam nunquam ideo auditum est, ut spoliatus quis ex eo dicatur, quod per Judicem custos, aut Administrator fuerit deputatus *Rot. in Lauretana Spolii* 18 *Aprilis* 1760 §. 7 *cor. Caniliac.*, *et in Eugubina Spolii super reservatis* 3 *Decembris* 1770 §. 3, *cor. Ratta in Ferrarien. Spolii* 13 *Martii* 1773 §. 2 *et seqq. cor. Origo, et in Sutrina Immissionis super fructibus* 1792 §. 6 *cor. Priolo.* Nec objiciendum notissimum illud, quod per ora Forensium volitat, Juris dicterius = *Factum Judicis, factum partis* =. Tunc porro locum sibi vindicaret hæc regula, cum nullitas aliqua in apponendo custode patrata fuisset. At, præterquam nullum occurrit vitium rigorosa nullitatis pæna plectendum, et necessaria præterea spolii deficiunt extrema, illud quoque non leve est, quod nihil per appositum custodem actum fuit, nisi summo jure, atque imo ex partium conventione, quæ jam intercesserat. Summo quidem jure, quia ad legum tramites, si timor adsit disperditionis providentia aliqua, ad indemnem Creditorem reddendum, tuto decerni potest. Cum ideo debitor esset Bottonius ad totum annum 1822 ecu- 2

torum 3342, usa jure suo fuit Celsissima Familia Luctembergensis, si post jam sex menses elapsos posterioris anni 1823, qnin interea nummum accepisset, custodem fructibus apponendum curavit.

3 Certius, quia Locator jure pignoris privilegiarii, et reservatione dominii pollebat super fructibus ex lege, pactoque convento in tabulis locationis conductienis, quod ipsum Pontificium Chirographum nominatim indixerat. Jam vero ex privilegio pignoris, et reservationis dominii jus oriebatur locatori obtinendæ sequestrationis fructuum apposito custode, in vim apertissimæ legis in Codice judiciario S. M. Pii VII. scriptæ, ubi art. 702 ita cavetur = *Nei casi, in cui, o per convenzione, o per disposizione di legge, attesa la stipolata riserva del dominio su i frutti, bestiami, ed altri effetti esistenti nel Fondo, compete il diritto di assicurarsi dei sudetti oggetti, in conseguenza ha luogo l' apposizione del Custode* = Neque secus præscribit recens Motus Proprius Sacratissimi Principis super reformatione Tribunalium Artic. 391 in quo ita legitur = *Nei casi in cui o per convenzione, o per disposizione di legge compete il diritto di assicurazione de' frutti, bestiami, ed altri effetti esistenti nel fondo, potrà aver luogo l' apposizione del Custode, da chiedersi anche con istanza ed urgenza* =. Ex partium præterea conventione ad custodis electionem deventum est. Probo namque intelligens Bottonii procurator Ferrius, frumentum illud, quod primo captum, venditum deinceps fuit, haud satis esse ad dimittendum reliquum pensionum debitum anni 1821, et amplius priorem ratam portionem anni 1822, cujus solvendæ dies jamdiu cesserat, et venerat, ac rursus videns pecuniam sibi defuturam fore, qua utrumque debitum solveret, ultro, libenterque assensitus est, ut fructus omnes ex fundis anno 1823 recolligendi hypothecæ vinculo manciparentur erga locatorem.

4 Quocirca, si jus erat apponendi custodis ex jure, et pignoris privilegio, ex conventione, non certe Spolium patrasse, videtur, qui Judicis imploravit officium, ut id obtineret, quod sponte sua facere potuisset. Accedit ad hæc, multis precibus a Ferrio, et Georgio, utroque Bottonii procuratore inductum fuisse Francolinium, qui negocia celsissimæ familiæ gerebat, ad apponendum custodem, ut impetus compelleretur curatoris patrimonii decoctoris Sirottii, qui juribus fretus subconductionis, aut jam invaserat, aut invadere fundos minabantur. In re imo trepida procuratores prædicti, nedum cupiebant, ut custos fundis eligeretur, sed rogabant etiam Francolinium, ut administrationem bonorum susciperet. Si itaque apposito custode, servati sunt fructus ab ausibus alienis, et utile negotium Bottonio gestum est, non spolii actio inciviliter intentanda; sed grates imo reddendæ Francolinio essent, qui salvem fecit pignoris causam. Reque vera quousque Bottonius sui compos fuit, agnovit semper, atque probavit quidquid pro communi bono Francolinius egerat ex compacto cum Ferrio, es Georpio ejusdem Bottonii procuratoribus ad custodem eligendum. Monitus enim a Francolinio de arreptis pro rei opportunitate consiliis, adeo ab illis reprobandis adfuit, ut ad eum respondens per epistolam diei 21 Junii Anni 1823 se plurimum conturbari dixerit ab agendi modo, quo utebatur subconductoris Æconomus, ac contextim commendaverit inita consilia super frugibus recolligendis.

Commisso hinc per Sententiam Triumvirorum A. C. Custodiæ munere Anselmo Rossio Senogalliensi, nihil habuit; quod homini opponeret Bottonii Mandatarius, et negotiorum gestor Georgius: imo vero hoc unum seso in votis habere, literis dio duodecima Julii ejusdem anni scriptis, Francolinio pandidit, ut nimirum ille in custodia retinenda consuleret Aloysium Marguttum, qui deinde laborum suorum stipendium ab ipso Rossio retulit. Neque hac occasione dumtaxat Georgius approbavit custodis deputationem, sed bis, semel, ac tertio, dum actus omnes a custode 5

gestos non tam suasit, quam præscripsit. Idem iterum egit Bottonius ipse, dum ratam habens Juridici A. C. Collegi Sententiam, qnæ custodem fundis apponi jusserat, Comitem Antonium Rè Italici Patrimonii celsissimæ Familiæ Moderatorem, literis ad eum missis dicto anno 1823 die 2 Augusti enixe rogavit, ut potestatem faceret custodi certam sibi tradendi fabæ quantitatem, quamprimum restituendam. Etiamsi itaque minus recte dici vellet, custodem pro se, non pro rei domino possidere: adhuc tamen, cum custodis electioni, nedum haud restiterit, sed assentitus imo Bottonius fuerit, illud in iure sequitur, nullum adesse spolium, neque turbatam fuisse possessionem. Cessat siquidem actio spolii, nec dicitur turbata possessio, cum quis proprio facto, propriaque voluntate a possessione cecidit, vel eam abdicavit. *Cap. sæpe de restit. Spoliat.*, *Leg.* 1 §. *Interdictum ff. de vi*, *Menoch. de recup. possess. remed.* 15 *num.* 55, *Rota coram Seraphino decis.* 269 *num.* 1., *in Rec. decis.* 536 *num.* 1 *part.* 4 *tom.* 1., *et dec.* 44 *num.* 22. *tit. de Miscellan. coram Falconerio.*

6 Ad tot agnitiones, ac ratihabitiones appositi custodis convellendas, excepit Bottonius in præacta disputatione mandati defectum in Georgio, et interrogationes exhibuit eidem datas, qui se merum ad lites agendas procuratorem fuisse respondit, Sed, si hæc hodie denuo proposita fuissent, obrueretur Georgii palimonia testimonio ipsius Bottonii, qui eum procuratorem designavit æquo jure, et conditione cum Ferrio. Obrueretur rursus testimonio Ferrii, qui eum procuratorem substituit, non ad lites agendas, sed ad negocia conducționis gerenda. Suis imo, quod maximum est, Georgius obrueretur factis, qui sane, munus diribitoris epistolarum Senogalliæ exercens, adeo non erat procurator ad lites, ut ipse causidicum delegerit ad colonos quosdam a fundis eiiciendos. Obrueretur denique ejusdem Bottonii factis, qui custodem, tam eligendum, quam electum, sempor approbavit. Etsi namque mandatarius excedat mandati limites, si tamen mandans rata habeat ea, quæ gesta sunt pro ejus arbitrio, nil est, quod de excessu mandati queratur. Quod autem custos male versatus in suo munere fuerit, ac prædiorum culturam imminutaverit, nihil id faciebat ad rem. Aliud porro est vim adhibitam Bottonio fuisse, quod ex hactenus dictis falsissimum est; aliud vero, quod custos male se gesserit in officio suo, de qua ro peculiari judicio redditionis rationum, contra ipsum custodem instituendo, quærendum erit, ut observat alia mea hujusce diei *Decis. super credito pensionum* §. 15 Semper autem illud redit, auctoritate Judicis appositum fuisse custodem, qui ita se gessit in custodiæ exercitio, ut a nutu quasi dependerit procuratorum Bottonii: adeo ut quidquid a Custode actum est, habendum ita sit, veluti actum ab ipsis Bottonii procuratoribus fuerit.

Probat hæc siquidem omnia Peritus. 7
Sed quam maxime erravit, dum spolium commissum dixit a die 24 Maii 1824, ponens tunc temporis custodem scuta jam 3342 54 e bonorum fructibus collegisse, quot sit essent ad debitum Bottonii, pro quo custos fuit deputatus, dissolvendum. Factum siquidem, et jus ei ineluctabiliter. Etenim die 10 Decembris anni 1824 primum judicialiter petiit Bottonius, ut cessata declararetur = la *custodia ordinata con Sentenza del* 2. *Luglio* 1823 = et petitioni consonam Sententiam obtinuit, a qua Signaturæ Tribunal appellationem primum negavit Rescripto = *Nihil* =, dein die 24 Februarii Anni 1825 rescripsit = *In Decisis*, *firmis remanentibus fructibus sub custodia usque nunc recollectis*, *et amplius* = Quod rescriptum statim, die nempe 2, Martii 1825, ad administris Domus Leucthembergensis custodi fuit nunciatum; et deinde a Bottonio metipso die 17 ipsius Mensis judicialiter fuit id iteratum. Ergo, non ab Julio Anni 1825, ut in relatione fingitur sed ad ineunte Martio ejusdem anni cessavit Custos ex prædicto Signaturæ Rescripto, quod ad spolium, quod attinet omnem dubita-

tionem in posterum e medio tolli; Nam si huic est obsequendum, pugnat *in terminis*, ut spolium per continuationem Custodis commissum fuisse dicatur ante diem 24 Februarii dum ambigi simul non potest, fructus ad eam diem perceptos sub custodia manere debuisse.

8 Præterea cessare haud poterat custodia, nisi reapse probato, quod custos tot fructus e bonis exegisset, quot pares essent ad familiæ Leuthemhergensis creditum dissolvendum, jam auctum ad scuta 12519 52, et ab ipsa judicialiter petitum. Quæ probatio erui nequit ex incerta hac de re Judicis Colapietro relatione, sed opus ad id fuisset legitima redditione rationis receptorum fructuum a custode exhibita. Custos vero, qui ab Judice deputatus fuerat = *ad effetto di conservare i frutti maturati, e da maturarsi* =, ipso jure in exercitio custodiæ permanere debebat, nec opus erat, quod locator, cujus creditum augebatur, ex pensionum cumulo, pro hujus custodiæ continuatione instantiam renovaret. Sat est quod ejus remotio locum habuerit, cum id petiit Bottonius, idque fuit Judicis Sententia, et Signaturæ Rescripto probatum.

Atque ita denegata Bottonio dilatione definitum est.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER IV DUBIO

QUOAD PRETIUM LIGNORUM

Veneris 6 *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Pacta, quae neque legibus, neque bonis moribus repugnant, servari debent.

2. Non attenditur peritus cujus relatio quoad solutionem, non fulcitur acceptilationibus.

3. Absurdum est proponere exceptionem, quae pugnat cum facto proprio.

4. Haud jus habet ad damna condicendi, qui propria culpa ea patitur.

DECISIO CCCXIX.

Aliis quaestionibus quarum copiam apud Præsulem A. C. Colapietro fecit Joannes Bottonius, ad solvendas pensiones conducti latifundii « *di Monterado* » a Petro Francolinio, Italici Viri Principis Eugenii negociorum gestore lacessitus addidit etiam aliam de pretio lignorum, quibus se usum fuisse dixit ad reficiendos aggeres fluminis *Cesani*, locatos fundos interfluentis. Hæc proposuisse Bottonium juvit penes dictum Præsulem A. C. Colapietro, qui scuta *biscentum sexaginta sex* hoc nomine ei persolvi sententia sua mandavit. Non ita tamen sese res habuit coram S. Ordine, qui de hoc quoque objecto credito referendi onus primo commisit Curiali perito, mox vero in lucem edita illius relatione, quæ creditum ipsum respuit, ac repudiavit ac iterum quæstione discussa petitam a Bottonio dilationem hodie rejecit, ao propositæ dubii formulæ, his verbis conceptæ = *At et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* incunctanter respondit « *Pro informante* « nempe » *Negative in omnibus* ».

1 Ut probari posset lignorum pretium, oportuisset una litura delere quidquid scriptum extat, tum in Pontificio Chirographo anni 1802, tum in publicis tabulis locationis conductionis latifundii, quam sibi stipulatus fuit Bottonius ad annos *viginti septem*. In primo enim apertis verbis demandatum est, ut Bottonius onera omnia, et conditiones sibi susciperet, quibus devinciebatur prior fundorum conductor. Etsi autem hic primus conductor, ut patet ex publicis tabulis a moderatoribus Collegii Germanici cum eo initis, præter alias obligationes, expresso caverit, se operam ære suo daturum cunctis refectionibus ac reparationibus, quæ ad flumen continendum, et alluviones aquarum vitandos fieri oportuisset =*l'Affittuario* (ita instrumenti litera) *pro-*

mette e si obbliga di fare nel Fiume Cesano tutti quei lavori di riparo, che occorreranno alla difesa e manutenzione dei beni locati e ciò dovrà farsi in ogni e qualunque circostanza, ed in quelle misure, che le occasioni richiederanno = id tamen repetitum conventumque fuit in instrumento cum Bottonio deinde celebrato, in quo generaliter ipse suscepit = *gli obblighi tutti e convenzioni, che si trovano stipulati col Marchese Giberti nella locazione da esso fatta degli stessi beni per istromento rogato li* 9 *Febraro* 1793, *il quale ei abbia e debba intendersi di parola in parola inserto e registrato nel presente istromento, come parte sostanziale del medesimo* = Si aggeres ergo refecit interdum Bottonius, datam implevit fidem, et contractus pacta servavit, quæ a nemine posthaberi, atque contemni, si nec legibus, nec moribus bònis repugnent, reipublicæ interest, *leg. jur. gentium* 7 § *Prætor ait ff de pactis.* Qua de re perperam illius rei pretium postulat Bottonius, cujus conficiendæ onus eum unice premebat.

2 Neque vero existimari debet, grave hoc onus, et sumptuosum fuisse. Nam ad sublevandum conductorem, leviorem que reddendam reparandorum aggerum obligationem, facta ei fuit potestas cædendi arbores, quibus indigeret; dummodo eas primum eligeret, quæ minorem redderent fructum. Quod si necessitas urgeret, venia a locatore implorata, poterat etiam frugiferas arbores proscindere, iisque uti, nedum ad reficiendos aggeres, sed ad ædes, et casulas quoque construendas. Si hac itaque facultate potiebatur conductor, ludricum est, et omnino spernendum cujusdam ratiocinatoris testimonium, quo maxime in primo jurium experimento abutebatur Bottonius, ut plures summas sese impendisse in lignis emendis evinceret. Non enim ita resupinus existimandus est Bottonius, qui vellet jactare suum, et ligna ab aliis emere, quæ gratis habere poterat in latifundio. Qualibet imo fide prorsus indignum duplici ratione est prædictum testimonium: tum quia scilicet nunquam ad acta publica delatum fuit, prout necesso est ideoque ita haberi debet, tamquam non existeret; tum quia testimonium ipsum ad acceptilationes prætii refertur, quod Bottonium solvisse dicitur pro lignis comparandis. Donec igitur non afferantur acceptilationes istæ ne levem quidem in judicio probationem constituere potest ratiocinatoris testimonium, et tamquam referens *sine relato* spernendum prorsus est.

Injuria autem reponeretur in fundis ligna defuisse. Uti siquidem nunquam defuerant in amplissimo latifundio; ita multo minus integerrimi testes, qui culturæ latifundii præerant ligna defuisse probant, anno 1815, quo confecta reparationum opera fuerunt. Incivilissima exceptio ab ipsius Bottonii confessione convelleretur. Cum enim reparationes aliquas anno 1815 in *Cesani* Flumine fecisset, ad aliquid, si posset extorquendum conqueri cœpit anno insequenti, quidquid erat lignorum in latifundio exhaustum penitus fuisse, atque consumptum, ei nova ligna aliunde esse comparanda ad cæteras reparationes explendas. Scribens hinc anno 1816 die *undecima* Novembris ad Sirottum, qui ejus et locatoris insimul negocia tunc temporis gerebat, ac necessitatem extollens reficiendi aggeres, et reparationes absolvendi inquiebat =. *Aver tolto da questo fondo tutto il legname disponibile e capace a rimettere il corso del fiume possibilmente regolare* » adiiciens etiam, *Ho chiesto che si provvèda nuovo legname e mi si consegni* » Falsum ergo est, et commentitium emisse antea Bottonium ab aliis ligna, eaque in latifundio defecisse. Hoc utique proposito ita scribebat Bottonius, et necessitatem jactabat comparandi ligna, ut nimirum impetrata venia ei cæderet, quæ adhuc erant in latifundio, et ita lucrum faceret cum locatoris jactura. Reque vera importuni hominis molestiis tandem cessit Comes Regni Italici Patrimonii Viri Principis Eugenii moderator, cui Sirottus denunciaverat Bottonii litteras: ac quamvis obiicere pos- 3

set instrumenti pactum, quo conductor suis sumptibus consulere aggerum reparationi debebat, maluit tamen ei gratificari, et lignarium peritum in rem præsentem mittere, ut de arboribus adhuc cædendis referret.

4 Perlustravit hic, non integrum latifundium, sed illius partem dumtaxat, deindeque retulit, amputandas adhuc superesse arbores *octoginta tres» tutte atte per il lavoro dei ripari al fiume e che non producono ghianda di sorte alcuna* » quas revera postea recisas ab operariis Bottonio fuisse ex invictis pariter testimoniis constabat; quamvis compertum sit, non in reparationes aggerum adhibitas fuisse, sed ad ignem imo faciendum. Quo circa facile intelligitur, quam injuste lignorum pretium a Bottonio postuletur, qui ea non ab aliis emit, sed in conducto latifundio secuit. Posita tamen, tum existentia lignorum in latifundio, tum facultate ligna cædendi conductori facta, res in idem semper reciderct, etiamsi aliis prorsus lignis, quam illis in latifundio existentibus usus fuerit Bottonius ad reparationes aggerum conficiendas. Imputare enim sibi debet si procul ab ulla necessitate jacturam facere voluit, ligna ab aliis emendo: cum exploratum alioquin sit haud jus esse ea damna condicendi, quæ quis propria culpa patitur· Quaquaversus idcirco inspiciatur petitio sotutionis pretii ligoorum, non inanis modo, sed calumniæ proxima, qualibet in hypotesi comperitur.

Atque ita judicatum fuit, non audito Bottonio dilationem implorante.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER QUARTO DUBIO

QUOAD PRETIUM LIGNORUM

Veneris 7. Decembris 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXIX. -

Coram De Curtiis T. III.

SUMMARIUM

1. Nequit conductor repetere a locatore quidquid impendit pro refectionibus, quas tenebatur ex pacto perficere.

2. Nulla fidee est adhibenda testi cujus depositio nunquam fuit ad acta delata.

3. Nemo potest impugnare factum, quod ex propria confessione patet.

4. Etiam ubi adest pactum expressum, ad conductorem non pertinet nisi refectio ordinaria.

DECISIO CCCXX.

Ab omni jure, et justitia aberrare censuerunt Patres petitionem aliam a Joanne Bottonio propositam, qui ab hæredibus defuncti Duci Leuchtembergensis pretium repetebat lignorum, quæ se coemisse clamabat, ut aggeres reficeret fluminis *Cesani*, locatos fundos interfluentis. Idcirco in Comitiis habitis die *sexto* Julii hujus anni revocarunt quidquid hac de re definivit juxta actoris vota Præsul Colapietro A. C. Locumtenens, ac nibil hoc nomine Bottonio deberi statuerunt, prout patet ex alia mea decisione ad dictam diem edita. Facta autem venia procuratori patrimonii ejusdem Bottonii prædictam oppugnandi Decisionem, nihil attulit, quod convelleret rationum momenta in ea perpensa, qui proptcrea meritum ad exhibitam rogationem Responsum hodie audivit = *In decisis* =.

Nam si præ oculis habeantur locationis conductionis tabulæ palam est, aggerum refectionem ex pacto convento ad conductorem pertinuisse. In præcedentibus siquidem tabulis locationis conductionis anno 1793 a moderatoribus Collegii Germanici, Ungarici, tunc latifundii domini, erga Marchionem Gibertum initis, quarum pactiones relatas, et ad verbum pene repetitas fuisse constat in Instrumento cum Bottonio celebrato, cautum fuit, ut ære suo teneretur conductor opera omnia, et reparationes perficere, quæ ad vim fluminis coercendam, et ad arcendas eluviones oportuissent. Ad levandum imo onus, quod conductor sibi suscipiebat, facultas ei facta fuit, arbores, et ligna 1

in conducto prædio cædendi, hac dumtaxat adjecta conditione, primum infrugiferas, seligeret, et deinde ne frugiferis quidem parceret, si necessitas postularet, nec priores sufficerent ad aggeres reparandas. Arborum quippe frugiferarum recisio non interdicta conductori fuit, si de operibus in flumine conficiendis ageretur; sed eo solum in casu quo in ædium, et casularum constructionem, aut in alios usus converterentur. Patet igitur, nil impendisse, aut impendere debuisse Bottonium in emptionem lignornm, et id ad summum contulisse do suo, quod mercedem respicit operariis debitam, et ab eo tantum ex pacto solvendam. Consulatur præterita mea Decisio § 2 et 3.

2 Nihil proinde faciendum erat cujusdam ratiocinatoris testimonium, ex quo probare conabantur defensores patrimonii Jo. Bottonii plures hunc summas erogasse in emptionem lignorum. Si enim ipsæ potinsquam aliundo pretio computare, poterat in latifundio tantam cædere arborum quantitatem, quanta sat esset reficiendis aggeribus, non est præsumendum cum non levi sui jactura hac potestate usum non fuisse: ac si res ita reapse se habet, quod potestate facta usus Bottonius non fuit, id imputare sibi, non aliis debet, et quocumque propterea lignorum pretium concedendi jure destituitur. At ipsum, quod magis est testimonium ratiocinatoris nullam in judicio fidem sibi vindicat, utpote quod ad acta nunquam delatum fuit, et ita hinc est habendum, tamquam si in rerum natura non esset, cum præcipue ad acceptilationes pretii referatur quod Bottonium pro lignorum emptione dicitur solvisse, quæ cæteroquin acceptilationes in tenebris latent, et lucem odisse videntur, veluti notant etiam præcedens mea Decisio *dict.* § 3. Æquo item jure spernendum est quidquid pro re nata, et ad litis opportunitatem testatus fuit Sirottus, cujus pariter authographa depositio dacst in actis, et nihil efficeret, etiamsi non desideraretur, quia audiendus non est, qui et ipse decoxit, et bonis cessit, ac cum Bottonio colludere exploratum est.

Nec æquo animo ferri poterat, quod 3
reponebatur, in conducto prædio arbores defuisse, quæ cædorentur. Uti enim nunquam in latifundio illo, longo lateque patenti, arbores recidendæ defuerunt, ita multo minus hoc malum anno 1815 accidit, quo reparationum opera expleta fuisse constat. Hoc ipsum, nedum testibus omni exceptione majoribus, sed ejusdem Bottonii literis ad ultimam evidentiam evincitur. Fecerat hic dicto anno 1815 reparationes nonnullas in flumine, ut exinde anno insequenti argumentum haberet excipiendi, quidquid erat lignorum adhibitum fuisse in reparationibus illius anni, et ligna comparari aliunde oportere ad refectiones absolvendas. Atque ita revera se gesso literis anno 1816 die *undecima* Novembris ad Sirottum, tunc temporis, tam Viri Principis Eugenii, quam Bottonii negociorum gestorem, missis in quibus hoc uno consilii necessitatem extollebat ab aliis ligna coemendi, ut inde, facultate impetrata, arbores reliquas in latifundio extantes recideret, et ita quæstum faceret cum damno locatoris. Qui tamen ab istis molestiis se poterat extricare, pactum objiciens Instrumenti, ex quo conductor suis sumptibus aggerum reparationi prospicere tenebatur, maluit Comes Antonius Re, moderator patrimonii Viri Principis Leuctembergensis, indulgore petitioni conductoris, et lignarium peritum in rem præsentem mittere, ut de arboribus adhuc recidendis referret. Hic autem, perlustratis fundis, haud universis, sed = *una porzione dei beni* =, magnam adhuc superesse arborum recidendarum copiam respondit, quas revera cæsas postea fuisse compertum est, utcumque non aggerum reparationibus, sed igni faciendo inservierint. Ex ipsa erga Bottonii confessione patet, nunquam ligna in latifundio defuisse.

Haud melius denique esse tuebantur, 4
qui a partibus erant patrimonii Joannis Bottonii, dum dicebant, ordinariam quidem aggerum refectionem ex pacto ad conductorem spectasse; minimo vero

eam, quæ anno 1815 fieri debuit, quæque extraordinaria fuit ob neglecta opera tempore sequestrationis a Præfecto Monti Napoleonis indictæ. Nulla siquidem afferebatur probatio, ex qua constaret reparationes, anno 1815 factas, limites superasse refectionis ordinariæ, quotannis ex pacto faciendæ. Nulla pariter probatio erat, sequestrationis tempore, pessumdatas fuisse reparationes, ut inde sublata sequestratione, opus fuerit majores sumptus impendi ad vim aquarum coercendam. De his omnibus, quæ necessario demonstranda erant, nullum, vel levissimum quidem, monumentum actores proferebant. Quod si aliquid revera culpæ intercessisset ex parte eorum, qui Monti Napoleonis præerant, et sequestrationem imperarunt non ambigue Bottonii juribus una, atque altera transactione renunciatum apparet, eaque præsertim, qua cautum ita legitur = *Convengono le parti di nulla più domandare l' una dall'altra, dichiarandosi reciprocamente soddisfatte*=Etiamsi igitur extraordinaria fuisset aggerum refectio, a Bottonio anno 1815, expleta, ne hoc quidem nomine ex præmissis succurrendum ei esse Patres Domini extimarunt, confirmata in omnibus priori Decisione.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER V DUBIO

QUOAD

DAMNA ET FRUCTUS ARBORUM

Veneris 6. *Julii* 1827.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Nequit damnum impetere, qui pro illo compendium assecutus jam fuit.*
2. *Iniquum est de re jam transacta, querelas iterum excitare.*
3. *Nulla fides est adhibenda testi, qui deponit ex condicto.*

DECISIO CCCXXI.

Defecisse sibi contendens latifundii « *Monterado* » conductor Joannes Bottonius, glandiferarum quercuum fructum ob peractas earum incisiones, tam ex Magistratus imperio, sequestrationis tempore, quam deinde post translatum latifundii dominium in Italicum viri Principis Eugenii patrimonium, creditorem sese hoc nomine renunciavit in ingenti summa scutorum *quatuormillium nonaginta quatuor*, et obulorum *quinquaginta*. Hanc pariter summam judicio postulavit coram Præsule A. C. Colapietro, qui favendum actoris petitioni censuit per ejus Sententiam, quam hodie, evulgata jam Curialis Periti relatione, in primo jurium periculo demandata, Sacer Ordo revocavit. Nam proponenti mihi Dubii formulam « *An, et in qua summa sit locus refectioni damnorum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » Bottonio dilatione, quam petebat, minime tributa, data est Responsio « *Pro Informante* » scilicet « *Negative in omnibus* ».

Duo erant capita, ex quibus damnorum actione Bottonius instituit, quam Curialis Peritus rejecit: unum pro arboribus excisis ex Magistratuum jussu, dum bona manebant penes Montem Napoleonis, cujus moderatores sequestro posuerant latifundii fructus ab anno 1809 usque ad annum 1812, alterum pro arboribus aliis, quæ annis 1814, et 1815; mandante viro Principe Eugenio, recisas fuisse dicebatur. Utrumque tamen, non modo nulla probatione suffultum, sed ineptissimum quoque, etiamsi ad evidentiam usque esset probatum. Et ad primum quod pertinet, non una, vel altera, sed omnibus pene transactionibus inter Bottonium, et Moderatores tam Montis Napoleonis, quam Italici patrimonii viri Principis Eugenii stipulatis, damnorum actio convellitur. Ex prima quidem transactione Bottonius maximum retulit compendium, dum obtinuit ut annua pensio a scutis *duo-* 1

decim millibus ad novem millia redigeretur, quin ullum jus novæ imminutionis assequendæ sibi reservaret, ut certo facere debebat, si aut decrementum illud scutorum *trium millium*, habita etiam ratione excisarum arborum, concessum haud fuisset, aut saltem compensationem aliquam ob ipsam causam sese inposterum assequuturum fore sperasset. Majoris vero ponderis est secunda transactio anni 1812, ex qua cautum articulo *nono* fuit, ut periti viri forent eligendi « *perchè determinino, e dichiarino quanto si debba corrispondere al Signor Bottoni per titolo di reintegrazione dei frutti delle* 170 *quercie per gli anni* 1809 1810, e 1811. » Clarius igitur profiteri non poterat Bottonius, nihil se postea eo nomine petiturum, postquam tributum ei fuisset quidquid periti viri statuissent; nam periti viri eligendi erant, qui fructus æstimarent trium dumtaxat annorum 1809 1810, et 1811 non usque ad exitum conductionis anno 1828. Omnem vero dubitationem adimunt Montis Napoleonici Præfecti literæ in quibus, omissa corporis totius transcriptione, inscripti tantum sequuntur « *gli articoli* 1, 2, 10, 11, *e* 12, *che possono interessare anche l'intendenza dell'Appannaggio* ». Evidentius igitur explicare non potuit nonom hujusce transactionis articulum ad Principis viri patrimonium haud pertinere, et præstita per Montem æstimatione trium annorum 1809 ad 1811 rem totam penitus esse confectam.

2 Atqui, prætermissa etiam tertia transactione anni 1813 cujus vi iterum diminuta fuit locationis conductionis pensio, certum est, postrema transactione anni 1814, quamvis secum haud convenerint periti viri, et ad peritioris electionem deveniendum esset, attamen ad omnes dirimendas quæstiones solutam Bottonio fuisse in causam punctim arborum excisarum, summam libellarum *trium millium* ex quo satisfactum se de hoc credito declaravit « *Per togliere di mezzo qualunque ulteriore questione* (sic transactio) *sulla liquidazione dei frutti delle quercie per le tre annate* 1809, 1810, *e* 1811 *gli si accreditano Italiane Lire* 3000 *a titolo di reintegrazione, e con questa il nominato Bottoni si dichiara tacitato, e sodisfatto per detta partita* ». Quin imo, cum nil aliud disquirendum superesset de mutuis quæstionibus, in eadem transactione contrahentes nil aliud inposterum petituros spopondorunt « *Convengono le Parti di nulla più domandare l'una dall'altra dipendentemente da esse dichiarandosi reciprocamente sodisfatte* », Si igitur justam compensationem excisarum arborum accepit Bottonius, frustra petit, quod intus habet, et iniquum est de re jam transacta, composita, satisfacta querelas iterum excitare.

Nec secus censendum de altero est, 3
de aliis scilicet arboribus, quas excisas, jubente viro Principe Eugenio fuisse dicebatur. Hic quoque probationes actori deficiebant. Nam actio ipsa innititur testimonio unius Sirotti, qnod præterquam nunquam ad acta delatum fuit, nec Curiali Perito exhibitum, nullam insuper meretur fidem. Is siquidem erat negociorum gestor, tam locatoris, quam conductoris, et postea fundi subconductor. Is rursus bonis cessit, et creditores fraudavit suos. Is denique, ut plures deponebant testes, ex condicto agit cum Bottonio, et alter alteri testimonia exarat in mutuam utilitatem. Cæterum anno 1814, et 1815 arbores recisas fuisse Bottonius objiciebat, quo tempore ipse sine ulla controversia versabatur in conductione fundi, quin unquam querelas moverit de arboribus excisis. Quod si revera arbores nonnullæ recisæ fuerunt, non excesserunt illæ numerum *novem* arborum cæterorum quin infrugiferarum, quæ in refectionem cesserunt fatiscentis pontis in latifundio extantis, prout idem constabat ex eorum testimoniis, qui arbores amputarunt, et pontem refecerunt. Quod vero alias arbores, quibus usus fuit Bottonius ad reparandos aggeres fluminis *Cesani* satis objectum diluit coæva *mea Decisio super IV Dubio quoad pretium lignorum* hic consulenda.

Et ita responsum est, Bottonio frustra dilationem urgente.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER V DUBIO

QUOAD

DAMNA ET FRUCTUS ARBORUM

Lunae 10 *Decembris* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXXI.

SUMMARIUM

1. *Ubi transactum fuit, absque ulla reservatione, remissum censetur quodcumque damnum.*
2. *Ac eo magis, si conventum in transactione fuerit – di non promuovere mai piu veruna azione, ed eccezzione –*
3. *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.*
4. *Testis decoctus, et perfamiliaris nullam meretur fidem.*

DECISIO CCCXXII.

Revocato Præsulis Colapietro A. C. Locumtenentis judicio, statuit Decisio mea, ad diem *sextam* Julii proxime elapsi in vulgus edita, male, et perperam vexari defuncti Ducis Leucbtem bergensis hæredes a Joanne Bottonio, latifundii = *Monte rado* = conductore, pro refectione damnorum quæ sibi obvenisse authumat ex peractis glandiferarum quercuum incisionibus, tam ex imperio Magistratus, dum bona penes curatores Montis Napoleonis sequestro irretita manebant, quam ex jussu Viri Principis Eugenii, qui deinde eorumdem bonorum dominium adeptus fuit. Rejectum ideo fuit creditum scutorum *quatuor millium nonaginta quatuor*, et obulorum *nonaginta*, quod in passi damni refectionem proponebatur. Quod autem ea die constitutum fuit, re iterum expensa, bodie confirmatum est Responso = *In Decisis*. =

1 Procurator ex Sacratissimi Principis Rescripto deputatus patrimonio Joannis Bottonii vestigio ejus premebat, hoc creditum repetens ex duplici fonte, tum scilicet ex quercubus *septuaginta* supra *centum*, quae ab anno 1809 usque ad annum 1811 recisæ dicuntur, sequestratione pergente, tum ea aliis arboribus *centum quadraginta tribus*, jussu Viri Principis Eugenii, ut objicitur, cæsis Anni 1814., et 1815., sed caput utrumque crediti infirmum, et deploratum denuo Sacer Ordo cognovit. Atque ut sermo sit de primo capite de arboribus scilicet imperio Magistratus ab anno 1809 ad annum 1811 cæsis obstabant petenti transactione omnes, qua Bottonius, vel cum Præfecto Monti Napoleonis, vel cum procuratoribus Viri Principus Eugenii celebravit. In transactione anno 1811 die *decima tertia* Decembris inita, cum hoc præcipue Bottonius obtinuisset, ut annua pensio a scutis *duodecim millibus* ad scuta *novem millia* coerceretur, tam insigni accepto beneficio, pensionem annuam comodo redactam per se ipsum solutam iri Viri Principi Eugenio pollicitus fuit, quin ullum sibi jus reservaret novæ imminutioais ebtiaendæ. Atqui reservatione aliqua opus erat, si decrementum illud scutorum *trium millium* ex causa quoque excisarum arborum tributum ei non fuisset, aut quidquam aliud eo nomine in posterum petere posset. Id vero cum factum non sit compensatum, et remissum censendum est quodcumque damaum, utcumque verum ex recisis arboribus obventum.

Transactionem anni 1811 subsequuta est transactio alia anno 1812, stipulata, ubi præ cæteris articulo *nono* constitutum extat, ut eligerentur periti Viri, qui præfinirent ac præstituerent quid, et quantum conductori reficiendum esse = *per titolo di reintegrazione del frutto delle* 170 *Quercie per gli Anni* 1809 1810 1811. = Quod si in hac transactione designatum nominatim fuit tempus, quo æstimandum erat damnum, palam exinde est, compensatione a peritis viris statuta, et a conductore obtenta, non amplius ei licere quidquam aliud reposcere, et compensationem ipsam porrigendam uon esse ad Annos posteriores. Idque certius, quia, cum renunciaverit in ea- 2

dem transactione anni 1812 Bottonius præsumptis aliis, quaecumque demum fuerint, juribus, et actionibus suis sponsione facte = *di non promuovere mai più veruna azione, ed eccezione* =, et reservato sibi tantum jure consequendi fructus trium illorum annorum, necessario valedixit etiam fructibus assequendis post annum 1811. Verum transactionem ipsam illustrante literæ Præfectus Montis Napoleonis, de ea re ad Præfectum patrimonii viri Principis Eugenii missæ, in quibus sane, procul a describenda tote transactione, et præcipue articulum *nonum* de damno, et fructu quercuum reficiendo, ut certe facere debuisset, si compensatio ex pacto porrigenda erat usque ad exitum conductionis, descripsit solum = *gli articoli* 1 2 10 *e* 12 *che possono interessare anche l' Intendenza dell' Appannaggio* =, quique res alias respiciebant, a compensatione Bottonio debita in exeisarum arborum causam omnino diversas, veluti etiam arguit præcedens mea Decis. § 2.

3 Quin recolatur autem transactio anno 1813 facta, in qua nonnihil iterum de pensione annua detractum est, præcidit controversiam omnem, obruitque Bottonium prostrema transacio diei 14 Martii anni 1814. Cum enim in diversas abiissent sententias, duo periti homines ad damnum æstimandum electi, et ad electionem viri peritioris, ad quæstiones omnes dirimendas, et compensandum arborum damnum, obtinuit in transactione prædicta Bottonius non leve compendium libellarum Italicarum *trium millium* = *Per togliere di mezzo* (ita transactio) *qualunque ulteriore questione nella liquidazione dei frutti delle Quercie per le tre annate* 1809 1810 *e* 1811 *gli si accreditano Italiane Lire* 3000 *a titolo di reintegrazione*, *e con questa il nominato Bottoni si dichiara tacitato, e sodisfatto per detta partita* = Quoniam vero hoc postremo contractu exheustae, compositæ, ac definitæ fuerant querelæ omnes, ac mutuæ quæstiones, pacto amplissimo *de non petendo*, spoponderunt contrahentes = *di nulla più domandare l'una dall'altra dipendentemente da esse, dichiarandosi reciprocamente sodisfatte* =. Quapropter, si compensationem exeisarum quercuum jam retulit Bottonius, frustra de ea iterum obtinenda laborat. Bona enim fides non patitur, ut bis idem exigatur. Consulenda præterita Decis. § 3.

Idem jus obtinet quoad caput alterum damnorum, seu quoad alias arbores, quas recisas, mandante Viro Principe Eugenio, fuisse opponebatur. Nam actor probationibus caret, quippe qui innitutur testimonio Sirottii subconductoris, decocti hominis; et Bottonio perfamiliaris, cui nulla adhibenda fides est, utcumque cum testimonio suo decesserit. Non his vero, aliisque vitiis, quæ refert dicta mea Decis. § 4., dumtaxat inquinatur jactatum testimonium; sed nunquam, quod magis est, ad acta delatum, aut judiciario cognitori exhibitum apparet. Præterea Annis 1814 et 1815 recisas arbores fuisse objicitur, eo nimirum tempore, quo Bottonius in fundorum locatione conductione versabatur, qui ideo existimandus non est, querelas illico excitere non voluisse. Cæterum si arbores eliquæ recisæ fuerunt, et in refectionem disrupti pontis adhibitae, non excessisse eas quidem numerum *novem* arborum infrugiferarum, quæ nullum ideo conductori damnum attulerunt, ex luculentissimis testimoniis evincebatur Quoad demum arbores alias in reparandos fluminis *Cesani* aggeres insumptas, jam demonstratum est in alia mea Decisione *super IV Dubio, quoad pretium lignorum*, nullo jure Bottonium pollere earum pretium condicendi, quia ad eum onus reparandorum aggerum ex pacto pertinebat. 4

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER VI DUBIO
QUOAD
REINTEGRATIONEM DATIORUM
Veneris 6 Julii 1827.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Vectigalium quantitas respondere debet bonorum aestimationi.*
2. *Pro vectigalibus indebite solutis, compensatio non competit, nisi error evidenter probetur.* - Et num. 3. -
4. *Aestimatio bonorum, non recte dignoscitur ex simplici declaratione ab homine imperito emissa.*
5. *Vectigalia realia, sunt omnino diversa a vectigalibus quae dicuntur* - Dazi di consumo -

DECISIO CCCXXIII.

Nihil intentatum reliquit Joannes Bottonius, ut pensionum creditum, quod justissime resposcebat Petrus Francolinius, Italici Viri Principis Eugenii Patrimonii negociorum gestor, vel detrectaret, vel quoquo modo ejus solutionem remoraretur. Hoc doctus consilio inter alia judicia, quae, a reo convento in Actorem conversus, coram Praesule A. C. Colapietro in fundorum locatorem intentavit, redintegrari etiam petiit de vectigalibus a Fisco impositis ab anno 1808 ad annum 1811. et a se solutis, ideoque sibi persolvi hac de causa postulavit scuta 10423. 50, Ut in caeteris aliis Bottonii petitionibus ita in hac quoque Judex ille propitiam Actori tulit Sententiam. Sed hodie postquam de hac pariter vectigalium quaestione retulit Peritus Curialis ad tramites rescripti editi in Comitiis diei tertiae Julii superioris anni deputatus, secus Patribus visum est, qui exhibitam Dubii formulam, ita quaerentem, scilicet = *An et in qua summa constet de credito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = negata Bottonio dilatione, dimiserunt = Responso = *pro informante* idest = *Negative in omnibus.*

1 Ita jubente Pontificio Chirografo, dum Bottonius controversa bona ad longum tempus conduxit, nominatim convenit, ut onus vectigalium omnium solvendorum, quae ad illud usque tempus, nimirum usque ad annum 1802. imposita fuerant, ipse unus sustineret. Quousque igitur bonorum dominium penes Collegium Germanicum mansit, oneri suscepto satisfecit diligenter Bottonius, quin ullam unquam querelam excitaret. Rebus tamen publicis conversis, et capta bonorum possessione ab Italico Fisco, cum hic esset vectigalium suorum exactor, et novus simul Latifundii dominus, illico Bottonius, occasionem venisse ratus est, ut aliquid expromeret ad minuendam vectigalium quantitatem Causam idcirco coepit vectigalium quantitatem majorem esse, quam ferret censualis bonorum estimatio;Atque adeo exceptione ista valuit ut Italicus Fiscus exquisiverit a singulis Municipiis,per quorum fines late patent fundi, testimonium censualis cujuslibet fundi: quo tandem expleto patuit censualem prediorum aestimationem ad summam scutor. 198796 94 pervenire, quantitatem autem vectigalium, tam fiscalium, quam municipalium evehi ad scuta 1456 20 quot semper persolverat Bottonius. Cum haec aestimatio, in qua caeteroquin error irrepserat in damnum Fisci, Bottonio non placuisset, denuo conquestus de excessu fuisset, ita cum inter, et Fiscum Italicum in transactione anni 1812 composita res fuit, ut pergere primus deberet in ea annua solutione scutorum 1456 20 vectigalium nomine, quousque datum ei esset, censualium tabularum errores et vitia detegere.

Nunquam tamen objectos hos errores, et vitia Bottonius comprobavit; nihilo secius in alia transactione, quam anno 1813 cum moderatore patrimonii viri Principis Eugenii celebravit, permutatis quibusdam praediis, inducere eum potuit ad onus suscipiendum vectigalium solvendorum, quoad eam tamen quantitatem, quae aderat anno 1802. subductis hinc relationibus juxta aestimationes bonorum antea confectas, et imminuta iterum ob factas bonorum permutationes pensione ad scuta 8971 94 in annos singulos, cum in his calculis supputata fuissent vectigalia in praedicta annua summa scutor. 1456 20. jus propterea reservatum fuit Bottonio compensationem obtinendi, si dein tabularum censualium errorem evinceret. Imo vero in postrema transactio- 2

ne anni 1814. propositus ei fuit modus errorem comperiendi, ut facilius compensationem assequeretur. At ipse nihil unquam profecit, nec unquam ostendit errorem: quod maxime præstare tenebatur, cum judicio sistens, de vectigalium indebite solutorum quantitate redintegrari postulavit. Actor enim ipse est, qui proinde, donec legitimis monumentis intentionem suam non evincat, frustra compensationem, aut ex jure postulat, aut ex pacto, quo punctim cautum ut non aliter compensatio competeret, quam errore censualis valoris ad evidentiam usque probato.

3 Multum alias deliciabatur Bottonius, notula quadam solutionum vectigalium a conductore factarum, quam Ferrius procurator exaraverat, et Francolinius approbaverat. Nullius pensi res tamen esset, si in præsens proponeretur, ut constat ex facto. Liberatus fuerat ex transactione anni 1813 Bottonius ab onere rependendi vectigalia, quæ non alia erant, præter illa, quæ bonis inhærebant anno 1812. Cætera enim, quæ postea supervenerunt, ad locatorem pertinebant. Sed quamvis ipse nulla amplius hoc modo vectigalia deberet, solvebat tamen adhuc integram eorum summam tam veterem, quam novam, ex conventione generatim inita cum omnibus conductoribus patrimonii Viri Principis ut nimirum vectigalia repræsentent, et tantum de pensionibus sibi retineant quantum in vectigalium causam solverunt. Hinc Bottonii procurator Ferrius, qui secundo semestri spatio anni 1822 vectigalia solverat bonorum, quæ tunc Bottonius possidebat post factam jam permutationem, et novatum ex transactione anni 1813 contractum elencum exaravit solutionum, eique, aut per errorem, aut data etiam opera, adjecit quamdam bonorum æstimationem nulla alioquin collecta summa. Huic elencho cum subscripserit Francolinius, ex ejus confessione probari autumabat Bottonius solutorum vectigalium excessum, et tabularum censualium errorem, quia scilicet, collectis omnibus partitis, summa scatebat valoris bonorum in scut.67156 63, quæ longe inferior est jugiter servato censuali prædiorum valore.

Nil tamen ad ostendendum censualis valoris excessum conferebat ea notula, utcumque a Francolinio firmata. Primum enim Francolinius in subscribendo quidvis aliud potuit, debuitque perpendere, quam æstimationem illam tam confuse relatam, de qua constituenda in ea notula certe non agebatur. Unum quippe curare debebat, ut solutiones diligenter inspiceret, easque conferret cum acceptilationibus, ne locator in damno versaretur. Etsi deinde æstimationem expendisset, nihil tamen poterat intelligere, quoniam inordinate, nullaque collecta summa æstimatio fuerat descripta. Tertio tandem supputaverit utique summam Francolinius, eamque minorem invenerit, æstimatio bonorum conductorum anni 1822 semper inferior esse debebat æstimatione anni 1802 ex ea ratione, quia permutatio interim intervenerat anno 1813, et Bottonius plus cessit prædiorum, quam in compensationem habuerit. At locator vectigalia sibi susceperat, quæ Bottonius debebat anno 1802 et pro bonis, quæ ille ex conducto retinebat eodem anno 1802. Frustra igitur tempora miscentur, et argumentum, alioquin ineptissimum, in ipsum Bottonium retorquetur. Nam, quamvis æstimatio censualis conductorum fundorum minor fuerit anno 1822, non ideo sequitur, minorem esse debuisse anno 1802, quod unum demonstrandum esset. 4

Verum adeo longe est censualem bonorum æstimationem anni 1802 minorem fuisse, ut imo ea excedat constitutam, et jugiter retentam summam scut. 198796 94. Prout enim fidem perhibebat scriba censualis « *Cancelliere del Censo* » bona Corinaldi, et Montis Novi scutis 31904 05, bona Pergulensia scutis 29577 46, bona denique Senogalliæ scutis 139731 90 æstimabantur. At æstimationes istæ, publicis censualium tabularum testimoniis comprobatæ, summam exhibent scutorum 201213 41, ut calculanti patet. Cum major ergo fuerit censualis bono- 5

rum æstimatio, major quoque esse debebat vectigalium quantitas: adeo ut Bottonius, loco compensationis a locatore assequendæ, aliquid ei rependere teneretur. Minus erat, quod disputandum hic esset de vinario vectigali per Senogalliæ Municipium imposito, et a Bottonio soluto, de quo pariter redintegrandum eum censuit sententia A.C. Colapietro, dum creditorem eum fecit scutorum 10423 50, quæ tam excessum vectigalium, quam peculiare hoc vini vectigal amplectitur. Liberatio siquidem, quam Bottonius obtinuit a rependendis vectigalibus latifundio inhærentibus anno 1808, continebat tantum vectigalia, ut dicunt, *realia*, non alia quæ fructus percellunt, et vernaculo sermone dicuntur « *Dazj di Consumo* » a venditoribus, atque emptoribus ipsorum fructuum unice solvenda. Petita hæc igitur vectigalium redintegratio a judiciario cognitore jam reprobata, si non calumniam, fatuitatem certe redolebat.

Atque ita, rejecta dilatione, dirempta controversia est.

ROMANA SEU SENOGALLIEN

SUPER VI. DUBIO

QUOAD

REINTEGRATIONEM DATIORUM

Lunae 10 *Decembris* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCIII. -

SUMMARIUM

1. Qui ex pacto intributiones solvit per multum tempus, non potest postea sub aliquo pretextu reductionem petere.

2. Error aestimationis pro reductione tributionis probandus est.

3. Reservatio jurium pro compensatione obtinenda propter damni sercitionem, nil Valet si damnum non venerit.

4. Non oritur praejudicium actori, si aliquid acceptum sit sub erroneo titulo.

5. Successor singularis nullam sui auctaris praestare obligationem tenetur.

6 Judex judicare potest de his tantum, quae proponuntur in primaeva libello, aliae extra petita judicium fertur.

DECISIO CCCXXIV.

Inter cæteras controversias, a locatione conductione bonorum « di *Monterado* » manantes, quas cognoscendas una *die sexta Julii* anni mox labentis suscepit S. Tribunal, postrema ea fuit, in qua sibi a Celsissima Leuchtembergensi Familia persolvi Bottonius postulavit scut. 10423 50 in causam vectigalium, quæ a Fisco imposita ab anno 1808 ad annum 1811, et a se numerata fuisse affirmabat. Contra id tamen, quod hac de re definivit Sententia sua Præsul Colapietro A. C. Locumtenens, qui actoris petitionem approbavit, censuit S. Ordo nihil esse Bottonii hoc nomine rependendum, quemadmodum videre est ex alia mea Decisione, tunc temporis evulgata. Facta hinc procuratori patrimonii ejusdem Bottonii potestate novi ineundi periculi, nihil ipse deduxit, ex quo Patres dimoverentur ab opinione sua, quam hodie mane jugiter retinuerunt, ad propositam rogationem respondentes « *In decisis* ».

Hic pariter petitæ solutorum vecti- 1
galium restitutioni resistebat tabularum locationis conductionis litera. Quod enim onus sibi assumpserat anno 1793 primus bonorum conductor Marchio Gibertus, omnes nimirum intributiones solvendi, idem collatum est anno 1802 in Bottonium, secundum bonorum conductorem, qui sese soluturum promisit cuncta vectigalia, quæ ad illud usque tempus indicta fuerant, et conductis bonis inhærebant. Non alia itaque de causa intributiones solvit Bottonius, nisi quia eas solvere ex pacto tenebatur: atque ideo, quousque mansit latifundium in Collegii Germanici potestate, nullam plane querelam de vectigalium solutione excitavit, nec adversus Collegium, cujus erat conductor, nec contra Fiscum Pontificium, cui vecti-

galia rependebatur. Ut primum vero; subversis rebus publicis, bonorum possessionem occupavit Fiscus Italicus, qui uno tempore erat, et vectigalium suorum exactor, et novus latifundii dominus, statim occasionem venisse duxit Bottonius, ut lucri aliquid faceret, arrepto vectigalium prætextu, quæ majora esse venditavit, quam ferret censualis eorum æstimatio. Quæ res ut cognosci posset, exquisivit Fiscus publico testimonio a singulis Municipiis, ubi bona locata sita sunt, iisque advenlis, confectoque apodictico commentario, palam innotuit, ad sc. 198796 94 censualem evehi bonorum æstimationem, quantitatem autem vectigalium, tam Fiscalium, quam municipalium ad sc. 1456 20 pervenire, quot punctim a Bottonio persolvebantur.

2 Probavit utique et census, et vectigalium æstimationem Fiscus Italicus, quamvis error irrepsisset in ejus præjudicium, quia major erat bonorum æstimatio, ut infra constabit: sed eam minime probavit Bottonius, quippequi vociferari cæpit non veridicam esse apodicticam notulam a Municipiis exhibitam, et propter minorem bonorum valorem vectigalia quoque per eum solvenda ad minorem adhuc quantitatem esse deprimenda. Ad omnes nihilominus tollendas ambages, cum discedere a notula testimoniis Municipiorum comprobata nequiret Fiscus Italicus, sic composita res fuit per alteram transactionem *diei vigesimæ octavæ Novembris anni* 1812, ut censualis bonorum æstimatio juxta præfatam notulam in prædictis sc. 198796 94 retineretur, et vectigalia, ut antea in sc. 1456 20 a Bottonio rependeretur, nisi forte legitimis documentis « *in forma provante* » demonstraret intra menses quatuor, minorem esse bonorum æstimationem: qua probatione accedente, cautum fuit, ut corrigendus error esset. Huic autem oneri nec intra constitutum tempus, nec postea satisfecit: sed, cum ad rem permiscendam libellos quosdam exhibuisset, hinc factum est, ut in tertia transactione, quam iniit anno 1813 *ad diem vigesimam secundam Decembris* cum procuratoribus Viri Principis Eugenio, tractari denuo ea controversia debuerit. 3

Cessit, hujusce transactionis ope, Bottonius patrimonio Viri Principis prædia posita in Agro Pergulensi, ac vicissim alia in compensationem recepit. Assumpsit hinc patrimonium Viri Principis onus solvendi vectigalia, quæ a conductore rependi debebant juxta quantitatem anno 1802 vigentem, in illis scilicet scut. 1456 20, cum Italico Fisco conventis. Subductis denique rationibus, juxta factam bonorum permutationem, ac imminuto iterum pensione ad scut. 8971 94 in annos singulos, cum in his calculis supputata vectigalia fuissent in prædicta scutor. 1456 20 quantitate jura ei reservata fuerunt compensationem obtinendi, si deinde valoris excessum evinceret. Quin imo ob eamdem semper causam jactatæ, sed nunquam per Bottonium adductæ, probationis quoad minorem quantitatem vectigalium, postrema transactione diei 14 Martii 1814 modus ei propositus fuit errorem, si qui forte esset, detegendi, ut facilius damni sarcitionem assequeretur. Nihil tamen unquam adduxit, quia nihil adducere poterat. Nam adeo falsum est vectigalia ab eo solvenda juxta statum anni 1802 minora scut. 1456 20 fuisse, ut imo, exquisitis legitimis testimoniis a quæstoribus census Arceviæ, Callii, Senogalliæ, ubi locata bona continentur, perspicue cognitum sit, totam censualem bonorum æstimationem quoad annum 1802 non fuisse scutor. 198790 97 ut antea existimatum fuerat, sed paullo majorem, nempe scutor. 201213 41, atque ideo et vectigalia majora fuisse sc. 1456 20 a conductore solvenda.

Siluit hinc semper, rei veritate per- 4 cussus, per annos fere undecim, quousque traductus ad Tribunal A. C. pro solutione pensionum, hanc denuo regere captiunculam cæpit quam hodie rocantavit patrimonii procurator. In medium proinde afferebat = *l' elenco, ossia specifica dei pagamenti fatti dall' Affittuario* = in causam vectigalium = *del secondo semestre dell' anno* 1822. = cui

Francolinius, Viri Principis Eugenij procnrator, nomen dedit, ut inde ostenderet majus locatis prædio pretium attributum fuisse, seque propterea majore, quam par erat, intributionum onere gravatum: Sciendum tamen in facto est liberatum ex transactione anni 1813 fuisse Bottonium ab onere rependendi vectigalia, quæ non alia erant, nisi ea, quæ anno 1802 bonis inhærebant, quia cætera, quæ postea supervenerunt, locator sibi suscepit. Quamvis vero ab utroque genere vectigalium solutus, veteres, et novas nihilosecius repræsentabat intributiones Bottonius ex conventione inita cum omnibus conductoribus bonorum, ad Viri Principis Eugenii patrimonium spectantium, ut nimirum ære proprio vectigalia rependant, et tantum de pensionibus sibi retineant, quantum ratione vectigalium numerarunt. Quare Ferrius, Bottonij levir, et procurator, cum partem vectigalium anni 1822 solvisset pro bonis a Bottonio possessis post initam permutationem, indicem confecit solutionum, cique, seu per errorem, seu data etiam opera addidit, quamdam bonorum æstimationem, informem tamen, et sine ulla summarum collectione. Ex eo igitur, quod Francolinius huic elencho subscripsit, infertur probasse errorem, et errorem revinci, quia, collectis summis, bonorum valor remanet in inferiori summa scuto. 167159 63.

4 At primum occurrit responsio non ea de causa Francolinium notulæ satis implexæ, et obscuræ subscripsisse, ut verum constitueret bonorum valorem, sed ut ex ejus subscriptione probarentur solutiones vectigalium, pro quibus unice ipsa notula confecta fuerat. Etsi insuper æstimationem expendisset, nihil tamen poterat intelligere, quoniam nec distincta erat, et ordinata notula, nec ulla summa in ea colligebatur. Prædiorum denique æstimatio anno 1802 necessario debebat esse major, quam anno 1822 propter permutationem anno 1813 factam, ex qua, cum plus cesserit Botttonius, quam in compensationem habuerit, multum de anniversaria pensione detractum fuit. Verum ea vectigalia sibi suscepit Vir Princeps Eugenius, quæ Bottonius debebat anno 1802 pro bonis eodem anno conductis. In ipsum ideo Bottonium retorquebatur argumentum. Quamvis enim æstimatio bonorum anno 1822 minor fuerit, non ideo sequebatur minorem pariter anno 1802 esse debuisse, ut demonstrandum erat, ad obtinendam sarcitionem. Recolatur superior mea Decisio §. 3. 4. et 5. Cæterum animadvertendum etiam est, pro vectigalibus, ante transactionem cum procuratoribus Viri principis Eugenij hæredes initam, minime posse Bottonium insurgere, cum de successore singulari res sit, qui nullam sui auctoris præstare obligationem tenetur, ex animadversis in alia mea Decisione *super III. Dubio* §. 7. in preteritis Comitijs edita.

Item observandum est inutili conatu procuratorem Patrimonii Jo. Bottonii condicere vinarium vectigal a Senogalliensi Municipio indictum. 5
Cum enim in primævo libello restitutionem sibi deberi authumaverit Bottonius *ulteriorum onerum impositorum* a Fisco seu Gabernionio, minime vero a Municipiis, ita extra petita judicium ferretur, si ratio de vinario vectigali haberetur. Huic extrinseco argumento accedit intrinseca ratio, ex qua rejici deberet restitutio vectigalium municipalium, utcumque ad ea ferri judicium posset. Liberatio namque, quam Bottonius obtinuit, a rependendis vectigalibus anno 1802 latifundio inhærentibus amplectebatur solum vectigalia, ut dicunt, *realia* non item alia, quæ fructus percellunt, quæque vulgo vocantur *Dazii di consumo* a venditoribus, atque emptoribus ipsorum fructuum unice rependenda, ut firmat etiam præcedens mea *Decis.* §. *ult.* ad quam in cæteris omnibus Patres Domini sese retulerunt.

Et ita etc. Utraque etc.

SENOGALLIEN

REDDITIONIS RATIONIS

Lunae 25. *Junii* 1827.

ARGUMENTUM

Quum caducitas sit poena, et quidem gravissima, non incurritur, sive ex jure, sive ex pacto promanet, nisi per interpellationem, quis fuerit legitime in mora constitutus. Accedere morae constitutioni, debet deinde Judicis Sententia, quae caducitatem declaret.

SUMMARIUM

1. *Qui alienam rem administravit, gestae administrationis rationes exponere debet.*
2. *Qui impotem aliquem reddidit ad solvendas pensiones, easque ipsi solvere neglexit non potest lucrum ex propria culpa in insontis praejudicium captare.*
3. *Caducitas sive sit jure praescripta, sive pacto conventa, cum poena sit, non incurritur, nisi sit antea per interpellationem quis in mora constitutus.*

   Et non solum opus est morae constitutio, sed Judicis sententia, qua in caducitatem incursus declaretur - ibid -

   Et cum sit caducitas valde odiosa, ideo jure Canonico, et civili morae purgatio, re praesertim integra, admittenda est - ibid. -
4. *Qui transactionem pro cessione locationis tentavit non potest, contra conductorem, dicere locationem finitam esse.*
5. *Ex fundorum proventu pensiones fuisse solutas tenendum est, cum aliud haud probetur.*

DECISIO CCCXXV.

Bona inter; quæ ad decoram Italici Proregis, Principis Eugenii, exhibitionem ab ejus vitrico, qui in Gallis Imperii summam adeptus, fere totam etiam Italiam, præter alias regiones, occupaverat, assignata fuere, quæve dicebantur = *dell'appannaggio* =, quibus omnibus generatim præerat Regius Consiliarius Eques Re, vocatus = *Intendente* =, et particulariter a præcipuis regebantur administris, nuncupatis = *Agenti* =, quædam erant in Senogalliensi Territorio existentia, quorum administratio Antonio Sirotto fuerat concredita. Hæc ipse anno 1812, die 11. Novembris, locavit ad novennium Vincentio Carotti pro annua pensione libellarum Italicarum *tercentum octo millium*, partim die 10. Augusti, partim die 11. Novembris in singulos annos solvenda; ea sub lege, ut, si mora fieret a conductore per quindecim dies in unius, vel alterius ratæ solutione, locatio resolvi deberet. Contractui vero fidejussores in solidum pro Carotto accesserunt fratres Nicolaus et Vincentius Sbriscia, quibuscum ipse hoc super negocio societatem iniit; lucro, vel damno æquis partibus utrinque dividendo, aliisque sub conditionibus, iis præsertim, quod si quis e sociis suam stato tempore negligeret persolvere pensionis ratam, alterum socium indemnem reddere deberet, vel demnis respondente utilium quota ad ipsum spectantium, si utilia existerent, vel, his deficientibus, ære proprio; et quod in exitu singulorum mensium utrique e sociis tradenda esset a socialis negocii ratiocinatore descriptio = *dello stato di cassa, ed amministrazione, onde ciascuno mensilmente sia inteso della società per tutti gli effetti necessarj e dovuti.*

Communis inter socios esse debuisset bonorum prædictorum administratio, socieliumque pecuniarum arcæ retentio. Sed utramque, paucis a locationis conductionis initio mensibus elapsis, conductori Carotto fratres Sbriscia abstulerunt, sibique eddixerunt: ex quo plures eos inter ortum habuere, præsertim quoad rationum redditionem, judicieles controversiæ, quarum exitus fuit, ut fratres Sbriscia Sententie Tribunalis Anconitani Primarum Actionum, lata die 13 Decembris anni 1814, damnati fuerint ad exhibendam injuria occupatæ administrationis rationem, a mense Martio anni 1813 ad diem *vigesimam octavam* Januarii anni 1814. Cum vero interim Carottus, socialis negociationis administratione, et arca spoliatus, unam tantum prioris anni pensionis ratam Augusti mense anni 1813 rependere locatori potuisset, in eam sese spem fratres Sbriscia erexere ut ipsum a conductione remove-

rent, eamque ipsi adquirerent. Qua de re ad id assequendum apud Sirottum egerunt, quem sibi facilem invenerunt. Sed male res eis cessit; quia, etsi primum Regius Consiliarius Re, generalis Administrator bonorum = *dell'appanneggio* =, Sirotti artibus deceptus, ei aliquantulum adhærere visus fuerit, re tamen bene cognita, eidem Sirotto jussit ut Carotto nunciaret, siculi epistolæ ope facere debuit die 27 Februarii anni 1815 = *che ella e ripristinato per parte dell' apponneggio nel libero esercizio dell'affitto indipendentemente dalle vertenze, che potessero esistere fra lei, e la suo sicurtà* =.

Tum fratres Sbriscia Carottum a conductione removere curarunt per conciliationem cum ipso inenndam; de qua convenit quidem Carottus, sed irritum in hoc etiam fuit fratrum Sbriscia studium, quia generalis prædictus Administrator eam probare noluit. Dein Aula Appellationis, Anconæ sedens, sub die 11. Septembris anni 1815 confirmationis robur adjecit superius enunciatæ Sententiæ Tribunalis Anconitani Primarum Actionum, quæ fratres Sbriscia damnaverat ad exponendas rationes administrationis condnctorum bonorum a mense Martii anni 1813 ad diem 28 Januarii 1814; quæ binæ Sententiæ postea ex Signaturæ Tribunalis Rescripto Reijudicatæ vires nactæ fuerunt. Demum, tertio ad exitum properante conductionis anno, dum fratres Sbriscia arbitrariam adhuc socialium conductorum bonorum administrationem retinebant, et judicialiter eos inter, et Carottum agebatur de asserta hujus caducitate a conductione, et de rationibus administrationis a prædictis fratribus reddendis a die 28 Januarii 1814, placuit Carotto, fratribus Sbriscia assentientibus, a conductione recedere, eamque, convento præmio, in Joannem Cisternium transferre; quod probatum a Generali Administratore fuit per Instrumentum diei 11 Martii anni 1816, quo constitutum fuit novæ cum Cisternio locationis conductionis initium sumendum esse a die 11 Novembris anni 1815.

Hinc, cum ad Sacrum Nostrum Ordinem definienda conscenderit quæstio de rationibus Administrationis exponendis a fratribus Sbriscia a die 28 Januarii 1814 ad diem 11 Novembris 1815, quo enim ad præcedens tempus ipsi ad rationum exhibitionem ex irretractabili rejudicata obstricti erant, propositum fuit a nunc Rmo Athenarum Antiste, et S. Sedis apud Hispanum Regem Nuncio R. P. Tiberi die 26 Junii 1822. Patribus dubium = *An, et quomodo sit locus redditioni rationis afflictus a die 28. Januarii 1814 od totam die 10. Novembris 1815., seu potius obstet caducotio* = ac ei datum fuit responsum = *Affirmative in omnibus ad primam partem, Negative ad secundam*=; quod, eleganti ab ipso, concinnaque de more Decisione fulcitum, subsequutum fuit rescriptum = *Expediatur* =, et Sententia ab eodem signata die 4 Februarii anni 1824. Hodie vero de hujus Sententiæ viribus Domini a me interrogati, et fratribus Sbriscia certamen refugientibus = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* = responderunt.

1 Et sane, qui alienam rem administravit, gestæ administrationis rationes, ab hujus initio ad exitum usque, exponere debere indubii juris esse nemo est qui ignoret, ad *Text. in L. Omnibus* 1 § *Officio ff de Tut.*, *et rationibus distrahendis*; *L.* 2 *ff de negociis gestis*; *L. rationes Cod. de Adm. Tut.*, *Alexandri in Leg. Qui universas* § *quod per colonum* 2 *ff locat.*, *Rota in Recen. Dec.* 196 *n.* 11 *par.* 4 *T.* 3., *Dec.* 62 *num.* 13 *et Dec.* 585 *num.* 1 *cor. Olivatio*, *in Aquilano super redditione rationis* 4 *Junii* 1752 § 2 *cor. Matthejo*, *et alibi passim*. Quod ullo absque discrimine procedit quoad etiam rei socialis Administrationem, ab uno e sociis exercitam, per *Text. in l. Mutius* 30 *ff pro socio*; *l. verum* 49 *ff Eodem*, *et leg. tamdiu cor. Eod.*, *Felic. de Societate c.* 37 *num.* 59 *Escobar de ration. c.* 11 *num.* 12 *et seq.*, *Giurb. Dec.* 15 *num.* 13. *Vers. Offerendo namque*; *Rota in Rec. Dec.* 66 *num.* 14 *et* 21 *et seq. par.* 10.; *Dec.* 58 *num.*

3 *et seq. coram Buratto: Dec.* 1058 *num.* 14 *cor. Lancetta* ; *in Romana Reddit. rationis* 24 *Jan.* 1755 § 2 *cor. Figueron* , *et in Romana Societatis* 26 *Januar.* 756 § 5 *cor. Borull.* In facto vero haud unquam negarunt, nec negare potuissent fratres Sbriscia sese socialium bonorum, a Carotto conductorum, administrationem gessisse, eorumque redditus percepisse, nedum a mense Martio anni 1813 ad diem 28 Januarii 1814, pro quo tempore ad exercitæ Administrationis rationes exponendas duplici Sententia, vires rei judicatæ nacta per Signaturæ Rescriptum = *Nihil et amplius* =, damnati fuere, sed etiam per subsequens tempus, ad diem 11 Novembris anni 1815, ergo ex identitato rationis de hac etiam per posterius tempus administratione rotenta ratio ab ipsis est exhibenda, ut tradit *Bart. in l. Jam hoc jure ff de vulgari et pupillari*; *Bald. in l. Precibus num.* 54. *Cod. de impuber. et aliis substitutis*; *Valenz. Cons.* 112 *num.* 43. *Rot. dec.* 34 *num.* 18 *t.* 1 *cor. Olivatio dec.* 178 *num.* 3 *tom.* 2 *dec.* 263 *num.* 12 *t.* 3 *cor. Eodem et dec.* 29 *num.* 6 *et dec.* 415 *num.* 12 *cor. Lancetta* =.

2 Hanc tamen rationum redditionem ut effugerent, eo omnes suos converterunt conatus fratres Sbriscia ut Judicibus suaderent, Carottum, ob non solutam mense Novembris anni 1813 pensionis affictus rstam, caducum a conductione fuisse declaratum, ipsesque in hac conductione ei fuisse suffectos. Ad quod adstruendum epistolam ipsi afferebant Generali bonorum = *dell' appanneggio* = Administratore die 9 Januarii anni 1814. Sirotto scriptam, qui, morem prædictis fratribus gerens eumdem generalem Administratorem inducere studuerat ad removendum a conductione Carottum, eique fratres Sbriscia fidejussores substituendos. At hæc jactata epistola longe aliud præsefert, qnam caducitatem Carotto indictam. Proregius enim ille Consiliarius, et generalis Administrator, profitens in ea epistola opus esse judiciali Sententia ad cogendum Carottum ad pensionum solutionem, ipsumque declarandum caducum a conductione factum, id tantum Sirotto rescripsit = *riconoscendo che potrebbe riuscire pregiudizievole all' interesse dell' appanneggio l'attendere che il Carotti sia costretto al pagamento pella corrisposta coi mezzi legali, e dichiarato caducato per forza di una Sentenza, trovo per il momento più conveniente d'invitarlo a dichiarare la sicurtà responsabile del ritardo dell'affittuario, ed a considerarla come subentrata nell'affitto, qualora essa si assuma tutti gli obblighi inerenti almedesimo* =, et id quidem Sirottus die 28 ejusdem mensis Januarii libenti animo fratribus Sbriscia nunciavit. Quæ sane id tantum important, ut in præsenti, pro implendis erga locatorem conductionis obligationibus, ejus fidejussores urgerentur, qnod juri consonum erat. At assertam caducitatis declarationem adversus Carottum exinde deducere delirium est. Quod eo magis tenendum est, quis huic epistolæ causam dederunt ipsi fratres Sbriscia, qui, rei socialis administratione in totum arbitrarie occupata, omnes conductorum bonorum redditus percipientes, Carottum impotem ad pensiones solvendas reddiderunt, easque ipsi solvere neglexerunt. Nefas igitur ipsis esset. lucrum ex propria culpa in insontis Carotti præjudicium captare; ad *Text. in leg.* 4 § *inter locatorem ff locato*; *leg. si ab hosiibus* §. *Si vir ff soluto matrimonio. Rot. decis.* 129 *num*, 18 *coram Lancetta dec.* 881 *num.* 11 *cor. Duzzonett. Junior: dec.* 208 *num.* 4, *et dec.* 299 *num.* 18 *cor. Olivatio* =.

Verum, quavis etiam in falsissima hypothesi, inanis prorsus fuissot ad effectum declarandi Carotti caducitatem ea epistola, quamvis in locationis instrumento conventum fuerit quod =*mancando il conduttore al pagamento della corrisposta per giorni quindici, dopo la scadenza di ciascuna rata, sarà immediatamente incorso nella caducità, e sarà in arbitrio dell' Intendente di toglierlo subito dal possesso, anche senza dichiarazione del Giudice, esclusa qualunque purgazione di mora, o altro beneficio* 3

legale, a cui si rinunzia dal conduttore =. Caducitas quippe, sive sit jure præscripta, sive sit pacto conventa, pæna est, atque ideo nemo in eam incursus dioi potest, nisi sit antea per interpellationem in mora constitutus per *Text. in leg.* 23 *ff de verborum obligationibus: leg.* 4 *ff de lege commissor. Gratian. Discept. Forens. Cap.* 523 *num.* 6, *Copicletr. dec.* 59 *num.* 23. *Afflict. dec.* 360 *num.* 8. *Rota in Recent. dec.* 465 *num.* 6 *part.* 3 *et dec.* 44 *num.* 8 *et seq. part.* 16 *dec.* 152 *num.* 3 *coram Bichio: dec.* 403 *num.* 19 *et seq. cor. Olivatio: in Reatina Societatis* 2 *Julii* 1745 § 3 *coram Caprara, et in Romana Affictus super damnis* 2 *Aprilis* 1756 § 8 *coram Elephantutio.* Quin imo pro incursu in caducitatem haud sat est prædicta in mora constitutio per judioialem interpellationem, sed opus est Judicis Sententia, qua hic in caducitatem incursu declaretur. *Alexandr. Cons.* 106 *num.* 4, *lib.* 4 *Clar. de Emphyteusi quæst.* 13. *Rot. in Recent. decis.* 51 *num.* 4 *part.* 3, *desis.* 430 *num.* 19 *coram Olivatio.* Atque adeo odiosa est bæc caducitatis pæna, ut semper adversus eam ex Canonico, Civilique jure moræ purgatio, re præsertim integra, admittenda sit per *Cap. Potuit de locatione: leg. Interdum § ult. ff de verborum obligatione, et Rot. in Nullius seu Sublacen. Purgationis Moræ* 26 *Martii* 1819 § 2 *et seq. coram nunc Rmo Athenarum Antistite P. D. Tiberi;* uti optime disserit ejusdem in hac Causa decisio § 4.

4 Patet ex hisce quam ab jure absonum sit Carotti a conductione caducitatem inducere ex relata Generalis Administratoris epistola. Quamlibet demum, si quæ esse posset, quæstionem removet *posterior epistola* a Sirotto ad Carottum missa die 27 Februarii 1815, qua ei ita prædicto generali Gestore jubente, nunciavit agnitam fuisse = *intempestiva l'intimata caducità* =, eique declaravit = *che ella é ripristinato per parte dell' appannaggio nel libero esercizio dell' affitto* =. Nec satis. Accedunt etiam momentosissima facta, e quibus patet fratres Sbriscia agnovisse Carottum numquam fuisse a conductione remotum, eamque numquam in ipsos fuisse translatam. Ipsi namque cum eo egerunt de hac ab eo aquirenda conductione, transactionis ope, quæ haud ullum sortiri potuit effectum, quia haud fuit a generali Administratore probata. Ipsi viderunt unum Carottum post diem 11 Novembris anni 1815 renunciationem conductionis emittentem erga Cisternium, quæ renunciatio ad exitum fuit perducta, prædicto generali Gestore assentiente; et ipsi, uti Carottii in conductione socii, participes cum eo fuerunt præmii a Cisternio pro illa renunciatione dati.

5 Re huc perducta, nullius ponderis esse dignoscitur solutio pensionum a fratribus Sbriscia expleta post diem 28 Januarii 1814. Eas enim ipsi per necesse solvere debebant, quia conductos sociales fundos in totum occupaverant, omnes eorum reddltus percipiebant, et nihil ex eis Carottus retrahere poterat. Ex horum vero fundorum proventu pensiones fuisse solutas firmiter tenendum est, cum aliud baud probetur. Cæterum, admisso etiam per falsissimam hypothesim, quod ære proprio pensiones solverint prædicti Sbriscia, hoc eis onus incubuisset ex præstita pro Carotto erga locatorem fidejussione; et jus tantum eis fuisset, ex articulo *quarto* apocæ societatis cum Carotto initæ, indemnitatem assequendi a Carotto super utilium quota ad eum spectante, si utilia extitissent, vel, bis deficientibus, ex ipsius pecunia; sed numquam potuissent ex ea peracta solutione arguere conductionem in ipsos translatam, et Carottum ab ea remotum. Gestæ itaque administrationis reddant rationes oportet fratres Sbriscia a die 28 Januarii anni 1814 ad diem 11 Novembris anni 1815, uti ad eas exhibendas Rejudicata damnati fueruut pro anteriori tempore, initium a mense Martio anni 1818 sumente.

Et ita etc. Altera tantum etc.

VERULANA SEU FERENTINA

PURGATIONIS MORAE

Veneris 16. *Martii* 1827.

ARGUMENTUM

Emphiteuta qui ob pacta non impleta vel canones non solutos in caducitatem inciderit, aequissimo juvari debet benificio purgationis morae in emphiteusi praesertim Ecclesiastica.

SUMMARIUM

1. ***Purgationi morae datur locus etiamsi res non sit amplius integra, ob novam investituram alteri a directario concessam.***
2. ***Directarius locuplstari non debet, cum jactura Emphiteutae.***
3. ***Beneficium purgationis morae petendum ea infra octo dierum spatium, a die quo judicium in statu erit executionis*** **-Num. 4 et 5-**
6. ***Verba legis mentionem agentia de judicatis*** **- In stato eseguibile -.** ***Intelligenda sunt de statu executionis, qui prodeat vel ex re judicata, vel per rescriptum Signaturae.***
7. ***Praesertim si agatur de privatione alicujus beneficii a legibus indulti.***

DECISIO CCCXXVI.

Rustica quædam bona, in Ferentini Territorio existentia, una cum domuncula in ea Civitate sita, ad Ven. Monasterium Chartusianorum S. Bartolomæi Trisulti spectantia, quæ Familia Borgia jam pluribus ab annis affictus nomine retinebat pro annua pensione scut. 69, quorumve pretium meliorationibus quam maxime adauxerat, concessa die 19 Maii anni 1779 in emphyteusim ab eodem Ven. Monasterio fuere Bruno Borgia, ad tertiam usque masculinam, et fæmininam generationem, pro annuo canone scutorum 75, atque id factum fuit, præeunte Capitulari RR. Monachorum resolutione, atque Apostolico Beneplacito. Pactum de more fuit in Instrumento adjectum, quod, cessantibus per biennium Emphyteutis a canonis solutione, emphyteutica bona ad Monasterium, una cum omnibus melioratoribus redire deberent, quolibet legali beneficio, illo præsertim purgationis moræ, investitis adempto. Bruno defuncto, transiit investitura ad binos ejus filios masculos, Aloysium, et Franciscum, binasque filias Theresiam, ac Gertrudem: atque tanta his fuit emphyteuticorum fundorum cura, ut tres periti de eorum meliorationibus, re sedulo inspecta, testimonium ediderint « *potere ascendere il valore di esse migliorazioni a scudi* 9852 *e bajocchi* 25, *non comprese le casette, mecerie, forme, e fratte.*

Nihilo tamen minus, cum anno 1825 controversia inter Fratres Borgia, ac Ven. Monasterium insurrexerit quoad computum solutionum, canonis nomine ab ipsis expletarum, sub die 4 Julii idem Monasterium eis indixit devolutionis acceptationem « *ob inadimplementum pactorum in Instrumento investituræ contentorum, et signanter ob morositatem in persolvendis canonibus, pro quibus jura, et actiones sibi reservavit* »: ac institit coram Phrusinati Prætore, minime citatis Theresia, ac Gertrude Borgia in investitura comprehensis, pro reintegratione ad possessionem fundorum, qui fuerant in investitura concessi Bruno Borgia, ejusque filiis masculis, et fæminis; et instantiæ consonam. Emphyteutis haud auditis, ab eo Judice Sententiam retulit, die 31 Augusti illius anni 1825, quæ non ante Kalendas Octobris fuit Aloysio, et Francisco Borgia nunciata. Statim ab hac Sententia, die nempe *tertia* ejusdem mensis, appellationem interposuit Franciscus; sed, hac in pretio haud habita, Monasterium, cui ad summum denuntiari quoque debuisset citatio specialis coram Signatura pro observantia appellationis in termino, qui expirabat die *decima nona* mensis Octobris, ea ipsa die *decima nona* illius mensis bonorum possessionem festinanter arripuit.

Ulla absque mora, sub die *vigesima secunda* ejusdem Octobris, specialem, quam dicunt, citationem adversus Monasterium expedivit Franciscus Borgia coram Signaturæ Tribunali, tam pro circumscriptione actorum apud Frusinatem Prætorem gestorum, quam pro

suspensiva appellatione ab ejus Sententia reservanda: eaque illico denuntiata non fuit ex erronea credulitate, quod in judicio *caducitatis* necessaria illa non foret. Significata eadem citatione speciali, et pertractata quæstione tum super *circumscriptione* Sententiæ diei 1 Augusti 1825, tum *pro suspensiva appellatione*, die 22 Maii superioris anni 1826 Decretum protulit Signaturæ Justitiæ Auditor, quo nil aliud Francisco indulsit, appellationem, ut sibi, aliisque emphyteutis Franciscus prospiceret, vadimonium Monasterio indixit die 1 Junii ejusdem anni 1826 apud præfatum Phrusinatem Prætorem pro admissione ad beneficium purgationis moræ; inutiliter tamen: nam ejus Sententia diei 26 ejusdem mensis Junii Francisci instantiam rejecit. Hoc itaque ab ejus Judicato provocante, res definienda venit ad S. Nostrum Ordinem, cui resolvendum hac mano proposui Dubium « *An et quomodo sit locus purgationi moræ, et reintegrationi ad possessionem, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* », et Ven. Monasterio frustra pro comperendinatu instante, fuit mihi datum responsum « *Affirmative in omnibus, solutis canonibus, et refectis expensis* ».

1 Præclare siquidem, firmiterque constitutum in jure est, constanterque in judiciis servatum, quod Emphyteuta, qui ob pacta non impleta, vel canones non solutos, in caducitatem inciderit, æquissimo juvari debeat beneficio purgationis moræ, in emphyteusi præsertim Ecclesiastica, ut passim, post *Cap. potuit de locato, et conducto* « firmavit Rota, et præcipue » *Decis.* 419 *num.* 5 *coram Dunozett., in Romana Purgationis Moræ* 24 *Junii* 1743 § 10 *coram Vicecomite*; *in Ferrarien. Emphyteusis* 21 *Martii* 1787 § 10 *coram Eminentissimo Rovarella, in Nullius, seu Sublacen. Purgationis Moræ* 26 *Martii* 1809 § 5 *seq. coram Reverendissimo P. D. Meo Tiberj, et in Typhernen. Associationis* 18 *Martii* 1822 § 6 *coram Eodem* ». Quod adeo verum est, ut eamdem Sententiam Sac. Tribunal tenuerit in casibus etiam præsenti durioribus, scilicet cum res non esset amplius integra, ob novam investituram alteri a directo Domino concessam; uti videre est « *in Romana Purgationis Moræ* 22 *Junii* 1761 § 3 *cor. Ratta et in Rom. Purgationis Moræ* 20 *Januar.* 1762 § 2 *cor. Eodem* ». Quamvis itaque per falsissimam hypothesim admitteretur appellationem, a fratribus Borgia die 3 Octubris anni 1825 interpositam a Sententia Prætoris Phrusinatis, eis die *prima* ejus mensis nunciata, qua fuerat probata favore Monasterii acceptatio devolutionis, eique ad emphyteutica bona redintegratio tributa, nullius ei obicis esse potuisse ad horum bonorum possessionem assequendam, quam die *decimanona* ejusdem mensis arripuit; tamen, re præsertim adhuc integra, nec bonis in alios per novam investituram translatis, cum debiti canones ipsi Monasterio solvantur, cum ei litis reficiantur expensæ, ac ita a quolibet damno immune fiat, debet ullo absque dubio prædictis Fratribus Borgia moræ purgatio concedi.

2 Eoque magis, quia bona in emphyteusim Bruno Borgiæ, usque ad ejus tertiam generationem, data fuere ad pensandas meliorationes in iis bonis ab ipso, ejusque auctoribus expletas, dum hæc conductionis nomine retinebant, et quia, post emphyteusim acceptam, adeo diligenter emphyteutæ versati in re emphyteutica fuerunt, ejusque valorem meliorationibus adauxerunt, ut agnitum a peritis fuerit « *potere ascendere il valore di esse migliorazioni a scudi* 8952 *e baj.* 25 *non comprese le casette, maceerie, forme, e fratte etc.* » Secus enim Monasterium cum maxima emphyteutarum jactura locupletaretur, contra Ecclesiæ instituta, quæ justitiæ cultrix, nequit, quod docet, ac præcipit, despicere' uti uno ore tradunt *Barbosa in Cap. Cum dilecti num.* 17 *de emptione, et venditione, Capor. Controvers. Forens* 5 *n.* 9. 21. *Mans. Consult. Forens.* 280 *in fin.* § 3. *Fulgin. de Jure Emphyteut. Tit. de Alienat. quæst.* 1 *numer.* 36, *Zanch. De Læsione p.* 1 *cap.* 7. *num.* 101, *et p.* 2 *cap.* 8 *num.* 115. *Rot. cor. Emerix Decis.* 1130 *n.* 135.

3 Nec ullo haberi potest in pretio, quod

Monasterium apud Phusinatem Prætorem, ac bodie in Memoriali S. N. Ordini, ad comperendinatum obtinendum, porrecto, proposuit, nempe locum habere baud posse pro Emphyteutis moræ purgationem, quia fuerit extra terminum, a Legibus Praxeos præfinitum, petita, allato, ut id evincat, Art. 360 novissimi Motus Proprii Sanctissimi Principis diei 5 Octobris 1824 in ea parte, quæ inscribitur « *riforma sulla Procedura Civile* » ita concepto « *competendo il benefizio della purgazione di mora, dovrà essere chiesto dentro un termine di otto giorni, computabili dal giorno, che il giudicato sarà in istato eseguibile: scorso il qual termine, e non fatta la richiesta, non avrà più luogo* » Hujusmodi enim sanctio, nedum Monasterio baud favet, sed immo adversus ipsum retorquetur, tam babito respectu ad Sententiam Phrusinatis Prætoris diei 31 Augusti 1325 Fratribus Borgia significata diei *prima* Octobris ejusdem anni, tam ad Signaturæ Tribunalis Rescriptum, quo die 22 Maii anni 1826 concessa ab ea Sententia fuit Francisco Borgia appellatio *devolutiva* tantum, cum clausula nempe « *sine prejudicio, et amplius.* Qua de Phrusinatis Prætoris Sententia fieri baud potest quin animadvertatur, quam præceps asperumque fuerit illius judicium contra non auditos fratres Borgia, dum Monasterio pure, ac simpliciter mandatum de reintegrando ad Emphyteutica bona concessit, etiam si *Articulo* 359 ejusdem Motus Proprii summa justitia, ac æquitate cautum fuerit « *Se la devoluzione si accettasse per l' inadempimento di un patto, potrà il Giudice, se, e come di ragione prefiggere un termine al reo convenuto per l' adempimento del medesimo: scorso il quale sarà luogo alla caducità.*

4 Rem vero omnem conficit dispositio *Articuli* 81 prædicti Motus Proprii. Eo namque declaratur, quod judicata, quæ exequutioni nullo absque obice dari possunt « *tutte le sentenze, nelle quali, o non competa veruna appellazione, o competa nel solo devolutivo per disposizione di Legge, o in virtù di Rescritto della Segnatura* » eodemque præscribitur, quod hæc judicatata » *non potranno eseguirsi, che dopo giorni dieci computabili da quello, in cui le sudette Sentenze., o rescritti si troveranno in istato eseguibili.* « Si itaque » *l' appellazione all' effetto di sospendere l'esecuzione del Giudicato, dovrà interporsi dall' appellante nel termine di dieci giorni, computabili da quello della notifica del giudicato* » ut statuit *Art.* 497. ejusdem Motus Proprii quoad Praxeos Leges: ac in facto constat, quod Sententia Phrusinatis Prætoris diei 31 Augusti anni 1825 nunciata fuit non ante Kalendas Octobris illius anni Fratribus Borgia: Appellationem vero ab ea interposuit Franciscus die *tertia* ejusdem mensis animum suum pandens eamdem Sententiam impugnandi, plane consequitur banc Sententiam, a qua ullo absque dubio provocare licebat, exequutioni dari haud potuisse, ac ideo *octendii* terminum, ad beneficium purgationis moræ eisdem Fratribus a Lege præstitutum, haud potuisse incipere labi, cum fuisset per appellationem illius Sententiæ quilibet effectus in suspenso positus. Quin imo apertissimum est perperam Monasterium, hac pendente appellatione, bonorum possessionem, in vim prædictæ Sententiæ sumpsisse.

Fuit quidem postea actionis quoad hanc appellationem coram Signaturæ Tribunali exitus, ut indulta ea fuerit Francisco « *nel solo devolutivo* » sub die 22 Maii 1826. At Signaturæ Rescriptum suas vires exerere haud potuit, nisi post *decendium* a die, qua fuit latum « *Le risoluzioni della Segnatura non potranno eseguirsi, che dopo dieci giorni computabili da quello, in cui si troveranno in istato eseguibile* » Ergo Sententia Phrusinatis Prætoris venit = *in istato eseguibile* = ob illud Signaturæ rescriptum, die prima Junii 1826 atque ideo, cum ejus exequutio suspendi deberet, juxta relatum Articulum 81 = *per dieci giorni computabili da quello* = in quo ea Sententia venit = *in istato eseguibile* = possent Fratres Borgia contendere, non abque ratione, quod non ante diem *undecimam* illius mensis in- 5

cipere deberet lapsus *octendii* intra quod moræ purgatio; juxta præscriptum *Articuli* 360. Legis Praxeos, a Monasterio objecti, peti poterat: extra vero quæstionem est, quod hic terminus initium saltem habere haud potuit ante prædictam diem primam Junii.

6 Nec melior evasit Monachorum conditio, quia sero denunciata ipsis fuit a Francisco Borgia citatio specialis coram Signatura *pro observantia appellationis* jam in actis interpositæ, at que ob hunc defectum intermedio tempore absque attentatorum labe possessionem apprehendere valuerunt in vim Sententiæ a Phrusinatensi Prætore die 1. Augusti 1825. prolatæ, perinde ac si reapse dici posset Sententiam ea die = *in istato eseguibile* = quia actui interpositionis appellationis non fuit illico conosciata citationis specialis denunciatio. Etenim, præterquam quod etiam juxta censum quem Monachi appingunt Articulo 360 Codicis Judiciarii, non nisi quam die 20 Octobri. possessionem occuparo ipsi potuissent, ad quam naciscendam præponere, et immutare convolarun prædicta die 19 ejusdem mensis, ea legis verba mentionem agentia de judicato = *in istato eseguibile* = intelligenda sunt non de statu execuutionis in quem fortuitu incidat Sententia ob serotinam forsan denunciationem legittimæ inhibitionis, vel ob aliquam oscitantiam, aut minus rectam credulitatem, quod ea inhibitio haud foret necessaria; sed de eo statu tantum executionis, qui prodeat, vel per *exortam rem judicatam* ex binis unisonis Sententiis coalescentem, vel per *Rescriptum Signaturæ* post discussionem instantiæ pro suspensiva appellatione, ita ut quævis desierit ulterius provocandi facultas, aut, re cognita, a Tribunali Signaturæ fuerit denegata suspensiva appellatio ab unica Sententia.

7 Hic porro in jure sensus tribuendus est iis verbis = *in istato eseguibile* = præsertim dum agitur de effectu odiosissimo, privationis, nempe, beneficii a Legibus indulti; ac de coangustando termino ad efflagitandam moræ purgationem, ad quam sane reposcendam in jure Canonice haud constitutum est breve spatium octo dierum, nec ullus præfinitus est certus, ac limitatus terminus quo præterlapso, ea peti amplius non possit. Ex Hisce itaque in aperto est plusquam tempestive hanc moræ purgationem postulasse Franciscum Borgia apud Phrusinatem Prætorem ea die prima Junii 1826. atque summa cum injuria hunc Judicem declarasse, ipsum a beneficio illam petendi cecidisse, ejusque rejecisse instantiam. Hine merito S. Tribunal moræ purgationis beneficio fratres Borgia, justitia, et æquitate duce, juvandos esse censuit, ut ad possessionem Emphyteuticæ substantiæ redeant solutis; tamen Venerabili Monasterio canonibus decursis, et refectis 7 litis impensis, ui sit ejus indemnitati consultum.

Et ita etc. Altera tantum etc.

ALATRINA MANUTENTIONIS

SEU REINTEGRATIONIS

Veneris 11. *Januarii* 1328.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXCV. -

SUMMARIUM

1. *Intestata Matris haereditas ad ejus filios cujuscumque sexus indiscriminatim defertur.*
2. *Heres ejusdem juris est, cujus fuit defunctus.*
3. *Verba* - omnia et singula bona stabilia mobilia, actiones praesentes et futurae - *quae institutionis subjectum designent, haeredem etiam in proprietate, institutum esse demonstrant.*
4. *Alienationum prohibitio de jure intelligitur, dum agitur de herede in usufructu tantum instituto.*
5. *Inventarii confectio heredi usufructuario ex jure incumbit.*
6. *Detractiones Falcidiae, Trebellianae etc. ei qui simul proprietarius et usufructuarius est, competunt.*
7. *Voluntas testatoris attendenda juxta testamentarias tabulas in supremis conditas* Et n. 8.
9. *Si verba precativa desint in testamento nil in-*

terest, cum aliter aperta sit testatoris voluntas.

10. Pupillaris a vulgari substitutione differt.

11. Substitutiones ad plures gradus et in perpetuum infirmantur.

DECISIO CCCXXVII.

Quæ Clara Razza, nupta Tiberio Caporilli, intestata ducedens, bona reliquit, iis compræhensis ipsi a Fratre Theodoro Razza testamentariis tabulis 14 Septembris anni 1802 tributis, æquis partibus dividenda esse inter ipsius filios, tam mares quam fæminas, Ferdinandum nempe, Rev. Augustinum, Joannem, Dominicum, Philippum Angelum, Clementinam, et Angelam, constituit A. C. Grimaldi Sententia edita die 13 Februarii superioris anni, posthabita prorsus exceptione a Ferdinando proposita specialis sui juris super bonis hæreditariis Theodori. Hanc vero Sententiam, omnino Sacer Noster Ordo probavit, dum rei cognitione per provocationem Ferdinandi ad ipsum deventa; proposito a me in Comitiis die 25 Junii nuper elapisi anni dubio = *An et quomodo sit locus manutentioni, seu reintegrationi, ac divisioni bonorum, et sint relaxanda mandata in casu etc.* = Responsum dedit = *Affirmative juxta modum nempe ad formam Sententiæ A. C.* = ut patet ex decisione ad eam diem a me vulgata. Nec profuit Ferdinando indulta ei de hujusce Decisionis viribus disserendi venia: hodie enim in novo partium certamine eam patres firmarunt, assueto proposito dubio respondentes = *In decisis* =.

1 Nullum profecto dubium quin prædictis fratribus, et sororibus, Caporilliis, manutentio, seu reintegratio tribuenda sit adversus fratrem natu majorem Ferdinandum juxta A. C. Grimaldi Sententiam, super bonis hæreditariis ipsorum matris Claræ ab intestato defunctæ, ut pro virili eos inter dividantur, cum non solum ex Juris Communis dispositione in *Novell.* 118 *cap.* 1 intestata Matris hæreditas ad ejus filios utriusque sexus indiscriminatim deferatur, sed id etiam sancitum sit novissimis Pontificiis Legibus, præsertim motu proprio Sanctissimi Principis, feliciter Regnantis diei 5 Octobris anni 1824 *Art.* 114 ut præcedens advertit *Decisio* § 4. Hæreditariæ vero substantiæ Claræ partem efficiunt bona ei a Fratre Theodoro Razza relicta, substitutione, post ipsius obitum, favore prædicti Ferdinandi, aliorum vocatorum, cum vinculo fideicommissi præscripta, quis hæc bona libera prorsus penes Claram facta fuerunt ex lege Romæ lata, sub Gallorum dominio, die 13 Junii 1809 quæ substitutionibus, et fideicommissis abrogatis, bona hisce obnoxia vinculis, in plena proprietate ipsorum possessoribus addixit; et quia post Pontificium restitutum Imperium, ea tantum fideicommissa ad vitam restituta fuere, quæ bonis inessent, quorum valor, stabilibus solum in pretio habitis, ad scuta *quindecim milia*, oneribus subductis, adscenderet, et extra controversiam est Theodori hæreditatem quam maxime ab hoc valore distare; siculi pariter superior *decisio* § 5 perpendit, ac appositis innixa auctoritatibus, constituit.

Inutiliter vero, ad prædictarum Legum sanctiones avertendas, et Theodori hæreditaria bona Ferdinando unice addicenda, rursus hoc mane ejus patroni summo studio suadere adnisi sunt, vel Claram in bonis illis usufructuariam tantum hæredem fuisse a Theodoro scriptam, et ipsum Ferdinandum proprietarium; vel hunc directe a Theodoro, post Claræ obitum fuisse hæredem institutum cum onere fideicommissi, ab eo, non Clara incipiendi: utrumque enim consistere haud posse firmiter hodie etiam Patres Domini tenuere. Et sane, ad primum quod spectat, recolendum in facto est ita de suis rebus Theodorum Razza supremis, quas scripsit, tabulis disposuisse = *in tutti e singoli miei beni mia erede universale, e generale istituisco la signora Chiara Razza mia dilettissima Sorella* = Quamobrem cum scitum sit = *Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse cujus fuit defunctus* = sicuti monet *Ulpianus in leg.* 60 *ff. de regulis juris*, et cum in discrimen haud adducatur Theodo- 2

rum proprietatem una cum usufructu habuisse bonorum omnium, quæ Sorori reliquit, hanc cum usufructu proprietatem in eam transtulisse plane consequitur, dum eam sibi universalem hæredem generaliter scripsit. Quod si aliter voluisset, oportebat ipsum expressim declarare, hanc institutionem ad usumfructum tantum fuisse a se cohibitam ad tradita per *Menoch. de præsumpt. præs.* 141 *n.* 48 *Mantic. de conject. ultim. vol. lib.* 4 *tit.* 5 *Art.* 5 6. *Rocca. disput. select. cap.* 46 *n.* 13 *et firmata per Rotam passim; et præsertim Dec.* 22 *n.* 14 *p.* 6 *recen. dec.* 721 *n. cor. Baratt. et in Romana hæreditatis* 4 *Junii* 1753 *n.* 1 *coram Bussio.*

3 Eoque magis tenendum est Claram a fratre in proprietate etiam, præter usumfructum, fuisse hæredem institutam quia ipse eam non solum dixit = *sua erede Universale e generale*, = sed eadem verborum amplitudine usus fuit in designando institutionis subjecto, nempe = *tutti e singoli miei beni stabili mobili azioni et presenti che futuri* = sicuti optime animadvertit, et firmat *Rota in Nullius, seu Farfen. Immissionis* 27 *Aprilis* 1742 *n.* 4 *et seq. cor. Millino, et in Romana Nullitatis exequutionis* 4 *Marti* 1827 § 4 5 *coram R. P. D. Meo Marco Almæ Urbis Præside.* Quibus, et illud accedit, Theodorum sorori injunxisse implementum celebrationis plurium Sacrorum, pluriumque legatorum præstationem, quæ quantum conveniunt institutioni hæredis, tam in proprietate, quam in usufructu, tantum abhorrent ab ejus institutione in uno usufructu, sicuti advertit *cit. dec. Nullius, seu Farsen. Immissionis* 27 *Aprilis* 1142 § 5 *coram Millino, et Anconitana Immissionis* 16 *Junii* 1823 § 19 *coram nunc Rmo P. D. Meo Spada Decano.* Jussit præterea testator ut sua hæreditas deferretur ad primonatum Claræ filium Ferdinandum = *dopo la morte della detta mia erede* = Si igitur noluit ipse Ferdinandum succedere posse ante ipsius hæredis Claræ obitum; si nullum huic coheredem in proprietate constituit; pernecesse dicendum hanc etiam proprietatem Claræ fuisse ab ipso relictam, ad vitandum absurdum, quod proprietatis delatio, donec Clara vixisset, in suspenso maneret, et quod ipse partim testatus partim intestatus obiret, sicuti recte arguit *Peregrin de Fideicomm. Artic.* 5. *num.* 21. *et Rota in cit. Nullius, seu Farsen. Immissionis* § 8 *coram Millin. et in Firmana Immissionis* 29 *Aprilis* 1793 § 8 *et segq. coram Priolo.*

Perperam vero, qui pro Ferdinando caussam dicunt, inducere student Claræ institutionem in simplici usufructu et non in proprietate etiam cum vinculo substitutionis, ex ei injuncta alienandi prohibitione, absque caduci pœna id casu alienationis indicta. Alienationem enim prohibitio de jure semper subintelligitur, dum agitur de hærede in usufructu tantum instituto, secus vero, cum res sit de hæredis institutione in plena proprietate, quo in themate alienationem hæreditariæ substantiæ interdicere expressis ei debet testator, si eam distrahi posse nolit; quapropter expressa hæc a Theodoro alienationis prohibitio perspicuam magis reddit Claræ in plena proprietate institutionem cum vinculo substitutionis, uti superior Decisio perpendit § 8. Quin aliter sentiendum sit, quia Claræ caduci pœna in dicta non fuit in casu alienationis patratæ. Distinguendum namque est inter substitutionem *pure* præscriptam, cum institutus hæres decedat, quo in themate versamur, et substitutionem *condictionalem* seu *poenalem*, volitam nempe, si institutus hæres hæreditariam distrahat substantiam; de priori siquidem cum agitur, sat est ad eam inducendam sola alienationis prohibitio *Rot. dec.* 318 *n.* 7 *cor. Caprara*: quoad alteram vero explicita caduci pænæ indictio concurrat oportet, ut huic substitutioni via aperiatur, ut egregie tradit *Peregrin. de Fideic. art.* 19 *n.* 5 *et seg.* 4

Idem dicendum quoad inventarii confectionem, statusque hæreditarii descriptionem, Claræ a Theodoro injunctam, quæ ejus institutionem in usufructu tantum non modo haud præse- 5

fert, sed immo hanc excludit, et proprietatem etiam ei relictam fuisse cum onere restitutionis demonstrat, ut pariter advertit præcedens Decisio § 8. Et sane inventarii confectio hæredi usufructuario ex jure incumbit, ut docet *Constantin. Vol.* 60 *n.* 5, non item hæredi proprietario, quamvis restitutionis hæreditatis onere gravato, *Card. de Luc. de Hæreditate disc.* 17 *n.* 8. Si igitur testator institutæ hæredi eam inventarii confectionem statusque hæreditarii descriptionem, descripsit ipsam in proprietate etiam sese instituisse declararavit, secus enim ab ei jubendo sese abstinuisset, quod ipsa, si simplex fuisset usufructuaria hæres instituta, perficere ex lege, et ullo absque testatoris præcepto, debuisset. Inepte etiam colligi vellet proprietatem hæreditatis Theodori fuisse in Ferdinandum collatam ab obitu usque testatoris, quia hic jusserit = *di rinunciare all' eredità materno, poterna e legittima* =. Hæc etenim renunciatio non antea ab eo emittenda erat, quam post Matris obitum cum nempe ei aditus aperiretur successioni ad Theodori hæreditatem, in vim substitutionis ab hoc præscriptæ. Qua de re perspicuum testimonium ipsemet Ferdinandus suo edidit facto, nam defuncto ejus parente Tiberio Caporillio ante Uxorem Claram, ejus hæreditati nuncium mittere prorsus neglexit.

6 Hisce, quæ Claro institutionem in Theodori hacreditati quoad proprietatem etiam, practer usumfructum, in propatulo ponunt, et a quolibet objecto omnino vindicant, alia etiam momentosissima accedunt a Theodori testamento elicita, quae omne, si forsan adesset, dubium removeret. Siquidem ipse sorori prohibuit ne umquam = *posso fare la minima detrozione di Falcidio. Jrebellanico, o qualunque oltro* = Quare, cum notissimum in jure sit hasce detractiones haud competere posse simplici hæredi usufructuario, sed ei tantum, qui una cum usufructu bonorum habeat proprietatem cum onere fideicommissi, hoc unum satis esset ad evinciennam in Clara fraternae haereditatis proprietatem cum usufructu conjunctam per *Mantic. de conject. ult. voluntatis lib.* 4 *tit.* 5 *Art.* 14 *num.* 4 *Rot. Dec.* 145 *num.* 1 *et seq. part.* 18 *Recen. et Decis.* 277 *num.* 4 *seq. ead. part.* 18 = Praeterea, dum testator, post Clare obitum, ad suam baereditatem vocavit hujus filium primonatum Ferdinandum cum onere fideicommisi plures constituens substitutionum gradus, casum prævidens quo, vivente Clara, omnes ad fideicommissum vocati deficerent, arbitrium in eam contulit nominandi ad illud fideicommissum quemlibet ex ejus filiis = *sio quel figlio maschio che nominerà lo modre, e sempre cogli stessi vincoli* = quod plane demonstrat Claræ ad fratris universam hacreditatem primo loco vocationem; non enim potuisset hanc in alium transferre, nisi prius fuisset in ipsam delata. Videnda superior Decisio § 8.

Constito de adeo perspicua testamentaria dispositione Theodori, merito Patres prorsus sprevere testes a Ferdinando novissime allatos, qui asserunt sibi notum fuisse Theodori animum relinquendi sorori usumfructum tantum suae haereditatis, tributa Ferdinando illius proprietate cum vinculo fideicommissi. Seposito enim, quod hi testes sunt extrajudiciales; sunt nuper pendente lite expiscati: sunt pluribus exceptionibus obnoxii: ac præterea inverisimilem portendunt memoriam rei jam ab annis *vigintiquinque* audita; sat est ad evincendam ipsorum assertionis inanitatem potissima animadversio, quod, quidquid forsan Theodorus senserit quoad legem de rebus suis dicendam antequam testamentum conderat, non ejus mens, a qua postea recesserit, sed voluntas ab eo apertissime pandita in supremis, quas scripsit, testamentariis tabulis attendenda sit. Ac merito pariter rursus post habita omnino fuere acta quædam, in quibus Clara enunciata fuit, uti simplex fraternae haereditatis usufructuaria. Ad acta enim quod spectat expleta ante fideicommissorum, et substitutionum abrogationem, rite Clara, utpote fraternam possidens baereditatem cum vinculo re- 7

stitutionis, illius usufructuaria dici potuit, praedita nempe super ea usufructu, qui dicitur *causalis*, quive est cum proprietate resolubii conjunctus; secus ab illo a proprietate resolubili conjuncto, ac *formali* vocato: sicuti praecedens, appositis innixa jurisconsultorum traditis, et Sac. Ordinis definitionibus, advertit *Decis.* § 11. Posteriora vera acta, gesta dum fideicommissi a Theodoro instituti, substitutionisque nexus cessaverat, tam ex Gallicis, quam ex superventis Pontificiis Legibus, nullum Claræ ejusque hæredibus praejudicium inferre possunt, vel quia perfecta ad majorem contrahentium cautelam, vel quia Clara, ne dum eis assensum baud praebuit, quem rite praebere nequivisset absque necessariis solemniis sed etiam eis non interfuit, uti pariter perpendit superior decisio eodem § 11.

8 At hisce perstricti Ferdinandi oratores, cum fateri cogantur denegari non posse Claræ institutionem in Theodori haereditate, non solum quoad usumfructum, sed etiam quoad proprietatem, alio se vertunt, ac contendunt ipsum non *oblique* fuisse Matri in ea hæreditate substitutum, sed ad hanc *directe* post illius obitum vocatum, cum fideicommissi onere ab ipso tantum initium habituri. Id vero exinde colligere vellent, quod testator fideicommissi onus haeredi Clarae expressim baud injunxit: legem ei cognomen Razza assumendi non indixit; nec ei jussit ut haereditatem de tempore ejus obitus in substitutum transmitteret, sed tantum praecepit = *che dopo la morte della detta mia erede, debba succedere alla mia intiera il solo di lui figlio maschio Ferdinando coll'obbligo di assumere il cognome Razza* = Incpte tamen. Si namque constat Theodori hæreditatem fuisse Claræ procul dubio delatam, in proprietate non minus, quam in usufructu, ab ea pernecesse abstrahi hæc debebat hæreditas, ut ad Ferdinandum transgrederetur; quod fieri non poterat, nisi in vim substitutionis a Theodoro praescriptae. Dicendum est itaque fideicommissum ab eo institutum initium in Clara habuisse, quamvis id haud explicite ipse declaraverit, et diem obitus Claræ designatam fuisse, uti tempus, quo hoc fideicommissum in Ferdinandum, si matri superasset, transire debebat.

Quod autem Claræ datum non fuerit Ferdinando, præceptum assumendi cognomen Razza, id tantum demonstrat testatorem probe novisse sororem per nuptias in Caporilliam familiam translatam, hujus familiæ cognomen, non vero aliud sibi præcipuum habere potuisse. Si demum *obliqua* seu *precativa* verba, quibus Theodorus sororem rogaverat de hereditate Ferdinando restituenda, in eius testamento desunt, nil prorsus id interest cum aperta sit ejus voluntas hujus restitutionis onus Claræ imponendi; quo in themate verba etiam *directa, et imperativa* improprientur, ut testatoris voluntati accomodentur; *Decius Cons.* 531 *num.* 8 *verb. nec obstat, de Geass.* § *fideicommissum quæst.* 4 *num.* 14 *Mantic. de Confecturis lib.* 4 *Tit.* 5 *num.* 112, *Peregrin. de Fideicommis. Art.* 5 *num.* 26 *Fontanell. decis.* 27 n. 8 *Rot. Dec.* 495 *numer.* 2 *part.* 4 *Diversor. Decis.* 579 num. 12 *part.* 1 *Recen. Decis.* 318 n. 14 *coram Caprara, et in sæpius cit. Nullius, seu Farfen. Immissionis* 27 *Aprilis* 1742 *numer.* 8 *coram Millin.* Videsis quoad bæc superiorem *Decisionem* § 9. 9

Et nil quidem magis absurdum quam *directe* vocatum a Theodoro dicere Ferdinandum, cui hæreditas a testatore delata fuit, non in casu, quo Clara ea hac fuisset petita, sed post eam ab hac possessam, et die hujus obitus advenienle. Hic sane casus, substitutionem, non institutionem Ferdinandi præseferens, cum aptari nequeat substitutioni populari, qua = *pater substituit filio impuberi in casum si hæres erit, et intra pubertatis annos moriatur* =, nec vulgari, quæ obtinet = *quando quilibet testator cuilibet haeredi substituit in casum, si haeres futurus non sit* = casum nempe = *negativum, si haeres non erit ut docet Heinecc. Recit. ad Instit. tit.* 15 § 62 quam maxime idcirco distat a 10

vulgari, seu directa substitutione, ut *docet Donell. Comment. in Cod. tit.* 26 *lib.* 6 *Cod. de impuberibus*, et substitutioni fideicommissariæ pernecesse accensendus est. Nil præterea prodesse umquam Ferdinando posset hæc de asserta ipsius directa substitutione disputatio. Gallicus siquidem Codex Romæ, cui Alatrium suberat, vulgatus, omnes substitutiones indiscriminatim abolevit, bonaque eis subjecta in eorum possessoribus libera fecit. Quod si substitutiones excepit ad unum tantum gradum cohibitas erga testatoris nepotes ex filio vel fratre, primo loco institutis, extranea prorsus a nostro themate hæc est dispositio, cum agatur de institutione fideicommissi ad plures gradus, et in perpetuum, si fieri potuisset, progressuri; quam institutionem præcipi Gallicæ leges vetuere, et præscriptam, etiam ante earum promulgationem, prorsus infirmarunt, uti probat praecedens *Decisio* § 10, S. N. Ordinis Decisionibus in fulcimen adductis, iisque climinatis in contrarium allatis, utpote ad casus omnino diversos spectantibus.

11 Accedit hisce omnibus Ferdinandum apertissime agnovisse sese, non directe, sed per fideicommissum ad Theodori hæreditatem fuisse vocatum, atque una simul omne ejus ad hanc hæreditatem assequendam fuisse peremptum ex Fallicis, ac Pontificiis Legibus. Non enim ipse, dum Clara vivevat, dum ex edictali Lege S. M. Pii VII. inscribenda erant jura vocatorum ad fideicommissa, quæ fuerant restituta, de fideicommissi vinculo, vel alio quolibet jure sui favore super ea haereditate, a Clara plene possessa. in hypothecarios codices referendo umquam cogitavit: ex quo eo magis comperitur quam injuria post Matris obitum banc hæreditatem occupaverint. Nec hodie etiam audiri ipse meruit, dum rem omnem inter ipsum, et fratres. sororesque compositam asseruit, post parentis Tiberii obitum, ope concordiæ, ex qua paternam hæreditatem eis reliquit, ob ipsi addictam Theodori Razza hæreditariam substantiam, quorumdam testium dicta ad id probandum afferens. Viderunt enim Patres nullam habendam esse fidem testibus hisce novissime, pendente lite, expiscatis extrajudicialibus pluribusque exceptionibus obnoxiis, atque prætensam concordiam, et Ferdinandi renunciationem baereditati paternae, omni probatione destitutam agnoverunt. Quod si e bonis a parente relictis quidquam, præter quotas eis debitas, praedicti fratres, sororesque Ferdinandi forsan retinent, id eorum juribus ad Theodori baereditatem nullum inferre passe præjudicium in comperto fuit, cum eos semper Ferdinandus in congruo divisionis judicio ad peraequandas eorumdem bonorum portiones adigere valeat uti superior, quæ confirmatur, *decisio* constituit § *final.*

Et ita etc. utraque etc.

ARIMINEN GRADUATIONIS

ET CONSIGNATIONIS

Lunae 23 Junii 1828.

ARGUMENTUM

Jure quiritium creditores praeferebantur, quorum titulus anterior simul esset, atque potior; ex nuperrima vero jurisprudentia, a gallis primum invecta, ac deinde a S. M. Pontifice Pio VII. confirmata, unus inspicitur inscriptionum ordo, et quis dumtaxat anterior fuerit in inscribenda hypotheca.

SUMMARIUM

1. *In creditorum concursu praelatio eis creditoribus danda est, qui anteriores, potioresque sunt. Anterior est qui potior fuit in iscribenda hypothecn - Ibid. -*
2. *Inscriptio perficienda est in tabulario, cujus jurisdictioni bona hypothecata subjiciuntur.*
3. *Inscriptio hypothecaria bona tantum debitoris afficit, quae extant in territorio tabularii, in quo expleto fuit.*
4. *Tabelliones, nulli exceptioni obnoxii et scientiae causam reddentes, majorem sibi fidem vindicant quam testes numero minores et nullam testimonii rationem praebentes.*

5. *In peragenda inscriptione haud quaeri debet ubinam sit potestas administrativa, sed ubinam judiciaria.*

6. *Quoad inscriptiones hypothecarias una Tribunalium Primarum Actionum cujuslibet territorii jurisdictio praestituta est.*

Renovatio existentium renovati actus supponit. Ibid.

7. *Dotales hypothecae nullum sine iscriptione sortiuntur effectum.*

8. *Leges Pontificiae, quae institutis Gallicis successerunt, inscriptiones hypothecarias moderantur.*

9. *Error juris neminem excusat.*

Bona fides, quae ex juris ignorantia oritur, detrimentum non affert eis qui jure suo utuntur – Ibid.

DECISIO CCCXXVIII.

Judiciale mandatum pro scutis *millibus, ac viginti duobus* quod dotis, ejusque fructuum nomine, ad diem *decimam septimam* Januarii anni 1823 retulerunt a Tribunali Primarum Actionum, tunc temporis jus Urbini dicente, conjuges Petrus Pucci, et Laura Carboni adversus Franciscum ac Josephum Carboni, Joannis Baptistae filium executioni deinde committendum curarunt, exeunte Decembri ejusdem anni, super prædio hypothecæ vinculo subjecto, in agro *Seclani* posito, vulgoque dicto *Palazzo*. Expletis solemniis, quæ ad legum tramites servanda sunt in judiciis subbastationis, et deliberationis, præconis demum voci obnoxium factum est prædium ipsum hypothecæ nexu devinctum, venditumque fuit Marco Rosellio pretio argenteorum nummorum *millium septingentorum ac trium*. Quamquam is, cui addictum est prædium auctione constituta hypothecarius esset creditor eorumdem fratrum Carboni: pretium tamen deposuit, ut inter creditores divideretur juxta tempus susceptæ hypothecariæ inscriptionis. Vadavit hinc coram Jusdicente Pinnæ Billorum pretii depositarium, eique petiit iubiberi, ne quidquam traderet de depositis nummis Petro Pucci, ac Lauræ Carboni Conjugibus, nisi prius de cujuslibet creditoris jure, ac de sede unicuique tribuenda juxta hypothecariæ inscriptionis epocham coram Judice competente cognosceretur.

Cum annuisset huic petitioni Judex, quilibet proinde ex creditoribus stitit coram Urbini prætore, et sua protulit jura, cæterisque præferri in traditione pretii postulavit. Antequam tamen aliquid decerneret Prætor ille, e re sua censuit judiciarium cognitorem eligere, eique committere, ut jura singulorum expenderet, suamque singulis sedem assignaret Quod ut primum absolutum est, Urbini Prætor, judiciali inhærens relationi *graduatoriam*, veluti inquiunt sententiam pronunciavit, ubi in *prima* sede sumptus judicii constituit; in *altera* posuit Philippum Filippi, cujus hypothecaria inscriptio reliquis omnibus tempore præcellebat; *in tertia* collocavit Marcum Rossellium prædii emptorem; *in quarta* conjuges Petrum Puccium, ac Lauram Carboni, *in quinta* Pascham Margaritam Bucci, Viduam defuncti Josephi Mariæ Carboni, *in sexta* Elisabeth Franchi debitoris Josephi matrem; *in septima* denique Theresiam Giorgi, uxorem Francisci Carboni, alterius ex debitoribus. Cuncti acquieverunt huic sententiæ, præter unam Theresiam Giorgi, quæ provocationem ab ea interposuit, et in causa fuit, ut hodie quærerem = *An, quomodo, et cujus favore sit locus consignationi pretii retracti ex deliberatione praedii* il Palazzo, *ita ut sint relaxanda mandata in casu etc.* = et responsum habere = *Affirmative, et esse locum consignationi pretii juxta modum in Decisione exprimendum* = idest ad tramites sententiæ Prætoris Urbini.

In creditorum concursu prælatio eis creditoribus danda est, qui anteriores potioresque sunt. Romani hujusce juris dispositionem sequuti sunt hypothecarii regiminis auctores cum eo tamen discrimine, ut jure Quiritum creditores præferebantur, quorum titulus anterior simul esset, atque potior; ex nuperrima vero jurisprudentia, a Gallis primum invecta, ac deinde pro bono publico a S. M. Pontifice Pio VII confirmata, unus inspicitur inscriptionum ordo, et quis dumtaxat anterior fuerit

in inscribenda hypotheca: ita ut posterior creditor aliis præferatur, licet anterioribus, et potioribus, si primus omnium suam in publicis codicibus hac punctim de causa institutis, recensnerit hypothecam, quin præ oculis habeatur, utrum generalis hypotheca sit, vel peculiaris, expressa, vel tacita, ex pacto, vel ex judicio profecta. His animadversis, nemo non intelligit, perperam impugnari, post solutos judicii sumptus, *primam* in graduatione sedem Philippo Filippi, quippe qui cæteris hypothecaria præcellit inscriptione, dum eam suscepit in Urbini tabulario anno 1809 ad diem *vigesimam secundam Junii*, ac legitime renovavit, non adhuc elapso decennio, anno scilicet 1817 die *secunda Junii*. Contra vero Theresia Giorgi, quae Philippo Philippi hanc sedem invidebat, nedum hypothecam multo serius inscripsit, idest anno 1813 ad exitum vergente Augusto, sed ejus quoque creditum, quod initium repetit suum ab anno 1812 ad mensem Novembris longe posterius est credito et hypothecaria inscriptione Philippi Filippi.

2 Nec item adversari poterat Theresia Giorgi, quominus *tertia* sedes Marco Rosellio tribueretur. Utcumque enim hypotheca inscripta fuerit a fæmina ad exitum Augusti anni 1813 ac proinde ejus inscriptio anterior sit inscriptione Roselli, quamvis non denegat suscepisse anno 1816, die *vigesima sexta* Octobris; Patres attamen censuerunt, nullo in pretio mulieris inscriptionem habendam esse. Sancitum porro erat a Legibus Gallicis, quæ tunc temporis vigebant, quæque propterea præ oculis habendæ sunt in hac dirimenda controversia, ut inscriptio perficienda esset in tabulario, cujus jurisdictioni bona hypothecæ vinculo devincta subjiciebantur. Jurisdictio autem isthæc desumenda erat ab ea qua pollebant Tribunalia Primarum Actionum, juxta Edictalem Legem die 29 Martii anni 1806 hisce verbis expressam = *In ogni comune di residenza di un Tribunale di prima istanza vi sarà un Officio di conservazione delle ipoteche. Il circondario soggetto ad ogni Officio è il Circondario giurisdizionale, presso il quale risiede* =. Nec secus cautum fuerat alio Decreto ab Italiæ Pro Rege lato anno 1808 ad diem *vigesimam quintam Octobris*; ubi denuo præscribebatur, quod = *l'iscrizione si fà nell' officio della conservazione delle ipoteche, nel di cui circondario si trovano i beni, sù i quali s'intende conservare il diritto di privilegio dell'ipoteca*=Ad tramites ideo harum Legum novo Decreto diei 4 Julii anni 1809 demandatum fuit quod = *si stabilirà un Bureau della conservazione delle Ipoteche in ciascun circondario di Tribunale di prima istanza, e sarà situato nella Città, ove risiederà questo Tribunale.*

Sapientissime autem constitutum est, 3
hypothecariam inscriptionem perfici debere in eo tabulario, cujus jurisdictioni bona hypothecæ obnoxia reperiuntur. Inscriptio siquidem hypothecaria non omnia afficit, percellitque bona debitoris, sed ea dumtaxat, quæ extant in territorio tabularii, in quo expleta fuit. Si inscriptio e converso gesta in altero ex pluribus tabulariis, quae existunt intra fines ditionis Pontificiæ bona quoque percelleret, quæ intra limites tabularii, ubi inita fuit inscriptio, non jacent, illud absurdi sequeretur, ut ad evincendam alicujus prædii, vel urbani, vel rustici libertatem oporteret omnia tabulario perquirere, et perlustrare, quæ in singulis instituta sunt status Ecclesiastici territoriis. Cum igitur dubitari amplius nequeat quin hypothecaria inscriptio explenda foret in eo tabulario, cui bona quoad judiciariam jurisdictionem subjicebantur expendendum modo in quonam tabulario suam inscripserit hypothecam Theresia Giorgi, et cujusnam præterea tribunalis Primarum Actionum jurisdictioni obnoxium esset Oppidum Seclani in cujus agro situm est prædium = *Palazzo* = hypothecæ nexui mancipatum. Atqui extra quæstionem est hypothecam suam Theresiam Giorgi inscripsisse in tabulario Forolivii, et in hoc quidem aperte discrepasse a facto caeterorum creditorum, qui, sive ocius,

sive serius, hypothecam suam inscripserunt in Urbini tabulario.

4 Quod vero Oppidum = *Seclani* = judiciariæ jurisdictioni subesset Tribunalis Primarum Actionum Urbini, id æque constat, certumque est ex amplissimis testimoniis plurium scribarum, ac tabellionum, Urbini non minus, et Pisauri, quam Castorum Pinnæ Billorum et S. Leonis, de facto propriu, propriaque scientia, deponentium Oppidum Seclani, quousque perstitit Italicum Regnum, quoad judicialem jurisdictionem subjectum fuisse Castro S. Leonis, et S. Leonis Castrum Urbino. Præ his audiendi non erant testes a Theresio Giorgi adducti, publicæ scilicet sanitati Præfectus ac Vexillifer alterius Oppidi Talamelli, qui testabantur Seclanum obnoxium fuisse jurisdictioni Tribunalis Forolivii. Nam ex juris regulis majorem fidem sibi vindicabant tabelliones; qui numero plures erant, nullique exceptioni obnoxii ac scientia causam reddebant, ad acta publica sese referentes, quam duo alii testes, qui nullam præbent testimonii sui rationem, et illecti potius, quam veritatis ergo excitati, deponere videntur. Si igitur Theresia Giorgi suum nomen in scutis mille biscentum, quot ei nimirum Francisco Carbonio nubenti mater Joanna Binia, vidua Giorgi, constituit in publicis tabulis, exeunte Novembri anni 1811 initis, in quibus pro dotis indemnitate conventa fuit hypotheca super ipso prædio, de cujus pretio quæritur inscripserit, non Urbini, sed Forolivii, cujus jurisdictioni in rebus judiciariis Seclanum minime suberat, injuria contendit, superiorem locum sibi competere in graduatione, de qua disceptatur, in vim inscriptionis inutiliter, et contra præscriptum legis anno 1813. Forolivii susceptæ.

5 Post hæc, quæ in jure, et facto constituta sunt, quæque totam conficiunt controversiam, nil refert Oppidum Seclani quoad Administrationem et prolitiam, subjectum fuisse se Forolivio. Aliud enim est, ut sciunt omnes, et plurimum differt potestas *administrativa et politica* ab auctoritate, et potestate Judiciaria. Utcumque itaque Oppidum Seclani: quoad negocia administrativa, et politica, Forolivio subjiceretur, et Urbino quoad negocia judiciaria; cum tamen expressis adeo, nitidisque verbis Leg. et Decr. Gallor. pro Italico Regno lata constituissent, in inscribendis hypothecis spectandum esse jurisdictionem Tribunalis Primarum Actionum ubi bona hypothecæ nexu devincta reperiebantur: cumque rursus compertum sit prædium, hypothecæ obnoxium, in Agro Seclani situm esse, cujus Oppidum quoad jurisdictionem judiciariam Urbino subiiciebatur; necessario sequitur, in peragenda inscriptione haud quæri debuisse, ubinam esset potestas administrativa, sed ubinam imo foret judiciaria potestas, ideoque fieri oportuisse inscriptionem in tabulario Urbini, non autem Forulivii. Ad hæc accedebat, imperium Gallorum, ac praesertim quoad Italiam, divisum tunc temporis fuisse in tot provincias in totidem territoria itidem subdivisas, quæ exotico vocabulo nuncupabantur *Circondarj*. Suus quamlibet provinciam moderabatur Præfectus, a cujus auctoritate cætera provinciæ territoria pendebant quoad negocia administrativa, non item quoad judiciaria, cum in quolibet territorio, seu *Circondario*, tam pro civilibus, quam pro criminalibus controversiis adesset Primarum Actionum Tribunal.

Ex his sequitur, ut, quoties legislator tabularium hypothecarum constituit = *in ogni Comune di residenza di un tribunale civile di prima istanza* =, insimulque jussit quod = *il Circondario soggetto ad ogni officio è il Circondario giurisdizionale del Tribunale, presso il quale risiede*=, toties dicendum sit quamlibet provinciarum jurisdictionem exclusam fuisse, et quoad inscriptiones hypothecarias unum Tribunalium Primarum Actionum cujuslibet territorii jurisdictionem præstitutam fuisse, eisque dumtaxat, non provinciis, et Præfecturis, adjectum tabularium hypothecarum. Ex eo igitur, quod a Theresia Giorgi inscripta fuerit hypotheca Forolivii, idest in primaria Civitate 6

provinciæ, non recte deducitur, inscriptionem ipsam afficero bona omnia in provincia comprehensa. Et frustra Theresiæ defensores respondebont, ex renovato die *secunda* Augusti onni 1823, non amplius in Forolivii, sed in Urbini tabulario inscriptionem, defectum præcedentis fuisse reparatum. Renovatio siquidem existentiam actus renovati supponit. At in tabulario Urbini nunquam extitit inscriptio, quæ bona Seclani afficeret: ergo ea valide renovsri non poterot, cum non entis nullæ sint qualitates. Quapropter renovatio inscriptionis hypothecariæ quæ subjecto csret quoad bona existentia in agro Seclani, nullam quoad bona illa vim habere potuit in præjudicium aliorum creditorum, qui rite et legitime suas susceperunt in ipso Urbini tabulorio inscriptiones.

7 Deterius Theresiæ defensores reponebant, sub Gallorum regimine mulieribus præsto pro dotibus fuisse legalem hypothecam, quin eam cogerentur inscribere. Non adhuc quippe vigent cxteræ illæ leges, quæ ab onere inscriptionis dotium, non sine froudis periculo, mulieres eximebant. Ipse creditorum concursus nuperrime indictus est sub providis nostris legibus, quæ dotales etiam hypothecos inscriptioni subjiciunt, ac nullum sine inscriptione eis tribuunt effectum. Scriptum namque est *art.* 27 regiminis hypothecarii quem exibet Motus Proprius diei 6. Julii 1816, nominatim demandatum; quod = *le ipoteche tacite, e legoli di qualunque specie esse siono, compress onche quelle delle donne per le constituzioni*, o *restituzioni delle loro doti non sono volecoli, nè produttive di olcun effetto in concorso dei creditori ipotecarj iscritti*, o *contro i terzi possessori*= Cum igitur initium habuerit onno 1826 creditorum concursus, hypotheca legalis non iscripta nullum gignere potest effectum adversus creditores inscriptos. Quin obsit hypotecam Ther. Giorgi contractam on. 1812 fuisse, quo scilicet tempore mulieres ob inscriptione erant immunes. Quandoquidem præfata Lex Motus Proprii ita *art.* 36 expresse sancivit = *Per le ipoteche del precedente orticolo, e contratte prima della pubblicazione della presente Legge, si assegna il termine di mesi sei ad inscriverle. Le inscrizioni eseguite dentro questo termine desumeronno la loro anteriorità dall'epoca del titolo, da cui derivano. Dopo questo termine non lo potronno desumere, che doll' epoca della seguita iscrizione* =.

Consulendæ quidem sunt, seduloque retinendæ Gallicæ Leges, ut exinde cognoscatur, an in tabulorio Forolivii, vel potius Urbini inscribenda foret hypotheca, quia eo tempore leges illæ vigebant. At, si postea, Gallicis sbrogatis institutis, successerunt Leges Pontificiæ, si hæ leges dotalia quoque nomino hypothecariæ subjecerunt inscriptioni; si concursus creditorum nunc primum sub legibus nostris indictus est; nemo non intelligit in hac alia re, in hac scilicet quæstione, utrum post restitutum ad suam Sedem Summum Pontificem Theresia teneretur tacitam suam inscribere hypothecam, non Gallicas, sed Pontificias Leges, quæ onus inscribendi nomina dotalia invexerunt, unice esse spectandos, carumque ope dirimendam controversiam. Sed sic est: quod Theresia Giorgi facile passa est, ut terminus sex mensium, et si qui alii postea ex æquitate quadam præfiniti fuerunt, inutiliter elaberentur, quin unquam eo tempore legalem dotis hypothecam inscriberet, quam tandem die *secundo* Augusti anni 1823 in publicis hypothecariis tabulis Urbini recensuit. Non igitur ægre ferre debet ut, non o die initii matrimonii, seu a stipulatione tabularum nuptialium, sed a die inscriptionis Urbini susceptæ, ad prædictæ Legis tramites jus suum exerceat, et cæteris prælatio concedatur, qui diligentiores in hypotheca inscribenda fuerunt. 8

Nullius demum ponderis erant, quæ de errore, de bono fide do odio nullitatis inscriptionis extremo loco proponebantur. Neminem enim excusat juris error: nec error ipse tamquam a fæmina patratus dicendus est, quippe quia, non ad mulierem, sed ad ejus 9

virum; qui bonorum uxoris administrationem gerebat, omnino pertinebat, hypothecam stato tempore inscribere. Si vir muneri suo defecit, agat adversus ejus patrimonium læsa mulier; sed resistere nequit, quominus inter reliquos creditores juxta inscriptionum epochas fundi pretium dividatur. Bona autem fides, ut ut orisi posset a juris ignorantia, numquam potest eis detrimentum afferre, qui jure suo usi sunt, et legibus obtemperarunt. Nullum denique adest odium actionis. Præsenti siquidem actione, non de nullitate inscriptionis a Theresia captæ creditores solliciti sunt; sed hoc unum contendunt, inscriptionem ipsam haud afficere bona in territorio Urbini existentia, quæ non subjiciebantur jurisdictioni Tribunalis Foroliviensis. Cæterum, si istis nugis ansa daretur, actum breviter esset de legibus quoad hypothecas et hypothecarias inscriptiones, quæ adeo utiles civibus sunt et obicem posuerunt tot fraudibus, quot antea hominum malitia excogitabat in præjudiciom creditorum.

Et ita etc. Utraque etc.

AUXIMANA SEU MACERATEN

PECUNIARIA

Veneris 4. *Julii* 1828.

ARGUMENTUM

Faenebres contractus, sub gallicis legibus initos, absque solemniis a Sacrorum canonum disciplina praestitutis, incolumes ita in Provinciis, quae dictae fuerunt - *di seconda ricupera* - servavit Edictalis lex Pontificie 24. *Julii* 1820, ut ex eis ad totum usque annum 1820. legitime condici potuerint usurae initio conventae.

SUMMARIUM

1. *Qui vult hypotecaria actione fundus ab extraneo possessore retentos persequi, duo probare debet; crediti sui existentiam, ac hypotecam inscriptione rite servatam.*

   Quod a rejudicata statutum est non potest in discrimen adduci, nisi restitutio in integrum prius concessa sit - ibid. -.

2. *Contractus foenebres initi sub Gallica Lege absque solemniis a Sacrorum Canonum disciplina praestitutis, suum servari debent effectum usque ad diem* 24. Junii 1820.
3. *Hypotheca legitime inscripta et renovata est attendenda.*
4. *Ex omissione transcriptionis, Extraneus qui fundos comparavit, ne dum praeexistentibus, sed futuris quoque hypotecis obligatur.*
5. *Qui fundos possidet, aes alienum dissolvat oportet quod iisdem fundis inhaeret, secus dimittere possessionem debet.*
6. *Ob dationem obligati fundi primo creditori factam, posterioris jura nihil capiant detrimenti.*

   Quidquid hypotecae vel Privilegii habeat creditor primus, illud solum vires suas exerere potest quando agitur de pretio diribendo quod ex pignore fuerit elicitum -ibid.-

DECISIO CCCXXXIX.

Nummos argenteos *termille*, ad usuram *quincuncem*, Comiti Cæsari Gallo' cujus, nunc ab administratione interdicti, patrimonium subest curæ Josephi Bonfigli, fœnori dedit Theodorus Comes Compagnoni per publicas tabulas, anno 1812. die *secundæ* Septembris initas, dum adhuc Galli in Ditione Pontificia rerum summam tenebant, ex quorum legibus haud vetitum erat, quincunces pacisci pecuniæ usuras, absque ulla forma. Ut primum stipulationi data fuit opera, statim se sollicitum præbuit creditor de nomine suo in hypothecarios Codices recensendo super bonis quibusdam, quæ debitor ex peculiari pacto hypothecæ nexu devinxerat. Quamvis autem pecuniæ caput statis temporibus foret restituendum; cum dies tamen cesserit, et venerit prioris explendæ solutionis, neque capitis partem, neque usuras super integro capite conventas, Gallus, fracta pactorum fide, numeravit. Qua de re judicio egit Compagnonius, ac facile admodum sententiam retulit votis suis consonam, a qua Gallus appellationem interposuit ad Judices, qui tunc temporis jus de provocationibus interjectis Maceratæ dicebant. Sed interim dies pariter cessit, et venit reliqui capitis restituendi.

Ex facultate igitur, qua ex neotericis judiciorum institutis pollent Judices

Appellationis de ratis portionibus post Sententiam Tribunalis Primarum Actionum decursis judicandi, Tribunal Maceratæ, sententia lata anno 1816. ad diem *vigesimam quartam* Januarii, Gallum condemnavit ad restitutionem argenteorum nummorum *trium millium* una cum aliis scutis *octingentis nonaginta*, et obolis *septuaginta quinque* pro interusuriis ad illud usque tempus debitis, absque eorum præjudicio; quæ solvenda in posterum essent, quousque Gallus integrum dimitteret æs alienum. At rursus is provocavit quoad eam capitis partem, cujus, solvendæ dies cesserat, et venerat; dum controversia pendebat coram Judicibus Appellationis. Eamdem tamen sortem expertus fuit ex alia sententia, quam sibi inimicam passus est anno 1820. ad diem *decimam sextam* Septembris. Tunc vero Compagnonius, ut majorem sibi pararet indemnitatem, præter hypothecæ inscriptionem, jam sibi partam ex publicis tabulis, editis fretus sententiis, judicialem hypothecam inscripsit super aliis bonis ad debitorem pertinentibus. Cum autem fuerit initio fænus constitutum ex Gallico jure, quod quincunces fructus ex mutuo quoque permittebat; Edictali hinc Pontificia Lege anno 1820. evulgata, præscripta a jure Canonico solemnia, ut pecunia legitimas pariat usuras, adhibenda censuit Compagnonius, notissimis *Pauli de Castro* requisitis Gallo interpellatis, ex quibus promptam sibi præsto esse significavit occasionem erogandi pecunias ad *besses* usuras. At, debitæ summæ solutionem implere ipso negligente, necessum Compagnonio fuit ea bona impetere, quæ sibi erant hypothecæ vinculo mancipata.

Horum bonorum dominium, et possessio usque ab anno 1815. migraverat in Nobilem matronam Comitissam Henricam Simonetti, uxorem Cæsaris Gallo, quæ sane, ut ut possessionem illam ex pactorum nuptialium causa sibi quæsiverit, non tamen dominium suum transcribendum publicis hypothecarum tabulis de more curaverat, ut hoc modo molestias viri sui creditorum averteret. Plures etiam alii aderant creditores, qui jus hypothecæ super iisdem bonis jactabant. Omnibus diem dixit Compagnonius coram abrogatio Tribunali Primarum Actionum Anconæ, vadavitque præsertim illustrem fæminam, ut ex hypothecaria actione cogeretur, vel æs alienum luere, quo prædia premebantur, vel eorum possessionem deserere, ut inde ad bastam publicam distraherentur. Verum jurisdictionem illorum Judicium declinandam duxit Comitissa Simonetta, ac beneficium imploravit *leg. Unic. Cod. quando Imperator*. Sic factum est, ut ex Decreto Audit. Signaturæ ad Sac. Ordinem delata fuerit controversia cum facultatibus A. C. Hodie tamen mane, quo ad justitiæ lancem appendenda erat Compagnonii petitio, judicium refugientibus cæteris hypothecariis creditoribus, comperendinationem autem perperam postulantibus, tum Comitissa Simonetta, tum Curatore Patrimonii Cæsaris Gallo, unus comparuit Compagnonius, qui, recte demonstrata petitæ dilationis inanitate, obtinuit, ut Dubii formulæ sic conceptæ = *An sit locus præfixioni termini pro solutione, vel pro subhastatione, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = incunctanter responderetur = *Pro Informante* = videlicet = *Affirmative in omnibus, et esse relaxandum mandatum pro summa scutorum* 4248. 74. $\frac{1}{2}$.

Quoniam actio hypothecaria nil aliud est, quam juris remedium, per quod, debitore non solvente, creditores quod jus habet in rem, experitur; quicumque propterea actione hypothecaria persequitur fundos ab extraneo possessore retentos, duo tenetur extrema probare, creditum, nempe, suum, ac hypothecam inscriptione rite servatam *leg. Ante omnia* 33. *ff. de probat. Rot. in Fanen. Subhastationis* 2. *Julii* 1817. §. 5. *cor. Zinanni, in Interamnen. Cambii* 31. *Januarii* 1821. §. 2. *cor. Rmo P. D. Gamberini in Ferrarien. Pecuniaria* 22. *Aprilis* 1822. §. 3. *cor. Rmo P. D. Tiberj, et in Interamnen. Actionis hypothecariæ* 5. *Junii* 1826. §. 5. *cor. R. P. D. meo Ruspoli*. De utraque re in subjecta specie ad extremam usque constat evidentiam. Si enim de credito 1

sermo sit præsto sunt publicæ Instrumenti tabulæ, in quibus sese debitorem Gallus declaravit scutor. *trium millium*, eorumque fructus Compagnonio subven tori sesc soluturum usqua ad integram restitutionem spopondit. Instrumenti tabulis adstipulatur Res Judicata, quæ Gallum damnavit ad caput reddendum, fructusque numerandos usque ad diem *quintam* Septembris anni 1820. Quidquid autem Re Judicata definitum est, id pro veritate accipitur, notorium inducit, et jus irratractabile inter partes constituit. Nisi ergo prius restitutio in integrum adversus Rem judicatam concedatur, nefas est id omne in discrimen adducere, quod Rejudicata statutum est, nec ullam exceptionam proponere contra eam licet.

2 Nec itam quæstio excitari potest quoad fructus, ad rationem *quincuncem* usqua ad intagrum annum 1826., post illud vero tempus ad *bessem* rationem persolvendos. Fœnebres namque contractus, sub Gallicani legibus initos absque solemniis a Sacrorum Canonum disciplina præstitutis, incolumes ita in Provinciis, quæ dicte fuerunt = *di seconda ricupera* = servavit Edictalis Lex Pontificia diei 24. Junii Anni 1820., ut ex ais ad totum usque annum 1820. legitime condici potuerint usuræ initio conventæ, titulus autem exigendi fructus in posterum cessare, nisi requisita castrensia interponerentur, vel ad aliam formam a jure Canonico probatam contractus ipsi redigerentur. At in re præsenti satisfactum est Pontificiæ Legi prædictorum ope requisitorum Castrensium, ex quibus optime demonstratum est, occasionem adfuisse creditori fœnori collocandi pecunias suas ad *bessem* usque rationem. Nemini ergo dubium, quin post annum 1820. fructus rependere cogendus sit Gallus, donec caput integrum repræsentet, non amplius *ad quincuncem*, sed imo *ad bessem* rationem. Eadem vero est ratinenda sententia de litis sumptibus; in scutorum *quinquaginta novem* atqua obolis *decem octo* ad liquidum perductis. De hac siqnidem modica taxatione mandatum adest exequutivum a Præside abrogati Tribunalis Appellationis Maceratæ subscriptum, a quo provocari nequit, nec unquam revera provocatum fuit.

Uti constat de credito, sic pariter 3
constat fundos a muliere datentos, obligatos, ac hypothecæ nexu devictos, erga Compagnonium esse. Quinque porro fundos ipse impetit, quorum duo jacent Auximi in regione = *Galliano* =: cæteri vero positi sunt Anconæ sub diversis regionibus. Super his fundis jure hypothecæ pollet Compagnonius, quam rita inscripsit. Quod attinet enim ad duo prædia posita Auximi in regione = *Galliano* =, ea quidem debitor ipse hypothecæ subjecit anno 1812. in publicis Instrumenti tabulis ex quo creditor hypothecam ipsam ex stipulatu sibi quæsitam statim inscripsit, ac intra decennium ex lege renovavit. Cæteros deinda fundos judiciariæ hypothecæ mancipavit, semel ac adversus Gallum sententias retulit, tum quoad sortem, et fructus, tum etiam quoad litis sumptus. Jam vero receptum ast, ex editis sententiis jus oriri inscribendæ hypothecæ advarsus bona debitoris idque punctim non modo statuit *art.* 24. Codex hypothecarius, ubi scriptum legitur = *Le sentenze contradittorie, o contumaciali, definitive, o provvisorie, che portano condanna a somma certa*, o *incerta, forniscono il titolo per stabilire l' ipoteca giudiziale, ed hanno diritto a prendere la iscrizione su i fondi del soccombente* =, quam, ad prædictæ legis tramites, sæpe definivit Sacrum Auditorium, ac præsertim *in Alatrina Hypothecæ* 10. *Martii* 1826. §. 12. *cor. nunc Rmo P. D. meo Decano Spada.*

Quo re perducta, inutiliter Comitissa 4
Simonetta, si defensionam parasset suam, hodie contendisset, fundos, quos persequitur Compagnonius, translatos dudum in se fuisse, ut ex eorum possessione sibi compararat axhibitionem, nuptialibus in tabulis conventam. Norunt enim omnes fundos haud censeri, utcumque in extraneum distractos, e patrimonio ecbitoris exiisse, nisi extraneus hio titulum acquisitionis transcribat. Omissa siquidem transcriptione, nedum præexistentibus, sed futuris quoque hy-

pothecis extraneus subest, ex apertissima Codicis hypothecarii censura, ubi *art.* 51. *et* 53. cavetur, quod = *la trascrizione non altera le ipoteche precedentemente iscritte sull' immobile. Impedisce però, che se ne possano iscrivere delle nuove per parte; e sul nome dell'alienante. In mancanza della trascrizione l'acquirente non potrà impugnare l'effetto delle ipoteche, che venissero posteriormente iscritte sul fondo dai Creditori dell'alienante, sia per Crediti anteriori, sia per Crediti posteriori all'alienazione* = Hoc vero discrimen, quod inter eum intercedit, qui acquisitionem suam transcripsit, et alterum, qui transcriptionem neglexit, adeo ut primus a futuris hypothecis tutus evadat, non item secundus, qui præexistentibus, ac futuris hypothecarum vinculis subjacet, Noster quoque S. Ordo tradidit pluribus Decisionibus, ac potissimum *in Romana Pecuniaria* 16. *Januarii* 1818. §. 3. *cor. Rmo P. D. Tiberj, in Spoletana, seu Fulginaten. Salviani* 22. *Junii ejusdem anni* §. 9. *cor. Emo Bussio, et in Veliterna* 3. *Julii* 1820. §. 4. *cor. Emo P. D. Gamberini.*

5 Atqui Comitissa Simonetta numquam quos possidet, fundos in Codicibus hypothecarum transcripsit. Quoad ergo viri sui creditores habenda res est, perinde, ac si adhuc in illius patrimonio reperirentur. Hinc recte potuit Compagnonius super illis fundis hypothecam inscribere, quam ei tribuebant obtentæ Judicum Sententiæ. Certum autem est, prædia a Comitissa Simonetta detenta ad viri patrimonium pertinere. Ea quippe detinet titulo ususfructus, ut ex anniversariis redditibus consequi valeat splendidam exhibitionem, quam si nubenti sponsus liberaliter promisit. Ut itaque Simonetta possit sese in detentione illa confovere, æs alienum dissolvat, oportet quod iisdem fundis inhæret secus namque dimittere fundorum possessionem debet, quia = *in vindicatione pignoris quæritur, an rem, de qua actum est, possideat is, cum quo actum est. Nam si possideat, et aut pecuniam solvat, aut rem restituat, æque absolvendus est, si vero neutrum horum faciat, condemnatio sequetur* = ut cautum extat *in leg. Si fundus* 16. §. *in vindicatione ff. de pignor. et hypothec.*

Quin profuisset Comitissæ jactare, 6
potiora jura sibi esse in eos fundos, ac proinde ab eorum possessione non esse exturbandam. Scitum quippe est *ex lege Obligata* 2. *Cod. si antiq. credit. pign. vend.*, ob dationem obligati fundi primo creditori factam, posterioris jura nihil capere detrimenti, ut etiam arguit *Brunemann. ad dict. leg. num.* 6. Communi hinc calculo comprobatum est, hypothecam, vel pignus, aut etiam privilegium, nullum jus priori creditori tribuere, ut emptam rem, vel acceptam in solutum, retineat, despectis reliquorum Creditorum juribus. Quidquid enim hypothecæ, vel privilegii habeat creditor primus, illud tunc solum vires suas exerere potest, quando agitur de pretio diribendo, quod ex pignore fuerit elicitum *Rot. in cit. Faven. subhastationis* 4. *Julii* 1817. §. 7. *cor. Zinanni, in confirmatoria* 25. *Junii* 1819. §. 3. *cor. Eodem, et in Bononien. Exfractationis* 5. *Julii* 1818. §. 13. *et* 14. *cor. R. P. D. meo Marco Almæ Urbis Præside.* Justitiæ igitur nitebatur actio hypothecaria per Compagnonium instituta, quæ ideo comprobari omnino meruit.

Et ita, denegata Comitissæ Simonetti, et Curatori Patrimonii Cæsaris Gallo dilatione, judicatum est.

BONONIEN LEGITIMAE

Veneris 14. *Martii* 1828

ARGUMENTUM

Mulieres, quae in agnationis favorem a paterna successione arcentur, quamvis una simul cum descendentibus masculis in herciscunda paterna haereditate concurrere nequeant numerum tamen faciunt ad augendam legitimam commodo eorum, quorum in gratiam sunt per legem exclusae.

SUMMARIUM

1. *Legitimae quota praefinienda est in semisse totius hereditatis, si septem sit filiorum numerus.*

Omnes faeminas in aequationis favorem extorres factae sunt ab intestata in paternam haereditatem successione - Ibid. -

2. *Faeminae, sive, nuptae sive innuptae, una tantum jure ad congruam dotem consequendam pollent, et extantibus masculis a paterna successione exclusae sunt.*
5. *Faeminas numerum faciunt ad augendam legitimam commodo eorum, quorum in gratiam sunt per legem exclusae.* - Et num. 4. -
6. *Nulla pater potestate pollet privandi filium congruitate legitimae.*
7. *Nefas est portionem legitimam masculo auferre.*
8. *Legitima intra debita necessaria recensetur.*
9. *Collationis oneri non subest, qui partem non facit in paterna haereditate excisenda.*

DECISIO CCCXXX.

Supremo, quod die 26 Junii anni 1819 scripsit elogio Petrus Mazzoni Bononiensis quinque suis filiis, quos ex priore thalamo susceperat, scilicet Octavio, Benedictæ, Annæ, Adelaidi, ac Magdalenæ, legitimam dumtaxat reliquit portionem = *che ad ognuno competerà ai termini delle leggi, che saranno vigenti all'epoca della mia morte* =; lege tamen insuper adjecta, ut masculus Octavius in portionem sibi ex lege debitam id omne imputaret, cujus debitor ex decursis vitalitiis præstationibus erga ipsum Petrum adhuc supererat; fæminæ vero in communem assem conferrent quidquid jam antes ab ipso, dum nuptui traditæ fuerant, in causam dotis acceperant. In reliquis autem omnibus bonis duas alias filias Carlottam nempe, et Mariannam, quæ ex secundis ejus nuptiis ortum habuerant, quæque domi innuptæ adhuc manebant, universales ex asse hæredes instituit. Hoc testamento Petrus Mazzoni die 20 Decembris anni 1821 e vivis excessit. Verum, vix eo elato, acris statim Octavium inter et sorores exarsit contentio super modo legitimam supputandi, ut scilicet statueretur, num ad tramites vigentium legum fæminæ numerum tantum, vel numerum, et partem in legitima liquidanda facere deberent, ita ut solitus semissis, vel septima dumtaxat ejus quota pro numero filiorum masculorum esset addicenda.

Nulla fere unquam controversia magis variam experta est judiciorum fortunam. Nam initio Bononiense Tribunal, quod in prima jurisdictionis sede jus dicit, integrum semissem, quo constat legitima, uni masculo Octavio adjudicandum esse statuit, imputata tamen, prout testator fieri edixerat, summa scutorum 546, et obul. 68, quam ipsum, calculis ad liquidum perductis, constitit paternæ hæreditati ex titulo decursorum vitalitiorum censuum debere. Contra vero Judices Appellationis in partem ejusdem semissis vocari etiam decreverunt quatuor germanas Octavii sorores, quas paterfamilias una cum eo in legitima portione instituerat, servata tamen quoad imputationem, et collationem lege a testatore indicta; at alias ab inconsulta petitione legitimæ rejecerunt consanguineas sorores, quibus reliquum dumtaxat hæreditatis semissem deberi statuerunt. Hujusce controversiæ cognitione dein ad Sac. Nostrum Ordinem delata, mutavit tertio fortuna vices. Nam Rotalis Sententia, quam R. P. D. meus Muzzarelli unica prævia Decisione. in Comitiis diei 20 Novembris, *Quinto, et Sexto* ad suffragium ferendum accito, edits, obsignavit, neutri præcedenti definitioni plaudens, legitimam Octavio deberi tantum definivit = *in septimo porte semissis. collatis dotibus, et imputotis scutis* 546, *et obul.* 68 =. In tanto igitur judiciorum conflictu factum est, ut causa, Octavio provocante, in gradu ulterioris Appellationis mihi committeretur. Nec in irritum illius cesserunt conatus. Nam, cum hoc maue, post ampliatum judicium ad universam Aulam, Dubium assuets formula conceptum definiendum exhibuerim = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* =, re maturius expensa, Responsum Octavii votis omnino consonum accepi = *Sententiam Rotalem esse confirmandam juxta modum in Decisione exprimendum* =. Modus siquidem stetit in eo, ut statueretur = *legitimam Octavio deberi in integro semisse, imputatis sc.* 546, *et obul.* 48 *non collatis dotibus* =.

1 Non controvertitur, neque controverti potest legitimam Octavio deberi, sive juris spectetur censura, sive patris inspiciatur voluntas. Nec minus qualibet vacat inter partes controversia, quin legitimæ quota sit præfinienda in semisse totius hæreditatis, prout exigit *septem* filiorum numerus, quemadmodum, Jure veteri immutato, sancivit Imperator Justinianus in *Leg.* 8 *Cod. de inoff. testam*,, *et in Auth. de trient., et semiss.*, sive in *Novell.* 18 *Cap.* 1. Omnis in eo tantummodo vertitur quæstio, ut videndum sit, num solidus semissis, ex computatione fœminarum promanans, uni dumtaxat masculo Octavio sit addicendus, sive potius ita inter singulos filios, nullo facto sexus discrimine, dividendus sit, ut nonnisi quam *septima* tantum illius pars ad Octavium perveniat. Sed Patres recte enimadvertentes nupera Edictali Lege diei 6 Julii anni 1816, cujus sub imperio Petrus Mazzoni diem obiit supremum, omnes foeminas in agnationis favorem extorres factas fuisse ab intestata in paternam hæreditatem successione, nil admodum hæserunt, quin incunctanter consultissime edicerent nullam lægitimæ partem foeminas, suitatis juribus destitutas, consequi posse, totumque commodum ex ipsarum numero profectum accrescere uni masculo debere, in cujus gratiam ipsæ fuerunt per Legem e successione omnimode exclusæ.

2 Reque vera Edictali Pontificia Lex, nil agnatonis, et masculini sexus studio habens antiquius, ut ordinum, familiarumque dignitas, quo magis fieri posset, servaretur incolumis, solemniter præcepit, ne foeminæ, sive dotem acceperint, sive non acceperint, ullo unquam casu, masculis extantibus, ad legitimam portionem paternæ hæreditatis admitterentur. Sancitum siquidem fuit in Art. 104, quod = *nella linea diretta discendentale i figli maschj, o altri discendenti maschi agnati escluderanno sempre dall'eredità intestato del padre, o di oltro ascendente moschio dell'agnazione le femmine, ed i cognati, ancorche eguoli, o prossimi in grado* = Itemque in art. 112, et 113 statutum est, quod = *le figlie, e Nipoti, che si troveranno già collocate in matrimonio al tempo della morte del Padre, o dell'Avo paterno con uno dote congrua, null'altro potranno pretendere sulla di loro eredità testata, o intestoto; Le figlie escluse per lo esistenzo dei moschi agnati avranno il diritto o conseguire una dote, lo quale equivalga alla porzione, che sarebbe loro dovuta a titolo di legittima secondo il numero totale dei figli, ed o norma del Gius Comune* = Jam vero ex hisce verbis profecto est apprime perspicuum foeminas omnes, sive nuptæ jam essent, sive innuptæ domi adhuc manerent, uno reservato jure ad congruam dotem consequendam, extantibus masculis pure, et absolute e paterna successione exclusas fuisse. Itaque, si patriis legibus disertis verbis cautum est, quod foeminæ, quoad assequendam successionem in hæreditate patris, perinde habeantur ac si extraneæ essent, perperam sane jus sorores Mazzoni sibi errogare præsumunt ad legitimam percipiendam paternæ hæreditatis portionem, quæ cum nil aliud sit, nisi pars intestatæ successionis, eis nullimode debetur, qui ab intestato succedere nequeunt, uti tradunt *Peregrin. de fideicom. Art.* 36 *num.* 78, *Merlin. de legitim. Disc.* 10 *num.* 11, *Constantin. ad Statut. Urbis annot.* 35 *num.* 8, *et Rotà in Decis.* 198 *n.* 3 *part.* 2 *Recent., Decis.* 5 *num.* 14 *cor. Falcon. de Legat.*

Verum non ex eo quod foeminæ, adempto suitatis jure, æquiparentur extraneis, potest in discrimen adduci, quin in masculum quidquid Lex illis abstulit sit conferendum. Latet porro neminem, quod mulieres, quæ in agnationis favorem a paterna successione arceantur, quamvis una simul cum descendentibus masculis in hercíscunda paterne hæreditate concurrere nequeant, numerum tamen faciunt ed augendam legitimam commodo eorum, quorum in gratiam sunt per legem exclusæ. Nam naturale cum sit, quod emolumentum uni ablatum, ei sit tribuendum, cujus contemplatione alteri adimitur, per necessarium consequens descendit illius quotæ compendium, quod ex Communi Jure ad foeminas per- 3

tineret, in masculis debere coalescere, veluti ad rem, perpenso spiritu Municipalium legum, foeminas favore agnationis excludentium, absquo contradictore constanter docuit *Costantin. Vol. Decis.* 424 *num.* 10, *et Rota Decis.* 6 *n.* 13 *cor. Falcon. de Statut., Decis.* 1142 *num.* 10 *coram Lancetta, in Tudertina Legitimæ* 9 *Februari* 1781 *cor. de Salm., in Fulginaten. Legitimæ* 17 *Junii* 1783 § 2 *coram Flangini, et in Romana, seu Albanen. Legitimæ quoad Dotes* 17 *Junii* 1783 § 3 *cor. de Salm.*

4 Quin prosit objicere, deletis jam Municipalibus Sanctionibus, aptari themati amplius non posse, quæ constanter antea juxta eas a Doctoribus tradita, et a Tribunalibus recepta fuerunt. Nam, si antiqua statuta abrogata sunt, non abrogatus vero, sed confirmatus fuit e contra a Pontificia ea Edictali Lege spiritus, et votum, quod Statuentes in ordinandis successionibus veluti præcipuum sibi proposuerunt. Siquidem in prædilectione agnationis non sequi tantum, sed longo superare Statutarias constitutiones sapientissimum Legislatorem voluisse, unusquisquo oculi ictu dignoscit, quin antiquas cum novis legibus conferat. Quamobrem, si ad tramites Statutorum indubium est foeminas propter masculos exclusas, legitimæ portionis dimetiendæ causa, numerum, sed non partem facere posse, id molto magis ex majoritate rationis tenendum est in themate, e conspectu Pon tificiæ Legis, quæ longo majus studium erga agnationem præseferre videtur. Reque vera, si foeminæ exclusæ, nec numerum, nec partem in legitima supputanda facerent, periude ac si in rerum natura nuuquam extitisseut, extenuata de *semisse* ad *trientem* legitima quota Octavio debita, absurdo in agnationis odium retorquerentur, quæ Lex in illius commodum induxit, quemadmodum in casu prorsus simili recte perpendit Rota in *Tiburtina Legitimæ* 7 *Decembris* 1821, § 5 *coram Serlupi, et in ejus confirmat.* 26 *Junii* 1822 § 4 *coram Eminentissimo Isoard.*

5 Quæ igitur cum ita in jure se habeant, agnoscunt et ipsæ Mazzoniæ Sorores hasce constituas regulas conculi non posse. Itaquo totis viribus declinare contendunt a Motus Proprii censura, mordicus affirmantes eam in themate cessare ex paterna providentia, quæ, abjecto agnationis favore, ipsas ad suitatis jura, et commoda successionis reintegravit. At rem non mutat Petri Mazzoni testamentum, cujus arbitrium eo usque protendi non potest, ut, Lege publici juris per illud eversa, compendium legitimæ, quod de jure masculis debetur, commune extrancis etiam evadat. Reque vera, si primum de quatuor Octavii germanis sororibus, Benedicta scilicet, Anna, Adelaide, ac Magdalena sermo sit, propositam exceptionem, neque *in facto*, neque *in jure* consistere putarunt Patres. Futile enim *in facto* statim compertum eis fuit argumentum voluntatis paternæ filias reintegrandi ad jura suitatis ex eo, quod *=ad escludere qualunque inofficiosità del presente testamento =* eis tradi jussit *= la legittima, che ad ognuno competerà sul mio stato, ed eredità ai termini delle Leggi, che saranno vigenti al tempo della mia morte =*. Noo enim ex hisce arguere licet filias, ex lege esclusas, ad paternam hæreditatem fuisse ex testamento vocatas. Siquidem ex ea adamussim testamenti litera facile unusquique sensu suo percipit testatorem, non voluntariam liberalitatem exercere, ssd præcise dumtaxat, quæ sibi forte inesse posset, obligationi satisfacere voluisso, ut omnimode hæredum institutorum securitati prospiceret. Cum igitur palam sit, non aliam Petri Mazzoni voluntatem fuisse, nisi ut singulis suis filiis ex priori thalamo susceptis, id unum tribueretur, quod ex jure unicuiquo eorum competerot, necessario descendit hanc indictam ad futuras Leges conformationem ad augendam masculo legitimam tantummodo vim suam exerere, minime vero eo traduci posse, ut contra expressam Legis voluntatem legitima masculo debita foeminis adscribatur, quæ extraneis æquiparatæ, nil admodum hoc nomine ex prædictis Legibus exposcere valent, prout jubet. « *Text. in Leg.* 78. *ff. de legat. Leg.* 2. *Cod. de*

fals. demonstr., De Luc. Disc. 10 *num.* 7 *de legit.*

6 At. si exceptio corruit *in facto*, magis magisque ipsa quolibet *in jure* fundamento destituitur. Siquidem, dum magnis animis germanæ Octavii sorores affirmant Motus Proprii censuram silere debere, ubi de successione testata agitur, aperte adversantem habent literam Legis, quæ foeminis jam congrue dotatis solemniter vetat = *di null'altro pretendere sull'eredità del padre testata*, o *intestata* =. Et re quidem vero nulla pater pollet potestate privandi filium legitimæ compendio, ex mera legis dispositione, nullo requisito ipsius facto, illi tributo. Legitima enim portio; quæ ex jure naturali, et civili proprium filii patrimonium existimatur, nullo paterno judicio, vel imminui, vel adimi potest. Quocirca, si nemini licet de re disponere, quæ sub ejus non est potestate, facultas profecto, quam Lex morienti tribuit de rebus suis pro suo arbitrio disponendi, tanti habenda non est, ut ei jus det in fraudem Legis, publicam respicientis utilitatem, illud masculo auferendi compendium, quod ei ipso juris ministerio debetur; quemadmodum unanimi ore tradunt *Gabriel. Cons.* 11 *num.* 7, *Gratian. Discept.* 687 *num.* 5, *Constantin. Vot.* 327 *num.* 12 *et Vot.* 424 *num.* 16, *Thesaur. Decii.* 267. *num.* 3 *p.* 3 *recentt, Decis.* 1248 *num.* 5 *cor. Penia, in Fulginaten. Legitimæ* 27 *Junii* 1783 § 6 *coram Flangini, et in Romana Legitimæ super resolutis* 3 *Junii* 1803 § 3 *coram Strasoldo.* Quod si germanæ Octavii sorores jus sibi esse existimant ad tramites paterni testamenti quotam legitimæ respondentem, non uti *debitam*, sed uti *volitam*, jure legati condicendi, quoniam bona sua, de quibus ei disponere licet, cuilibet malnerit largiatur, congruo judicio adversus universales hæredes congruam actionem instituant, ut ab eis, ad juris tramites, ullo absque fratris legitimarii præjudicio, paternæ liberalitatis compendium postulent.

7 Neque sane, germanis Octavii sororibus seclusis, minori injuria binæ aliæ Petri Mazzoni filiæ ex secundis nuptiis proditæ, quæ innuptæ domi adhuc manent, Carlotta nempe, et Marianna, testamento paterno innixæ præter reliquam hæreditatem, in qua hæredes institutæ fuerunt, legitimæ etiam portionem sibi vindicare contendunt. Etenim, si, masculis extantibus, omne semper foeminis præreptum fuit jus ad legitimam consequendam, nemo porro non videt nullimode eas quidquam masculi legitimarii juribus detrahere posse. Itaque magis eis haud prodest hæreditaria qualitate potiri, quam cuilibet extraneo hæredi universali instituto prodessot, cui profecto masculo legitimam nefas esset aufferre portionem, quam Lex integram ei servari jussit, prout recte monet Rota in pluries superius citata *Tyburtina Legitimæ* 26 *Junii* 1822 § 6 *coram Eminentissimo Isoard.* Quin, vel minimum, obstet *Art.* 113 Pianæ Legis, quo cautum fuit, quod = *le femmine escluse per la esistenza dei maschj avranno diritto a conseguire una dote, la quale equivalga alla porzione, che sarebbe loro dovuta a titolo di legittima* =; perinde ac si concludere exinde liceret dotem succedere debere loco legitimæ, ideoque eam ex semisse masculo debito, non ex reliqua hæreditate esse detraheneam. Dos enim nunquam succedit loco legitimæ, si, prout in themate, primaria legis intentio fuit foeminas a successione excludere, et deinceps eis dotandis prospicere, juxta regulam, quam tradidit Paulus Castrensis *in leg. Titio centum ff de condit. et demonstrat.* cui inhæsit *Rota in Dec.* 213 *num.* 10 *cor. Buratto, Cecis.* 1190 *num.* 5 *cor. Molin,, et in Narnien. Supplementi Dotis* 15 *Januarii* 1819 § 4 *cor. Tiberj.* Et revera secus mira oriretur contradictio cum præcedentibus Articulis, quibus vetitum est, ne foeminis ullum unquam jus esset ad patris intestatam hæreditatem obtinendam, ingensque una simul etiam oriretur absurdum, quod dotes filiabus, vivente patre, constitutæ diverso jure dijudicarentur, quam dotes filiabus adhuc innuptis ex paterna hæreditate debitæ. Legitimæ igitur mentio non ad alium finem in Lege

occurrit, nisi ut statueretur, quæ congrua esset dotis innuptis puellis constituendæ mensura. Quamobrem, cum binæ consanguineæ Octavii sorores institutionis titulo longe plus assecutæ fuerint, quam congruæ dotis titulo eis deberetur, absit, ut ipsæ legitimam masculo debitam per detractionem dotium imminuant; ita ut hoc prætextu partem legitimæ consequantur, masculique conditionem deteriorem efficiant, ut advertit Rota in *Romana, seu Albanen. Legitimæ* 9 *Februarii* 1781 § 9 *cor. Lancellotto, et in Romana, seu Albanen. Legitimæ quoad dotes* 27 *Jun.* 1783 § 6 *cor. de Salm.*

8 Firmum itaque maneat, immotumque, recte statutum fuisse integram Assis medietatem Octavio deberi jure legitimæ. Sed in hanc quotam imputandum esse quidquam idem Octavius paternæ hæreditati ex vitalitiis decursis præstationibus patri solvendis debebat quodque ex Rejudicata constabat ad summam usque scutorum 546, et obul. 68 conscendere, nullimode fas erat ambigere. Etenim, si, controverti non potest legitimam, uti jure debitam, intra debita necessaria recenseri, sponte sua consequitur legitimarium in hujusmodi debiti diminutionem imputare debere quidquid erat a se hæreditariæ substantiæ persolvendum ad *Text. in Leg.* 17 *Cod. de collat. Auth.* 18 *Cap.* 6. Idque eo magis retinendum est in themate, quia, quod ab jure descendit, præclarius paterno judicio confirmatur. Diserte enim Petrus Mazzoni filio Octavio jussit = *di escomputare nella porzione legittima, che gli perverrà tutte quelle somme, delle quali mi resterà debitore per titolo di quelle corrisposte arretrate, che fino all'epoca della mia morte risulterà essere a me debitore in forza del vitalizio* =. Quapropter si ex hisce manifesto in patre excluditur liberalis donandi animus, si, accepto emolumento, nemo correspectivum onus respuere potest, fieri nunquam poterit, ut Octavius jussam imputationem declinet. Hinc itaque nullum dubium quin ea scutorum 546 et obul. 68 summa, ab Octavio paternæ hæreditati debita, in hanc sit hæreditatem, cujus partem efficit, conferenda, quæ etenim imputationi in legitimam subsunt, collationi in hæreditatem, ex qua legitima detrabenda est, obnoxia sunt *ad Text. in Leg. Illud Cod. de Collat., et Rota Decis.* 389 *num.* 7 *part.* 12, *et Decis.* 841 *num.* 11 *par.* 19 *in Recen.*; hac vero collatione facta, eadem summa Petri hæreditati addita, in Octavii legitimam sit imputanda, nisi ipse velit hoc suum debitum paternæ hæreditati reapse persolvere, antequam computum de hujus hæreditatis *semisse*, ei legitimæ nomine tribuendo ineatur.

Verum quoad filiarum dotes, quas testator in suo patrimonio conferri edixerat, Patres diversum ferendum esse judicium censuerunt, statuentes eas ab onere collationis esse debere prorsus immunes. Et recte. Nam eatenus testator filiarum nuptarum dotes collationis obligationi subjecit, quatenus ipsæ, ad tramites legum, quæ forte suæ mortis tempore vigere possent, legitimæ quotæ participes fierent. Cum igitur ipsæ nullum ex paterna hæreditate compendium jure legitimæ accipere queant, ut in hodierno judicio statutum fuit, finali causa cessante, nullo collationis onere eas posse obstringi nemo est, qui non videat. Et sane foret absurdum, ut collationis onere subesset, qui partem non facit in paterna hæreditate herciscunda, nullumque ex ea compendium percipit. 9

Et ita, utraque parte acerrime dimicante OO. DD. suffragium ferentibus, jus redditum est.

BONONIEN

REMOTIONIS ARBORUM

Lunae 16 *Junii* 1828.

ARGUMENTUM

Qui consuetudinem expressae legi contrariam obtrudit, perspicuis, omnique exceptione majoribus utatur probationibus oportet, ex quibus constet, longo, diuturnoque tempore, frequentibus a-

ctibus, populo, ac supremo assentiente Principe, consuetudinem ipsam fuisse servatam, sc in contradictorio judicio confirmatam.

SUMMARIUM

1. *Leges tum Italici Regni tum Pontificias, statuto Bononiensi Rubrica 214 § 5. culturam agrorum respicienti, nil derogant.*
2. *Tollerari nequit ea arborum consitio, quae inita fuit, non servata constituta a legibus distantia.*
3. *In iis quae facti sunt probationes* legitimae *requiruntur, nec testimoniis Doctorum, aut Hystoricorum credendum* – Et n. 4. –
5. *Idem sentiendum de testibus probaturis consuetudinem statuto contrariam.*
6. *Testimonia Advocatorum, Causidicorum, peritorum opinio et facta quoad quaestiones municipalia plurimi facienda.*
7. *Nec justitia, nec aequitas, nec jus commune patitur quod arborum umbra vicini praedio noceat.*
8. *Quoad arborum plantationem et culturam, adeo qualibet abest praescriptio, ut illaesa sempre remanet reclamandi facultas.*
9. *Praescriptio a possessione metitur.*
10. *Ratio praescriptionis in acquiescientia praecipue consistit.*

DECISIO CCCXXXI.

Longe, lateque patens latifundium in Agro Communitatis *Marmoratæ*, quæ olim Argentæ nunc ab annis triginta Bononiæ subest, possident Nobiles Viri Franciscus, aliique de Ranutiis. In hoc latifundio conserere semper, et habere tum ipsi Ranutii, tum eorum auctores consueverunt ingentem populorum numerum, quæ paucos distant penes a finitimis prædiis, jam ad Jacobum Tibertinum, modo ad Advocatum Cajetanum Borghi pertinentibus. Quousque *Marmortæ* Communitas partem Argentæ territorii constituit, cujus Leges non multum de agrorum cultura sollicitæ sunt, nunquam querelas Borghius extulit de damno quod ex eo populeto in suis prædiis ferre cogebatur. Nec is pariter ea occasione reclamandum existimavit, qua ex Supremi Principis imperio *Marmortæ* Communitas, ab Argentæ avulsa, adjecta fuit Bononiæ territorio. At, cum postea piaculari anno, nuper elapso, incisione arborum facta, populis recisis aliæ suffectæ fuissent, non amplius silendum censuit Borghius, vadavitque Ranutios coram Bononiæ Prætore, ut removere arbores tenerentur, quas recens posuerant, non servata distantia, quam Rubrica 214 § 5 Statuti Bononiensis præscribit.

Antequam quidquam super re controversa decerneret Prætor Bononiæ, decempedatori commisit, ut ad rem præsentem sese conferret, agrisque diligenter perlustratis, pro veritate narraret, quot primo pedes a prædiis actoris populetum distaret; an rursus populetum ipsum prædiis revera noceret: an demum tolli damnum posset per ramorum cæsionem huc illuc partim incundam, quam rustici appellant =, *Carozzotura* =. Retulit quidem vir peritus, haud servatam in consitione arborum fuisse præscriptam a municipali lege distantiam, eamque finitimis prædiis hujusmodi damnum afferre, quod reparari non poterat ope prædictæ ramorum cæsionis. At putans Bononiæ Prætor Rubricam Bononiensis Statuti contrario usu jamdiu fuisse abrogatam, instructam remotionis arborum actionem sententia sua rejecit, quæ ansam præbuit Ranutiis, grandem populorum numerum iterum evellendi, et novas in excisarum locum ad eamdem distantiam subrogandi. Provocavit tamen ab hac sententia Borghius, reique cognitionem detulit ad Sacrum Nostrum Auditorium, ubi adeo parum de sententiæ justitia suasi visi sunt Ranutii, ut nullam paraverit hodie defensionem, et comperendinari judicium *post aquas* imploraverint; quod cum nulla urgente justa causa peteretur, ideo denegata dilatio est, et Dubii formulæ, quæ sequitur = *An sit locus præfixioni termini pro remotione arborum, quo elapso sit relaxandum mandatum de removendo in casu etc.* = responsum = *Pro Informante* = scilicet = *Affirmative in omnibus* =.

Inter providas Bononiæ Leges non 1
ultimum tenet locum agrorum cultura: Cum enim umbra quam frugum novercam *Plinius* vocat, admodum detrimentosa vegetationi sit, ideo *Rubrica* 214 § 5 Statuti Bononiensis cautum

extat = *quod nullus audeat, vel præsumat in Civitate, Guardia, vel Camitatu Bononiæ plantare vel per se, vel alium, vel alio modo plantatam, seu natam tenere aliquam arborem Plopam, roverem, seu quercum juxta, vel prope aliquem campum, seu pretiam terræ aratoriæ, vel vineatæ sui vicini per tres perticas ad minas communis mensuræ* =. Huic vero Bononiensis Statuti sanctioni, quæ religiose ab omnibus semper servata fuit, nihil detraxerunt posteriores leges Bononiæ editæ, sive cum Provincia illa Italico Regno adjecta est, sive cum sub dominio rediit, et potestate S. Sedis Apostolicæ. Si loquimur porro de legibus Italici Regni, tantum abest dispositionem Bononiensis Statuti, abrogatam in ea parte fuisse, quæ respicit Arborum consitionem, ut imo in Civili Codice *Art.* 671 vetitum esset = *di piantare Alberi di alto fusto, che alla distanza prescritta dai regolamenti particolari attualmente esistenti*, o *dagli usi costanti, e riconasciuti, ed in mancanza de' regolamenti, ed usi, che alla distanza di due metri dalla linea di confine dei due predii per gli alberi di alto fusto, ed alla distanza di mezzo metro per gli alberi, e fratte vive* = Leges autem Pontificiæ, quamvis Municipales sanctiones deleverint ex Motu Proprio diei *sextæ* Julii anni 1816 nihil attamen innovarunt quoad agrorum culturam, quam expressis verbis exceptam voluerunt, scilicet = *a riserva di quelle, che contengano provvedimenti relativi alla coltura del Territorio, al corso delle acque ai pascoli, ai danni dati nei Terreni, ed altri simili oggetti rurali* =.

2 Eo ipso igitur quod legitimis monumentis evincebatur populos, quas Ranutii recenter posuerunt in eorum latifundii confinis, ab agro vicini abesse minus tribus perticis, sive pedibus triginta, necessario sequitur eas esse removendas. Tolerari siquidem nequit ea arborum consitio, quæ inita fuerit, non servata distantia a municipali lege præfinita. Quod si imo municipalis eadem lex ne unam quidem populum poni patitur ad distantiam tribus perticis minorem ab agro vicini, multo minus æquo animo ferendum est prope prædia finitima populos quingentas a Ranutiis fuisse plantatas, quæ quo longiori spatio solis radios intercipiunt, eo gravius afferunt detrimentum. Nec verum est, in desuetudinem abiisse prædictam Bononiensis Statuti censuram, quam adhuc vigere, et observari, non ex eo dicendum, quod, cum Motus Proprius diei 6 Julii anni 1816 a generali Statutorum abolitione *Art.* 102 ea nominatim exemerit, quæ agrorum cultioni, aquis, pascuis, noxalibus actionibus, et aliis id genus prospiciunt, ea quoque ad vitam voluerit revocare, quæ ex contrario, constantique populi usu ab aula recesserunt; sed quia jactata municipalis hujusce legis inobservantia proxime ad delirium accedit. Qui enim consuetudinem expressæ Legi contrariam obtrudit perspicuis, omnique exceptione majoribus utatur probationibus oportet, ex quibus constet; longo, diuturnoque tempore frequentibus actibus, populo, ac supremo assentiente Principe, consuetudinem ipsam fuisse servatam, ac in contradictorio judicio confirmatam. *Leg. cum de consuetudine* 34 *ff. de Legib.*, *Gloss. cap. Frustra part.* 1 *distinct.* 8, *Rot. cor. Priola decis.* 309 *n.* 7, *et* 8 *cor. Molines decis.* 907 *n.* 27 *cor. Tanara decis.* 100 *n.* 23 *et seq.*, *et in Reatina Dotis* 15 *Maii* 1795 § 9 *cor. Resta.*

At nihil Ranutii coram Prætore Bononiæ protulerunt, quod vi statutariæ legi adimendæ par esset. Plurimum ipsi sane fidebant auctoritati *Hannibalis Monterentii* Bononiensium Statutorum interpretis, qui de Rubrica, de qua agitur, scribens hæc dixit = *De Plopis asserunt Practici* (ita glossographus) *nunquam fuisse observatum hac statutum licet pluries fuerit intentatum, et per totum comitatum videmus contrariam observari, alias totus Camitatus turbaretur* = Verum hujusce Doctoris auctoritas quæ levis esset ponderis, si de aliqua controversia juris ageretur, levissima certe est, cum de consuetudine statuenda res sit, quæ tota facti est. In iis enim, quæ facti sunt probationes legitimæ requiruntur, nec testimoniis Doctorum, 3

aut Historicorùm credendum, utcumque magnam adepti fuerint scientiæ, ac doctrinæ famam, et in loco propositæ consuetudinis diu versati. *Card. de Luca de benefic. disc.* 13 *n.* 9 *Thomat. decis.* 31 *n.* 15, *Rot. coram Seraphino decis.* 1349. *n.* 5; *cor. Coccino decis.* 124 *n.* 27 *cor. Arguelles decis.* 38 *n.* 29 *cor. Molines decis.* 899 *n.* 8, *in Romana seu Ulyssipponen. Immissionis* 15 *Feb.* 1745 § 8 *cor. Canilliac, et in Constontien. coadministrationis* 20 *Januarii* 1751 § 10 *cor. Eodem.* Tanto autem minus fidem merere valet auctoritas *Monterentii*, cum alii non desint, non infimæ notæ, Doctores, qui manifeste ab eo dissentiunt. In horum numero recensetur *Parridus*, qui pariter commentaria edidit ad Statuta Bononiensia, quique de consuetudine potissimum a *Monterentio* objecta disputans, nullam huic Doctori fidem adhibendam esse statuit *Observ.* 64 *n.* 5, et hanc in rem allegat etiam *Castald. tom.* 2 *Consult.* 265 *n.* 2, hoc loci in genere affirmantem in consuetudinis materia Doctoribus non esse, juxta veriorem opinionem, credendum.

4 *Parrido* accedit *Soccus* alius statutorum Bononiensium explanator, qui recentiore ævo vixit, et cum Rubricas collegerit utiliores, ususque frequentiores, eam præcipue numeravit, de qua disceptatio est. At, si jam a tempore *Monterentii* in desuetudinem abierat controversa Rubrica, irridendum se præbuisset Saccus, qui tanto post eam inter utiliores descripsit Rubricas, atque usu frequentiures. Neu tam igitur, quia Doctori affirmanti consuetudinem ex generali regula non creditur, quam etiam, quia gemini adsunt Statuti Bononiensis interpretes, qui præfatæ Rubricæ jugem sustinent observantiam, despiciendum prorsus est *Monterentii* testimonium, cui placuit absque ulla ratione contendere Rubricam illam usu receptam non amplius esse. Una cum Doctore *Monterentio* spernendi pariter sunt periti viri, quorum copiam Ranutii coram Bononiæ Prætore fecerunt, ut ut ne intellexerint quidem statuti Sententiam, de cujus inobserbantia testatum veniebant. Quamvis enim prædicta Rubrica, prohibens ne populi, quercus, robores conserantur juxta, vel prope aliquem campum, seu potiam terræ aratoriæ, vel vineatæ sui vicini per tres perticas ad minus communis mensuræ, distantiam metiatur, non a confinio, sed ab Agro vicini, contra nihilo secius periti viri eamdem Rubricam ita interpretati sunt, quasi hanc distantiam præscripsit, non ab Agro vicini, sed potius a confinio. Adeo tamen sese errasse noverunt nonnulli ex viris peritis a Gente Ranutia adductis, ut posteriori relatione subscripserint Sebastiani Bacchelli, qui ex rationibus gravissimis commentum refutavit inobservantiæ statuti.

Quod dictum de viris peritis, id æ- 5
que de testibus dicendum, qui probaturi consuetudinem statuto contrariam coram Prætore Bononiæ turmatim stiterunt. Erat enim nugatorium et ridiculum ut in ea re, in qua hoc cognoscendum est, an usu, nec ne amplius recepta sit rubrica, quæ certam servari distantiam mandat in arborum consitura, accersiri debeant cerdones, tintinnabulorum pulsatores, olitores, pistores, mercenarii, fabri lignarii, et si qui alii sunt de fece populi, et de hominibus idiotis, et imperitis. Ineptum vero est, quod duo ex præfatis testibus, sed non adeo, ut reliqui, vulgares, inquinnt, nullam observari distantim in conserendis arboribus, et plures in Agro *Marmorotæ* plantationes existere, quæ distantiam vix exhibent quinque, quatuor ac trinm quoque pedum, et quarum nonnullæ ad ipsum Cajetanum Borghi pertinent. Si namque testes isti loquuntur de distantia a confinio, Statuti Sententiam pessime interpretati sunt, quod ex demonstratis, non a confinio, sed ab agro vicini distantiam servari jubet. Mentiuntur e converso testes, si distantiam designare voluerunt ab Agro vicini, cum nulla sit ex jactatis platationibus, quæ ab Agro vicini petrnres perticas, sive per triginta pedes saltem non absit, veluti patet ex peritorum virorum relationibus.

6 Si itaque omni prorsus fulcro destituitur objecta municipalis legis inobservantia, eam esse executioni committendam nemo non intelligit. Sed ad evincendam Statuti observantiam plura quoque concurrunt. Concurrit porro testimonium Advocatorum, ac Causidicorum Bononiensium, in consuetudinis materia plurimi faciendum, qui nunquam in desuetudinem abiisse Rubricam de distantia in conserendis arboribus servandam nec unquam invaluisse consuetudinem Rubricæ contrariam deponunt. Concurrit peritorum hominum, et agrimensorum Opinio, qui dictis Causidicorum adstipulantur, et pluries se rogatos fuisse dicunt pro dimetienda ad Rubricæ tramites distantia in consitione arborum servanda. Concurrunt demum, ac præsto sunt facta ære perenniora, quæ magis, magisque Rubricæ observantiam evincunt. Si quando enim exortæ sunt de distantia non servata controversiæ, idque crebro accidisse acta publica docent, ad unam omnes diremptæ fuerunt juxta Rubricæ legem, et quidem nec etiam expectata judicis sententia; quæ porro reorum spontanea acquiescentia plurimi facienda est, cum perspicue demonstret, rem esse adeo conclamatam, ut nulla ipsis suppeteret ratio ad arbores defendendas, quæ distantiam minime exhibebant a Statuto præscriptam. Qua de re commentum sapit objecta consuetudo statuto contraria. Consuetudo enim, si præcipue legi adversatur, adeo constans, ac jugis sit oportet, ut nullus, nedum actus, sed ne rumor quidem proferri in contrarium valeat. *Rot cor. Caprara decis.* 398 *num.* 8 *coram Lancetta decis.* 121 *n.* 18 *et in cit. decis.* 100 *a.* 24 *cor. Tanara.*

7 Probata autem Rubricæ observantia si ita præsertim arbores sint positæ adversum prædia finitima, ut solem ad ortum, et meridiem eis intercipiant, probandum a Borghio manebat populos a Ranutiis recenter positas prope ejus prædia ad horum ortum, et meridiem punctim fuisse, ideoque damnum fundis afferre. Sed de hoc extremo dubitare PP. DD. non poterant cum, præter Peritos viros extra judicium ab Actore interrogatos, præsto in id etiam esset testimonium Periti judicialis, qui cunctis satisfecit legibus, quas deputationi suæ Bononiæ Prætor adjecit, conclusitque tandem, longissimum finitimi Agri tractum sterilem penitus, et infecundum ex umbra populorum evasisse. Quæ si ita se habent, seposita quoque Bononiensia statuti rubrica, remedia præsto sunt actori ex jure nostro Civili ad damni causam arcendam. Cum enim, nec justitia, nec æquitas patiatur ut arborum umbra vicini prædio noceat, jure communi prodita in id sunt interdicta *in leg.* 1 *Cod. de interdict.*, *et in leg.* 1. §. 7 *et seqq. ff. de arboribus cæden.* quorum ope vicino succurritur ex arborum umbra damnum subeunti, ac Præses ad exemplum interdictorum, quibus cavetur, ne per arboris umbram vicino noceatur, curare debet ut res ad suam redigatur æquitatem.

Nec quidquam Ranutii proficerent, 8
si hodie exceptionem regererent penes Bononiæ Prætore prolatam, qua dicebant, quodcumque demum damnum ex popolorum umbra finitimis prædiis obvenerit, Borghium non posse ejus reparationem postulare, cum ipse, ejusque auctor arbores hujusmodi in eodem loco tolleraverint per spatium annorum amplius quadraginta, simulque siverint, ut, primis avulsis, aliæ in earum locum surrogarentur, ad eamdem distantiam. Nam id ostendebant Ranutii iisdem testibus, quos supra despiciendos esse probatum fuit. Si vero aliquo tempore aut Borghius, aut ejus auctor Tubertinus siluerunt, id accidit propter. Municipales leges Argentæ, cui tunc subjiciebatur Communitas *Marmoratæ*, in quibus nihil dispositum quoad agrorum culturam extabat. Præ his autem gravius est, quod jactata eorum possessio, utcumque longissima, nullum eis jus tribuit ad arbores, non servata distantia, retinendas. Cum namque arbores naturale habeant incrementum; vel decrementum, et continuo in eodem statu possideri per rerum naturam nequeant, hinc præva-

luit inter prudentes sententia, ut in re ista adeo quælibet absit præscriptio, ut, etiamsi arbores per centum, et mille annos tolleratæ fuerint a vicino, salva nihilominus, et illæsa sit reclamandi facultas. *Ruginell. de arbor. controv. cap.* 7 *num.* 7 *Sabell. in summa verb. Arbor. num.* 10 *Pacichell. de distan. Cap.* 11 *num.* 11 *Zaul. ad Stat. Favent. rubr.* 38 *lib.* 5 *tit.* 11, *Campell. ad Constit. Ducat. Urb. decret.* 83 *num.* 53 *Magen. decis. florent. decis. num.* 4, *Palm. dec. Lucen.* 82 *n.* 14 *Rota dec.* 913 *n.* 17 *cor. Cerro.*

9 Sed utcumque proponi posset præscriptionis exceptio, ea quidem ad summum prodesset Ranutiis, ut exinde cogatur Borghius antiquas populos ferre: at non item præscriptio porrigeretur ad populos alias, quæ recenter positæ sunt. Nam, si per longissimum tempus Ranutii possederunt antiquas dumtaxat arbores, per consequens descendit, ut earum possessio, si efficax forte esset ad antiquas arbores servandas, valere nihil possit quoad arbores novas. Præscriptionem siquidem metimur a possessione: nec ideo de re, quæ possessa est, producere eam licet ad aliam rem, quæ nec in dominio nec in possessione fuit. *Card. De Luca de judic. disc.* 21 *num.* 74 *Rot. in Sutrina jurispascendi* 13 *Martii* 1753 §. 3 *cor. Elephantutio, et in Sutrina Jurispascendi quoad facultatem faciendi restrictus super reservatis* 27 *Martii* 1753 §. 3 *cor. Eodem.* Verum ne quoad veteres quidem arbores efficax præscriptio est. Præter enim quod silere necessario debuit Borghius, quia Communitas *Marmortæ*, ut demonstratum est, in Argentæ territorio tunc temporis comprehendebatur, cujus leges nullam præscribebant in arborum consitione distantiam; illud etiam accedit, quod postquam ipsa Communitas in Bononiense transiit territorium, reclamare Borghius non poterat. Leges quippe Bononienses effectum retroactivum habere, et arbores efficere nequiverunt, quæ sub alia lege positæ fuerant.

10 Præscriptio tamen tunc solum initium habere potuit, cum, antiquis arboribus avulsis, aliæ subrogatæ sunt in earum locum. Sed tunc protinus Borghius reclamavit, auctoritatemque Judicis imploravit. Nulla ergo ratio subest exceptionem præscriptionis proponendi. Ratio namque præscriptionis in acquiescentia præcipue consistit, acquievisse autem nemo dixerit Borghium, qui vix aliquid tentatum est contra Municipalis Legis Dispositionem, rem in judicium detulit, *Leg. Ne autem* 15 *cod. de ann. except. in annot. ad decis.* 6 *num.* 12 *part.* 3 *Rec.*, *Rot. cor. Molines decis.* 643 *num.* 8 *cor. Falconerio tit. de decim. decis.* 5 *n.* 16 *in Romana, seu Eugubina Salviani* 12 *Junii* 1751 §. 9 *cor. Elephantutio*, *et in Confirmatoria* 12 *Januarii* 1753 §. 7 *cor. Matthæjo.* Recte itaque Borghius urgebat ut ad tramites Statuti Bononiensis populetum removere Ranutii teneatur: idque, infirmata Prætoris Bononiæ Sententiæ, a justitia Sacri Tribunalis obtinuit.

Atque ita, rejecta dilationis petitione a Ranutiis definitum est.

CALLIEN

IMMISSIONIS IN SPECIE

Lunae 17. *Martii* 1828.

ARGUMENTUM

Duo probare tenetur, qui ad bona feudalia postulat immitti, vocationem nempe, ac bonorum, quae impetit, identitatem. Postremi successoris heredes, investituram debent servare, neque ejus ordinem, ac legem possunt invertere. Vid. DECISIO CLXIV, et CLXV.

SUMMARIUM

1. *Quae in investitura continentur, a concessione desumenda.*
2. *Qui ad bona feudalia postulat immitti, duo probare tenetur., Vocationem, et bonorum quae impetit identitatem.*
3. *Quando agitur de vetustissima feudi concessione remittitur juris rigor super probatione identitatis bonorum feudalium, et praesum-*

ptiones et conjecturas vicem legitimae probationis supplent.

4. *Feudi possessor non censetur voluisse in sui suorumque praejudicium, bona veluti feudalia describere quae libera erant et allodialia.*
5. *Censuales codices ad nuerum pubblicorum per aequandam distributionem inventi, impares sunt qualitati, valori, et bonorum dominio probandi.*
6. *Fieri nequit quin canones feudatario debiti ad feudum pertineant, si canones ipsi pro rata parte onus sustineant primarii canonis ex feudo persolvendi.*
7. *Ad noscendam bonorum feudalium indolem non sunt spectanda majorum testamenta, sed videnda est transactio maxime si Pontificio Chirographo fuit roborata.*
8. *Facti posteriores anteriores probant.*
9. *Vinculum primogeniale non destruit feudale.*
10. *Immissio bonorum feudalium danda est etiamsi possessor de pretio meliorationum satisfieri debeat.*

Meliorationum creditum proponi non potest nisi legitime probetur. – ibidem. –

DECISIO CCCXXXII.

Geminis, dierum 18 Aprilis 1823 ac 14 Maii insequentis anni, Decisionibus, sub titulo *Gallien. Feudi*, quas dein ipsæ, quæ causa ceciderant, accepto habuerunt germanæ sorores Magdalena, ac Secundina Materozzi, una cum Christina earum Matre, definitum est ab universa Aula, successionem, et immissionem ad Feudum Plobbici, in Urbinate Provincia existens, Petro Mariæ Materotio competere. Huic judicio, per liti renunciationem absoluto, successit aliud quoad immissionem *in specie* ad bona feudalia, ab eodem Petro Maria actum, et sustentatum adversus fæminas contradicentes, quæ, cum ei invidere non possent Feudi dominium, et possessionem, imminuere tamen, et extenuare bona studebant, quæ Feudum ipsum conflant. Rogatione itaque in Comitiis habita ad diem *septimam* Maii superioris anni in hæc verba constituta = *An, et ad quae bona sit danda immissio in casu etc.* = Responsum prodiit = *Affirmative, et immissionem dandam esse quoad bona stabilia ad formam Catastri anni 1788, quo vero ad Canones ad formam Catastri Piani* =, prout pandit mea Decisio tunc temporis evulgata. Hæc vero, ut Lex impleretur Pontificiæ Delegationis, quæ istas controversias inter consanguineos, et propinquos exortas dirimi jussit, duabus præsumptibus Decisionibus, ac totius S. Ordinis accedente suffragio, ad examen hodie revocata est, adeoque justam ipsæ eam noverunt fæminæ Materotiæ, ut vadimonium deseruerint, atque ita effecerint, ut facilius responderetur = *In Decisis.* =

Neque secus responsum fuisset ut- 1
cumque impugnaturæ Decisionem meam mulieres in arenam descendissent. Exploratum erat in rerum gestarum hystoria, quod anno 1729 defectis masculis Familiæ Brancaleoniæ, quæ Feudum istud, de quo quæritur, non modo jurisdictione tituloque Comitatus, verum etiam rebus soli, prædiorumque redditibus præditum possederat, rerum obscuritas, et veteris *investituræ* tabularum defectus locum controversiæ præbuit inter Annam Juliam, postremi masculi filiam, et Fiscum Pontificium, qui Feudum, tamquam factum caducum occupaverat ob interitum marium. Omnis nihilominus quæstio composita fuit anno 1732 ex imperio Sa: Me: Clementis XII., qui Chirographo suo utile Feudi dominium in perpetuum concessit Annæ Juliæ, nuptæ Ulderico Bonaventuri, ac filiis, et hæredibus ejus quibuscumque cum exiguo canone, vix pondo unius albae ceræ elaboratæ, erga Sanctam Sedem, et Fiscum Apostolicum. Accessit deinde anno 1761 Chirographum aliud Clementis XIII., ex quo Pontifex ille, ut precibus obsecundaret ejusdem Annæ, cupientis Feudum reddere gentilitium, ac simul masculinium, et primogeniale inter liberos, et posteros Magdalenæ filiæ suæ natu minoris, quæ matrimonium cum Comite Materotio contraxerat, feudalem successionem una cum bonis omnibus, et juribus, post Annæ Juliæ obitum, detulit Ulderico, prædictæ Magdalenæ filio primogenito, et masculis ab eo descendentibus. Horum autem prole exhausta, ad Feudi compendium in Pontificio Chirographo vocati fuerunt caeteri Magdalenæ filii cum eodem ordi-

ne, iisdemque legibus supra memoratis.

2 Cum ad plures deinde transiisset Anna Julia, bonorum feudalium possessionem, Deo se vovente primo nato, nactus est secundo genitus Antonius Franciscus, cui successit ejus filius Vitus, qui decessit Anno 1812. Ad Chirographi tramites tunc jus successionis obtigit Alexandro, qui, procul a patria degens, in mandatis dedit Apollinari patruo suo, ut possessionem caperet bonorum feudalium, eorumque gereret administrationem. Ut primum vero Alexandri mortem, qui in Russiaca expeditione militabat, noverunt mater ejus Christiana, et sorores Magdalena, et Secundina, bona feudalia invadere statim censuerunt hæ fœminæ, quamvis ad masculum alterum, ac defuncti Alexandri patruum, Petrum Mariam pertinerent. Hic ægre ferens injustam fœminarum possessionem, querelas ea de re extulit apud Sacrum Auditorium, ubi binas obtinuit Decisiones super immissione *in genere*, et aliam super immissione *in specie*, quæ hodie confirmari promeruit. Ad instar enim similis judicii immissionis ad bona fidecommissaria, duo probare tenetur, qui ad bona feudalia postulat immitti, vocationem nempe, ac bonorum, quæ impetit, identitatem. Quod autem Petrus Maria vocatus sit ad bonorum feudalium emolumentum, id extra controversiam est post binas meas Decisiones, quæ successionem ad Feudum ei detulerunt, quæque in solemnem prolapsae sunt Remjudicatam ob renunciationem a fœminis amissam. Sic item explorata est bonorum feudalium identitas.

3 Haud enim dubitare fas est, inter bona feudalia Castrum Plobbici recenseri, ac jure proinde illius possessionem tribuendam esse Petro Mariæ. Cæterum ad alia bona quod pertinet, dura admodum est actoris conditio, quippe qui qualitatem, ac quantitatem bonorum feudalium evincere debet, quamvis archivium Fendi, rerumque feudalium in præsens fœminæ retineant, nec illud inspici a Petro Maria valeat, ad monumenta perquirenda, quæ bonorum identitatem ostendant. Quod cum ita sit, asperum esset exigere a Petro Maria, ut bonorum probet identitatem, antiquis exhibitis investituræ tabulis, quas si datum non fuit invenire Fisco Pontificio, dum ob interitum maritam Familiæ Brancaleoniae Feudum ipsum sibi devolutum contendebat, multo minus post temporis adeo diuturni lapsum præstare id valet Petrus Maria, cui ne licet quidem expendere vetera familiæ monumenta. Nec existimandum quod magis accuratam notitiam bonorum præbeant recentiores *investituræ*, seu Chirographa Clementis XII., et XIII, quae generalibus verbis complectuntur Plobbici Castrum, una cum Palatio, adjectionibus, juribus, nilque propterea statuunt certi, ex quo vera qualitas, et quantitas feudalium bonorum erui valeat. Quocirca, nisi ludrica Res judicata sit, quae immissionem in genere tribuit Petro Mariae ad bona feudalia, necessario consequitur, aliunde demonstrari oportere bonorum identitatem. Quamvis imo identitatis probatio plenissima non sit; id tamen non vitio vertendum Actoris est, quia de vetustissimo Feudo agitur, in quo diuturnitas ipsa temporis non minimum remittit de rigore juris, efficitque, ut præsumptiones etiam, et conjecturæ vicem suppleant legitimæ probationis.

Firmius hoc ex ea ratione retinendum, quod præsens immissionis in specie judicium non contra extraneum agitur possessorem, qui fundum non bene emptum deserere cogatur, sed adversus postremi successoris hæredes, qui investituram debent servare, neque ejus ordinem ac Legem possunt invertere. Extraneus quidem possessor nunquam in causa est; ut probationes minus perfectæ afferantur ab eo, qui successionem sibi debitam propugnat. Non idem vero dicendum quoad ultimi successoris hæredem, cujus culpæ, aut majorum ejus, tribui debet obscuritas quælibet, et difficultas, in quam actor offendat, bonorum identitatem probaturus. Consulenda præterita mea Decis. § 4 et 5. Attamen in re præsenti, ut identitatem feudalium bonorum revin- 4

ceret Petrus Maria, non indicia proferebat et conjecturas, sed invicta, et luculenta monumenta, ex quibus constat Antonium Franciscum Materotium, qui primus Feudum possedit, Anno 1778 censum confecisse bonorum Feudalium, tam rusticorum, quam urbanorum, qui sane, utcumque exolverit ex posteriori publico censu; ex auctoritate S. Mem. Pii VI. absoluto, plurimi tamen faciendus est, dum agitur de identitate bonorum judicio possessoris comprobata, qui numquam censetur voluisse in sui, suorumque præjudicium, ea bona veluti feudalia, describere, quæ libera erant, et allodialia.

5 At Antonius Franciscus, non de describendo dumtaxat Plobbici Castro sollicitum se præbuit, sed una cum Castro sacellum etiam, atria, ambulacra, viridaria, hortos, promptuaria, agros, et nemora recensuit. Ex quo facile patet urbanos, ac rusticos fundos, nominatim eo censu descriptos, eosdem esse, quos *veteres investiturae*, seu Chirographa Pontificia summatim designaverant sub amplissimo nomine = *della Montagna di Monte Nerone*, *Palazzo*, *ed annessi con tutte le altre rogioni, membri, e pertinenze* =. Auctoritas itaque ipsius census, quæ in hisce controversis contemnenda non est; rursus confessio, quam præfert, Antonii Francisci, ab ejus hæredibus in discrimen minime adducenda; utriusque demum rei congruentia cum Chirographis, indubiam reddunt fundorum identitatem. Etsi autem censuales codices, ad onerum publicorum peræquandam distributionem inventi, impares sint qualitati, valori, et bonorum dominio probandis, fallit nihilosecius hæc regula, ubi cum censualibus codicibus, ut novimus in præsentiarum accidere, adminicula alia pugnent ad identitatem bonorum ostendendam. Ad Canones vero quod attinet, tribus verbis res conficitur. Describere enim eos non potuit agrimensor in censu confecto Anno 1778., quoniam ex alienis fundis ab extraneis possessoribus solvebantur. Descripti sunt tamen in publico censu, qui ab ejus auctore, Pianus cæpit appellari, Anno 1783., ex ingenuis possessorum confessionibus.

Ex horum testimonio comprobatur, 6
quod = *risultano sul Catastro Piano delle Ville di Montiego, Valdabisso, e S. Mariano, facienti parte integrale della Comune del Plobbico, li qui descritti Canoni una volta spettanti per diretto dominio a Broncaleone già Materozzi Conte Antonio, e che ora passati sono pro indiviso, cioè a Leopardi Cristina già Materozzi* = Ne quis imo cavillari in posterum posset eos Canones esse allodiales, in ima hujusce descriptionis cera adnotatus legitur canon erga Sanctam Sedem, et Cameram Apostolicam quotannis rependendus. Fieri siquidem nequit, quin Canones feudatario debiti ad Feudum pertineant, si canones ipsi pro rata parte onus sustinent primarii canonis ex Feudo persolvendi. Quibus ita positis, perperam, si sui præsentiam fecissent, fœminæ jactassent, Castro, et palatio solum exceptis, canones, fundos, et cætera bona esse allodialia, quia testamentis Antonii Senioris, aliorumque de familia Brancaleonia super Castri jurisdictione; et bonis adnexis legata, et fideicommissa praescripta fuerunt. Ad has nugas refellendas animadvertebatur, jampridem mulieres hæc objecisse in judicio super immissione *in genere*, ut qualitatem fideicommissariam bonorum comprobarent, atque horum ideo possessionem jugiter retinerent.

Verum testamenta ista, quæ causam 7
dederunt diuturnae disputationi inter Annam Juliam, et Fiscum Pontificium, post extinctam anno 1729 lineam masculorum Familiæ Brancaleoniæ, prorsus sublata sunt, et ad nihilum redacta per duplicem, quæ accessit, investituram anni 1732 et 1761. Contendebat porro Anna Julia, Feudum, utpote improprium, et *allodio* simile, non quæsitum Fisco fuisse per interitum marium, et affirmationem hanc suam iisdem comprobare conabatur elogiis, quae nunc iterum proferuntur, et ex quibus eruitur, possessum illud a majoribus fuisse jure testamenti, ac dotis causa fœminis assignatum. Adversam ta-

men feudi naturam demonstrandam, contraria objiciebant acta defensores Fisci, quae inter venditionem pro semisse anno 1525 Comiti Antonio Brancaleonio factam ab Urbini Duca Francisco Maria Roboreo, et quidem non jurisdictionis, vel Castri, sed bonorum præsertim pro pretio scutorum *quatuormillium*. Quo circa, si in hac rerum incertitudina anno 1732 data fuit opera transactioni, cujus ope Clemens XII. Chirographo suo Feudum ex integro concessit Annaa Juliæ et hæredibus ejus qoibuscomqoa, qoae postea ab alio Pontifice Clemente XIII obtinuit, ut Feodum ipsom in gentilitium, et primogeniale converteretor inter liboros, et posteros filiæ suæ Magdalenæ; non sunt amplius spectanda majorum familiæ Brancaleoniæ testamenta, sed una, ad noscendam bonorum indolem, præ oculis habenda est litera transactionis Pontificio Chirographo roboratæ. Videnda prior, quae confirmatur, Decisio §. 9 et 10.

8 Utcumque de Familiæ testamentis ratio foret habenda, ex eis attamen patet, unam, eademdemque semper fuisse oaturam josisdictionis, Castri, bonorum, quorum indivisa possessio unum perpetuo corpus constituit, a maxima temporum antiqnitate Antonius enim senior, dum filio suo Torquato reliquit integram Castri jurisdictionem, statim agros adjecit, montes, et sylvas. Idipsum ordinavit Jordanus, quippe qui primogenituram iostituit, oedum super Castro, sed super omnibus quoque bonis eidem Castro adjunctis. Sic tandem tertium Joannis Baptistæ testamentum, qui patris, avique, voluntati parendo eamdem primogenituram confirmavit, easdemque leges, at conditiones renovavit. Aut nihil igitur per se valent majorum testamenta, otpote posterioribus *investituris* abrogata: aut potius osteodunt perpetuam, et immemorabilem fuisse conjonctionem earum rerum quæ nunc primum Leopardiæ vellent temere seponere. Sed melius res omnis probari nequit, quam ex posteriore *investitura* aoni 1761., quæ rem jam per se claram clariore in loco posuit. Nam Chirographum S. M. Clementis XII in ipso exordio narrat, Annam Juliam retulisse, quod, post obitum Petri Mariae, sibi quæsitum Fiscus Pontificius propognabat, non minus dumtaxat Castri, sed bonorum etiam adjectorum dominium. Hisce deinde narratis, jossit Pootifex, ut nova investitora concederetur Ulderico, ejusque successoribus ad Castrum *Plobbici* una cum bonis, ac juribus omnibus, quæ Castro adjecta reperiebantur.

Patet igitur, tum devolutionem a Fisco primum petitam et concordiam, quæ postea supervenit, *tum utramque investituram*, quæ pro una tantum hodie habenda est, nedum jurisdictionem et palatium sed agros, et cætera omnia continuisse. Nil autem feudali bonorum qualitati detrahit adjectom vinculum primogeniale, quo et Castrum, et bona cuncta ejusdem Castri devincenda curavit Anna Julia ex prædicto Chirographo Clementis XII. Duplex namque titulus Feudi, et Primogenituræ, quorum unus alteri convenit, nec seso invicem destruunt, nunquam efficere potest, ut bona primogenituræ, jurisdictio autem Feudo adjecta censeantur, nisi hanc disjuoctinnem *investiturae* litera suadeat. Caeterum disjunctionem istam nec testamentum patitur Annae Juliae, cui non licebat investiturao contraire, et Feudum in fideicommissum convertere, nec lex Pontificii Chirographi Clementis XII., ubi no verbom quidem adest, quod disjunctionem bonorum a Castro, et discrimen inducat inter Feudum, et fidecommissum. Nil alium enim Pontifex egit, nisi confirmare feudalem bonorum indolem cum primogeoiali qualitate conjunctam: idque egit non alia de causa, oisi ut preces exciperet Anoae Juliae, quae bona feudalia magis tuta, et perennia reddera voluit vinculo primogeniturae. 9

Quidqoid ergo alias opponebatur de praesumpta bonorum libertate, corruit omnioo ex litera transactionis, ex duplici Chirographo, ex diutorna, et ferme centenaria observantia, qoa semper uti feudalia existimata sunt bona omnia intra ambitum Castri posita, ex 10

tot aliis denique monumentis, ac Fiscalibus, praecipue codicibus, in quibus, non unum tantum Castrum, sed caetera etiam bona uti feudalia describuntur. Sic etiam corruit meliorationum exceptio, ex qua remorari faeminae studebant immissionem, cui caeteroquin ob istas causas nullum unquam obstaculum paratur. Quamquam autem quilibet possessor de pretio meliorationum satisfieri debeat, id tamen separato judicio petendum est, et nunquam est obtinendum, nisi postquam meliorationes ipsae legitime fuerint probatae. Sed adeo abest meliorationum creditum a faeminis posse proponi, ut imo cogendae sint ad reparandum reficiendumque palatium, quod ab eis devastatum fuisse constat. Quod ergo decisum est anno superiore ad diem *septimam* Maii, immissionem ad bona feudalia tribuendam esse Petro Mariæ Materotio actori, et quidem, quoad res soli, ad tramites censualium tabularum anni 1778., et quoad canonem juxta Pianum censum, id hodie jure optimo confirmatum est.

Et ita, probata in cæteris superiore mea Decisione, universa Aula judicavit, altera tantum etc.

CALLIEN IMMISSIONIS

IN SPECIE

SUPER FRUCTIBUS

Lunae 17. *Martii* 1828.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Legalis fructuum aestimatio in subsidium solet adhiberi, et nunquam, ubi certa fructuum probatio profertur.*
2. *Tabulae pictae, simulacra, et alias domesticae hujusmodi suppellectiles, nullum fructum gignunt.*

   Commoditas, amaenitas, et alia hujus generis, proinde ac fructus aestimantur - ibid. -
3. *Ubi agitur de legatis, fideicommissis, emphiteusi, fructus omnes, tamquam dominii accessiones veniunt a die apertae successionis.*
4. *Nec in praecedenti casu, Mulieres, aut Minores, sub obtentu bonae fidei, excusantur a fructuum restitutione.*
5. *Fructus procuratorio nomine percepti, illi sunt restituendi, cujus mandato exigebantur.*

DECISIO CCCXXXIII.

Dum anno superiore, una cum controversia principe super immissione in specie, quæsitum quoque est de fructibus, quorum causa accessoria est judicio immissionis *ex leg. fin. Cod. de Edict. Div. Adriani trollea*, utraque parte jura sua deducente, censuerunt Domini, restituendos esse fructus a die tantum motæ litis, et, quoad res soli, ad tramites taxæ legalis; quo vero ad canones, in summa revera recepta, et ab emphyteusis soluta, prout pandit Decisio mea ad diem 7 Maii anni nuper elapsi edita. Hodie vero impleta est lex Pontificiæ delegationis, quæ quæstiones istas ad Sacrum Ordinem detulit, præviis duabus Decisionibus, ac Aula universa suffragante, dirimendas. Roganti enim mihi, ac assuetam proponenti Dubii formula « *An sit standum vel recedendum a decisis* », certamen refugientibus mulieribus de Materotiis, et uno judicio sistente Petro Maria, responsio data est « *In decisis juxta modum in decisione exprimendum* ».

Non ambigebatur fructus in genere 1
restitui a fœminis oportere, et, quoad rusticos fundos, legalem taxationem servandam esse ex vetere Sacri Nostri Auditorii consuetudine, de qua præterita mea *decis.* § 5 latius edisserit; non item vero eam retinendam esse, quoad canones. Legalis enim fructuum æstimatio in subsidium dumtaxat solet adhiberi, nec ea retinetur, quando certa, et distincta fructuum probatio profertur. Cum itaque in subjecta specie compertum sit anniversariam canonum quantitatem ad *scuta viginti octo* evehi, atque obulo *triginta quatuor cum dimidio*; omnis propterea æqui, bonique ratio suadebat, hanc summam pro anno quolibet canones esse restituendam. Si

diversam namque methodum ab ea, quæ supra constituta est, sequi vellemus, facile admodum incideremus in vitium inæqualitatis, ut quis plus reddere fructuum nomine cogatur, quam exegerit, vel alter minus recipiat, quam revere par sit. Ad hanc igitur tollendam inæqualitatem adeo juri contrariam, si certa sit, et indubia fructuum restituendorum æstimatio, hæc una præ oculis habenda est, nec ullum amplius locum sibi vindicat taxatio legalis.

2 In hac autem fructuum æstimatione, ne ipse quidem actor Petrus Maria denegabat, nullam habendam esse rationem de rebus mobilibus. Nullum enim gignunt fructum armaturæ; tormenta bellica, tabulæ pictæ, simulacra, et domesticæ aliæ suppellectiles, quæ reperiantur in palatio feudali, quæque sub immissione continentur. Non idem vero sentiendum erat de palatio ipso, quod uti ad rusticationem, et oblectamentum destinatum, nil fructuosi præseferre, quod restituendum ratione fructuum esset, fæminæ in anteacto judicii periculo regebant. Si enim harum aedium commodum, et utilitas in ipsa consistit habitatione, et oblectatione, damnum porro patitur, qui utraque re caret ob injustum alterius factum, et sarcitionem hujusce damni condicere posse nemo inficiabitur, quem non lateat, commoditatem, amenitatem, et alia hujus generis, perinde, ac fructus aestimari, atque sarciri, veluti expendit praedicta mea *decis.* § *ult.* Quae cum ita se haberent, unum supererat videndum, a quo tempore forent fructus restituendi: qua in re, ut praecedens mea Decisio constituerit a die dumtaxat motae litis fructus esse reddendos, ex argumento bonae fidei, qua faeminae versabantur, secus hodie visum est, et rectius a die apertae successionis condicendos esse definitum ex jure, et ex facto.

3 Ex jure quidem, quia, si successio universalis in judicium veniat, tunc sane, quaeritur, an exceptione bonae fidei tueri sese valeat possessor, quæ nihilominus, ex nota distinctione, nihili fit, quoties petitio haereditatis per actorem fuerit instituta, sed prodest invicem reo convento, qui interdicto *quorum bonorum* provocatus fuerit ad bonorum possessionem dimittendam. Cum vero judicium agitur de bonis particularibus ex Feudo, exempli causa, legato, fideicommisso, emphiteusi, aut quovis alio singulari titulo deferendis, cessat tamen omne discrimen, et, bonæ, vel malæ fidei disputatione seposita, fructus omnes, tamquam dominii accessiones a die apertæ successionis restitui debent. *Rota in Imolen. Immissionis suder fructibus* 14 *Junii* 1784 § 8 *coram Lancellotto*, *et in Asculana Ususfructus* 6 *Julii* 1791 § 12 *coram Priolo*. In subjecta tamen specie inutile est quærere, an per exceptionem bonæ fidei quis se recte defendat a restitutione fructuum: et, hac quæstione etiam prætermissa, optime judicatum est fructus a die apertæ successionis restituendos esse. Non enim in bona, sed in mala imo, et pessima fide fæminæ versabantur, quousque possessionem Castri, aliorumque bonorum retinuerunt.

Constat profecto administratum fuisse 4
Feudum ab Apollinari, ex mandato nepotis Alexandri usque ab anno 1812, prout ipse epistolis fatebatur suis, in quibus sese merum ejusdem Alexandri administratorem asseruit, seque promptum rationibus reddendis exhibuit. Constat item Apollinarem, quamvis pro Alexandro administrationem Feudi gereret, fructus tamen ipsius Feudi clanculum, et non sine prævaricatione mandati, fæminis tredidisse. Constat rursus, tum Apollinarem, tum præcipue mulieres interpellatas anno 1815 fuisse a Petro Maria, ne suam legitimam successionem amplius eluderent. Constat demum, die *prima* Septembris anni 1820 captam a fæminis fuisse bonorum possessionem, cui postea successit, exeunte Octobri ipsius anni, mutuum partium compromissum, et Pontificia delegatio harum controversiarum ad Sacrum Ordinem, Nullum igitur est tempus, in quo bona fides excusare mulieres possit a fructuum restitutione. Non qui-

dem breve temporis interstitium a die *prima* Septembris ad diem 1 *vigesimam octavam* Octobris anni 1820, tum propter temporis brevitatem, tum rursus ob interpellationes jam factas, quæ nullum bonæ fidei locum relinquunt. Non pariter tempus universum, quod intercessit ab obitu Alexandri, qui accidit anno 1812, die *vigesima quinta* Decembris, usque ad annum 1812, quo possessionem bonorum nactæ fæminæ fuerunt.

5 Namque si toto eo tempore fæminæ possessionem non habuerunt, quæ Alexandri nomine retinebatur a patruo Apollinari, nunquam bonorum fructus suos facere potuerunt propter defectum, tam possessionis, quam bonæ fidei, in qua versari non poterant, si sospitem adhuc esse Alexandrum, aut sciebant, aut fingebant, aut dubitabant. Multo minus autem retinere eos fructus debent, quoniam percepti ab Apollinari fuerunt, qui si muneri defuit suo, et clanculum fructus fæminis tradidit, nullo modo sequitur, praesidio bonae fidei, aut possessionis eos fuisse quaesitos. Sequitur imo, fructus procuratorio nomine receptos, et per conniventiam procuratoris ad mulieres perventos, legitimo successori semper esse restituendos, post cognitam, probatamque illius mortem, ex cujus mandato exigebantur. *Rot. in Auximana, seu Maceraten. Immissionis* 14 *Junii* 1748 § *fin. coram Elephantutio*, *in Romana Immissionis quoad Fidecommissum Episcopi Octavii Roncioni* 22 *Junii* 1778 § 8 *coram Litta*, *in Romana Immissionis* 5 *Martii* 1779 § 4 *cor. Soderino*, *et in Spoletana Immissionis super fructibus* 20 *Februarii* 1809 § 3 *coram Piccolomini*. Quocirca, non a die mote litis, sed a die aperte successionis restituendi sunt fructus, juxta *modum* a Patribus præscriptum in hac Decisione a me declarandum.

Et ita VV. OO. DD. decisum est, altera tantum.

CAESENATEN SOCIETATIS

Lunae 5. *Maii* 1828.

ARGUMENTUM

Hebes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXCIX. ET DECISIO CCC. -

SUMMARIUM

1. *Societas utcumque scriptura non indigeat, et verbis quoque contrahatur, cum quid tamen facti sit, ideo non facile admodum praesumitur, sed invictis demostranda est argumentis, factique probationibus quae vices quodammodo scripturae gerant.*

   Nemini in propria causa fas est testimonium dicere - *ibidem.* -

2. *Epistolae in quibus verba* - nostro - *inveniuntur non probant societatem, maxime quando de conditione merciam a ministro faciendarum pertractetur, et quando aliae adsunt probationes ad excludendam societatem.*

3. *Facta societatis contrari, societatem excludunt.*

4. *In Societate obventum lucrum dividendum inter socios servata proportione geometrica, habita ratione laboris, industriae, pecuniae ab utroque socio in societatem collatae.*

5. *Nemini licet proprium factum impugnare, et quod semel placuit displicere amplius nequit* - Et num. 6. -

7. *Partium confessio rationem decidendi constituit et omnes dirimit controversias.*

8. *Rationes semel redditae reddi amplius non debent nisi de errore plenissime doceatur.*

DECISIO CCCXXXIV.

Quod non adeo frequenter usuvenit ut tertio nova concedatur audientia, id obtinuit a S. Ordinis humanitate Joseph Modernius in controversia societatis, quæ ei est cum filiis hæredibus interim defuncti Joannis Brighi. At is, qui duplicem Ratalem Sententiam, et præterea, restitutione in integrum impetrata, binas alias Decisiones, a me editas passus est inimicas, nil novi hodie attulit, ex quo objectam cum Brigbio negociorum societatem revinceret, et rationum momenta convelleret in præ-

dictis Decisionibus late exposita; ita ut manifeste, constaret, nil aliud in negociorum lucris addicendum esse Modernio, nisi duas e quinque eorum partibus, at has quidem non ullius ratione societatis, sed in causam pollicitationis ultroneæ, quam Brighius ipse mercedis nomine, et ad lites evertendas ei fecit. Cum igitur rogationem de more proposuissem, in *decisis* Patres Domini perstiterunt.

1 Socialia fuisse contendebatur negocia plura, et præcipue frumentaria, quibus operam dedit Modernius, primo Brighii minister, ac postea ab eo missus, annis 1799 et duobus insequentibus ad emporio Piceni, atque Aemiliæ, fruges utiliter emens, et Cæsenam transmittens, ut ibi carius, in illis præsertim temporum augustiis, et annonæ penuria, distraherentur. Societas autem, utcumque scriptura non indigeat, et verbis quoque contrabatur, cum quid tamen facti sit, ideo non facile admodum præsumitur, sed invictis demonstranda est argumentis, factique probationibus, quæ vices quodam modo scripturæ gerant. Jam vero ea duo, quæ Modernius ad adstruendam societatem proponebat, testimonium nempe cujusdam Bellucci negociatoris, et epistolæ plures Brighii, hujusmodi non erant, ex quibus societas recte deduceretur. Quæ enim deponebat Belluccius, ex ore Modernii deponebat, cui ideo tanta adbibenda fides est, quantam ipse Modernius sibi vindicaret; nullam scilicet cum nemini fas sit in propria causa testimonium dicere. *Leg. Omnibus* 10 *Cod de testibus, leg. Nullus* 10 *ff. eod. tit.* Si præterea in materia Societatis, ac ad eam probandam, tales oportet esse testes, qui idonei sint, atque omni exceptione majores, quique de certa concordique fidem perhibeant partium voluntate contrahendi societatem; multo minus Belluccio credendum est, tamquam testi unico, et singulari, cui fidem leges adimunt, etiamsi præclaræ Curiæ bono re præfulgeat. *Leg. insjurandi* 9. *Cod. de testibus.*

2 Nihil autem extricant objectæ epistolæ Brighii. Quamvis namque pluries in eis occurrant verba, quibus utuntur inter se socii, de rebus socialibus disserentes; cum ea tamen citra jus, nomenque societatis sæpe quoque proferantur, leve præbent argumentum ad arguendam societatem, nisi alia adsint adminicula, quæ societatem demonstrent. Reque vera, utut pluraria vocabula comunioni apprime conveniant, non raro nihilominus ex usu loquendi accidit, præsertim inter mercatores, prout erat Brighius, ut *nostrum* vocemus, quod aliis traditum est administrandum. Loquntiones proinde illæ, quæ in epistolis Brighii passim loquuntur, non absurde in præsentiarum referri valeant ad ministerium, quod Modernius antea præstiterat in mercatoria Brighii taberna, at ad operam, quam ipse conferebat in promereali tritico coemendo, jussu, at causa Brighii. Adeo abest adminicola olia in themate pugnare ad revincendam societatem, itemque probandum pluralia vocabula non inconsulto, sed serio fuisse adhibita, ut imo plura Brighii defensores afferrent ad commentum societatis profligandum. Nam ostendebant, ministri munera in mercatoria taberna, quam Brighius Cæsenæ retinebat, functum semper Modernium fuisse tum antequam mitteretur ad emporia Piceni, atque Aemiliæ mercaturos frumentum, tum post quam reversus in patriam fuit: ministerium rursus non abdicasse suum, quo tempore administrando cujusdam Massinii patrimonii præpositus fuit atqua unam, olteramque rem insimul egisse ipsum denique Modernium facto suo comprobasse se nunquam in societate fuisse cum Brighio, quippe qui non solum si ad hunc scribebat, officioso, humilique sermone utebatur, sed nihil etiam de his objectis socialibus negociationibus adnotavit in libris, et codicibus mercatoriæ tabernæ; dum o contra sollicitum sese alias præbuerat ea recensenda negociatione quadam mellis in societate cum Brighio susceptа, atque absoluta.

Haec omnia suadent negocia frumentaria, et alia hujus generis, ad unum pertinuisse Brighium. Secus enim 3

Modernius, qui adeo diligens erat in rebus singulis, et quandoque etiam nullius momenti, describendis, multo magis in mercatoriis libris memoriæ prodidisset negociationes initas annis 1799 1800, et 1801 quae admodum lucrosa futura erant. Eoque firmius retinendum negociationes illas ad unum Brighium spectasse; quia plures etiam afferebantur ejusdem Brighii epistolae ubi saepe remuneraturum sese Modernii labores spopondit, quod sane nec scribendum erat a Brighio, nec bono animo a Modernio ferendum, si societas aliqua ita fuisset super illis negociationibus instituta, ut portionem aliquam lucri Modernius condicere possit. Consnlendae praeteritae meae Decisiones dierum 9 Februarii, et 27 Aprilis superioris anni, *prima* § 3 3 5 *altera* § 2. Ab omni autem verisimilitudine absonum visum est quod dicebatur, pecuniam in mercaturam illam de suo contulisse Modernium, quando et contra legitima monumenta docebant nullins eum fuisse census, tantaque miseria conflictari ut vix tabernulam haberet Caesenae, ubi merces vendebat esculentas, ad vitam aegro sustentandam. Quin expendantur epistolae a Brighio tempore non suspecto scriptae, et a Modernio ad acta pnblica delatae, ex quibus constat operam suam hunc postremum praestitisse, alium vero pecuniam, et industriam; satis superque sunt Modernii literae, ubi professus fuit, pecuniam omnem in negociationes erogandam unum Brighium numerasse.

4 Nam scripsit in his Modernius ex mandato Brighii sese recepisse a Comite Ricotti scuta *quingentum*, eaque in arcbss impendisse, quæ initio negociationum traditæ fuerunt rerum venalium dominis. Scripsit rursus literas collybisticas ad Brigium misisse, easque sine mora solutas ab eo fuisse. Scripsit insuper non leves pecuniæ summas a quibusdam negociatoribus Boneccio, et Morellio exegisse ex jussu semper, et causa Brighii. Scripsit denique multum se collegisse ex venditione mercium, quae ad Brighium pertinebant. Si ergo frumentum triticum indicum, oleum aliasqne merces Modernius comparavit, non comparavit, pecunia sua, sed pecunia mandantis. Nec obtrudendum summam saltem argentoorum nummorum *quatuordecim* de aere soo Modernius solvisse Josepbo Mariæ Tabacchio, a quo promercales nonnullas merces ipse coemit. Contrarium siquidem constat, non minus ab ejusdem Modernii epistolis, ubi nulla nec vola, nec vestigium extat de solutione ista, quam a mercatoriis literis a Modernio subscriptis, ex quibus apparet Tabacchium satisfactum de suo credito fuisse cum Brighi pecunia. Quo circa deficit quod libet objectæ societatis fundamentum, quæ si unquam etiam extitisset, tunc obventum, ab ea lucrum diribondum inter socios esset, *geometria* servata proportione, babita nimirum ratione laboris, industriæ, pecuniæ ab utroqne socio in societatem collatæ, ut arguunt superiores Decisiones *prior* §. 7. *alia* §. 4. Atque ex demonstratis compertum est unam operam præstitisse Modernium præter autem industriam, pecuniam suppeditasse Brighium ad merces comparandas, exercendaque negociationem. Vix ergo quadrans, aut ad snmmum triens locorum omnium societatis tribuendus foret Modernio, qui si alias fassus fuit lucri trientem ei addicendum esse, qui in societate aliqua provisoris munus tantum exercuit, sorte sua contentus esse debet, nec majus compendium inbiare.

Neqne ex eo insimulandum antimoniæ est redditum a S. Ordine judicium, qnod Decisiones coram R. P. D. Meo Marco, Almae Urbis Praeside, et Rmo P. D. Tiberj, Athenarum Archiepiscopo, propositam refellant societatem; Rotales vero Sententiæ statuant societatem ipsam, ideoque jus faciant Modernio participandi duas ex quinque partibus lucri ex societate profecti. Sub nomine quippe societatis haud vera, et propria societas intelligenda est, sed jus tantum assequendi duas ex iis quinque partibus lucrorum, non quidem jura societatis, sed ex voluntaria Brighi oblatione, qui, quamvis prote- 5

steretur nullam unqnam inter se, ac Modernium intercessisse societatem, pro bono tamen pacis, et ad evertendas lites in epistolio quodam duas illas ex quinque partibus lucrorum Modernio promisit. Quantitati autem lucri, quam ultro ac sponte Brighius obtulit nihil detrahi aut augeri poterat, semel ac epistolium illud, in quo hæc oblatio continetur, apud acta detulit Modernius, ac in judicio probavit. Nemini enim licet proprium factum impugnare, et quod semel placuit, displicere amplius nequit. Quod si imo clamanti Brighio nullam unquam initam fuisse societatem, et sese liberalitatis dumtaxat ergo, et ad lites amovendas paratum esse duas ex quinqua lucrorum partibus elargiri, nibil respondit Modernius, nec curavit unquam, ut de sententia sua Brighius dimoveretur; ex hoc ipso patet agoovisse Moderuium, et comprobasse quod nulla unquam societas extiterit.

6 Quo cum res perducta sit nullius exat pensi, quod Nodernius judicio sistens, et oblationem, a Brighio factam acceptam habens, nullum sibi detrimentum illatum voluerit ex reservatiooe id postea condicendi, quod superarat ad dimidium locorum omnium constituendum. Tunc namque reservatio ista vim excreret suam, si revera societas probaretur, et aequa utriusque socii fuisset collatio operae industriae, pecuniae. At societas nunquam extitit. Ergo Modernius jus tantum experiri valet ad ea, quæ sponte obtulit Brighius. Quæ vero; et quanta fuerint lucra ex negociationibus obventa planissime elicitur ex ingenua, et sosolemni utriusque partis confessione, emissa coram Arbitris, qui ab Ariminensibus Commercii, et Mercatorum Judicibus, urgente Modernio electi fuerunt. Apud hos arbitros cum ratione dispunxisset suas Brighius oulla iosurrexit quæstio quoad mercium pretium quoad sumptuum quantitatem, quoad lucra demum ex venditione mercium hausta. Haud quidem ca occasione evenit, ut res componerentur: sed id fatuæ petitioni Modernii adscribendum est, qui non duas ex quinque partibus, sed dimidium lucrorum sibi vindicabat. Extat bac de re monumentorum scripturæ traditum, et exotico nomine dictum = *Processo verbale* = cui tam Judices, quam ipsi litigantes subscripserunt. Tanti autem ponderis confessio, et ratiabitio est quæ hoc ex monumento scatet, ut ad fidem ei detrahendam objiceret Modernius, a lege compromissi descivisse judiciales Arbitros, nec intra præstitutum tempus pronunciasse. Addebat etiam Brighii Causidicum, haud refragatum novae electiooi Arbitrorum fuisse, dummodo uti irritum, et nullum baberetur quidquid coram prioribus arbitris gestum fuit.

Perperam tamen utraque proponebatur exceptio. Quo enim tempore rationum redditionem exhibuit Brighius, eamque ad examen arbitri judiciales revocarunt, non adhuc elapsum fuerat spatium eis præstitutum ad judicandum. Utcumque vero irritum censendum esset judicium coram arbitris actum, integra tamen manere debet partium confessio, quae nec ab arbitrorum potestate, nec ab exitu controversiæ pendet: sed ea imo rationem decidendi constituit, et ipsam dirimit controversiam. Caeterum tralatitii juris est alicujus rei veritatem erui ab actu etiam irrito, camque in iudicio eamdem sibi fidem vindicare, quam baberet, si actus a quo descendit, viribus suis consisteret. Neque majoris est auctoritatis factum procuratoris. Huic enim ex notissimis in jure regulis non licebat, quidquid in omittendo sit, in committendo praejudicium inferre mandanti. consulantur praeteritae Decisiones, *prima* § 9*et* 10 *altera* § 5 et 6. Qua de re spernendam denuo censuit S. Ordo ad opportunitatem expiscatam, et extra judicii ritum confectam, ratiocinatoris Puccinelli relationem, quæ eo consilio in Medium proferebatur, ut erratum in dispungendis penes Arbitros rationius fuissc pateret. 7

Jactabat bic ratiocinator calculationem initam de consensu partium coram Arbitris Brighium deinde immutasse ac 8

correxisse, dum novum computum exhibuit, quod a priori calculatione aliquantulum discrepabat. At discrimen hoc optime congruit rebus antea gestis. Ex publicis siquidem actis manifestum est haud comprehensa in prima calculatione fuisse lucra ex olei, et turciei frumenti negociatione obventa, nec item in ea descriptas quotidianas tabernæ rationes. Facile igitur evenire potuit, ut tam lucra illa quam tabernae rationes relatae in secundo computo fuerint, et ita discrimen constituerint, quod inter unum, alterumque computum detegitur. Si quae tandem mutationes, aut additiones factae sunt, haud ex eia læditur rei substantia, multoque minus auctoritas collabescit praecedentis confessionis, quoad *partitas* in priori computo descriptas, initamque communi placito calculationem. Post quam igitur redditionem illam rationum Modernius probavit, nulla causa suberat, cur denuo dispungendae rationes essent. Rationes enim semel redditæ reddi amplius non debent, nisi de errore plenissime doceatur. *Leg. semel cod. de apoch. publ. leg. siquidem Cod. de transact. Cyriac. Controv.* 544 *n.* 120 *Escobor. de ratiocin. Cap.* 41 *n.* 1 *Rot. decis.* 469 *n.* 5 *cor. Melin. et Dec.* 128 *n.* 1 *part.* 10 *Rec.*

Et ita, relatione habita ad praecedentes Decisiones omnes Domini judicarunt, Utraque etc.

CAESENATEN SOCIETATIS

SUPER CREDITIS

Lunae 5. *Maii* 1828.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCI. -

SUMMARIUM

1 *Nemo potest proprium et judiciale factum impugnare, cum in judiciis quasi contrahatur nec permissum sit, id quod semel admissum est in discrimen ullo modo revocare.*

2. *Qui socialia et communia negocia omnia asseverat, nihil excipit saltem de iis, quae nominatim recenset.*

Reservatio de creditis intelligenda de nondum deductis, non de iis quae jam fuerunt in judicium delata - ibid. -

3. *Ab omni aequalitate devium est, ut qui socium suum clamet in levioribus negociis, eum postea in caeteris magis quaestuosis et utilibus repudiet.*

4. *Facta, societatem probant.*

5. *Aliquae operationes particulares non excludunt societatem.*

DECISIO CCCXXXV.

Ratio connexionis, et continentiæ inter unam alteramque quæstionem effecit, ut novæ audientiæ beneficium quo tertio Josephus Modernius obtinuit adversus duas meas Decisiones, quæ, duabus præcedentibus Rotalibus Sententiis adhærentes, statuerunt binas ex quinque partibus lucri, ex negociationibus obventi, ei esse adscribendas in causam ultroneæ pollicitationis a defuncto Joanne Fazaresi Brighio factæ, obtinuerit etiam quoad quas alias mea Decisiones, quæ, binas pariter Sacri Ordinis Sententias probantes, definierunt, eadem proportione diribenda esse lucra alia profecta ex tribus negociationibus duabus frumentariis, atque altera olearia, quæ sibi uni addicenda esse Modernius propugnabat. Adeo tamen juri, ac justitiæ consent taneum novit Sacrum Auditorium quidquid prædictis meis Decisionibus constitutum est, ut permanendum censuerit = *In decisis* =.

Lucra omnia, ex quibuscumque ne- 1
gociationibus obventa, dividenda ea proportione esse, quam præstituit epistolio suo Brighius, facto suo comprobavit ipse Modernius, dum libello coram Ariminensibus Judicibus proposito, nulloque facto discrimine, de singulis negociis rationum redditionem a Brighio postulavit. Nam negocia enumerans, de quibus erat ratio reddenda, ea quoque recensuit; quæ nunc sejungenda a cæteris aliia contendit; ni-

mirum emptionem modiorum *bis centum septuaginta septem* turcici frumenti, quod cymba Dominici Pelosi transvectum fuerat: item emptionem, aliam modiorum *biscentum quinquaginta* indici pariter tritici a naviculario quodam Vincentio Candelara exportati: oleum denique navi transmissum VincentiiVenturinii Ariminensis. Neque ea tantum occasione socialia asseruit negocia ista Modernius, sed bis semel, et tertio, idem affirmavit, tam apud Ariminense Tribunal, dum anno 1808; exeunte Septembris, sollicitum de eligendis Arbitris se præbuit, quibus cognito, ac definitio rationum committeretur, quam etiam apud Arbitros ipsos, ubi rationes a Brighio subductas Modernius ipse approbavit, nec querelam ullam excitavit quoad prætium mercium, quoad sumptuum quantitatem, quoad lucrum demum ex negociationibus obvenium. Postquam igitur negocia omnia sibi, et Brighio commonia, et lucra æquis partibus dividenda esse Modernius declaravit, non potest modo proprium, et quidem judiciale, ac solemne factum impugnare, cum in judiciis quasi contrahatur, nec permissum sit id, quod semel, admissum est, in discrimen ullo modo revocare, ut arguunt superiores Decisiones, *prima* § 2 *et* 3 *altera* § 2:

2 Irrito autem conatu reponebat Modernius in priori illo libello, coram Judicibus Ariminensibus proposito, jus sibi reservasse quodlibet aliud creditum in medium afferendi. Intelligenda enim reservatio est de creditis nondum deductis non de iis, quæ jam fuerant in judicium delata, dispuncta, approbata. Idque certius retineri oportet, quia in ima cera præfati libelli Modernius petebat, ut adigeretur Brigius ad redditionem rationum negociorum omnium, quæ triennii spatio, annis scilicet 1799 1800, et 1801 gesta fuerant, dum missus Modernius ad emporia Piceni, atque Æmiliæ, frumentum, oleum, ut res alias venales comparaverat. Hæc petitio adeo late patet, ut nullam certe limitationem recipiat. Is enim, qui socialia, et communia negocia omnia assaverat, nihil excipit saltem de iis, quæ nominatim recenset, ut recensuit revera Modernius in libello suo *tria* illa negocia, frumentaria duo, alterumque olearium, quæ modo, parum sibi constans, ad Brighium non pertinuisse, suadere nititur. Tantominus vero a proprio facto resilire licet Modernio, postquam acceptam habuit ultroneam Brighii oblationem, qui duas ex quinque lucri partibus super omnibus negociationibus sese daturum Modernio pollicitus fuit. Sentiebat enim Brighius se nihil, præter laborum mercedem, Modernio debere, nec lucra negociationum, ut ille sibi blanditiebatur, ex æquo esse dividenda. Ad exercendam tamen cum homine fido, atque honesto liberalitatem, ac ad lites avertendas duas illas ex quinque lucrorum partibus obtulit, quas ille non abnuit, neque repudiavit, sed ultro eis assentitus est.

Nec obest oblationem, a Brighio factam, acceptam habuisse Moderniom, dummodo nullum suis juribus præjudicium inferretur. Nulla etenim fuisse reservata jura deinde ostendit Modernius ipse, quippe qui nil unquam adduxit, ex quo, vel præcedentem convelleret confessionem, vel aliquid præterea juris se posse in Brighium experiri revinceret. Si itaque pollicitationem Brighii ratam habuit, atque probavit, nil aliud ei dandum est præter id, quod sponte obtulit Brighius, qui sane non est præsumendus duas ex quinque lucrorum partibus Modernio absque ulla prorsus necessitatu concedere voluisse, si præcogitare potuisset contentum audiri Modernium, et non sine ingrati animi significatione deinde propugnaturum fore lucra triplici illius negociationis sibi uni esse addicenda. Ab omni imo æqualitate devium erat, ut Modernius, qui Brighiom clamabat socium suum in levioribus negociis, eom postea in cæteris magis quæstuosis, et utilibus repudiaret, veluti monent binæ, quæ confirmatur, Decisiones prior. § 4, et 5 secunda § 3. Nec urgere a Modernio proderat triplicem illam negociationem sesa Brighio significasse, et pluribus epistolis 3

ab eo fuisse reprobatam. Utcumque namque aversatus initio fuerit Brighius tria illa negocia, sive quia nimis ampla, sive quia periculosa plena Aleæ ea videret, eis postea sese accomodavit! idque adeo verum est, ut unus deinceps Brighius mercibus recipiendis, servandis, distrahendis operam dederit, et nummos suppeditaverit.

4 A proposito suo reprobandi tria negocia, duo frumentaria, et tertium olearium, Brighium resiluisse, agendi methodus ostendit, quam Modernius ipse servavit. Is siquidem ad Brighium scribebat, vel ad ejus filium; ac utrique narrabat, quomodo a quo, et quo pretio merces in dies coemeret; qui superessent dimittendi creditores, quid esset agendum, et quo domum tempore promercales merces vendendæ forent ad majus lucrum assequendum. Atqui omnes istæ Modernii epistolæ, cum posteriores sint illis, quas scripsit Brighius, ut reprobaret initas a Modernio negociationes, manifesta ostendunt ejus tandem precibus Brighium cessisse, et tandem approbasse negociationes illas, easque suas fecisse, solvendo pretium quod constitutum fuerat Modernium inter rerumque promercalium venditores. Quamvis autem in proposito suo repudiandi tria illa negocia Brighius perstitisset, idque invictis probaretur monumentis, veluti necessum esset; ut lucra earum negociationum uni Modernio adscribantur, cum tamen Brighius, ad æquam lucri divisionem provocatus, duas obtulerit ex quinque ejus partibus, easque acceptas habuerit Modernius, plusquam arguendo exprimi valeat, intelligendo plane cognoscitur, hoc posteriori facto eum cuicumque juri derogasse, quod ex factis anterioribus, et ex Brighii epistolia exercere potuisset,

5 Spernendum post hæc, potiusquam confutandum est testimonium quoddam ipsius Brighii, quod maxime in deliciis habebat Modernius, ut suo nomine saltem, et causa sua modia *bis-centum septuaginta* frumenti indici cœmisse revinceret. Testimonium namque istud, cui revera subscripserat Brighius, non alia ratione prolatum fuit, nisi ut adhiberetur in lite quadam, quæ apud Judices Anconitanos agebatur cum ejusdem indici frumenti venditore, Josepho Maggio Recinatensi, qui fuerat in judicium traductus, ut damna sarciret emptori obventa ob triticum stato tempore non traditum. Animadvertebant hinc Patres haud oportuisse ea occasione circumstantias omnes aperire, et pacta enucleare, quibus inter se tenebantur Modernius, et Brighius, Agebatur enim de testimonio pro re nata, et ad opportunitatem exarato, in quo si aliqua etiam irrepsit Brighii contradictio, parvi hæc facienda est præ epistolis, cæterisque probationibus, ex quibus patet res omnes venales, tum pecunia, tum nomine Brighii fuisse comparatas. Hic vero si mercedem pro tribus istis negociis a Modernio postulavit, non eo fecit animo, ut eorum lucra ipsi cederet Modernio, sed ut sibi prospiceret, si incertus rerum tulisset eventus, ut hac in causa cecidisset. Petiit enim laborum præmium, postquam Modernium adeo transversum egit Brighii liberalitas, ut contendere etiam cæperit omne commodum, et incommodum trium negociationum ad se unice pertinere. Omnia ergo lucra ita dividenda sunt, ut binæ ex quinque partibus Modernio, reliquæ tres Brighio sint addicendæ, quemadmodum latius probant præ teritæ Decisiones, ad quas sese Patres Domini retulerunt.

Et ita universa Aula judicavit, Utraquo etc.

FAVENTINA IMMISSIONIS

Lunae 10. *Martii* 1828.

ARGUMENTUM

Tunc necesse est diverso, ac separato judicio agere pro nullitate transactionis, quando ejus nullitas non ab ipsa depromitur tabularum substantia, sed judicis requirit officium. Quando tamen nullitas scatet ab ipsis tabulis transactionis, tunc non est praemittendum judicium nullitatis.

SUMMARIUM

1. *Intestata patris hereditas filiis debetur.*
2. *Municipales leges, civilis, et canonici juris correctoriae nullius sunt momenti quum adprobatio Pontificis absit* – Num. 3. *et* 4. -
5. *Familia effectiva semper censetur praedilecta plusquam naturalis* – Et num. 6. –
7. *Errans non consentit.*

Excusantur mulieres in iis quae juris sunt, et praecipue si de iis agatur quae ad majorem aetatem nondum pervenerint, et de damno vitando res sit. Ibid.

8. *Nullitas, quae ab ipsis tabulis transactionis scatet, efficit ut tabulae ipso jure sint nullae.*
9. *Quisquis contra proprium insurgit juramentum petere absolutionem debet, ne perjurus fiat.*
10. *Restitutio fructuum decernitur a die apertae successionis.*

DECISIO CCCXXXVI.

Tres habuit ex Uxore sua filios Franciscus Azzarolins ex Oppido S. Agathæ in Fori Alieni provincia, Matthæum scilicet, Michælem, et Joannem. Hic postremus sacerdotium, optimam partem, elegit; cæteri vero duo Uxorem duxerunt, et Michael quidem quinque ab ea suscepit filios, Dominicum nempe Nicolinum, Antonium, Jacobum, Marcum Andream; alter autem; idest Matthæus, unum dumtaxat nomine Franciscum, qui pariter, Uxore ducta, unum ad lucem dedit filium Matthæum juniorem. Anno 1769 ad mensem Aprilis accidit, ut malo facto, cum vellet is amnem Vaternum navigando trajicere, undis submersus intestatus decederet, Matre, et Uxore Maria Cinti utero ferente post se relictis. Fætu jam maturo, puellam enixa fuit Maria, cui in sacro baptismi lavacro Juliæ Matthiæ nomen impositum est. Ut primum autem notitia obitus Matthæi junioris ad patrueles ejus pervenit, hi statim hæreditatem occuparunt, posthabita filia postbuma, quam tamen domi exceperunt, victum hi præbentes, atque vestitum. Cum dein adolevisset, nuptui tradita fuit Petro Jacobo Finio, constituta dote argenteorum nummorum *biscentum*; et sub expressa conditione nuptialibus tabulis anno 1765 initis adjecta ut nuncium mitteret, veluti revera cum clausulis effrænibus, et adhibita quoque jurisjurandi religione misit, juribus omnibus = *che possa avere nei beni paterni, materni, fraterni, sorori, aviti, e trasversale, e di qualsivoglia sorte pensata, e non pensata, e degna di speciale, ed individua menzione*.

Quatuor post annos a celebratione nuptiarum Julia Mathia quæstionem legitimæ super hæreditate paterna portionis assequendæ adversus patrueles excitavit. Sed amica transactione composita contentio fuit per privatam apocham, quam postea publicis tabulis contrahente ipsi confirmarunt, ubi Julia Mathia, quamvis nulla ratio occurreret de emissa quadriennio antea renunciatione disserendi, eam nihilominus denuo probavit, a patruelibus instigata, qui tutius in bonorum possessione confoveri cupiebant. Sic se res habuerunt usque ad annum 1812, quo demum tempore de suis ad hæreditatem paternam juribus edocta mulier, judicium petitionis hæreditatis instruxit coram Generali Episcopalis Curiæ Faventiæ Assessore, qui prope erat, ut sententiam diceret fæminæ propitiam, quum eo amoto a suo munere, generalis Pro-Vicarius Faventiæ sententia sua fæminæ actionem rejecit. Provocatione interposita, rei cognitio conscendit ad Sacrum Nostrum Auditorium, mihique commissa Causa, rogavi hodie Patres = *An sit locus absolutoriæ ab observatione judicii, sit danda immissio restituendi fructus, et sint relaxanda mandata, seu potius obstent transactiones, et renunciationes, in casu etc.* = et Responsum retulit = *Quoad absolutoriam negative; quoad immissionem affirmative in omnibus, et fructus esse restituendos a die apertæ successionis, et non obstare transactiones, et renunciationes.*

Ut primum de immissione disputatio 1
sit, intestatam patris hæreditatem, nullo habito sexus discrimine, filiis deberi sanxit Justinianus in celebri *Novella CXVIII. Cap.* 1. Una ergo, cæteris exclusis, Matthei Junioris hæreditatem per

legum censuram consequatur oportet filia ejus posthuma Julia Matthia. Qui Azzaroliis patrocinabantur, utcumque juris novissimi dispositionem non inficiarentur, ei tamen derogasse dicebant legem municipalem Oppidi S. Agathæ, cui subjiciebatur Matthæus junior, et quam in honore, et obsequia fuisse objicitur ad diem delatæ successionis. Ad hanc comprobandam thesim proferebatur litera statuti barbarissimi illius ævi non insolito in hæc verba disponentis *Volemo, che dolmente che in la casata sia fratelli de alcuna donna maritata, o Maschi da quella Casata, la donna maritata delli beni paterni non possa succedere in la eredità del Padre, fratelli, o altri de dicta casata, se non è da essi instituita erede, et lassata legataria, ma sia contenta della dote sua . . . Et similmente s'intenda della donna non Maritata, la quale, se dica maritare, e darglie la dote non de minor somma, che sia lo consueto della casata, et de quello stia contenta « ut supra »* Sed in juria lex extollitur statutaria, quoties compertum est, aut nunquam extitisse, ac viguisse, aut nihil faciendam eam esse, tamquam privatum scriptum, nulla authentica ratione, nullaque Apostolica confirmatione roboratum. Reque vera in albo rubricam cujuslibet statuti in Ditione Pontificia quoad fœminarum exclusionem obtinentis, quod exaravit *Cardinalis De Luca*, recensentur quidem rubricæ statutorum cujuslibet Castri provinciae Ferrariensis, ejusmodi sunt illae Oppidorum *Argenteæ, Balneocaballi, Centi, Cotignolæ, Fossignani, Massæ Longobardorum, Plebie Genti, aliorumque*; desideratur attamen objecta rubrica Oppidi S. Agathae, quod in eudem Ferrariae provincia continetur.

2 Nullum praeterea aderat monumentum, ex quo constaret, Statutum illud in forma, veluti inquiunt, specifica a Supremo Principe fuisse confirmatum. Nequit igitur Communi juri derogare, et jus Juliae Mathiae adimere ad paternam hereditatem assequendam. Neminem enim latet, Municipales leges civilis, et canonici juris correctoriae, nisi fuerint praedicta forma a Summo Pontifice probatae, nullius esse momenti. *Rot. decis.* 6 *num.* 1 *coram Buratto, decis.* 698 *num.* 2 *coram Merlino*; *decis.* 696 *num.* 6 *coram Olivatio*, *in Sutrina jurispascendi quoad facultatem faciendi restrictus super resolutis* 13 *Martii* 1752 § 8 *coram Elephantutio, in Camerinen. reintegrationis* 25. *Februarii* 1798 § 3 *coram Acciajoli, et in Forolivien. Pecuniaria* 23 *Junii* 1826 § 10 *coram Reverendissimo P. D. Falconerio.* Tamquam itaque privatum scriptum, nulla auctoritate praeditum, spernendum prorsus erat objectum Oppidis S. Agathae Statutum. Non deterior tamen evaderet Juliae Mathiae conditio, nec minus clara foret ejus actio ad paternam haereditatem, utcumque diceretur ad diem apertae successionis vires exeruisse suas municipalem S. Agathae legem. Contendunt porro Azzarolii ex municipali S. Agathae lege repelli filiam ab haereditate patris, ut successionis jus in collaterales agnatos transeat. Sed nunquam tantum propinavit absurdum praedicta lex statutaria, ut naturalem quoque deleret amorem, qui ex famigerato adagio prius descendit ascendit deinde, ac postremo divergit.

Dum porro disposuit Oppidi S. Agathae statutum, quod = *domente che la casata sia fratelli de alcuna donna maritata delli beni paterni non possa succedere in la eredità del Padre, fratelli, o altri de dicta casata* =, palam est binos proposuisse casus: alterum nempe, quod faemina ad intestatam patris haereditatem una simul cum germanis fratribus concurreret; alterum vero, quod faemina ipsa una cum filiis masculis ex masculo de eadem familia, quam juridici vocant *effectiva*, haereditatem impeteret aut patris, aut fratris, aut ex fratre nepotis, ejusque descendentium masculorum, in utroque quidem casu lex municipalis jubet, faeminam propter descendentes masculos ex masculis a patre, repellendam a successione esse: adeout donec adsint fratres, aut filii masculi fratrum, aut eis descendentes masculi, foemina non modo ab haereditate patris, sed etiam 3

a cujuslibet descendentis masculis successione extorris esse debeat. Deficientibus vero masculis ex masculo familiae *effectivæ*, nunquam lex Statutaria prescripsit, ut successio ad collaterales agnatos transiret familiae *contentivæ* sed imo ad faeminas convertitur ejusdem familiae *effectivæ*, cujus omnes masculi exaruerunt. Non enim aliud significant ea, quae proxime sequuntur verba Statuti, et ex quibus cavetur = *Item volemo, che non restando maschio alcuno della casata, epse donne possa succedere ab intestato alli morti della casata* =.

4 Cum igitur de *effectiva* Matthaei junioris familia nulli amplius extent masculi, necessario consequitur, ut ad Statuti tramites successio faeminae deferenda sit. Sub eo autem Vocabulo = *casata* = quod pluries adhibet Statutum, tum apud majores nostros, tum etiam hodierna nostratum, stricta saltem, et rigida loquendi ratione, idem intelligitur, ac domus, et familia ejus, qui caput est, proptereaque paterfamilias communiter nuncupatur. Quilibet masculos communi stipite descendens suam peculiarem, propriamque familiam, seo = *casata* = constituit, quae dicitur *effectiva*, quaeque differt plurimum ab eodem stipite descendentis, familiae, seu = *casata* = Quidquid in jure sit, quando descendentes in genere vocantur, quo casu lato sensu veniunt, ii, qui *ad effectivam*, quam alii, qui ad *contentivam* pertinent familiam, quia omnes ab uno stipite procedunt; si tamen uni dumtaxat defuncti descendentes masculi ex masculis, qui familiam constituunt *effectivam*, nominati vocati fuerint eorumque causa a successiones faeminae, re pulsa receptum est, his masculis exhaustis, ad soccessionem aditum faeminis patere in vim praedictae rubricae, quae mandat = *che non restando maschio alcuno della casata, epse donne possa succedere ab intestato alli morti della casata*.

5 Quod itaque de masculis, post fratres, faeminis praeponendis, in acquirenda patris familias haereditate, Statutum praescripsit, non de masculis quibuscumque sentiendum est, sed de his tantum, qui unam, eamdemque constituunt = *casata* = cum ipsa faemina exclusa. Dum enim ait Statutum faeminis praeferendos esse = *i fratelli de alcuna donna maritata, o maschi de quella casata* = manifestum fit, *relativum* illud = *quella* = ad eos tantum masculorum significationem cohiberi, qui sint = *in la casata della donna, maritata* =, aut etiam nubilis ad tempus delatae successionis. Qua de re, cum, elato Matthaeo juniore, nulli alii extiterint in ejus = *casata* = masculi; ex ipsa proinde statuti sanctione descendit, ut haereditatis emolumentum ad Juliam Mattiam spectare debeat, quae post patris funus orta est, remotis prorsus agnatis collateralibus, qui quinto gradu distant a defuncto. Certius haec interpretatio retinenda est, quia, non modo ex deductis per *Card. de Luca in Mantiss. ad mat. fideicom. dec.* 5 *n.* 8 in quolibet dubio pro faeminis unius lineae respondendum est, et contra agnatos masculos collaterales a communi stipite descendentes pronunciandum; verum etiam, quia familia (*effectiva*) semper censetur praedilecta, plusquam naturalis *contentiva* ex traditis *a Menoch. cons.* 117 *num.* 67 *Fusar. de substit. quæst.* 400 *n.* 44 *Rot. decis.* 66 *num.* 6 *coram Ansaldo.* Ut autem ad Ferrariense statutum provocaretur nulla suberat ratio. Non enim interprete indiget S. Agatae statutum: nec amplius, deleto ante annum 1769. Herculis II. Extensis imperio, servanda sunt ejus decreta, quibus jussit; ut si quid dubii occurreret quoad municipales cujuscumque Oppidi leges adhibendum esset Ferrariae Statutum.

Exploso Statuti commento convertebantur Azzarolii ad binas transactiones, alteram diei 25 Maii 1772 eos inter initam, et Ceciliam Margotti, quæ paterna postumæ avia fuit; alteram diei 15 Aprilis 1799 inter eosdem, et ipsam posthumam Juliam Mathiam celebratam. Effercbant etiam vim tabularum nuptialium, ubi Julia Matthia præcedentes ratas habens transactiones, jurata repudiavit tam paternam, et maternam, quam alias quascumque consanguineo- 6

rum hæreditates. Ex his concludebant obstaculum actriei parari ad petendam patris hæreditatem. At quoad primam transactionem anni 1772 placuit Dominis meis responsio ab actricis defensoribus data, Ceciliam postbumæ aviam in ea stipulatione de suis privatis juribus tantum egisse; non vero de puerulæ juribus, quæ tunc temporis annicula erat, et tutelæ matris obnoxia, cujus nomen ne legitur quidem in tabulis transactionis, ex eo dumtaxat vitio nullitatis infectæ, quod servata in ea non fuerunt solemnia a celeberrima Benedicti XIV. Constitutione præscripta quoad contractus minorum, et mulierum. Sic etiam recte sese tuebatur Jolia Mathia adversus nuptiales tabulas anni 1795 in quibus, ob tenuem dotem scutorum vix *biscentum*, abdicavit, remisitque juria omnia, quæ exercere potuisset in paternam, maternam, atque alias propinquorum hæreditates.

7 Animadvertebat namque sese illarum tabularum stipulationi adfuisse, dum adhuc in minori versabatur ætate, nec adhuc vigesimum quintum ætatis suæ annum attigerat, accedebat etiam, ex falsa causa, ac errore ductam, quod revera, extantibus etiam masculis familiae *contentivae*, a paterna successione repelleretur, assensum dedisse renunciationi. Quantum autem exploratum in jure est errantem non consentire, cum nihil magis consensui contrarium sit, quam error, ut ait *Ulpianus in leg. Si per errorem* 15 *ff. de jurisdict. omn. judicum*; tantum certum æque est, dignas esse excusatione mulieres in iis, quæ juris sunt, si præcipue de muliere, quae ad majorem aetatem nondum pervenerit, et de damno vitando agatur. *Leg. Quamvis* 11, *et leg. Ne passim* 13 *Cod. de jur., et fact. ignora.*, *leg. juris ignorantia* 7 *l. g. error* 8 *ff de jur. et fact. ignor.* Nec demum objiciendae tabulae ratibabitionis anno 1799 conscriptae. Primo siquidem non de ratihabenda renunciatione in eo Instrumento agebatur, sed de constituenda tantum Juliae Matthae legitima portione super haereditate paterna. Ut dein ratam renunciationem haberet oportebat, ut faemina cognosceret vitium nullitatis, quo ipsae inquinabantur tabulae renunciationis *Rot. in Rec. decis.* 98 *num.* 7 *part.* 11 *decis.* 204 *num.* 5 *cor. S. M. Alexandro VII, et decis.* 380 *num.* 10 *coram Ansaldo.* Neque illud leve est quod judex, qui tabulas, tam renunciationis, quam ratibabitionis probavit, baud se agnovisse juravit post inspecta, ac perpensa omnia documenta ad rem spectantia, quod utraque stipulatio faeminae revera expediret, ut requirit Benedictina consti tutio, nec caetera implevit, quae pro forma substantiali in eadem constitutione sancita fuere.

8 Hos scopulos effugere conabantur Azzarolii, clamantes de nullitate transactionum in separato ac congruo judicio quaerendum esse: his vero in implicito validitatis statu manentibus, haud licere haereditatem illam petere, cui in ipsis transactionibus ab actrice renunciatum est. Sed nota est in jure distinctio, ut tunc demum necesse sit diverso, ac separato judicio agere de nullitate transactionis, quando ejus nullitas non ab ipsa depromitur tabularum substantia, et verbis, contextu, sed judicis requirit officium. Quando tamen nullitas scatet ab ipsis tabulis transactionis, quod forte, ut in praesentiarum accidit, peccent in manifestam legum censuram, tunc tabulae ipso jure nullae, atque irritae censentur, nec premittendum est judicium nullitatis. *Gratian. discept. foren.* 5 *Cap.* 691 *num,* 1, *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 46 *art.* 2 *num.* 149 *Rot. decis.* 287 *num.* 7 *coram Royas, decis.* 392 *num.* 9 *coram Dunozet jun.*, *in Rec. decis.* 755 *num.* 5 *part.* 2, *decis.* 912 *num.* 4 *part.* 10 *decis.* 367 *n.* 5 *et seqq. coram Molines*, *et decis.* 438 *num.* 5 *cor. Eodem.* Huic vero regulae minime adversantur, sed imo congruunt Sacri Ordinis oracula *in Assisien.*, *seu Nucerina Transactionis* 17 *Aprilis* 1826 *coram Rmo P. D. Pianelli, et in Civitatis Castellanæ Crediti* 3 *Martii ejusdem anni coram R. P. D. Meo Marco.* Ideo namque in casu harum decisionum definitum est, actioni, de quo quæreba-

tur, eas obstare, ac de earum nullitate peculiari judicio disputandum esse, quia haud res erat de nullitate manifesta et ipso jure inducta, sed de ea nullitate, quæ ab examine pactorum, et rerum adjunctis pendebat.

9 Cæteris futilior visa est exceptio præscriptionis, quæ adversus Juliam Matthiam obtrudebatur. Si enim subducas, quemadmodum subduci jubet *Justinianus in leg. Sancimus* § 2 *Cod. in quibus caus. in integr. restit. necesse non sit*, tempus illud, quo Julia Matthia in minori ætate versata est, supersunt profecto a die obitus Matthæi ad diem instituti judicii non plus, quam anni *viginti et octo*. Deficit ergo *tricennaria* præscriptio, quæ impedimentum petitioni hæreditatis parari valeat. Nec item officit Juliæ Matthiæ quod ab interposita juramento antequam judicio ageret, absolutionem non imploravit. Quisquis porro contra proprium insurgit juramentum, ne perjurus fiat, petere absolutionem debet ex *Cap. Dilecto de excepto, Cap.* 1 *de lit. contest.*, *leg. Siquis major Cod. de transact.*, *Marescott. var. resol. lib.* 2 *cap.* 84 *num.* 1, *Constantin. vot. decis.* 34 *num.* 1, *Rot. coram Millino decis.* 282 *num.* 2, *et decis.* 268 *num.* 1 *coram Coccino.* Hujusmodi etiam est exceptio juramenti, quæ peremptoria dicitur, ut, nedum ante litem contestatam, sed etiam postea in qualibet judicii parte ante rem judicatam, et interdum post rem judicatam, rite opponatur. *Leg. Cum nondum* 4, *leg. praescriptionem* 8 *Cod. de except. leg. sed, et si ff. ad S. C. Maced.* At necessarium haud est, absolutionem a juramento obtinere, quando contractus est ipso jure nullus. *Urceol. de transact. quaest.* 90 *num.* 21 *Paolut. dissert.* 59 *num.* 56.

10 Accedit vero, quod Julia Matthia haud impugnat Instrumenta, quibus adjectum fuit jusjurandum, sed excipit tantum ea sibi paternam hereditatem vindicanti non obesse. Non igitur absolvendi sunt rei conventi ab observantia judicii, sed imo damnandi ad restituendam Matthæi junioris hæreditatem una cum fructibus a die apertæ successionis. Sublato siquidem discrimine inter universale, ac peculiare judicium petitionis hæreditatis restitutio fructuum semper decernitur a die apertæ successionis, et tunc tantum a die motæ latis incipit, quando bona fide reum conventum possedisse probatur, ut præ cæteris firmat *Rota in Callien. Immissionis in specie super fructibus* 17 *Martii* 1828 *coram Me.* In tam clara autem juris communis censura in tam perspicua municipalis S. Agathæ legis inanitate in tanto nullitatum cumulo, quot objecta inficiunt Instrumenta renunciationis; nemo dixerit bona fide ductos Azzarolios retinuisse Matthæi junioris hæreditatem.

Et ita cum suffragio *quinti, et sexti* judicatum est, utraque etc.

FERRARIEN

NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 6 *Junii* 1828.

ARGUMENTUM

Cum divino, humanoque jure probibeantur usure ex mutuo pecuniae per se sterilis; ita pariter vetiti, irritiquo censentur contractus, qui, licet extrinsecus vanam exhibeant speciem legitimae conventionis, simulati tamen apparent ad usuras ex mutuo occultandas.

SUMMARIUM

1. *Contractus cujusvis generis usuras ex mutuo obtegentes improbandi.*
   Plus valet quod agitur quam quod simulate concipitur. Ibid.
   Fundamentum contractus societatis est ut aequa fiat inter socios lucrorum damnorumque communicatio Ibid.
2. *Societas leonina reprobatur.*
3. *Rescinditur contractus cum requisitis a lege praescriptis careat.*
4. *Trinus contractus est illicitus.*
5. *Negociatio in contracta societatis invenitur ad occultandas usuras, si ille qui pecuniam accepit ea ad negocium exercendum non utatur.*
6. *Tenue est lucrum quod colligi solet ex animalium negociatione.*
7. *In materia usurarum nullius pensi sunt de-*

bitorum confessiones, nisi earum veritas invictis monumentis probetur.

8. *Cambia obliqua sensim subrogata fuerunt contractibus mercatoriis.*
9. *Contractus Mercatorius idem est ac trinus.*
10. *Vetitum est unum ex contrahentibus lucrum facere et alterum damna pati.*

    Quod nullum est nullum parit effectum. - Ibid. -
11. *In contractibus omnino nulli, nulli reductioni fit locus.*

DECISIO CCCXXXVII.

Vix major factus Antonins Florani Ferrariensi, ut æs alienum lueret; qno premebatur patris hæreditas, buic contractui operam dedit cum concive suo Jacobo Gulinellio. Publicis ad diem 20. Septembris anni 1816. scriptis tabulis, Bavariæ nummos argenteos *quatuormille* ab eo recepit in bubulam negociationem mutua utilitate erogandos per annos septem, adjecta conditione, nt integrum pecuniæ caput ad exitum septennii restituendum Gulinellio foret, intereaque temporis fructus *decunces* ei rependerentur in singula centum, et annos. Hæc fructuum ratio, non alia de caussa specie tenus in pactum deducta fuit, nisi ut compensaretur dimidium lucrorum, quæ bovilla negociatio attulisset, quæque Florani commodo ralinquebantur, utcumque ad Gulinellium spectarent. Ad parandam demum indemnitatem creditori, tros fundos in agro Fori Alieni positos Floranius hypothecæ nexu devinxit. Plures alii deinde contractus inter eos intercesserunt, quorum opo nomina quædam, census, canones, partim vendidit, partim in solutum, et in ejus crediti caussam, Gulinellio dedit Floranius. Sed postea, cum hic quæri de prioris contractus nullitate cæpisset, judicii institutio facta est coram abrogatis Judicibus Primarum Actionum Ferrariæ, a quibus sententiam votis suis consonam Floranius obtinuit. Delata hinc rei cognitionu ad Judices alios, qui de provocationibus jus Bononiæ dicunt, a qualibet nullitatis labe vindicarunt illi contractum, imminutis tantum interusuris *dextantibus* ad *semisses*. Cum tamen ex disceptantia sententiarum controversia conscenderit ad Sacrum Auditorium, sciscitatus sum in Comitiis diei 16. Maii proximi elapsi Dominos Meos = *An constet de nullitate contractus, seu potius quomodo sit exequendus in casu etc.* = Tunc nulla prodiit definitio, scissis in æqnas partes suffragiis. Sed hodie, rogatione renovata, Patres, usque ad *sextum* quæsiti, scilicet = *Affirmative ad primam partem, negative in omnibus ad secundam* =.

1 Plura subtiliter a litigantibus disputabantur ad dignoscendam, præfiniendamqne indolem contractus, de quo agitur. Verum, sive societas fuerit, sive trinus contractus, sive contractus mercatorius, qui factitari transactis temporibus Ferrariæ solebat, et contractus = *di mercanzia* = communiter nuncupabatnr; in qualibet nihilominns bypothesi apertissima nullitate infectus renunciandus est, utpote improbo eo consilio initns obtegendi fænus, et usuras e mutuo. Cum enim divino, bumanoque jure prohibeantur usuræ ex mutuo pecuniæ per se sterilis; ita pariter vetiti, irritique censentur contractus, qni, licet extrinsecus vanam exhibeant speciem legitimæ conventionis, simulati tamen apparant ad usuras ex mutuo occultandas. Quod si generatim plus valet quod agitur, quam quod simulate concipitur, hoc profecto jnris axioma retinendnm maxime est in materia usurarum, in qua totis viribus occurrendum est huminum malitiæ, quæ sæpa supererat legislatorum scientiam, et multa passim excogitat ad legum vigorem eludendum. Cuique autem ad sedulam trutinam revocandi contractum initum anno 1816. Gulinellium inter et Floranium, apprime constat, sub pallio societatis ceculi fænus iniquissimum. Si namque vera societas contrabi voluisset, cujus fundamentum præcipuum est nt æqua fiat intar socios lucrorum, damnorumque communicatio *ex leg. Si non fuerint.* 20. §. 1. *et* 2., *et leg. Si unius* 63. *ff. pro socio*, nullo modo pacisci poterat Gulinellius, ut pecuniæ caput in societatem immissum salvum, sartum, integrum reddi sibi deberet.

2 Non item cavendum erat, nt fructus

decunces, quousque fieret pecuniæ restitutio, rependendi ipsi Gulinellio forent in compensationem illius emolumenti, quod negociatio bovilla progignere potuissent. Evenire siquidem poterat, ut nulli redirent ex ea negociatione fructus, et detrimentosa potius, quam lucrosa futura esset. Qua de re, si ita Gulinellius contraxit, ut nedum post certum tempus pecuniam recuperaret suam, sed interim ingentem faceret de eadem pecunia quæstum ad decuncem usque rationem, nemo non intelligit initam ab eo societatem continere mutuum palliatum, quod omnes improbant leges, eamque, uti simulatam, et fæneratitiam expresse damnari a celeberrima Constitutione S. M. Sixti V. incipiens = *Detestabilis* = ubi cubitalibus verbis irritos, ac nullos renunciavit = *omnes, et quoscumque contractus, et conventiones, per quas cavebitur, personas, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res tradentibus, uti etiamsi fortuito casu damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, et integrum a socia restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos vel menses, durante societate, respondeatur* = Hujusmodi idcirco societates, quæ Leoninæ dicuntur, ut refert *Cannan. Comment. jur. civ. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. semper etiam improbavit Sacer Ordo, et præsertim *in Nuperrim. dec.* 116. *numer.* 1. *et seq. tom.* 5. *part.* 1., *in Romana Contractus* 20. *Februarii* 1818. §. 11. *cor. Ema Odescalchi, et in confirm.* 19. *Junii ejusdem anni* §. 7. *cor. Eodem.*

3 Ex eo autem magis usura, et fænus erumpit, quod pars lucri, Gulinellio tributa, haud depacta fuit in ipsis fructibus negociationis, sed in certa, et numerica quantitate capitis usuris respondente, ad decuncem nempe rationem. Hoc siquidem in casu de foenore, et usuraria pravitate ambigendum non esse, statuit *Rot. in prædict. decis.* 116. *num.* 4. *tom.* 5. *part.* 1. *Nuperrim. in Ferrarien. Pecuniaria* 12. *Martii* 1824. §. 4. *coram R. P. D. Meo Bofondi, et in Confirmatoria* 21. *Februarii* 1825. §. 7. *cor. Eodem.* Nec auscultandum Gulinellio ex ea ratione societatem explodere adlaboranti, quia pecuniæ dominium libere in Floranium fuit translatum. Distinguenda enim est societas vera, et legitima a societate impropria; et vetita, ac in unum finem adhibita occultandi usuras ex mutuo. Atqui alterius hujusce generis est societas, de qua hic quæritur, cum ad caput, veluti inquiunt, salvum, ex parte Gulinellii inita fuerit, et in mutuum palliatum resolvatur. Non mirum est igitur, quod pecuniæ dominium in Floranium fuerit translatum, tamdiu retinendum, quamdiu septennii exitus venisset. Si itaque, uti societas consideretur contractus Gulinellium inter, ac Floranium gestus rescindendus prorsus est; quia ei desunt requisita a lege præscripta ad veram constituendam societatem.

Sed ne sustineri quidem potest uti 4 contractus trinus, ideo trinus nuncupatus, quia tres continet contractus, societatis, nempe capitis assecurationis, et conventionis certi lucri. Trinus contractus tunc dicitur initus, cum quis societatem super aliqua re cum altero contrahit, et caput, quod in societatem immittit, quod objecto periculo, sibi restitui integrum convenit sub expressa conditione, ut interim, loco dimidii lucri incerti, sibi quid certum, usuræ nomine, super ipso capite in societatem immissio persolvatur. Post Sixtinam quidem Constitutionem, neminem reperiri posse videbatur, qui hujusmodi contractum licitum assereret. Sed Doctores tamen, numero plures, et auctoritate præstantes, post evulgatam quoque Sixti V. Constitutionem, in utramque partem insurrexerunt, quorum alii licitum renunciarunt contractum ipsum, alii expresse reprobarunt, prout videre est penes *Zanch. de societat. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 104. *et seq.*, qui utramque doctorum sententiam expendit: eorumque nomina recenset. Immortalis deinde memoriæ Benedictus XIV. *in Synodo Dioecesana lib.* 10. *cap.* 7. cum multa sapienter edisseruit dum contractu trino, tum demum conclusit subdi-

tos, ac Christifideles hortando, ut ab eo ineundo se prorsus abstinerent. Noster autem Ordo nunquam hanc materiam funditus ponderavit, ac si quid in nonnul'is decisionibus legitur, ex quo pateat contractum trinum in urbe Roma, ac tota Italia licitum judicasse, id certe non ex caussæ necessitate, sed ex sensu excidit, atque calamo scribentis, præter rem de qua agebatur inconsulto vagantis; ut arguit *Zanch. loc. cit. num.* 135.

5 Multo minus suscipiendum erat in præsens hujusce contractus examen, definiendumque, an licitum nec ne sit. Nam etiam ii, qui fautores, et assentatores sunt trini contractus, quique alioquin periculosæ plenum aleæ illum fatentur, duo statuunt elementa necessaria et quodammodo *substantialia* ad trinum contractum validum reddendum: Alterum est, ut is, qui pecuniam recipit in societatis exitu restituendam, sit respse mercator, et vere illud exerceat negocium in contractu spectatum. Non alia quippe de caussa contractus hujus modi a jure reprobantur, nisi quia sub involucro societatis mutuum palliatum: et fœnus continent. Si proinde constet, haud in mercatura versari eum, qui pecuniam accepit, nec hanc accepisse ad negocium aliquod exercendum, sed ad dimittendum æs alienum, quo premebatur, tunc certe ambigi nequit, quin fuerit excogitata negociatio ad occulendas usuras, ac ipse contractus nil aliud sit, quam mutuum palliatum omni jure prohibitum. *Felic. de societ. cap.* 18. *num.* 66. *Ugolin. de usur. cap.* 55. §. 1. *Scacc. de Commerc.* §. 1. *qu.* 7. *par.* 2. *ampliat.* 9. *num.* 9. *Leotard. de usur. qu.* 31. *num.* 16. Alterum vero non minus necessarium contractus trini requisitum illud est, ut qui integram capitis restitutionem cum certo lucro paciscitur; lucrum ipsum in tam modica quantitate conveniat: ut tantum adhuc, ea subducta, supersit ex negociationis utilibus, quantum alterius periculum compenset pro indemnitate capitis, certique annui lucri, quod promittit *Ferrar. Biblioth. verb. Societas num.* 3. *Zanch. de Societ. par.* 1. *cap.* 6. n. 104. *Rot. dec.* 70. *num.* 7. *cor. Coccino, in Romana Societ.* 4. *Junii* 1742. *per tot. cor. Molino, et in Confirm.* 7. *Junii* 1745. §. 7. *cor. Eod.*

6 Atqui neutrum concurrit in contractu Gulinellium inter, et Floranium inito. Pro lucro namque certo, quod moderatum admodum ac exile esse debet, pepigit sibi Gulinellius *decunces* fructus, quibus deductis, nihil supererat, quod Floranio compensaret, tum operam, industriamque socialem, tum duplex periculum restituendi integram pecuniam ad exitum societatis, ac interim annuam, certamque summam lucri nomine rependendi. Cum imo animalia contagiosis, ac epidemicis morbis obnoxia sint, et plurimum detrimenti capiant ex pascuorum siccitate, ideo incertum admodum, ac tenue est lucrum, quod colligi solet ex hoc genere negociationis. Tanto iniquius hinc est pactum, ut pecuniæ caput ad exitum societatis, integrum reddatur, atque interim certa summa in annos singulos lucri nomine persolvatur. Ut referebant periti viri, et in rebus campestribus exercitatissimi, si negociatio animalium benevertat, et procul absint infortunia, non aliud ab ea elici potest emolumentum, quam illud, quod æquet *besses* fructus pecuniæ in societatem immissæ. Contra vero ex sententia eorum, qui contractum trinum defendunt, ac de moderato illo lucro latius loquuti sunt, ad contractum trinum validum renunciandum opus est ut pars lucri, quæ socio suscipienti periculum cedit septies excedat annuam, certamque quantitatem, quæ lucri pariter nomine addicte ei fuit societatem solvo capite contraxit *Card. de Luc. de usur. et interess. disc.* 1. *num.* 16.

7 Quin ullius ponderis sit Floranium in tabulis Instrumenti declarasse; majus quoque fructibus *decuncibus* lucrum ex negociatione animalium erui posse. In materia siquidem usurarum, nullius pensi sunt, veluti ad fœnus obtegendum extortæ, debitorum confessiones, nisi earum veritas invictis monumentis probetur. *Leotard. de usuris quæst.* 98. *numer.* 30.; *Rot. in Rec. dec.* 307. *num.* 17.

part. 9. *tom.* 1. Uti autem unum, ita quoque alterum deficit requisitum, a Doctoribus designatum ad contractum trinum sustinendum. Nunquam enim Floranium Animalium negociationibus sese implicavit: Quod adeo verum est; ut huic contractui data fuit opera postridie, quam is minorem expleverat ætatem. Tantum imo abest, quod *quatuor mille* argentei nummi Vindelici, quot Gulinellius tradidit Floranio, in causam cesserint negociationis animalium, ut initio vel ipso tabularum, quæ ea occasione stipulatæ fuerunt, palam, et publice professus fuerit Floranius, sese pecunia indigere, ut æs alienum dimitteret, quo paterna devincebatur hæreditas. Quod cum ita se habeat, utcumque sustineri, ac tolerari possent trini contractus, non sustinendus tamen, neque tolerandus ille inter Gulinellium, ac Floranium initus, cum ei desint necessaria extrema, ut nempe is, qui pecuniam recepit, in merces eam impendat, et mitissimas ex ea spondeat usuras, veluti, utrumque requisitum complectens in re prorsus simili Sacrum Auditorium definivit in *cit. dec. Ferrarien. Pecuniaria* 12. *Martii* 1824.; *per tot. coram R. P. D. meo Bofondi, et in Confirmatoria* 21. *Februarii* 1825. *pariter per tot., et præsertim* §. 8. *coram Eodem* quæ in Remjudicatam modo prolapsæ sunt.

8 At arcem tutissimam defensionis suæ in eo Gulinellius collocabat, ut diceret, verum contractum = *di mercanzia* = initum fuisse: hunc contractum usque a temporibus Ducatus Estensis obtinuisse Ferrariæ, testibus de praxi tabellionum Ferrariensium scriptoribus *Malucellio et Fantagutio*: probatum deniqne fuisse A. S. M. Pio VI. Motu Proprio diei 9. Januarii 1777. Hinc concludebat, nihil sibi obesse præfatas Decisiones *coram R. P. D. Meo Bofondi* editas, quippequæ statuunt, contractum trinum unice gestum fuisse, non vero contractum mercatorium ad tramites veteris Ferrariæ consuetudinis, de qua ne loquuntur quidem. Sed hæc omnia tanti non erant, ut dimovere Sacrum Ordinem possent a renuncianda contractus nullitate: et recte; Primo enim loco in prædicto Motu Proprio nil egit Summus ille Ecclesiæ Antistes, nisi cuidem intributioni subjicere cambia obliqua, quæ sensim subrogata fuerunt contractibus mercatoriis = *nei quali* (ut ait Pontifex contractus istos describens) *si diceva impiegato il denaro in commercj mercantili, e con tale supposto quelli ancora, che non esercitavana la Mercatura, parteciparcno i lucri annuali limitati ad una determinata somma, ed assorbivano insieme la restituzione dell'intero capitale, dopo il tempo prescritto dai contraenti* =. Qua de re ex ipsa Pontificii Motus Proprii litera patet, hos contractus ab eo tempore prorsus exolevisse. At etiamsi in usu adhuc sint, et ex eo implicite probati a Pontificibus censendi sint, quod annum quuddam vectigal super iis exegerint; adbuc tamen latet quænam pacta requirantur, ut ab omni prorsus usuræ, ac fœnoris suspicione immunes evadant.

Cum imo Chirographum Pontificium se referat ad Statutum Estense, cæteroquin abrogatum, et aboletum nunquam ad hodiernæ controversiæ definitionem conferre potest, nisi ipsa proferatur rubrica statuti, ac reapse probetur, eam percellere contractum a Guliuellio cum Floranio gestum, et omnes ei adjectas pactiones. Cæterum, cum contractus mercatorius, ut videre est ex Pontificii Chirographi supra relatis, mutato nomine, nil aliud sit, quam contractus trinus, eadem extrema in eo desiderantur, quæ in trino contractu requiruntur; idque clarius etiam evincitur ex auctoritate eorumdem *Malucelli, et Fantagutii* quos in præsidium Gulinellius vocabat, prioris scilicet in opere, cui titulus = *Praxis instrumentaria Ferrariensis* = alterius autem in opera alio inscripto = *Dissertazioni del Notariato* =. Uno verbo igitur oportet ut is, qui pecuniam recipit, sit revera mercator, et pecuniam acceptam in emptionem mercium eroget; alter vero, ut parvum exigat lucrum qui de capite integro sibi ad exitum societatis restituendo curat. Nunqnam hinc fieri po- 9

terit, ut contractus mercatorius, quamvis licitus, et honestus dicendus esset, vere initus dici in hoc casu valeat, in quo Floranius, nec Mercator erat, nec pecuniam in merces impendit; Gulinellius autem, non tenue non exile, sed ingens, certumque lucrum sibi depactus fuit in fructibus decuncibus usque ad pecuniæ restitutionem.

10 Quemadmodum itaque nil profuisset in casu Decisionum Coram R. P. D. Meo Bofondi implorare Pontificium Chirographum, ex quo contractus mercatorius dicitur probatus, quia deerant extrema hujusce contractus; ita nil Gulinellium juvabat in præsens ad prædictum Chirographum confugere, dum eodem vitio ejus contractus laborat quo laborabat contractus in præfatis Decisionibus coram R. P. D. Meo Bofondi latius expensus. Rejecta autem societate contractu trino, contractu mercatorio quocumque demum nomine stipulatio, qua de agitur nuncupari, velit, numquam haec consistere poterit, quia una æqualitas animat contractus, nec ullo jure permissum est, ut unus tantum ex contrahentibus lucrum faciat, ac in alterum totum damnum, et jactura refundatur. Perdite vero reponebat Gulinellius, non irritum in qualibet hypothesi renunciandum esse contractum, sed illius dumtaxat fructus ad minorem quantitem coercendos esse. Cum enim perspicuum sit, fænoris labe coinquinari contractum, de quo quæritur, ac tum ob pactum *capitis salvi*, tum etiam ob alias conventiones intrinsecus iniquas, omnino concidere; nedum locus non est imminutioni fructuum, sed imo nullos ex eo oriri fructus potuisse concludi debet: cum id, quod nullum est, nullum parere valeat effectum, nullumque gignere fructum. *Rot. in Auximana nullitatis contractus* 22 *Junii* 1803 § 15 *coram Tassoni, in cit. Ferrarien. Pec.* 12 *Martii* 1824 § 3 *cor. R. P. D. Meo Bofondi, et confirmatoria* 21 *Februarii* 1825 § 6 *et* 9 *cor. Eodem.* Accidit sæpe numero, et usuræ ad æquam mensuram redigantur. Distinguendi tamen sunt contractus per se validi ab aliis contractibus, qui per se nulli sunt et iniqua continent pacta, quæ ipsos irritos faciunt in contractibus quidem collybi, census, et id genus aliis, qui liciti sunt, si fructus in pactum deducantur præter justum modum, ac taxationem in commercio ad tempos stipulationis vigentem, reductioni locus est.

In aliis vero contractibus, qui nulli 11 omnino sunt, et a jure improbati in contractibus, exempli gratia, fæneratitiis, societatibus ad caput salvum, in trinis contractibus, qui suis saltem careat requisitis, ideo nulli reductioni fit locus quia nulla plane competunt interusuria. Id ipsum accidit in bonæ fidei contractibus, in quibus læsionem aliquam jura nostra tolerant, veluti in emptionibus venditionibus, locationibus permutationibus, et aliis id genus quæ minimo rescindantur, nisi vitio enormissimae laesionis inquirentur contractibus fæneratitiis nullum recipitur discrimen, rum ne in uno quidem nummo liceat fænerari. Quomodocumque hinc contractus usuræ vitio laboret sivo maxima ea sit, sive minor nunquam viribus consistit suis, et omnino rescindatur, oportet *Leotard. de Usur. quæst.* 8 *n* 52. Quod si aliquas fructum solutiones Floranius explovit, id non animo fecit ratum habendi contractum, qui caeteroquin ratihaberi nequit, sed invitus ea peregit, dum lex ipsa in solvente usuras voluntatem coactam præsumit.

Et ita, collectis usque ad sextum Patrum Suffragiis decisum est, Utraque etc.

FERRARIEN PECUNIARIA

SUPER RESERVATIS

Lunae 24. *Martii* 1828.

ARGUMENTUM

Post satisfactos creditores hypothecarios, caeteris creditoribus chirographariis, anteponendi sunt defensores ex veteri eorum privilegio super re defensa, et recuperata, Neque dictum privilegium,

quod scatet *ex leg. interdum* 3. *ff.* qui potior. in pignor, habean, sublatum fuit per Motum proprium *S. M. PII. VII.* super hypothecis.

SUMMARIUM

1. *In omnibus judiciis requiritur personae legitimatio.*

   Cuique creditori, ad sui crediti satisfactionem obtinendam, licet agere contra debitorem sui debitoris – ibidem –.
2. *Cessionarius non magis jure pollet, quam quo cedens, ante cessionem pollebat.*
3. *In judiciis quasi contrahitur, et quod semel placuit displicere amplius nequit* -Et num. 4.
5. *Debitor qui legitime solvit, nequit amplius ob eandam causam vexari.*
6. *Non licet in discrimen revocare, quod definitivis decretis fuit probatum, et a quibus non fuit interposita appellatio.*
7. *Qui de reformando dubio certavit, frustra objecit, ad judicium non fuisse vocatam.*
8. *Creditoribus chirographariis sunt anteponendi defensores, ex veteri eorum privilegio super re defensa, et recuperata.*

DECISIO CCCXXXVIII.

Quo citius, atque facilius, et finis, et modus imponeretur quaestionibus pluribus, et implexis, quae exarserant inter Josephum Arlotti, olim feracissimi Latifundii « *La Mesola* » in agro Ferrariensi jacentis, administratorem, et mercatoriam Societatem Darlach, sive Narcisum, Darothseum Michel Ainè Gallum, qui in ejus jura per initam emptionem ipsius Latifundi successerat, judicio sese uterque permiserat duorum Arbitrorum, Joannis Baptistae Boldrini, et Jacobi Pasti, iisque in diversas abeuntibus sententias, delatum fuit controversiarum arbitrium Carolo Advocato Mazzolanio. Secum revera non convenerunt duo priores arbitri: exquisitus hinc de opinione sua Mazzolanius, damnandam censuit Societatem Darlach ad libellas Italicas 62270 30. Arlatta solvendas. Utcumque partes, compromisso subscribentes, appellationis beneficio nuncium miserint, cum tamen Arlottus haud esset contentus ea summa, quam tertius praefinierat Arbiter, ad Ferrarienses Primae Jurisdictionis Judices canvolavit, et querelas obmovit, de pretio animalium, quæ fundum instruebant, quaeque autbumabat ad se pertinere. Inimica sententia, ob compromissi exceptionem, rejectus, tum a Ferrariensibus, tum a Bononiensibus, ad quos provocaverat, Judicibus, confugit illico ad Supremum Signaturae Justitiae Tribunal, a quo commissa Sacro Nostro Ordini fuit rei cognitio cum clausula « *De causis sine præjudicio Reijudicatæ* » Cum autem ipsa Societas Darlach exequendae tertii Arbitri Sententiae sese promptam, ac paratam exhibuerit, factum exinde est, ut a Sacro Ordine definiretur damnandam eam interim esse ad solutionem summae a Mazzolanio praestitutae, lege adjecta separata, distinctoque Dubio disceptandi *super exequutione Laudi.*

Ad tramites hujusce Rescripti conciliata revera, et disputata fuit Dubii formula *quoad Laudi exequutionem*; comperendinato attamen judicia, demandatum est, ut eligeretur Curialis Peritus, qui referret, *juxta instructionem dandam*, super creditis utrinque propositis. Post editam relationem a Perito Jurisconsulto, at Romanæ Curiæ Advocato, Aloysio Cecconi, cui referendi munus Decreto suo delegaverat Reverendissimus P. D. Pianetti, Viterbiensis Antistes, tunc temporis Causæ Ponens, quæsitum est inter cæteras res in Comitiis habitis anno 1824 die *undecima* Junii de mutuis creditis: eamque in rem, rogatione in hæc verba constituta « *An, et cujus favore, et in qua summa constet de credito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.,* » responsum prodiit » *Affirmative et constare de credito Josephi in summa scutarum* 10208 15, *reservato jure Societati videndi particulariter partitas Montis Satianum*, *et crediti scutorum* 5340, *suspensa interim mandato*; « veluti videre est ex Decisione ejusdem Reverendissimi P. D. Pianetti, dicta die, mense, et anno evulgata, ubi rerum gestarum series latius exponitur. Ex lege alterius compromissi, quod inierant litigantes, antequam quæstiones omnes judicio subjicerentur Sacri Tribunalis, cautum fuerat, ut unica tantum Decisio Reijudicatæ vim obtineret.

Una nihilominus excepta quæstione de damnis, in qua devolutiva quoque rejecta fuit provocatio, in reliquis impetravit Arlottus, ut restitutio in integrum sibi concederetur a Pontificio Auditore cum Clausola « *sine praejudicio* », firmo manente deposito libellarum 62270 30, quod in nummularia mensa Scultheis multo ante expleverat Societas Darlach. Dubitari propterea nequibat, quin incontroversum esset, et in discriminis aleam haud revocandum Arlotti creditum in sententia tertii Arbitri præfinitum, quam accepto habuerat ipsa Societas Darlach, sive qui partes ejus substinebat, Narcisus Dorothæus Michel Ainè.

Interim plures Arlotti creditores sequestrationes injiciendas curaverant super præfata summa, sub depositi vinculo penes trapezitam Scultheis relicta. Inter hos primum obtinent locum Creditores hypothecarii, eosque sequuntur, tum Causidici, tum Advocati, qui patrocinium Arlotto præstiterunt in supra memoratis quæstionibus, quæ diu inter eum, et Societatem Darlach fer buerunt. Hi omnes propria credita ad liquidum primo perducenda curarunt, deindeque ex juribus debitoris impetere pecuniarum depositum cæperunt. Quocirca subrogatus Ego Reverendissimo P. D. Pianetti hanc Dubii formulam disputari mandavi, nimirum « *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » Sed hanc formulam urgente ipso Procuratore, et Causidico Societatis Darlach, et vadatis iis, quorum interest, reformari, et corrigi necessum fuit, postremis verbis addita clausula « *de consignando* » Cum igitur universam Aulam, quæ judicium reddidit suum super controversiis inter Societatem Darlach, et Arlottium, in hac, quæ inter eamdem Societatem, et Arlottii creditores agitur, contentione pariter rogaverim exhibita formula « *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum de consignando* in *casu etc.*, incunctanter responsum est » *Affirmative, et constare de credito* in *summa scut.* 10208 15 *et esse relaxandum mandatum de consignando* ».

1 Quod in omnibus judiciis sive ordinariis, sive executivis, sive privilegiariis requiritur, *personæ*, veluti dicunt *legitimatio*, id quidem præstabant actores, quippe qui creditores sunt Arlottii in causam præstiti patrocinii, ac interpositis super summa deposita sequestrationibus, ex ea sibi satisfieri postulant. Neque id immerito creditores urgebant. Translatitii quippe juris est, ad sui crediti satisfactionem obtinendam, cuique creditori licere contra debitorem sui debitoris agere eumque ad solutionem compellere, omnesque actione, experiri, quæ competunt debitori. *Leg. Nomen debitoris, Cod. quæ res. pign. oblig. poss., Gloss. in leg. Mater verb. Non prohiberis, vers. Item quid si Cod. de rei vindicat., Neguzan. de pignor. memb.* 3 *part.* 2 *num.* 25, *Merlin. eod. tract. lib.* 2 *quæst.* 65 *num.* 1, *et* 7. *Pacific. de Salvian. Inspect.* 3 *cap.* 2 *num.* 394, *Rot. in rec. Decis.* 703 *num.* 2 *part.* 3 *cor. Buratto decis.* 913 *num.* 2 *cor. Ansaldo dec.* 102 *num.* 11 *et decis.* 2 *num.* 2 *tit. de Reb. Cred. cor. Falconerio.* Veste itaque Arlotti induti jure petebant ejus creditores, ut sibi satisfieret ex pecunia deposita. Neque enim dubitari potest de credito Arlotti ad vim usque scutorum 10208 15, postquam Sacri Ordinis Decisio, cui ex compromisso vis accessit Reijudicatæ creditum ipsum in ea quantitate præfinivit. Verum utique est in ea Decisione, anno 1824 ad diem *undecimam* Junii a Reverendissimo P. D. Pianetti publici juris facta, reservatam fuisse Societati Darlach facultatem ad trutinam peculiariter revocandi *partitas Montis Sactionum, et crediti scutorum* 5340, *suspenso interim mandato.* Sed nihil se posse proficere, his partitis examini subjectis, adeo vidit Societas ipsa, ut ab eo tempore siluerit semper, nec de hac discutienda quæstione sollicitam se unquam præbuerit.

2 Quemadmodum vero posset Arlottus depositum vindicare, inanitatem demonstrans factæ reservationis, ita hoc ipsum in præsens facere possunt illius creditores, sub quorum nomine idem considerandus est Arlottus, ex cujus juribus agunt creditores. Atque, ut ini-

tum sit a credito scutorum 5340, proficiscebatur hoc quidem a quatuor nominibus, quæ comprehensa ab Arlotto fuerant in restitutione « *delle scorte morte* », et indebite fuissa Societatis Darlach Oratores opponebant. Verum enim advertendum est, longe, lateque patens Latifundium « *della Mesola* », quod Galli milites ex facdere Tolantini occuparunt, emptum primo fuisse a sic dicta Republica Cisalpina, ab eaque redisse in Gallicum Fiscum: mox a Gallico Fisco in Societatem Mayre translatum fuisse in Societatem Darlach. Dum autem Latifundium retinebatur a Societate Mayre, reddens gestac administrationis rationes Arlottus in ea parte, quae restitutionem respiciebat « *delle scorte morte* », ea quatuor nomina recensuit, quae indebite recensita nunc contendit Societas Darlach, quaeque tamen procurator Societatis Darlach, quaeque tamen procurator Societatis Mayre libenter admisit, adscripsitque Societati, quin hæc ullam unquam excitaverit querelam, vel factum procuratoris improbaverit. Jam vero si Societas Darlach cessionaria est Societatis Mayre, facto cedentis ita tenetur, non possit id in discrimen adducere, quod ratum cadens habuerit. Contra imo Societatem cessionariam valent exceptiones illæ omnes proponi, quæ rite, recteque adversus ipsum cedentem propositæ fuissent. Nam cessionarius non majori jure pollet, quam quo cedens, a quo habet causam, ante cessionem polleret juxta verba Pauli Jurisconsulti *in leg. in his, quae Officium* 175 § *Non debeo ff de R. J., leg. Nemo plus juris ff eod. tit., Olea de cession. jur. tit. 4 quaest. 4 num.* 15, *Rot. decis.* 362 *num.* 10 *cor. Gregorio XV, et decis.* 15 *num.* 7 *tit. de Salc. Interdict. coram Falconerio.*

3 At facto Societatis Mayre factum adstipulatur Societatis Darlach. Cum enim hæc ex stipulata cessione nacta dominium, et possessionem Latifundii fuisset, in eam egit Arlottus, ut creditum suum assequeretur. Litigantes tamen, de re componenda solliciti, judicium quæstionum trajecerunt in Arbitrio, quorum duo priores diversam sententiam amplexi sunt. Accitus hinc ex lege compromissi ad dirimendas controversias tertius Arbiter, creditorem hic renunciavit Arlottum in libellis 62270 30. Sed non adbuc hoc judicio contentus Arlottus a tertii Arbitri sententia reclamavit, deferens querelas suas ad Judices Primæ Jurisdictionis Ferrariæ, et deinde ad Judices alios, qui de appellationibus Bononiæ cognoscunt: quod sane vix ad notitiam Societatis Darlach pervenit, satius duxit, apud acta protestationem emittere, ex qua professa est « *se acquiescere, ut in compromisso concentum fuit, laudo Advocati Mazzolani paratamque esse ad illud exequendum, eoque uti velle juxta illius formam, et tenorem* » Atqui Sententia Arbitri Mazzolani hoc punctim creditum ex quatuor illis descendens nominibus rejecit, quod hodie denuo proponitur. Si igitur, veluti in proverbio est, et apud omnes receptum est ex *leg.* 1. § *Idem scribit ff de peculio*, in judiciis quasi contrahitur, et quod semel placuit, displicere amplius nequit, necessario sequitur peti non posse creditum illud, cui ex accepto habita tertii Arbitri Sententia renunciatum est.

Neque secus censeri debet de objecto alio credito *Montis Sationum*, de quo pariter jus factum est Societati Darlach peculialiriter disputandi in Decisione coram R̃mo P. D. Pianetti, rei judicatæ vires, ex Partium placito, nacta. Etenim conventione inita inter Gallicæ Reipublicæ ex una, et Cisalpinæ Reipublicæ procuratorem ex altera, una cum Arlotto, constitutum fuit hunc postremum, tam nomine = *d·lle scorte vive* = idest pro pecore, bubulo, vaccino, equino et similibus, quam etiam nomine = *delle scorte morte* = (ad quam rem se refert *Mons* ille *Sationum*, cum frumentum, fænum, paleam, pecuniam, et id genus alia eo *Montis Sationum* nomine contineri, et venire compertum sit) numerare debere libellas, plusquam *biscentum mille*. Hanc autem conventionem cui non alia de causa data fuit opera, nisi ut ejus ope de medio tolleretur = *ogni, e qualunque controversia* 4

sulla riconsegna sudetta, *tanto relativamente alla pretesa della Republica Francese verso la Cisalpina, quanto relativamente alla pendenza del Cittadino Arlotti relativamente alla Republica Cisalpina sul punto della esecuzione degli Obblighi, da questa addossati al detto Arlotti, per le riconsegne delle scorte nelle particolari loro convenzioni* = accepto habuerunt, ac plenissime confimarunt utriusque Reipublicæ moderatores. Numerata imo summma in pactum deducta, stipulatus sibi fuit Arlottus, et a creditoribus suis obtinuit = *la più ampla liberazione per qualsivaglia titolo di amministrazione da esso avuta, e per qualsivoglia causa annessa, e concessa dipende in ogni più valida forma.*

5 Sed sic est, quod ex monumentis constat, nec ipsi inficiabantur Societatis Darlach Defensores, conventam pro utroque nomine summam religiose Arlottum persolvisse. Non ergo debebat amplius hac de causa vexari. Cæterum exploratum adeo est, *Montem* illum *Sationum* commixtum, atque confusum fuisse cum capitibus *mortui*, ut vendens Respublica Gallorum Latifundium Societati Mayre, cum hac convenerit, haud licere emptori condicere hoc titulo = *delle scorte* = quantitatem ea majorem, quæ fuerat prædicta conventione constituta, scilicet = *in tanti Capitali morti da consegnarsi dall' Arlotti cessato amministratore della Mesola, in natura, cioè, nella stessa quantità, qualità e valore, ritenuto nel Processo sei Pioroso anno sesto per la somma totale di lire Torinesi* 146643 19 02 = Sic item quoad deberet æstimatiu facta = *sotto l' epoca di detto Processo verbale sei Pioroso anno sesto nel prezzo di Lire* 70771 *o moneta di Milano* = nec ulla in postremum excitari posset querela quoad majorem, vel minorem capitum quantitatem, quæ e prædicto *verbali processu* deinceps forte scateret. Nondum post hæc fundi possessionem cæperat Societas Mayre, cum fundum ipsum, in fugam actis Gallorum copiis, Germani Milites occuparunt: ex quo infecta mansit emptio venditio a Societate prædicta cum Gallo Fisco conventa. Redierunt postea Galli, iique multas, indictis super Latifundio, ejusque fructibus sequestrationibus, excitarunt adversus Arlottum controversias in causam gestæ ab eo Administrationis.

Eodem tamen sequestrationis actú declaratum fuit nihil eam detrahere debere conventionibus cum Arlotto initis capita *viva*, *et mortua*. Quin imo, instaurato iterum emptionis venditionis Latifundii contractu inter Societatem Mayre, et Gallicum Fiscum, qui intermissus ex Germanorum accupatione fuerat, eadem quoad capita *viva* ac *mortua* renovantur pacta, et conventiones, quæ hactenus expensæ, et enucleatæ sunt. Nihil igitur magis certum, quam quod *Mons Sationum* inter capita *mortua* recenseatur: cumque totum id, quod debebat Arlottus ex causa, et titulo capitum *mortuorum*, plenissime exsolverit, necessario sequitur, nil amplius posse proponi, neque vexandum Arlottum, aut illius creditores esse quoad hunc *Montem Sationum*. Reque vera præ evidentia rationum, ex quibus utrumque nomen, *et Montis Sationum*, et scutorum 5340 nullius momenti esse ex demonstratis constat, nil habebant, quod opponerent, qui a partibus erant Societatis Darlach, iique contendebant dumtaxat sese imparatos ad certamen venisse, quia putabant de peculiaribus tantum creditis, quæ adversus Arlottum experiuntur illius Causidici, et Advocati, disceptandum esse, non vero de duabus illis partitis in Decisione coram Rmo P. D. Pianetti reservatis. Sed hæc omnia a vero longe aberrare manifestum est. Nam Causidici, et Advocati, qui jure sequestrationis eadem exercebant jura, quae Arlotto competerent, definitivis decretis, a quibus nulla fuit interjecta provocatio, comprobanda singula credita primum curarunt, deindeque, injectis super deposita pecunia sequestrationibus, ac vadatis iis, quorum interest, ad *Causam admitti* postularunt ad illam nemque Causam, quae Societatem Darlach respiciebat, ct in qua de reservatione in Decisione coram Rmo P. D. Pianetti facta quaerendum erat. 6

7 Qua de re, etiamsi ab initio conciliata rogatio generica fuisset in hæc verba scilicet = *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = pressius tamen ad rem ipso Societatis Darlach defensor. plane videns, non de singulis actorum creditis, de quibus, provocatione non interposita, et orta per consequens Rejudicata, nulla amplius oriri poterat disputatio, sed de traditione depositæ pecuniæ erga creditores Arlotti agendum esse, reformari Dubii formulam petiit, eamque ita constitui, videlicet = *An, et in qua summa constet de Credito, ita ut sit relaxandum mandatum de consignanda in casu etc.* = quæ sane verba = *de consignando* = aperte demonstrant, non alio præsens judicium spectare potuisse, nisi ad depositæ pecuniæ quæstionem. Si ergo inquirendum erat de traditione depositi, necessario etiam ad examen revocari debebat duplex illud creditum, de quo peculiariter agendi potestas reservata est in sæpe citata Sacri Tribunalis Decisione. Tandem inutili prorsus studio obiiciebatur Arlottum ad hoc judicium minime fuisse vocatùm. Ipse namque Societatis Darlach Defensor, et causidicus Arlottum vadavit, dum de reformando Dubio agebatur, quod revera Mei, uti Causæ Ponentis jussu ac Decreto reformatum fuit = *firma remanente causa in Rota destinata* = Quocirca neque diem discutiendæ controversiæ, neque disputandi materiam ignorabat, dum defensionem suam paravit Societatis Darlach procurator.

8 Si hæc igitur omnia suadent Arlotto tradendum esse pecuniæ depositum, pari modo ostendunt traditionem ipsam denegari non posse illius defensoribus, qui eamdem Arlotti in hoc judicio gerunt personam. Hi autem non renuebant, quin in traditione depositæ pecuniæ præferantur creditores ii, quorum creditum hypotheca fulcitur, et Judices Decreto comprobatum est. Post satisfactos creditores hypothecarios, cæteris Arlotti creditoribus, qui omnes chirographarii sunt, anteponendi erant defensores ipsi, ex veteri eorum privilegio super re defensa, et recuperata; quod scatet ex *leg. Interdum 5 ff. qui potior in pign. hab.* Quamvis enim Motu proprio S. M. Pii VII super hypothecis *Art* 31 *et* 32 cautum fuerit, quod = *niun privilegio derivante da qualunque siasi legge, comprensivamente a qualunque ipoteca indotta dalle leggi medesime, avrà mai alcun' effetto sugl' immobili contemplati sul sistema ipotecario in concorso di creditori ipotecarj iscritti, e contro i terzi possessori a riserva di ciò, che è ordinato in appresso rapporto alle trascrizioni* = nihilominus privilegia illa sarta tecta servata fuerunt contra chirographarios creditores = *Rimarranno però fermi i diritti derivanti da tali privilegi, ed ipoteche tacite, e legali in concorso di creditori non ipotecarj* = Merito hinc quidquid superest ex deposita pecunia post dimissos hypothecarios creditores, cedere debet in satisfactionem crediti, quo pollent Arlotti Defensores, singuli pro ea quantitate Decreto Judicis confirmata, et ad liquidum perducta.

Et ita, tota Aula suffragium ferenda definitum est. Utraque etc.

LUCANA PRAECEDENTIAE

Lunae 28 *Aprilis* 1828.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXXVIII. -

SUMMARIUM

In quaestionibus praecedentiae dirimendis, constitutio S. M. Gregorii XIII. - Exposcit Pastoralis officii - Spectanda.

Item videndum quae sodalitas sit in quasi possessione juris praecedentiae - Ibid. -

2. *Immemorabilis possessio a testibus fide dignis comprobata. quolibet meliori titulo est potentior.*
3. *Exulat quaelibet collusionis suspicio contra testes qui cum aliis quam pluribus rem ipsam assevevarunt.*
4. *Idonei semper reputandi sunt testes, qui in pari gradu cum utroque litigante conjuncti,*

pari affectione utrumque prosequi existimantur.

Testes qui vage de auditu deponunt, et res incredibiles narrant, nullam ipsi fidem sibi conciliare valent = *Ibid.* =

5. *Testes qui informem testificationem fecerunt nulla adhibita juris jurandi religione nec ubi ulla adfuit characteris recognitio, sunt procul dubio posthabendi.*
6. *Pastorales visitationes antiquitatem originis alicujus sodalitatis evincunt.*
7. *Verba Gregorianae constitutionis de usu saccorum non taxative, sed demonstrative ad indicandam majorem erectionis sodalitatis antiquitatem sunt accipienda.*
8. *Sodalitatis existentia non a die quo statuta legitime confirmata fuerunt sed a die, quo ipsa erecta ab ordinario fuit, initium, et originem sumit.*
9. *Poena interdicti temporaneam suspensionem tantum ab jurium exercitio secumfert.*

DECISIO CCCXXXIX.

Propriæ prærogativæ tuendæ causa, juxta divinum illud æternæ veritatis præceptum, *ne des alienis honorem tuum*, acris in parvo Oppido, quod vocant *Lammari*, Lucanæ Diæcesis, inter Ven. Sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi, et Ven. Sodalitatem, quæ a Sanctissimo Sacramento nomen habet, super jure præcedendi in omnibus solemnibus supplicationibus, quæ per Christi fideles sancte ibi celebrari solent, exarsit contentio. Res ad judicium de more coram Lucana Archiepiscopali Curia deducta incunctanter favore Sodalitatis SS. Blasii, et Leonardi, cui omnimodo, *tum* immemorabilis consuctudo, *tum* erectionis vetustas adstipulabantur, ab utroque Generali Vicario, quorum alter in Æconomicis, alter in Ordinariis Causis jus dicit, dirempta fuit, iis dumtaxat supplicationibus exceptis Sanctissimae Eucharistiæ venerationi, et cultui dicatis, in quibus statutum est loci primatum Sanctissimæ Sacramenti Confraternitati esse addicendum, prout naturalis ratio, universalisque, quæ viget in Ecclesia, consuetudo suadent. Neque diversum semel, atque iterum protulit judicium Sacer Noster Ordo, cui hujusce controversiæ cognitio ex SSmi Auditoris Decreto, de partium consensu, commissa fuit, quemadmodum binæ quæ coram me die 25 Junii 1824, et die 2 Maii anni 1825 prodierunt, Decisiones ostendunt. Haud tamen viribus fracta SSmi Sacramenti Sodalitas, tertio novæ Audientiæ beneficium ab assueta Sacri Ordinis indulgentia petiit, ac impetravit. Sed cum hoc mane Patres rogaverim = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = vadimonium ipsa deseruit, ac ideo Responsum illico mihi datum est standum esse = *In Decisis* =.

Nulla sane est, neque esse potest in 1
hac dirimenda quæstione inter partes quoad juris dispositionem contentio. Vigil siquidem cura Sa: Me: Gregorii XIII ad ambitum coercendum, et ad scandala removenda, quæ, ob loci honorem inter Sodalitates occasione publicarum sacrarum supplicationum quandoque contingere solent, in celebri sua Constitutione, cujus est initium = *Exposcit pastoralis Officii*=, solemniter sancivit, quod in omnibus hujusmodi absolvendis controversiis omne primo loco ferat punctum consuctudo, et juris præcedendi quasi possessio; si vero forte de hac quasi possessione haud constet, loci primatu ea pollere debeat Sodalitas, quæ, prius saccis induta cæteras antiquitate temporis vincat quemadmodum plurimis etiam adductis auctoritatibus, firmat mea *prior Decisio* §. 2 *et secunda* § 2. Unica dumtaxat quaestio, quae nunc exagitatur, versatur in facto, ut scilicet statuatur quæ ex iis Sodalitatibus, *tum* quasi possessione juris praecedendi, *tum* erectionis vetustate alteri praestet. Verum cum utroque observantiae, antianitatisque requisito Sodalitas SS. Blasii, et Leonardi perspicue prædita dignoscatur, nemo porro non videt, non nisi quam per summam injuriam SSmi Sacramenti Sodales praecedentiae honorem in omnibus sacris supplicationibus sibi arrogare, prout statuit *Text. in leg.* 6. *Cod. ut dign. Ordo servet.*

Et re quidem vera antiqua Sodali- 2
tatis SS. Blasii, et Leonardi juris praecedendi quasi possessio, unde ipsa praecipuum suae actionis fundamentum desumit, in discrimen nullo pacto potest

adduci. Tresdecim siquidem testes ex Oppidanorum numero, jam graves aetate, formalique examini subjecti in omnibus supplicationibus, iis dumtaxat exceptis, quae in venerationem SSmæ Eucharistiae fiunt, primos loci honores semper ei tribui vidisse unanimi ore, religioneque juris jurandi interposita, affirmant. Quorum porro testimonium eo vel magis gravissimum sit oportet, quia plures ex iis, quamvis SSmi Sacramenti Sodalitati sint adscripti, nihilo tamen secius, quovis affectionis, partiumque studio seposito, exemplari ingenuitate adversus semetipsos de alterius Sodalitatis praecedentia testari haud dubitant. Quamobrem, vel absurde pronunciandum est, ulla absque causa, et contra proprium comodum perjurasse tot testes, vel fateri necessario oportet, nullum de pacifica, ac jugi observantia juris praecedendi favore Confraternitatis SS. Leonardi, et Blasii, vel minimum posse scrupulum superesse. Fortius vero etiam, quia haec consuetudo non sistit in uno, vel altero actu, nec brevi spatio praecluditur, sed ita in temporis latebris latet, ut ejus initii nulla prorsus extet hominum memoria. Etenim universi hi testes, vix uno excepto, sexagenariam praetergressi aetatem, id ipsum, quod ii usque ab ineunte aetate propriis vidisse oculis affirmant, etiam servatum fuisse a tempore immemorabili a majoribus suis, et a cunctis Oppidi senioribus audivisse deponunt; Quocirca, si de immemorabili consuetudine ex hisce constat indubie, eo plane vel magis Sodalitio SS. Blasii, et Leonardi erat praecedentiae praerogativa addicenda, quia ea non solum nudae, et simplici possessioni innititur, sed quolibet etiam meliori titulo fulcitur. Latet siquidem neminem eam esse immemorabilis possessionis vim, et auctoritatem, ut ipsa nedum loco tituli sit, sed quolibet meliori titulo sit potentior, ut statuit *mea prima, et secunda Decis.* § 5.

3 Tanto numero, et pondere testium cum sit obruta, vana praesumptione SSmi Sacramenti Sodalitas sibi blandiretur evincere posse observantiam, jurisque praecedendi quasi possessionem sibi dumtaxat favere. Nam, sive ipsa fidem contrariis testibus conaretur adimere, sive alios testes sibi faventes inducerct, tempus sane, et operam perderet. Reque vera nimis arduum susciperet opus, si inimicorum testium fidem carpere studeret, vel quia ii, Sodalitati SS. Blasii, et Leonardi adscripti, testimonium in causa veluti propria ferre nequeant, vel quia ad ita deponendum Miccheletti injuria asserti hujusce litis instigatoris, artibus perducti fuerint. Etenim ad primam exceptionem quod attinet, quamvis uti suspecti *quatuor* essent expungendi testes, qui Sodalitio, pro quo testimonium ferebant, nomen dederant, *novem* tamen alii testes quorum plurimi inter SSmi Sacramenti Confratres recensentur, supersunt, qui omnimodam sibi vindicent fidem oportet. Verum ab justitia, et naturali ratione devium est omnino, quod tanto juris rigore adversus illos sit agendum, ita ut nullo in calculo ii haberi debeant perinde ac si non extitissent. Nam, cum ipsi non do emolumento, et privilegio uti singulis debito, sed de dignitate, et honore universo Collegio quæsito simul una cum aliis quampluribus testibus deponant, quælibet exulat collusionis suspicio, *tum* quia plurium testium numero personales ipsorum exceptiones tolluntur, *tum* quia præsertim omne ab iis abesse partium studium præsumitur, ut ponderat *mea secunda Decisio* § 3.

Atque id præsertim quoad binos ex hisce quatuor testibus in suspicionem adductis eo fortius tenendum est, quia cum utrique Sodalitio sint adscripti, quolibet partium studio vacare præsumuntur. Nemo siquidem ignorat idoneos semper eos reputari testes, qui in pari gradu cum utroque litigante conjuncti pari affectione utrumque prosequi existimantur, ut mea firmat *secunda Decis.* § 4. At si igitur horum testium numerus integer manet, deterius SSmi Sacramenti Sodales eisdem fidem denegandam esse insinuare adlaborarent eo, quod ad falsum deponendum concti fuerint, ut rem gratam Michelettio 4

facerent. Nam, præterquam quod ab omni prorsus ab horret juris præsumptione, quod tot viri, nulla justa urgente tanti facinoris causa, ad turpiter perjurandum perduci potuerint, illud insuper accedit prorsus hujusce impicti criminis probationem desiderari. Testes enim, a Sodalitio SSmi Sacramenti, ut id evincant, adducti, adeo vage de auditu deponunt, resque adeo incredibiles narrant, ut nullam admodum ipsi fidem sibi conciliare valeant.

5 Nec rem mutant alii testes a SSmi Sacramenti Sodalitate nudius tertius, pendente lite, expiscuti, in quibus ipsa ut suam juris præcedendi quasi possessionem demonstret, præcipuam victoriæ spem collocare videtur. Pluribus enim exceptionibus undique obnoxii nullum admodum probationis gradum constituere queunt. Informes siquidem primum, et qualibet solemnitate destitutæ sont eorum depositiones. Nullum enim eorum judiciale intercessit examen, nulla adhibita fuit jurisjurandi religio, in aliquibus etiam nec ulla adfuit characteris recognitio, quæ de veritate subscriptionis fidem faceret. Præterea alter ex iis primarium babet interesse in hac causa, cum constet, eum esse = *uno dei Capi insieme con suo fratello confrate della Compagnia del Santissimo Sagramento per sostenere la pretesa precedenza a favore della stessa Compagnia* =; proindeque prorsus incivile est, ut in re propria facultatem deponendi sibi arroget. Supremum demum culmen hisce imponit maxima, quæ inter eorum dicta reperitor, contradictio. Alii enim de re non sibi cognita, sed quum de auditu ab aliis didicerunt, non absque multa animi hæsitatione, testantur. Alii non de perpetua, ut constanti consuetudine, sed de uno, vel altero veluti fortuito exemplo loquuntur. Alii in duabus dumtaxat supplicationibus, quæ venerandi SSmi Corporis Christi causa et in honorem S. Jacobi Apostoli celebrari solent, et alii ulla absque exceptione, tum = *in tutte le processioni dell'anno* = tum = *nelle rogazioni di San Marco* =, tum demum etiam, ne casus ullus deesset = *nelle associazioni dei Cadaveri* = loci primatum semper SSmi Sacramenti Sodalitio tributum fuisse magno animo affirmant. Cum igitur hi testes tot, tantisque vitiis laborent, sunt procul dubio omnino postbabendi, ac nullum ex iis emergere potest idoneæ probationis indicium super asserta diversa observantia, quæ, nisi concludenter probetur, nullo haberi potest in pretio, ut mea præcedens advertit *Decis.* § 6.

Quæ igitur cum ita sint, si testes utrinque adducti æqua lance perpendantur, cum ii, qui Sodalitati SS. Blasii, et Leonardi favent, *tum* numero, *tum* qualitate, *tum* natura dispositionum longe vincant alios contrarios testes, qui numero pauciores, informes, atque inter sese miro modo pugnantes milleois sunt exceptionibus obnoxii, nemo porro non videt nullam prorsus superesse posse dubitandi rationem, quin Sodalitium SS. Blasii, et Leonardi, ex antiqua possessione, præcedendi prærogativa gaudere debeat. Sed, ne quid dubitandum supersit, antiquitatis insuper erectionis præsidium ei etiam, præter necessitatem, adstipulatur; quod magis, magisque editæ definitionis justitiam confirmat. Reque vera quod Sodalitas SS. Blasii, et Leonardi cæteras omnes antiquitate originis vincat, missis etiam testibus, adeo luculenter actus Pastoralium Visitationum evincunt, ut nec ulla in hoc quidem dubitatio soperesse queat. Etenim si patet ex iis nullam de erectione Sodalitatis SSmi Sacramenti extare memoriam, quæ annum 1590 anteat, dum vicissim constat jam usque ab anno 1555 unicam in Parochiali Ecclesia Oppidi *Lammari* Confraternitatem sub invocatione SS. Blasii, et Leonardi extitisse, palam jam est hanc erectionis vetustate alteri longe præstare. 6

7 Quin, vel minimum, ad hanc excludendam antiquitatis praerogativam Sodalibus SS. Sacramenti prodesse posset obiicere, non tempus erectionis, sed tempus, quo Saccis Sodalitates uti cæperunt, quemadmodum Gregorianae Constitutionis Litera praescribit, in

hisce dirimendis quaestionibus unice esse spectandum; et ideo cum Confratres SS. Blasii, et Leonardi minime probent sese tunicarum honore prius decoratos fuisse, nullimode eos posse secum de praecedentia ex vetustatis titulo certare. Gratuitae enim hujusmodi assertioni nedum obstat praesumptio, quae ne mente quidem concipere sinit quod Confraternitas, anno 1555 canonice erecta, nonnisi quam post annum 1600. tunicarum honore decorata fuerit, sed etiam aperta luculentissimum testimonium resistit Lucensis Archiepiscopi, qui affirmat = *che la Confraternita de' SS. Biagio, e Leonardo è anteriore di tempo, e di cappa alle altre Confraternite esistenti nella suddetta Chiesa* =. Satis porro hæc essent ut exceptio in auras abiret. Verum quomodo res se habeat in facto sollicite quærere haud Patres necessarium esse duxerunt. Nemo enim unquam hactenus dubitavit, quin ea Gregorianæ Constitutionis verba de usu saccorum, non taxative, sed demonstrative, ad indicandam scilicet, majorem erectionis Sodalitatis antiquitatem, sint accipienda; quemadmodum univoce, et absque contradictore docere omnes Doctores, et Tribunalia tradit mea secunda Decisio § 9. Cum igitur ambigere in themate nefas sit, quin Sodalitas SS. Blasii, et Leonardi coeteras omnes erectionis tempore longe præcedat, ad materialem usum saccorum advertere nil admodum præstat.

8 Neque meliori conatu hisce perstricti SSmi Sacramenti Sodales contenderent, sese antianitatis prærogativa pollere, quia eorum Statuta usque ab anno 1590 canonica Ordinarii auctoritate probata, confirmataque fuerunt, dum vicissim nullimode constat Sodalitatem SS. Blasii, et Leonardi ante annum 1680 certis legitimisque regi legibus cæpisse; ex quo, iis deficientibus, ipso toto eo medio temporis intervallo valide erecta dici haud potuerit. Hæc enim exceptio quolibet prorsus fundamento destituitur. Nam, præterquam quod naturali sensui omnino repugnat, quod omnes Lucenses Archiepiscopi inexcusabili negligentia longissimo 120 annorum spatio taciti siverint, ut ea Confraternitas statutis regeretur nunquam Canonica auctoritate adprobatis, quamlibet prorsus difficultatem in facto dispellunt posteriores Pastoralium Visitationum actus, e quibus, cum nulla mentio in iis exciderit de hujusmodi asserto statutorum confirmationis defectu; haud ambigua oritur præsumptio quod hæc eorum canonica adprobatio haud diu desiderata fuerit. Neque enim id animadvertere in actis sequentium visitationum neglexissent Lucenses Archiepiscopi, si statuta eodem irregularitatis vitio laborassent, quo anno 1555 erant infecta. Verum, facti etiam inspectione seposita: haud deterior fieret Sodalitatis SS. Blasi, et Leonardi conditio. Nam ignorat nemo ad legitimam cujuslibet Confraternitatis erectionem necessarium omnino non esse, ut eodem temporis momento ejus statuta confirmet Episcopus. Ejus quippe existentia, non a die, quo statuta legitime confirmata fuerunt, sed a die quo ipsa erecta ab Ordinario fuit, initium, et originem sumit. Foret igitur quam maxime absurdum ex confirmationis statutorum defectu erectionis validitatem excludere; cum præsertim insuper accedat Lucensis Archiepiscopi auctoritas, qui existentiam hujus Confraternitatis SS. Blasii, et Leonardi, quamvis ejus statuta confirmata adhuc haud essent, usque ab anno 1555 aperte agnovit, semel ac in actis Pastoralis Visitationis illius anni solemnem de ea habuit rationem; nisi simul idem esse et non esse dici velit, quemadmodum perpendit mea *praeterita Decis.* § 8.

Inutili demum æque labore SSmi 9
Sacramenti Sodales præsidium sibi quærerent ab Ecclesiastico interdicto, quod Lucensis Archiepiscopus adversus Confraternitatem SS. Blasii, et Leonardi anno 1707, in poenam cujusdam ejus inobedientiæ, interminatus est, perinde ac si ea de causa ipsa ab jure antianitatis, et ab omni, quod exinde profluit, privilegio ciciderit. Nam pæna interdicti temporaneam suspensionem

dumtaxat ab jurium exercitio secumfert, haud vero corpus perimit, adversus quod fertur. Quapropter interdicto, vel ob temporis lapsum, vel ob posteriorem absolutionem cessato, omnia primaeva corporis jura reviviscunt, veluti ac si nunquam amissa fuissent, ad instar punctim eorum qui capti ab hostibus, si in libertatem vindicentur, omnia primæva civitatis jura recuperant, veluti ac si numquam ab ea abfuissent. Si igitur posteriores Pastoralium Visitationum actus annorum 1712 1716., et 1733., nulla facta de præcedenti interdicto mentione, indubie testantur, quod omnes Lucenses Archiepiscopi ad originariam Sodalitii erectionem rationem habentes = *hanno riconosciuta la Compagnia dei SS. Biagio, e Leonardo canonicamente, e legalmente eretta* =, palam est omnino eam Confraternitatem post brevissimum temporis lapsum ab Ecclesiastica censura solutam, atque ad primaeva omnia jura, et privilegia restitutam fuisse. Quaqua versus igitur res inspiciatur firmum semper manet, immotumque, *tum* ex immemorabili quasi possessione, *tum* etiam, præter necessitatem, ex vetustate erectionis, Sodalitio SS. Blasii, et Leonardi loci honorem procul dubio esse addicendum. Attamen, cum in omnibus solemnibus supplicationibus, quæ in venerationem SSmi Sacramenti fiunt, juxta laudabilem consuetudinem, quæ nedum in Oppido Lammari, sed in universa viget Ecclesia, præcedentiæ prærogativa semper ii usi fuerint Sodales, qui ejus cultui sunt præcipue addicti, merito Patres, modo, præcedentibus meis Decisionibus adjecto, confirmato statoerunt præcedentiam Sodalitati SS. Blasii, et Leonardi haud alias competere quam juxta formam Decreti a Vicario Lucensis Archiepiscopi die 26 Aprilis anni 1823 editi, scilicet exclusis omnibus supplicationibus SSmo Sacramento dicatis, in quibus loci primatus alteri Sodalitio reservatus fuit.

Atque ita etc. Altera etc.

RECINETEN PECUNIARIA

SUPER

RELAXATIONE MANDATI PERPETUI

Veneris 4 Julii 1828.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCXXXV. -

SUMMARIUM

1. *Ut obtineri possit mandatum perpetuum contra morosum debitorem necesse est, ut tria judicia antecellant solutionis ob moram.*
   Juridica interpellatio toties requiritur quoties agitur de mora contrahenda ex dispositione legis, non autem quando debitor in mora constituitur ex contractu, tunc enim dies interpellat pro homine - *ibid.* -
2. *Nova lex implenda ac servanda est, nec potest propter novitatem eam non observari.*
   Mandatum perpetuum nil aliud est quam judicium praeventivum quo indemnitati creditoribus consulitur - *ibid.* - Et num. 3. et 4
5. *Quod sub certa conditione conceditur, id sub contraria ademptum intelligitur.*
6. *Si cessio emphiteuseis non fuit a domino directo laudata, non potest, qui cessit, effectum mandati perpetui non observare.*
7. *Lex etiamsi dura et aspera sit, servanda et implenda est, quia lex est.*

DECISIO CCCXL.

Quamvis in Rotali Conventu diei *vigesimæ primæ* Januarii anni piacularis 1825 rejecta fuisset Comitis Michælis Moronii petitio, qui mandatum perpetuum sibi concedi postulabat adversus Comitem Monaldum Leopardium pro canone annuo scutorum *mille tercentum quinquaginta*, ut patet ex Decisione mea ad dictam diem, et annum evulgata; rebus tamen illustratis in novo jurium periculo, cujus ineundi potestatem a Sacri Nostri Ordinis humanitate Monaldus obtinuit, de pristina sententia Patres decesserunt, ac perpetuum mandatum Comiti Moronio tri-

buerunt, cum dies canonis solvendi venisset contra Monaldum executioni committendum, veluti videre est ex alia mea Decisione, quæ anno prædicto ad diem *vigesimum septimum* Junii publici juris feci. Hæc autem Decisio, cum ad examen in hodiernis Comitiis revocata fuerit, adeo juri, et justitiæ consona inventa est, ut confirmationis robur acceperit ex Responso = *In secundo loco Decisis* =, quod Sacrum protulit Auditorium, negata judicii comperendinatione, quam Comes Monaldus perperam urgebat.

1 Convenit enim apprime præsenti controversiæ dispositio judiciarii Codicis S. M. Pii VII, ubi *tit.* 16 *Articul.* 656 ita sancitum legitur = *Quello ch'è debitore di un'annua corrisposta, o altro prestazione avente tratto successivo, se sarà stato moroso nei pagamenti alle respettive scadenze, potrà essere convenuto in giudizio, perchè venga rilasciato contro di lui un mandato da potersi eseguire in ogni rispettiva scadenza* = Qualis autem, et quanta si oportet mora debitoris mandati perpetui indictione plectenda, ipse præstituit judiciarius Codex sequenti *Artic.* 657, ubi cautum extat in hæc verba = *Ad oggetto, che sia luogo ad uno tale domanda, dovrà il creditore giustificare negli Atti la triplice mora del debitore risultante dall'essersi in tre distinti termini di pagamento contro di lui rilasciato il mandato* =. Atqui in triplicem moram incidisse Monaldum, ac triplex judiciale mandatum adversus eum obtinuisse Comitem Moronium, acta publica revincebant, nec ipse, dum sui præsentiam fecit, inficiatus est Comes Monaldus, quippe qui opponebat dumtaxat, non omnem moram reprobandam esse, et mandati perpetui rigorem exigere, sed eam demum cui præcesserit interpellatio juridica, et quam injusta litis sustentatio subsequuta fuerit. In moram siquidem tunc primum lapsus est Comes Monaldus, cum certa esset dies adjecta canonis solutioni, qui ex stipulatu erat unoquoque bimestri tempore ratis portionibus rependendus, nec obligationem suam implevit. Juridica vero interpellatio toties requiritur, quoties agitur de mora contrahenda ex dispositione legis, non autem quando debitor in mora constituitur ex contractu, et ex certa die solutioni præfinita, quo casu, receptissimum est, diem ipsam interpellare pro homine, ut firmat, pluribus adductis auctoritatum exemplis, Sacer Ordo *in Romana Mandati perpetui* 13 *Januarii* 1823 § 6 *coram me.*

Nec rectius obiiceretur, mandati perpetui remedium ignotum in veteri praxi, ac inusitatum fuisse, et nunc primum invectum ex Judiciario Codice, jussu S. M. Pii VII edito. Utcumque namque verum id esset, numquam tamen absurdum illud sequeretur, ut novam Lex implenda, ac servanda non esset, ne secus actum de civium tranquillitate, ac de legum latorum imperio sit. Notissimum autem erat, ac sæpius adhibitum etiam in veteri praxi, mandati perpetui remedium: idque, nedum apud pragmatico, et forenses compertum est: sed ipsa præterea docet epigraphus præfati tit. XVI judiciarii Codicis, qui adamussim inscribitur = *del mandato progressivo conosciuto sotto il nome di mandato perpetuo* =. Hoc unum nova Lex fecit, ut scilicet in mandati perpetui judicio, quod antea incertum erat, et ab arbitrio, et prudentia Judicis pendebat, extrema certa præfiniret. Ideo eadem Lex constituit, tunc demum intelligi moram a debitore contractam, cum per tres vices continuas solutioni defecerit, et judiciale mandatum pertulerit. Ideo etiam alia plura Lex ipsa præscribit, de quibus nil refert hic edisserere, cum latius legenda pateant *Art.* 658 659 660 *tit. cit. XVI* ejusdem Codicis judiciarii. Reque vera nil aliud est mandatum perpetuum nisi judicium quoddam, veluti inquiunt, præventivum, de quo plura in corpore juris extant exempla, ac præsertim *in Leg. Diffamari Cod. de ingen. manumiss. et Leg. Unic. Cod. ut nemo invit. ag. vel accus. cog.* Uti enim ex harum legum censura quis potest alienas compescere injurias, et aliquem cogere ad jura experiunda, quæ jactat; ita pariter uti quis potest actione *præventiva*, ubi agitur de solutione stata die consequen- 2

da. Non enim cogendus est Creditor, ut pro singulis pensionibus tot distincta instituat judicia, et tot lites agat, quot sunt termini solutionum. Recte igitur facultas creditori conceditur, ante diem solutionis agendi pro pensionibus, quæ stato tempore redeunt, ac præventivum mandatum respicere, tunc demum executioni committendum, cum solutionis dies venerit, quemadmodum arguit *cit. Decis. Romana mandati perpetui* 13 *Januarii* § 10 *corom me.*

3 Vindicata actionis justitia, diluenda exceptio supererat, ex qua alias Comes Monaldus clamabat, sese non amplius esse Comitis Moronii debitorem; nec ideo recte mandatum perpetuum adversus se postulari: qua in re operæ pretium est ad memoriam ea revocare, quæ gesta fuerunt inter Monaldum, Vitumque germanos fratres de Leopardis, ac Comitem Michaelem Moronium. Ex rerum gestarum serie constat anno 1809 Moronium in perpetuam emphyteusim dedisse Monaldo Recinetensi bona plura, in Agro Montis Milonis in Piceno jacentia anniversario canone convento argenteorum nummorum *mille tercentum quinquaginta*, ac præterea facta emphyteutæ licentia emphyteutica bona in alios transferendi, exceptis tamen Locis Pii, et *manibus mortuis*, ac dummodo deterior non fieret quoad canonis solutionem domini directi conditio. Hac facultate usus fuit biennio post Monaldus, qui jus emphyteusis cessit fratri suo Vito, lege adjecta, ut teneretur cessionarius intra quinquennium recognitionem in dominum per publicas Instrumenti tabulas a directo domino referre, et omnimodam Comitis Monaldi a quolibet onere liberationem obtinere. Animo tamen prospiciens suo Monaldus, facile admodum futurum, ut Moronius in emphyteutam agnoscere Vitum nollet, tunc convenit rescindendum esse cessionis contractum, et ad primæva emphyteuseos jura Monaldum redire debere. Quoniam vero quinquennii spatium præstitutum fuerat impetrandæ recognitioni in dominum, interea ideo temporis, nec quid detrimenti caperet dominus directus, cautum fuit canonem a Vito persolvendum esse ipsi Monaldo, atque hunc postremum a priore indemnem esse reddendum a quolibet damno, et molestiis omnibus, quas, cessionarii causa et facto pati in posterum ipse potuisset.

Egit deinde Vitius in Moronium, ut 4 cogeretur recognitioni in dominum subscribere, et publicas celebrare tabulas: idque obtinuit per sententiam latam ab A. C., Met, quam cæteroquin provocatione a Moronio interposita, Noster Sac. Ordo corrigendam duxit, dum locum esse stipulationi Instrumenti recognitionis in dominum definivit, præstita tamen per Vitum, qui nullius erat census, idonea fidejussione, veluti testatur Decisio edita anno 1818 ad diem *vigesimam sextam* Junii ab Eminentissimo Bussio Episcopo Beneventano, quæ deinde Rei judicatæ vires nacta fuit. Quocirca ad exequutorios actus jure processit Moronius, ac præfigi Vito obtinuit terminum unus Mensis ad idoneam præstandam fidejussionem, veluti patet ex Decreto Eminentissimi Isoard, tum Sacræ Rotæ Decano. Sed præstitutus frustra fuit terminus. Muneri enim suo satis haud facit Vitus. Qua de, termino elapso, consultissimum prodiit Sacri Ordinis rescriptum, ex quo exemptus declaratus fuit Moronius a stipulandis tabulis recognitionis in dominum erga Vitum, cui deinde bona abstulit emphyteutica Monaldus ad formam conventi pacti super rescissione contractus = *Sarà in pieno arbitrio del Signor Monaldo di rescindere il presente contratto con ritornare di propria sua autorità nel primiero possesso del detto utile dominio: il presente contratto dovrà reputarsi come se mai fosse esistito al mondo* =.

Hisce in facto animadversis, corruit 5 prorsus, quod in aliis jurium experimentis Monaldus asserebat, se non amplius esse Moronii debitorem. Si ei enim facultas rem emphyteuticam alienandi cum ea expressa conditione facta fuit, ne quid scilicet detrimenti in directum dominium, quoad annuam canonis exactionem veniret; si rursus cessio rei emphyteuticæ a Monaldo er-

ga Vitum inita fuit, adjecta lege, ut intra quinquennium teneretur cessionarius recognitionem in dominum a directo dominio per publicas tabulas obtinere; si interim cautum, ut Vitus deberet annuos canones fratri Monaldo numerare; eumque a molestiis, si quæ a directo Domino inferrentur, liberare; si, recognitione in dominum intra quinquennii lapsum non impetrata, conventum fuit, ut Monaldo liceret ad jura redire, et ad emphyteuticorum bonorum possessionem remeare; si re ipsa ad formam initæ conventionis bonis emphyteutici dispoliavit Vitum Monaldus, qui eorum in possessione actu versatur; Si hæc omnia adeo certa sunt, et explorata, ut in discriminis aleam nequeant revocari: necessario consequitur, injuria Monaldus emphyteutam resistere Comiti Moronio Agenti ad obtinendas Canonis præstationes. Quod namque sub certa conditione conceditur, id sub contraria ademptum intelligitur, perinde ac si nihil ab initio actum esset, ut fusius probat secunda Causæ Decisio, quæ confirmatur § 6. Atqui extra controversiam est, nunquam celebratas fuisse tabulas recognitionis in dominum, quæ pro peculiari cessionis conditione conventæ fuerunt. Ergo evanuit cessio, nec nuquam Monaldus abjecit emphyteutæ qualitatem, ex qua ipse unus ad canonum solutionem mandati perpetui ope cogendus est.

6 Firmiora hæc sunt, tum ex Rejudicata, tum etiam ex Rescripto Rotaliquod, dein Reijudicatæ accessit. Rejudicata siquidem definitium est, non aliter cogendum esse Moronium ad stipulandas tabulas recognitionis in dominum, quam præstita a Vito idonea fidejussione. Neque id immerito constituit Resjudicata. Nam facultas quidem facta fuerat Monaldo emphyteutæ prædia emphyteutica distrahendi, dummodo tamen ex hac venditione non redderetur deterior conditio domini directi, atque is æque tutus, ac securus foret de canonum solutione, sed hujusmodi erat Viti conditio, ut nihil haberet in censu, nec tutum reddere dominium directum posset de canonis quotannis solvendi quantitate. Ideo recte demandatum fuit, ut satisdare cogeretur. At ille, quamvis mensis terminum haberet ad satisdandum, numquam tamen satisdedit, ac terminum ipsum perperam elabi passus fuit. Quapropter merito Sacri Ordinis Rescripto *per Memoriale*, veluti ajunt, edito in Comitiis diei *quartæ* Maii anni 1825, declaratum est non esse amplius locum petitæ, ac sub certa lege concessæ in dominum recognitioni. Nedum igitur numquam celebratum fuit Instrumentum recognitionis in dominum, sed ne celebrari quidem amplius potest ob ipsam Remjudicatam, et quod Reijudicatæ accessit, Rotale Rescriptum. Manet ergo emphyteutam, et canonis debitorem unum semper fuisse Monaldum, eumque, ob triplicem moram contractam, et triplex judiciale mandatum Moronio concessum, mandati perpetui indictione coercendum esse. Recolatur secunda Decis. § 9 et 10.

Solebat utique Monaldus in alii disputationibus ignorantiam jactare judiciorum: quæ adversus eum instituta fuere pro canonum solutione. Sed ridendum se præbuisset, si eadem ignorantia hodie proponeretur, cum exploratum sit procurationis mandatum eum dedisse Romanæ Curiæ causidico, ut defensionem pararet adversus actiones, et judicia omnia a Moronio instruenda. Ignorantiæ autem commentum plenius d tuunt, tum factum procuraturis, qui revera, Monaldi nomine a Moronio institutis restitit actionibus; tum judicialia mandata sub ejus oculis, ac domi suæ executioni commissa; tum pignora contra ipsum Monaldum capta; tum denique amicæ transactiones quoad refectionem expensarum cum eo initæ. Quod si interdum Vitus canones Moronio persolvit, id procuratorio fratris nomine egit, cum adhuc in incerto erat conditio adjecta cessioni. Si Moronius e contra pecunias exegit, id fecit absque ulla prorsus voluntate agnoscendi Vitum in emphyteutam, uti evincitur ex protestationibus emissis in syngraphis de recepto — *dichiaro di voler salve tutte le ragioni per gli Atti fatti, e da* 7

farsi –, contra *Monaldum* nempe, contra quem unum mandata jugiter petierat, obtinueratque Moronius ad canonis assequendas præstationes. Cæterum nil erat, cum Moronii vitio verti id deberet. Nulla ratio enim suadet, ut cogatur carere quis, et bonorum possessione, et eorum reditibus *Rota Decis.* 522 *num.* 15 *coram Molines Decis.* 266 *num.* 24 *coram Cerro, Decis.* 750 *num.* 8 *coram Eodem.* Nibil ergo proponebatur, cur aptanda bic, probatis extremis, non esset Pontificia sanctio de mandato perpetuo, quæ cæteroquin nec dura erat, dum prospicit creditorum indemnitati, ac debitores in officio continet, nec si aspera esset, ideo minus servanda foret, cum lex, utcumque dura, servanda, et implenda sit, quia lex est; *Rota in citata Decis. Romana Mandati perpetui* 13 *Januar.* 1823 *§ ult. coram Me.*

Et ita, relatione habita ad præcedentem Decisionem, et denegata dilatione a Monaldo Leopardi petita judicatum est.

ROMANA LAESIONIS

Mercurii 10. *Decembris* 1828.

ARGUMENTUM

Laesio, juxa novissimas Pontificias leges, municipalibus sanctionibus abrogatis, ex jure communi est desumenda ; ad cujus tramites, enormissima est, si emptor minus triente justi pretii rei emptae persolvit, enormis vero si minus semisse hujus pretii fuit solutum. – Aedium valor desumendus est e pensionibus, pro quibus locatae sunt, vel locari possunt.

SUMMARIUM

1. *Enormissima laesio est quando emptor minus triente justi pretii rei emptae persolvit – Enormis vero si minus semisse hujus pretii fuit solutum.*

   Emptiones etiam sub corona expletas irritas reddit si sit enormissima, earum rescissioni dat causam si sit tantum enormis – ibid. –
2. *Ad excludendam laesionem spectanda est pensionum quantitas de tempore quo aedes venditae fuerint.*
3. *Ad pensionem justam statuendam de eo tempore quo domus fuit vendita, (si dominus eam retinebat Periti viri sunt deputandi.*
4. *In æstimatione facienda servandus est modus constituendi, scilicet in scutis centum in singulo scuto quatuor pensionis*
5. *In defectu pensionis domus de tempore quo fuit sub hasta vendita: Computandae sunt pensiones, quae illo tempore proximo ante et post venditionem facile erant inveniri.*
6. *Fundorum valor praefiniendus juxta pecuniarum usuram.*
7. *Censuales codices impotes sunt ad bonorum valorem constituendum.*
8. *Quando in domus emptione perspicua enormis laesio apparuit, jus venditori est assequendi ab emptore supplementum justi pretii.*

DECISIO CCCXLI.

Anno 1817 cum Marchiones Antonius, et Philippus fratres Ossoli, ad communis substantiæ divisionem devenerunt, in ea bonorum portione, quam sibi selegit Philippus, comprehensa fuit inferior diæta domus positæ in Via – *Tor de' Specchi* –, cum rhedario, equili, fœnili, cella vinaria, aliisque adnexis, quam ab anno usque 1789 conductam retinebat sub annua pensione scutorum *sexaginta* familia Primoli; reliqua vero ejusdem domus pars, superior nempe diæta, cum cænaculis super laqueari extructis, rhedario pariter, fænili, equili, cella vinaria aliisque adnexis, remansit, una cum altera prædictæ substantiæ portione, Antonio, qui in ea, una cum uxore, ac liberis ab anno usque 1810, inhibitabat ; hæc autem domus pars locata antea fuerat cuidam Bionduccio, ab anno 1778 pro annuis scutis *septuaginta quinque*, ac dein ab anno 1801 pro eadem pensione cuidam Squaglia. Ne cogitarunt quidem prædicti fratres in ea perficienda divisione de utriusque partis domus pretio constituendo babito respectu ad pensiones, quæ ex utraque, juxta præsentem rerum statum, retrahi potuissent, quia non agebatur de aliquo contractu cum persona *tertia* super eis ineundo, et sat ipsis fuit, in earum addictione uni, vel alteri portioni, ut relatio haberetur ad

earum qualitatem, de tempore divisionis, quæ qualitas optime desumi poterat e pensionibus etiam super eis jam longe antea conventis.

Domus partem sibi obventam locare Philippus perrexit, ejus pensionem augens, ita ut anno 1823 hæc ad annua scuta *septuaginta octo* perveuerit. Antonius vero constanter prosequutus fuit in habitatione alterius partis ejusdem domus, quæ ei obtigerat; quare occasio defuit constituendi conveniens ei pensionis augumentum. At anno 1824, ob quoddam debitum, quo ipse Antonius gravabatur, exequutionem super ea domus parte pati debuit, eamque sub corona positam distractamque videre die 3 Februarii illius anni coactus fuit. Tres tantum ad hastam accesserunt licitatores, aliosque vicit Philippus Danesi, qui scuta obtulit *quingentum quinquaginta*; ex quo ea pro hoc tenui pretio fuit ipsi deliberata. Sed ferre id noluit Præsul Trevisani, tunc patrimonii Marchionis Antonii Æconomus, qui, postquam e relatione Architenti Navona compertum habuit prædictæ domus partis valorem, in calculo habitis restaurationibus ad eam necessariis, assurgere ad scuta saltem *bismille*, quæ redigi poterant ad scuta 1800 ex causa dislocationum, instaurationum, et vectigalium, adiit die 31 Martii ejusdem anni Tribunal A. C. postulans adversus Danesium, ut irrita declararetur deliberatio illius partis domus, ex læsione enormissima, vel saltem ejus demanderetur rescissio ob læsionem enormem. Tum vero A. C. Triumviri, post rei examen susceptum, diuque prosequutum, ut tutius ad controversiæ definitionem procederet; munus tribus Peritis dedere eam domus partem æstimandi, ac referendi etiam super qualitate, et valore operum, quæ in ea Danesius interim perfici curaverat.

Prodiit Peritorum relatio die 28 Maii 1826, in qua ipsi, habito respectu ad domus conditionem de tempore ejus æditæ relationis, controversæ ejus partis pensionem assurgere posse judicarunt ad annua scuta 162, atque ex hac summa deductis scutis *duodecim* in singula *centum*, nomine defectus locationum, expensarum pro restaurationibus, et solutionis vectigalis, aliorumque onerum, super pensionis reliquo domus pretium ita constituerunt, ut caput scutorum *centum* deduceretur e singulis scutis *sex* reliquæ illius pensionis, et ideo summam conficeret scutorum 2376. Quo autem ad opera, a Danesio in domo expleta post hujus assequutam deliberationem, ea scutis æstimarunt 1019. 86½ quæ tamen haud omnia e predicto domus pretio pro Danesio detrahenda esse censuerunt; sed subductionem tantum probarunt scutorum 683 31 pro operibus, quæ reapse domus conditionem meliorem reddiderunt, exclusis scutis 212 87½ pro operibus ad ordinariam manutentionem domus spectantibus, et scutis 123.67½ pro operibus ad luxum tantum confectis, hinc domus pretium ad scuta 1692 et ob. 69 cohibuerunt. Sat superque hoc pretium fuisset ad inducendam læsionem enormissimam, nempe ultra *bessem* in deliberatione domus, pro qua Danesius scuta tantum solverat 550 sed Præsul Colapietro, abrogatis A. C. Triumviris suffectus, integram summam scutorum 1019 86½ pro Danesio deduxit, atque ita, domus pretio redacta ad scuta 1356 13½ læsionem tantummodo enormem, scilicet præter *semissem* adversus eum admisit definitivo Decreto, lato die 3 Julii anni 1827, ac ipsum damnavit ac supplendum pretium usque ad prædictam summam, ac restituendos Antonio fructus deficentis summæ a die motæ litis.

Ab hoc judicato provocavit Danesius ad S. Nostrum Ordinem, ac ei res bene cessit; nam Patres, qui suffragia tulere, non alium controversiæ Domus parti pensionum tribuere, quam antiquam illam de anno 1778 in annuis scutis 75, ab ea deduxerunt scuta *novem* ad rationem scutorum *duodecim* in singula centum, atque ideo, ea cohibita ad scuta 66., quamcumque læsionem excluserunt a prædicta deliberatione, tam si domus pretium

constitueretur in scutis *centum* in singula *octo* pensionis, quam si statueretur pariter in scutis *centum* in singula *sex*, uti videre est ex Decisionibus editis die 10 Decembris 1827., ac die 7 Martii labentis anni a R. P. D. Meo Muzzarelli, quas subsequuta fuit Rotalis Sententia ab ipso obsignata. At aliud senserunt Patres; quibus in ulteriori gradu appellationis controversiæ definitio commissa fu t: mo enim quærente = *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.*, post judicium ad *Quintum et Sextum* ampliatum domus pretium, a Danesio solvendum, ad rationem scutorum *centum* in singula scuta *sex* pensionis, quam mereri domum putarunt deductis omnibus deducendis, præfinierunt in scutis 1218, et cum nil præter scuta 550 fuerit a Danesio repensum hodie responderunt = *Sententiam esse infirmandam, constare de læsione enormi, et esse locum suppelemento pretii in scutis* 1218 =.

1 Læsio siquidem, cujus modus, juxta novissimas Pontificias Leges, municipalibus sanctionibus abrogatis, ex Jure communi est desumendus, quæve ideo enormissima est, si emptor minus triente justi pretii rei emptæ persolvit, enormis vero si minus semisse bujus pretii fuit solutum, ad *Text. in L.* 2 *C. de rescindenda vendit., Zanchius de Læsione Cap.* 3 *num.* 46 *et* 48 *et Rot. Decis.* 89 *num.* 25 *cor. Falcon. de Miscellan.*, emptionis etiam sub corona expletas irritas reddit, si sit enormissima, earumque rescissioni dat caussam, si sit tantum enormis *Posth. de subhastatione Inspect.* 59 *num.* 5 *et Rot. in recent. decis.* 51 *num.* 1 *part.* 17.; *in Romana læsionis* 27 *Martii* 1767 § 7 *coram Mannell.*, *in confirmatoria* 25 *Jannarii* 1768 § 7 *coram Eodem in Romana læsionis* 3 *Julii* 1795 § 7 *cor. Malvasio.* Videndum itaque quantum reapse fuerit partis domus a Danesio ad hastam acquisitæ pretium, ut pateat, cum ipse pro ea solverit scuta 500, an læsione ulla hæc emptio laboret, ac si læsionem in ea intervenisse constet, cujus hæc generis sit.

In bujusce vero pretii constitutione 2
duo firmiter Patres tenuere, ad tramites etiam superiorum in hac Causa Decisionum; *primum*, scilicet, ædium valorem, juxta receptam apud S. Nostrum Ordinem consuetudinem, desumendum esse e pensionibus, pro quibus locatæ sunt, vel locari possunt *Rot. in Romana læsionis* 5 *Julii* 1822 *num.* 7 *coram Emo Isoard in Romana læsionis* 19 *Junii* 1826 *numer.* 6, *et* 30 *Martii* 1827 *num.* 5 *cor, Eodem, et in Romano restitutionis in integrum* 21 *Aprilis* 1825 *num.* 5 *cor. me.* Videnda prior in Caussa decisio § 2, et *Secundo* § 7 *alterum* spectandam esse pensionum quantitatem eo tempore, quo ædes venditæ fuerunt, quia earum æstimatio, babito tantum ad boc tempus respectu, ad inducendam, vel excludendam læsionem, attendenda est ad *Text. in Leg.* 19 *ff de regulis juris, et leg. si voluntas Cod. de rescindenda venditione; Mascard. de probat. Concl.* 960, *Constant. Vot. decis.* 189 *num.* 26, *Rot. in Nullius, seu Carraricn.* 6 *Junii* 1757 *numer,* 7 *coram Bussio*; *in Romana seu Nepesino læsionis* 6 *Junii* 1817 *num.* 6 *coram Serlupi*; *in Senogallien læsionis* 8 *Maii* 1818 *num.* 5, *et in confirmatoria* 30 *Aprilis* 1819 *numer.* 4 *coram Rmo Tiberj*, *in Recineten. læsionis* 22 *Septembris* 1824 *num.* 2, *et in confirmatorio* 7 *Martii* 1825 *numer.* 5 *cor. me.* utraque videatur præcedens in Caussa decisio, *primo* num. 4 *et oltera num.* 5.

Hisce positis, cum die 3 Februarii 3
anni 1821, quo tempore pars domus, de qua agitur, fuit erga Danesium deliberata, nulla esset hujus pensio, quia nemini hæc erat locata, sed in ea Marchio Antonius Ossolius cum uxore filiisque degebat, oportuit primum a Dominis constitui qua pensione ea tunc potuisset locari. Merito enim in pretio habendam haud esse putarunt pensionem ei tributam in annuis scutis 162 a peritis a Tribunali A. C. deputatis, quia ipsi respexerunt ad statum, et conditionem domus de anno 1826, quo tempore Danesius, illius Dominus effectus a mense Februarii anni 1824,

plura in ea opera perfici curaverat, insumptis in hanc caussam scut. 1019 86 ½ ex quo ejus valorem, pensionemque ei convenientem, quam maxime adauxerat. Eoque magis spectari nullo modo posse statuerunt antiquam illius partis domus pensionem, eam scilicet scutorum 75 in singulos annos, pro qua locata extiterat ab anno 1778 ad annum 1810, quo Antonius ad eam inhabitandam se contulit; ab hoc enim anno ad annum 1824, praesertim post Gallos expulsos ab Urbe, ac Pontificium in ea restitutum Imperium, notissimum est aedium pensiones adeo adductas fuisse, ut earum mensura duplicata etiam extiterit,

4 Et sane, si domus pretium constituendum esset habito respectu ad ejus antiquam pensionem scut. 75 servandus esset etiam antiquus illius constituendi modus, scilicet in scutis *centum* in singula scuta *quatuor* pensionis, subductione ex hac facta scutorum *quinque* in quodque ejus scutorum *centenarium*: Rota passim et praesertim in *Tyburtina Salviani* 4 *Julii* 1753 § 13 *coram Matthei*, *in Romana Domorum super damnis* 20 *Aprilis* 1787 § 19 *coram Malvasia*, *et in Narnien. Fideicommissi super fructibus quoad liquidationem* 12 *Junii* 1797 § 6 *coram Gardoqui*. Ex quo consequeretur, quod domus valore, ab omni subductione immunis, ad scuta assurgeret 1794 et obulos 50, ac ideo non enormi tantum, sed etiam enormissima laesione infecta dicenda esset, ejus erga Danesium deliberatio.

5 Nec in defectu pensionis domus de tempore, quo fuit sub hasta vendita, uti etiam de tempore huic venditioni proximo, poterat juxta legem Edictalem diei 11 Maii anni 1826. Artic. 14., munus dari Peritis ut constituerent pensionem, quam mereri poterat, dum fuit distracta, ac exinde ejus desumerent valorem; post namque plurium annorum cursum, et ejus statum ex operibus in ea a Danesio expletis prorsus immutatum dignosci nequit, quae ejus fuisset de eo tempore conditio; atque ex eadem ratione posthabendo fuit extrajudicialis relatio Peritorum ab Antonio prolata, qua illi tribuitur, habito ad illam epocham respectu, pensio annorum scutorum 125. Quapropter optimum fuit Dominorum consilium, praedictam praefiniendi pensionem pro ratione augumenti, quod ab anno 1817, quo fuit integra domus inter fratres Antonium, et Philippum Ossolios divisa ad annum 1824 habuit pensio illius partis, quae Philippo obtigit, nempe scutorum *triginta* in unum quodque centenarium, quia haec pensio, quae erat scutorum 60., dum fuit divisio expleta, aucta fuit anno 1823 ad annua scuta usque 78. Hinc, itaque pensionem alterius partis domus, in qua Antonius ab anno 1810 degebat, ac de qua agitur, e scutis 75, pro qua summa ab anno 1778 ad eum annum 1810 constans fuerat, ad scuta saltem 97 50 anno 1824 assurgere debuisse merito statuerunt.

Ex hac igitur pensione scutorum 97 50 domus valorem desumendum esse Patres decrevere. Quo vero ad modum ineundi super ea calculum, ex quo caput emergit huic valori respondens, definiendum ab ipsis fuit an spectanda esset ratio *bessalis*, ex qua singula scuta *octo* pensionis dant scuta *centum* capitis, seu potius ratio *semissalis*, quam juxta, dedoctis e pensionis summa scutis *duodecim* in unum quodque ejus centenarium, nomine manutentionis, defectus locationum, et solutionis vectigalium, aliorumque onerum, ex ejus reliquo scatet caput scutorum *centum* in singula hujus reliqui scuta *sex*. Fuit vero *bessalis* ratio statim rejecta, quia, si haec aptari potuit aestimationi aedium, quae venditae fuerunt, dum ob praeteritam Gallorum Pontificiae Ditionis infandam usurpationem, ac teterrimam publicarum rerum subversionem, ad mensuram usque *dextantem*, atque etiam *centesimam*, excreverat, nec reprobabatur pecuniae usura, ad cujus normam praefiniendus est fundorum valor, qui ex harum redditu desumitur, non potuit pariter aptari aestimationi domus, quae distracta fuit anno 1824, quo tempore, post 6

plane restitutam civium tranquillitatem, socialemque ordinem, usuram excessus cessaverat, et pecuniæ passim tradebantur ad foenus, modum *quincuncem* aut semissem ad summum haud excedens. Quare nil obesse Ossolio poterant per plures S. N. Ordinis Decisiones, in ædium æstimatione *bessalem* illam rationem admittentes, quia omnes agunt de earum venditionibus jam pluribus ab hinc annis initis, sicuti Sacrum Nostrum Tribunal aperte declaravit in novissima Decisione *Romana læsionis diei* 24 *Novembris hujusce anni* 1828 *coram R. P. D. Meo Mazzarelli*, in qua, etsi ad inducendam læsionem in domus ad hastam venditione sub die 15 Augusti 1819, *bessalem* rationem in ejus pretio constituendo probaverit, tamen sub hujus Decisionis § 3 et 4 statuit *bessalem* hanc pretii præfiniendi rationem prorsus esse riiciendam, si de ædium venditionibus agatur, expletis post annum 1820, et post pecuniæ usuras ad æquam monsuram reversas.

7 Quin aliter sentiendum esset ex eo quod Pontificiæ Leges annorum 1801, et 1808, dum novum vectigal = *Dativa reale* = induxerunt, ac census renovationem præscripserunt, valorem ædibus tribuendum esse jusserunt, ea servata *bessali* ratione; nemo enim nescit censuales Codices impotes esse ad bonorum valorem constituendum *Rot. decis.* 390 *num.* 13 *port.* 17 *in Recen. dec.* 670 *num.* 26 *cor. Olivatio, et dec.* 474 *num.* 5 *coram Eod.* Quod si ædium pretium statuendum esset juxta recentes Pontificias Leges, non ex Legibus prædictis ferri deberet judicium, sed ex Motu proprio diei 16 Julii anni 1816, quo sub *Articulo* 130 statutum fuit quod ædium pretia desumi deberent = *dal reddito delle pigioni calcolate al* 5 *per cento* =; atque ex Lege Edictali SSmi Principis feliciter Regnantis diei 11 Maii 1826, qua sub Art. 14 sancitum fuit = *il primo prezzo dell' Asta de' fondi Urbani sarà del sei per cento lordo, desumendone la rendita dall' attuale contratto di affitto in mancanza di quest' ultimo, se sarà recente* =: quæ leges *bessalem* rationem prædictam omnino excludunt, et *semissalem* alteram ad summom probant.

Rejecta itaque ratione *bessali*, eaque *semissali* admissa, cum pensio partis domus a Danesio emptæ fuerit statuta in annuis scutis 97 50, facta ex hisce deductione scutorum *duodecim* in singula *centum* pro restaurationibus ordinariis, intermissione locationum, et solutione onerum, et ideo, detractis scutis *undecim*, *et obul.* 73 reducitur hæc pensio ad scuta 85, et obul. 78, e quibus, ad *semissalem* rationem, caput, seu domus pretium emergit in scutis 1431 a qua summa, cum Patres censuerint subducenda etiam esse scuta circiter 213, quot e peritorum, quos Tribunal A. C. deputavit, relatione apparuit a Danesio impendenda fuisse in ejus necessarias restaurationes, remanet idcirco hoc pretium in quantitate scutorum 1218. Quare, cum Danesius in ejus caussam scuta tantum persolverit 550, perspicua est enormis læsio in domus emptione, cujus consequens est, quod sit Marchioni Ossolio jus assequendi a Danesio in illius pretii supplementum scuta 668, quæ ullo absque jure, a die saltem motæ litis, ipse Danesius retinuit. Prætensa deductio trientis pretii pro tertio ad hastam acquirente adeo Patribus quovis fundamento destituta visa est, ut eam ne ullam quidem refutationem mereri putaverint; cum præsertim Decisiones etiam in hac Causa Danesio secundæ nullo prorsus in calculo hanc deductionem, pro adjudicatario tantum admittendam, quoad ipsum habuerint. 8

Et ita etc., cum *quinti et sexti* suffragio, jus dictum fuit, Utraque etc.

ROMANA

NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 18 *Aprilis* 1828.

ARGUMENTUM

Pontificiae Constitutiones, quas evulgarunt *Clemens XI*, *Benedictus XIV*, *et Pius VI*, irritos

declarunt contractus quoscumque de omni frugum genere initos certo determinato pretio ante messem, utcumque jurisjurandi religione contrahentes ad illorum implementum sese devinxerint.

SUMMARIUM

1. *Prohibita est venditio frugum ante messem vel aliorum fructuum ante recollectionem, etiamsi ad implementum contrahentes jure jurando sese devinxerint.*
2. *Qui emit minori pretio triticum, turcicum frumentum aliumque rem, traditionis tempore plus valituram, hoc ipso in usurariam incidit pravitatem.*

   Constitutiones plurium Pontificum tales contractus reprobant, quippe qui sunt contra populi salutem, quae suprema Lex est. – ibid. –
3. *Ad talem nullitatem inducendam tria extrema concurrere debent ut nimirum facta sit emptio ante messem,* praefinito et certo pretio, et inter agrorum cultores.
4. *In contractibus aequalitas inter contrahentes servanda.*
5. *Societas non praesumitur nec Inita dici potest quando Contractus factus sit contra naturam atque indolem societatis.*
6. *Ubi diversa concurrit ratio, ibi diversa quoque locum sibi vindicat definitio, neque sunt quaestionibus aptanda Sacra Tribunalis oracula nisi quando simul conveniant rerum factorumque circumstantiae.* Et num. 7.

DECISIO CCCXLII.

Ad exitum vergente mense Januario superioris anni, per privatam syngrapham Philippus Narducci, agrorum culturæ addictus, modia *tercentum* avenæ, ex latifundio = Scorano = in agro Romano posito recolligendæ, vendidit Cajetano Paris pro pretio scutorum *duo*, ac obulorum *quinquaginta* in singula modia, quorum *quinquaginta* supra *septingenta* Narduccius inter stipulandum ab emptore recepit. Inter alia pacta, quibus assentiti contrahentes fuere, nominatim cautum fuit, ut sumptibus suis venditor teneretur avenam Romam transmittere intra mensem Julium prædicti anni, eamque in emptoris horreo reponere. Cautum præterea, ut eo pretio deinceps avena distraheretur, quo in commercio veniret: adeo ut, si quid lucri præter pretium jam constitutum in venditione fieret, hoc esset ex æquo venditorem inter, ac emptorem diribendum. Nil tradidit stato tempore Narduccius, qui ideo, cum ad urbanos fuisset Commercii, et mercatorum Judices traductus, ut vel oneri satisfaceret suo, vel pretium acceptum restitueret, simulque damna reficeret emptori obventa ex omissa avenæ traditione, peculiarem coram Præsule A. C. Colapietro instituit actionem de nullitate contractus ac Sententiam votis suis consonam retulit. Provocatione a reo convento interposita, controversiæ cognitio conscendit ad Sacrum Ordinemi Nostrum, ubi scissis primum in Comitiis diei 28 Martii suffragiis, anceps ibæst judicium; hodie vero, Patribus usque ad *sextum* rogatis, Dubii formulæ bis verbis conceptæ, nimirum » *An constet de nullitate contractus in casu etc.* = Ipsi responderunt » *Affirmative.*

Olim quidem leges Romanorum has 1
emptiones venditionis fructuum adhuc virescentium nominatim non vetabant, ac licebat ex *leg.* 8 34 78 *ff. de contrahen. empt. et leg.* 26 *ff. de act. empt.* fructus in herba mercari, propterea quod priscis moribus, ex amplitudine Imperii, ac magnis frumenti advectionibus a Sicilia Ægypto, aliisque Provinciis, nec frequentes erant immaturarum frugum emptiones, nec eo studio, et causa iniri solebant, ut frumentum penes paucos redactum annonæ caritatem secumferret, et immodico pretio venderetur cum gravi populorum jactura. At sequioribus sæculis generatim vetitum fuit omne monopolium, eoque nomine iniqui cuncti contractus, scelestique eorum conatus reprobati fuerunt, qui coemptas merces occultant, ut carius deinde vendant, et quoquo modo annonæ, publique alimoniæ, infecunditatem agrorum frumentique penuriam desiderantes, insidiari videntur. Huic providentiæ, quæ continetur in *legem Annonam* 6 *ff. de extraord. crimin.* adstipulata postea est celebris *Novella XXXII.*, ac utraque sanctione, si non verbis expressis, ex vi saltem, et spiritu legis

in eo graviter animadversum est improbos dardanarios, qui certo pretio spe lucri non tenuis illecti, immaturos emunt fructus, quique non minus numero, quam iniquitate contractuum pauperes faciunt agricolas, agrorum culturam impediunt, et in discrimen adducere hominum vitam conantur. His de causis apud cultiores Europæ nationes severissimis pænis jam pridem interdicta fuit emptio venditio frugum ante messem, vel aliorum fructuum ante recollectionem certo pretio constituta, veluti ex Doctorum auctoritate arguit præ cæteris Sacer Ordo in *Ferrarien. Exequutionis Contractus super I. Dubio* 3 *Junii* 1822 *coram Rmo P. D. Tiberi* apud Catholicum Hispaniarum Regem Sanctæ Sedis Oratore.

2 Cum imo, qui praenumerata pecunia emit minori pretio triticum, turcicom frumentum, aliamve rem, traditionis tempore pluris valituram, eum hoc ipso, in usurariam indicat pravitatem, quia ob dilatam rei traditionem, sc datam in antecessum pecuniam, quasi ex palliato mutuo, plus exegit, quam revera debeatur, eum ideo faenus, ut usuras patrare statuunt rei Ecclesiasticae Scriptores, quos inter *Div. Thom. in secund. quæst.* 78 *art.* 2. *Fagnan. in cap. ult. de usuris num.* 4, *Leotard. de usuris quæst.* 8 *num.* 27 *Gonzales in Comment. ad dict. cap. ut ult. de usur. num.* 2 *Gagliard. Instit. Jur. Can. lib.* 4 *tit.* 17 *num.* 87 *Reinfestuel in Jus Can. lib.* 5 *tit.* 19 §. 6 *num.* 100, *Panimoll. Decis. Eccles. part.* 2 *decis.* 50 *num.* 7. Supervenerunt demum, tum Pontificiæ Constitutiones, tum Leges Edictales, quarum prima ea est, quam evulgavit S. M. Pontifex Clemens XI., et cujus ope interdixit; irritosque declaravit contractus quoscumque de omni frugum genere initos determinato pretio ante messem, utcumque jurisjurandi religione contrahentes ad illorum implementum sese devinxerint. Vestigia Antecessoris sui pressit immortalis memoriæ Pontifex Benedictus XIV., ac is pariter contractus hujusmodi reprobavit, atque prohibuit. Nec secus jussit Pius VI., qui ex Edicto anni 1793 acriter illorum avaritiam increpavit, qui monopolia ista exercere in annonæ detrimentum non verebantur, iterumque observantiam veterum legum, ac Constitutionum tales contractus frugum, aliarumque rerum certo pretio ante messem prohibentium, præscripsit. Fastigium denique his Legibus imposuit recolendæ memoriæ Pontifex Pius VII. Lege Edictali ad diem *septimam* Augusti anni 1816 evulgata, ubi præcedentes aliorum Pontificum hac de re leges retulit, nihilque eis detractum, aut derogatum fuisse dixit Constitutione sua initio Sacri Principatus anno 1800 edita, ex qua licet nonnulla sublata fuerint incommoda, quæ invectæ commercii libertati obstare videbantur firmum attamen, ac integrum servatum fuit quidquid his Legibus sanciebatur adversus contractus jure improbatos, ac quidquid populi salutem, quæ suprema lex est, quoque modo respiciebat.

Atque tria illa extrema, quæ tam 3
veteres, quam recentes Leges præstiterunt ad renunciandam contractus nullitatem, ut nimirum *ante messem*, *certo rursus*, *ac præfinitio pretio*, ac demum *inter agrorum cultores* initus fuerit, in subjecta specie confluebant, simulque exigebant, ut ad Legum tramites irrita stipulatio decerneretur. Apochæ enim contractus subscripserunt contrahentes exeunte Mense Januario superioris anni, et in pactum deduxerunt fruges proximo mense Julii recolligendas, pretio certo constituto scutorum *duo* et obulorum *quinquaginta* in singula avenæ modia. Quidquid de emptore avenæ sit, venditor sane Narduccius agrorum culturæ vacabat, ac vacat etiam in præsens, ideoque non poterat hujusmodi negociationibus implicare. Quod autem dicebatur, pretium determinatum, ac certum censeri non posse, propterea quod *condizionale* a contrahentibus appellabatur, et præterea pacto convenerat, ut si quid lucri fieret sopra prædictum pretium scutorum *duorum*, et obulorum *quinquaginta* in singula modia, ex æ-

quo illud dividendum inter emptorem, ac venditerem feret, id tanti nen fuit, ut Patres ab eorum sententia dimeveret. Animadvertebant enim verbum illud *condizienale* per emptoris sagacitatem apochæ centractus adjectum fuisse, ad legentes illudendes, pretium vero constitutum in scutis *duo* et ebulis *quinquaginta* in singula avenæ modia adee tenue, quod cæteroquin conditionali valori repugnabat, atque exile fuisse, ut nil utilitatis afferre posset Narduccie, nec usurariam pravitatem abstergere, quam empter patrare voluerat. Avena siquidem ad tempus ipsum stipulationis scutis *quatuor*, et obulis *viginti* in quodlibet medium æstimabatur.

4 Verum utcumque uberrime futura esset hujusce mercis recollectie, nunquam tamen adco deprimi peterat ejus valer, ut vix ad scuta *duo*, et ebules *quinquaginta* pre medio quolibet perveniret; cum præcipue eptimæ conditionis avena in contractum deducta fuerit, seduloque rautum, ut diligenter cribrarctur nec esset aut vicis, *tappa* permixta. Quin imo ex proxenetarum testimeniis constat avenæ pretium ad mensem Septembris pervenisse ad scuta *quinque*, et ebules *quinquaginta*, et ultra; ita ut *tercentum* avenæ media ingentem reddidissent summam scuterum *mille sexcentum quinquaginta*, a qua deductis scutis *septingentis quinquaginta* ab emptore antea traditis, superfuissent scuta *nongenta*, quæ in duas æquas partes divisa non leve eidem empturi lucrum attulissent, absque ullo commodo, atque periculo, scutorum *quatuor centum*. E converse, etiamsi commercii vices tulissent, ut ad tempus recullectionis avenæ pretium non exsccderet scuta *due*, et ebulos *quinquaginta* in singula modia, in boc nihilo secius casu tota jactura venditeris fuisset, nihilque empter amisisset de patrimonio suo. Erat ergo istum fabrefactum negocium ut posset quidem emptor qnestum facere non autem damnum sentire. Illud namque semper observandum est, pretium merci addictum adeo tenue fuisse, ut foret pene impossibile ad tempus tenditionis, minoris, quam empta fuerit, avenam æstimari. Nihil propterea detrabit pretio in certa summa constituto pactio dividendi lucri, si ex avenæ venditiene elicitum fuisset, eamque ad rem coloraudam, et cehenestandam, nen ad veram inter contrahentcs servandam æqualitatem, interpositam fuisse necessarie cencludi debebat.

5 Qui tamen a partibus erant emptoris Cajetani Paris, non emptienem venditionem, sed secietatem fuisse contractam centendebant exemple *Leg. si Margaritam* 44 *ff. pro socie*, ubi rogatus Jurisconsultus *Ulpianus* an actio *pre socio* competeret in casu, que Margaritam quis vendendam alteri hec pacte tradiderat, ut si vendidisset, redderet ei *decem*, si pluris, quod excederet, ille sibi retineret, illice respondit, actienem esse *pra socie* sin minus *præscriptis verbis*, si animo contrahendæ societatis id actum sit. Sed adee secietatis exceptie pugnat cum apochæ verbis, ut ejus initio apprime legatur Narduccium *vendere* Parisie modia avenæ *tercentum* ex conducto latifundie recolligenda. Pugnat etiam cum pactis, quæ udjecta apochæ fuerunt, cum eoque præsertim, ex que cenvenit, ut sumptus omnes cribratienis, ac transportatienis avenæ eneri essent unius Narduccii absque ulla prorsus cura Parisii. At id maxime est contra naturam atque indelem secietatis, in qua sumptus omnes, lucra, et damna inter socios dividenda sunt, æqualitate ita servata, ut unusquisque seciorum eam lucri, et damni partem habeat, quæ propriæ cujuslibet cellatieni, sive hæc sit in penuria, sive in opera, ad unguem respondeat *Leg. Si nen fuerint* 29 *ff. pre socie*, *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 6 *tit.* 14 *num* 35 *Zanch. de Societate part.* 2 *cap.* 7 *num.* 153 *Rot. in Cæsenaten. Societatis* 9 *Februarii* 1827 §. 7 *cor. Me.* Etiamsi vero recipi societatis commentum posset, æque irrita, ac nulla ea esset judicanda, tum quia nen minus veteres leges, quam nuperrima sanctie anni 1816 omnes, et cujuscumque generis interdixerit contra-

ctus certo pretio ante messem, et quoscumque alias, qui læsione, et usuraria pravitate inquirentur; tum etiam quia hujusmodi societas, ita ex demonstratis inter Parisium, et Narduccium contracta, ut priori lucrum quidem, non autem damnum obveniret *leonina* esset, *et ad caput*, ut inquiunt *salvum*, quæ omni jure reprobatur *Zanch. de societate cap.* 5 *et* 6 *per tot.*

6 Nec hæc convelli possunt recentibus Sacri Nostri Ordinis responsis *in Ferentina Nullitatis Contractus* 13. *Maii* 1835 *et* 27 *Januarii* 1826 *cor. bo. me. Martinez*, *et* 10 *Decembris* 1827. *cor. Rmo P. D. Meo Decano*: In casu enim illarum Decisionum ideo fuit contractus ab omni, vel læsionis, vel nullitatis labe vindicatus, quia non agebatur de re inter agrorum cultores acta, sed de negociatoribus, quos præcipue juvabat, atque turbatur encyclica litera jussu S. M. Pontificis Pii VII. a Cardinali a Secretis Status edita ubi = *Informata la Santità di Nostro Signore, che si è data una sinistra interpetrazione alla legge pubblicata li 7 Agosto* 1816, *e confermata li 9 Agosta* 1817 *proibitiva dei contratti de' cereali a prezzo fisso innanzi la messe, e che si è da taluni preteso di estenderla ai contratti seguiti frà negozianti non agricoltori* = expressim verbis declaravit = *che la detta legge non ebbe altro scopo, come chiaramente manifesta la causa finale, ed animativa di essa, che quello di proibire i contratti cereali in erba, che si fanno dagl' incettatori, manopolisti a danno, e soffocazione dei coltivatori delle campagne, e nan mai di camprendere quei contratti che si fanno tra negozianti, n'uno de' quali sia agricoltore* = Accedit verum societatis contractum in casu illarum Decisionum inter Andream De Cesaris et defunctum Præsulem Dominicum Lolli Ferentinates initum fuisse, adeout, non modo lucra omnia, et damna ex æquo ferenda inter socios essent, sed ne possent quidem fruges, aut frumentum indicum vendi, nisi utroque Socio consentiente, atque plaudente.

7 Demum nec de certo, ac determinato pretio constituendo contrahentes in eo contractu convenerunt. Quamvis enim pretium aliquod utrique merci datum fuisset, id tamen non eo animo fecerant contrahentes, ut triticum indicum æstimarent in fraudem legis, quæ contractus frugum ante messem certo pretio probibet; verum uno consilio cognoscendi lucra, aut damna societatis, quæ contrahebatur, et in qua sæpe solent ad removendas quæstiones, capita omnia, quæ in eam immittuntur æstimari. Pretium porro ipsum, quod uni alterique merci adscriptum fuit, non hujusmodi erat, ut alteri ex contrahentibus lucrum certum, nullumque damnum pararet; talem imo continebat aleam; qualis se habere poterat quoad utrumque contrahentem æque ad damnum, et lucrum. Diversa est ergo thesis illa ab ea, quæ in præsens disquiritur, et nulla ac irrita Sacro Ordini jure merito visa est. Qua de re nil erat cur nullum antinomiæ vitium inter unum alterumque redditum a Sacro Auditorio judicium objiceretur. Ubi enim diversa concurrit ratio, ibi diversa quaquo locum sibi vindicat definitio: neque sunt quæstionibus aptanda Sacra Tribunalis Oracula, nisi quando simul conveniant rerum, factorumque circumstantiæ; quæ autem disparibus nituntur rationum momentis, in exemplum adducendæ non sunt, ut sæpe definitum est præsertim *decis.* 328. *n.* 11 *tom.* 3 *cor. Olivatio.*

Et ita Patres usque ad sex suffraganles judicarunt. Utraque etc.

ROMANA SEU VELITERNA

CESSIONIS
QUOAD PRIMUM DUBIUM
SUPER APERITIONE ORIS

Lunae 4. *Februarii* 1828.

ARGUMENTUM

Oris aperitio non aliter adversus Pontificium rescriptum concedi potest, quam si probetur obreptionis vel subreptionis vitio inquinari.

SUMMARIUM

1. *Bonorum municipalium dominium et administratio Pontificiae Dictionis, Communitatibus restituta fuit.*
2. *Sacra Boni Regiminis Congregatio rem utilem gerere potest absque nova Pontificis Auctoritate.*
3. *Validitas actus non infirmatur ex vitio Rescripti, si ad probationem tantum actus ipsius sit interpositum.*
4. *Non a qualibet narratione falsi vel reticentia veri vitium subreptionis et obreptionis deducitur.*
5. *Principes latere nequeunt leges, quarum sunt auctores.*
6. *Nil in precibus ad Rescriptum petendum increare potest reticitum, quoad imploratae gratiae substantiam.*
7. *Cessionarius in omnibus juribus cedenti succedit.* Et num. 8.
9. *Si contractus emphyteuticae nullitate vel laesione inficitur, emphyteuta injuste bona detinet.*

DECISIO CCCXLIII.

Una cum principe cessionis controversia, de qua agit coæva mea Decisio, bodie primum quæstio excitata est super oris aperitiune adversus Pontificium Rescriptum, quod cessionem ipsam probaverat. Qua de re data est illicn opera, ut Dubii formula disputaretur hisce verbis concepta, nimirum « *An sit locus aperitioni oris adversus Rescriptum diei* 24 *Septembris* 1817 *in casu etc.* »; quam cum ego dirimendam Dominis Meis exhibuissem, vadimonium Romano Romani deserente, Responsum retuli « *Negativum* ».

1 Si enim publicæ stipulationi diei primæ Octobris anni 1817 accessérat Sanctio Pontificia, ea quidem, non ad actus substantiam, et validitatem pertinebat, sed ad illius probationem dumtaxat. Ut legitime siquidem restitutionem bonorum, ad illud usque tempus non venditorum, et cessionem omnium jurium inirent, haud indigebant contrahentes nova Supremi Principis auctoritate, idqun poterant rite, recteque perficere ex legibus antea evulgatis super bonis municipalibus, et æris alieni solutione, quod ipsis bonis inhærebat. Ad memoriam profecto revocandum est, ex Motu proprio diei 14 Julii 1803 bonorum municipalium dominium Ærario publico fuisse aublatum, et singulis Status Ecclesiastici Communitatibus restitutum. Quin imo ex literis encyclicis diei 24 Decembris 1808. Pontificiæ Ditionis Communitates, tum possessionem, tum administrationem bonorum recuperarunt, sub expressa lege annuum eorum reditum Sacræ Boni Regiminis Congregationi tradendi, ad æris alieni solutionem. Jam vero, si in Municipium Veliternum, quemadmodum in cætera Status Ecclesiastici Municipia, tamen ex Motu proprio diei 14 Julii 1803, quam ex literis encyclicis diei 24 Decembris 1808, bonorum dominium, possessio, et administratio redierat, nihil novi, nihilque vetiti continetur in cessione Kalendis Octobris anni 1817 stipulata. Hac stipulatione id actum fuit, ut Communitas Velitrarum, ob annuam, certam, perpetuamque præstationem scutorum 1274 25, Sacræ Congregationi Boni Regiminis rependendam, bonorum non venditorum, omniumque jurium restitutionem, dominium, et administrationem assequeretur, nec amplius, aut fructus bonorum ei tradere, aut ejus mandata servare cogeretur.

In hoc igitur differt dumtaxat conditio Veliterni Municipii ab aliorum Municipiorum conditione, quod hæc quidem, quamvis in bonorum possessionem, et administrationem restituta, fructus nihilominus eorumdem bonorum Sacræ Congregationi tradere, et bona ipsa hastæ publicæ subjicere tenebatur, ad æs alienum luendum, dum Velitrarum e converso Municipium, onere annuæ præstationi suscepto, ita suorum bonorum, et jurium dominium, et administrationem ex cessione recuperavit, ut, nec fructus tradere, nec quidquam ex bonis conferre in solutionem æris alieni deberet. At hoc perficere Sacra Boni Regiminis Congregatio, quæ omnium bonorum Municipalium Administrationem retinebat, absque nova Summi Pontificis auctoritate poterat. Certius id poterat, quia 2

hoc modo rem utilem, tam creditoribus, quam cæteris Municipiis gessit. Nam, ope contractus diei 28. Junii 1808, jam utile omnium bonorum rusticorum Communitatis Velitrarum dominium in Valentinum, et Romanum germanos fratres Romani transierat, sub annuo canone scutorum 1261. Hi vero emphyteutæ, ob auctum publicorum vectigalium pondus, integrum repræsentare canonem renuebant, ejusque reductionem sibi debitam asserebant in annua saltem summa scutorum *quatuor centum*. Præter canonis detractionem sibi refici quoque postulabant damna emphyteuticæ rei illata. His nominibus sese creditores jactabant ingentis summæ scutorum circiter *septem millium* adversus ipsam Boni Regiminis Congregationem.

3 Contra vero Communitas Velitrarum dum ex cessione, Kalendis Octobris anni 1817 gesta, sese onere devinxit annuam, certam, perpetuamque præstationem scutorum 1274 25 solvendi, et periculum suscepit, tum imminuendi canonis, qui ab emphyteutis solvebatur, tum sarciendi præterea damna ab eisdem petita, nil aliud cessione prædicta consequuta fuit, quam annuum canonem scutorum 1261, et annuum reditum scutorum *quadraginta quinque* ex domunculis quibusdam elicendum. Perperam autem extolleretur compendium, quod obveniet Communitati Velitrarum, si contractus emphyteusis a Sacra Congregatione cum fratribus Romani initus rescindendus in posterum Sacro Nostro Ordini forte videatur. Uti namque arguit alia mea hujusce diei Decisio super validitate cessionis § 8, id pendet ab incerto litis eventu, qui potest uni potius, quam alteri ex litigantibus favere. Etiamsi faveat Communitati, rescissionem Emphyteutici contractus non poterit ea quidem obtinere, nisi postquam multos sumptus, ad litem agendam, ac ad exitum perducendam projecerit. Si itaque Sacra Congregatio, tam creditoribus, quam cæteris Communitatibus, rem utilem gessit, ope cessionis anni 1817, quæ rite, ac recte, seorsim etiam a nova Supremi Principis venia, fieri poterat ad tramites legum, quæ publici juris factæ fuerant; illud redit, quod initio constitutum est, Pontificium Rescriptum diei 24 Septembris ejusdem anni 1817, non ad actus substantiam, et validitatem, sed ad ejus probationem interpositum fuisse. Hinc sequitur, ut, licet Rescriptum ipsum vitio aliquo subreptionis, vel obreptionis laboraret, suis nihilosecius viribus consisteret cessio inita in vim punctim illarum legum, quæ sua quibuslibet Municipiis bona restituerant.

Viribus pariter suis cessio consisteret, utcumque fingeretur, post Motum Proprium diei 14 Julii anni 1803 bonorum municipalium dominium, non singulis Municipiis restitutum fuisse, illudque mansisse penes Sacram Boni Regiminis Congregationem, nec potuisse in quemlibet transferri bona, et jura, sive ad dominium, sive ad possessionem, sive ad administrationem pertinentia, nisi accedente Pontificis auctoritate. Non defuit enim in re nostra Pontificia auctoritas, eaque amplissimis verbis concepta fuit in Rescripto diei 24 Septembris anni 1817. Atqui, ad præsens judicium quod spectat, non aliter infirmari potest Pontificium hoc Rescriptum, et adversus illud concedi oris aperitio, quam si manifesto probetur obreptionis, vel subreptionis vitio inquinari; aut juribus tertio quæsitis præjudicium inferre *Rot. in Recent. decis.* 461 *num.* 6 *part.* 1, *decis.* 485 *numer.* 1, *et* 2 *part.* 4 *tom.* 2, *decis.* 53 *num.* 1 *part.* 19 *tom.* 1, *coram Olivatio decis.* 535. *num.* 1, *et decis.* 629 *num* 1 *coram Eodem.* Cum imo obreptionis, ac subreptionis vitium in hoc positum sit, ut narratione falsi, verique reticentia Supremus Princeps ita fuerit deceptus, ut, si rei veritatem cognovisset, vel gratiam non concessisset, vel difficilius concessisset, nemo propterea non intelligit, non a qualibet narratione falsi, et reticentia veri vitium obreptionis, ac subreptionis deduci, ac Principalem veniam infirmari, sed ab ea tantum, quæ rei respicit substantiam. *Rot. in decis.* 223 *num.* 2, *et seq. part.* 12, *et decis.* 28 *num.* 15 4

coram Olivatio, et decis. 516 *num.* 11 *coram Molines.* Jam vero nullum obreptionis subreptionisque vitium detegi potest in Rescripto diei 24 Septembris anni 1817.

5 Huic namque subscripsit San. Mem. Pius VII, postquam diligenter expenderat, atque cognoverat cessionis tractatum, ac preces ad se delatas pro gratia impetranda. In hujusce autem tractatus scriptura, quam, nedum Cardinalis Albanius, tunc Sacræ Congregationis Præfectus, sed etiam clar. mem. Cardinalis Matthæjus, tunc Sacri Collegii Decanus, et Velitrarum Antistes proprio, quisque pro suo munere, charactere firmaverant, minutissimæ omnes circumstantiæ expositæ fuerunt, ex quibus causa, indoles, ac natura futuri cessionis contractus erueretur. Preces item, nomine non minus Sacræ Congregationi Boni Regiminis, quam Velitrarum Communitatis, porrectæ Sacratissimo Principi, et tractatus scripturæ adjectæ, indolem retexebant stipulandæ cessionis, ac de literis encyclicis meminerant, quarum vi, non modo dominium, sed ipsa etiam bonorum administratio, Sacræ Congregationi antea reservata, Municipiis omnibus restituta fuerat, adjecta lege tradendi reditus bonorum eidem Sacræ Congregationi, ad æris alieni solutionem. Tam accurata, tam germana rerum omnium historia causam præbuit, cur Pontifex Optimus Maximus, post exquisitum suffragium Præsulis a Secretis Sacræ Congregationis, precibus annuerit, et contractum cessionis probaverit. Quod attinet enim ad leges, quæ super bonis municipalibus, et super nominibus dimittendis latæ fuerant, hæ quidem latere Principem Sacratissimum non poterant, quippe qui earum omnium auctor fuerat. Non ignorabat ergo quid sancitum fuisset in Motu Proprio diei 19 Martii anni 1801. Non ignorabat pariter quid cautum extitisset posteriori Motu Proprio diei 14 Julii anni 1803. Non ignorabat denique quid jusserant encyclicæ litteræ diei 24 Decembris 1808.

6 Ad factum vero quod spectat, idem Summus Pontifex, non minus ex precibus, quæ oculis ejus fidelibus subjectæ fuerant, quam ex tractatus scriptura edoctus fuerat, hanc esse Veliterni Municipii postulationem, ut nimirum sub certa, atque annua præstatione scutorum 1284. 20. Sacræ Congregationi solvenda, tum reliqua bona, non adhuc vendita, tum etiam jura omnia sibi cederentur, quibus eadem Sacra Congregatio super ipsis bonis potiebatur. Quæ vero, sive in tractatu, sive in precibus exposita fuerunt, omnia sane veritati congruebant. Non enim ambigitur qui inter Cardinalem Albanium, et clar. mem. Cardinalem Matthæjum de hac stipulanda cessione cogitatum fuerit, ad dirimendas præcipue jurisdictionis territorii Veliterni controversias, inter utrumque exortas. Nam fratres Romani, qui ex stipulatione diei 28 Junii anni 1808, cum Sacra Congregatione Boni Regiminis inita emphyteutæ evaserant rusticorum omnium bonorum Communitatis Velitrarum, licet emphyteutica bona in Agro Veliterno posita essent, jurisdictionem tamen Cardinalis Decani, et Antistitis Velitrarum despiciebant, et ad Jurisdictionem Sacræ Congregationis Boni Regiminis confugiebant. Non item ambigitur, quin publicum Velitrarum Consilium pacta omnia, et conditiones prædictæ cessionis probaverit. Quocirca nil penitus falsi Summo Pontifici in precibus obreptum est, sed nihil pariter subreptum fuisse constat. Si enim percurrantur preces, et tractatus scriptura, nihil in iis reticitum invenire datum erit, quod ad imploratæ gratiæ substantiam pertinere potuisset.

Neque existimandum est hanc bonorum restitutionem eo consilio exoptasse Communitatem Velitrarum, ut se nimirum a lege eximeret coeteras Communitates de eo compensandi, quod plus forte in æris alieni solutionem de suo contulerint. Jam siquidem in precibus ad Summum Pontificem delatis, quam in ipsis cessionis tabulis constitutum fuit, ut in bonorum restitutione, ac in cessione omnium jurium ratio haberetur de literis encyclicis diei 24

Decembris 1808, in quibus cauta nonnulla quoad istam compensationem fuerunt, et ea confirmata, quæ de eadem compensatione sancita fuerant in Motu Proprio diei 14 Julii anni 1803. Erraret itidem, qui censeret ea de causa subreptionis vitio Rescriptum infici, quod in precibus reticitum fuerit, eo proposito fieri hanc bonorum restitutionem, ac jurium cessionem, ut Communitas Velitrarum contractum emphyteuticum cum fratribus Romani gestum impugnaret. Non enim Summi Pontificis sapientiem effugere poterat, hunc esse præcipuum cujusque cessionis effectum, ut cessionarius in omnibus juribus, et actionibus cedenti succedat. Si notissimum hoc juris principium ignorare Pontifex non poterat, non opus certe erat, omnia ea jura singillatim in precibus referre, quæ adversus *tertios* possessores, vel Sacra Boni Regiminis Congregatio, vel Communitas Velitrarum ejus cessionaria exercere potuisset.

8 Semelac eutem Summus Pontifex bonorum restitutionem, juriumque cessionem probaverat, non poterat insimul non probare facultatem experiundi actiones adversus *tertios*, ac injustos possessores, sive hi cessionis tempore innotescerent, sive delitescerent. Quod si demum, nec nullitate, nec læsione inficitur contractus emphyteuticus, ac juris, et justitiæ regulis congruit, nil habet quod timere possit Romanus a restitutione bonorum, et a cessione omnium jurium, quam stipulatione diei primæ Octobris anni 1817. Communitas Velitrarum consequuta fuit. Abest ergo quam longissime a Pontificio Rescripto, quod cessionem probavit, vitium quodlibet obreptionis, et subreptionis. At abest pariter, quod Rescriptum ipsum, quo nihil justius, et æquius excogitari valet, juribus adversetur *tertio* quæsitis. Si enim de creditoribus Municipiorum sermo sit, melior ex præfata cessione eorum condictio facta est, quippe qui ex supra demonstratis § 3, et 4 annuam, certamque præstationem scutorum 1274 25 retulerunt, dum antea non aliud exigere possent a bonis Communitatis Veliternæ, quam annuum canonem scutor. 1261. Liberati insuper fuere creditores a molestiis ques diversis sub titulis jam intulerant emphyteutæ adversus Sac. Congregationem.

Si autem res sit de emphyteutis, nil 9
detractum fuit eorum juribus ex sæpe dicta cessione, in que, ne mentio quidem excidit de contractu emphyteutico. Cæterum, aut contractus emphyteuticus nullitate, vel læsione inficitur; aut ab his vitiis exemptus est, jurisque censuræ convenit. Si primum illud sequitur, ut emphyteutæ injusti reputandi sint bonorum detentores, ut injuste querentur, quod Communites Velitrarum suorum bonorum dominium ab eis vindicet, ut facere ipsa Sacra Boni Regiminis Congregatio potuisset. Si alterum, nihil periculi eis imminet a cessione, et Pontificio, quod probavit cessionem, Rescripto diei 24 Septembris 1817. Calumniæ ergo proximum erat adversus Rescriptum ipsum insurgere, illudque uti obreptitie, ac subreptitie extortum traducere.

Et ita Omnes Domini definierunt, altera tantum etc.

ROMANA SEU VELITERNA

CESSIONIS

QUOAD I. DUBIUM SUPER APERITIONE ORIS

Veneris 9 *Maii* 1827.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXLII. -

SUMMARIUM

1. *Non potest dici simulata cessio si vitia extrinseca vel intrinseca non probentur.* Et num. 2.
3. *Cessio facta ad formam legis valet., Etiamsi adsit rescriptum Principis obreptitium vel subreptitium.*
4. *Obreptitium vel subreptitium dicitur rescriptum, quando narratione falsi verique reticentia, Princeps ita fuerit circumventus,*

ut si veritatem agnovisset, gratiam non fecisset.

5. *Subreptitium non dicitur rescriptum si verum sit narratum, si sola ratio finalis non exposita.*
6. *Ea quae juris sunt ignorare principem non praesumitur.*
7. *Aperitio oris non datur adversus rescriptum cui nulla labes vel obreptionis et subreptionis vel laesionis juris tertio quaesiti objici potest.*

DECISIO CCCXLIV.

Cum quaestionem de nullitate cessionis Veliternum Mumicipium, ac Romanum Romani, jam definitam duabus Decisionibus coram R. P. D. meo Marco, quibus dein accessit Rotalis Sententia, ad judicium universæ Aulæ denuo detulerit Pontificios Auditor, adjecta clausula *de aperitione oris*; peculiarem hinc oportuit Dubii formulam disceptare quoad secundariam. In Comitiis itaque ad diem *quartam* Februarii hujusce anni, rogavi Patres = *An sit locus aperitioni oris adversus Rescriptum* diei 24 *Septembris* 1817 *in casu etc.* =, ac responsum accepi *negativum*, prout patet ex Decisione mea quam tunc temporis evulgavi. Ex lege autem Pontificiæ Delegationis, quæ quæstiones istas Sacro Nostro Ordini commisit, præviis duabus Decisionibus dirimendas, assuetam hodie proposui dubii formulam = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, quæ responso alio dimissa est = *In decisis* =.

1 Semel ac enim ex coæva mea Decisione super objecta nullitate cessionis ad ultimam usque evidentiam demonstratum est nullius prorsus, sive *extrinseci* sive *intrinseci* vitii cessionem ipsam insimulari posse, necessario proinde consequitur Summum Pontificem non aliam ob causam adductam ad eam probandam cessionem fuisse, nisi quia hujus justitiam, atque æquitatem agnovit. Verum sanctio Pontificia non ad actus validitatem, atque substantiam requirebatur, sed ad illius dumtaxat probationem. Si namque ex Legibus Pontificiis, a pluribus jam annis publici juris factis, ex Motu proprio scilicet diei 14 Julii 1803 ac ex Literis Encyclicis diei 24 Decembris 1808, demandatum fuerat, ut omnia bona antea Communitatibus adepta, eisdem restituerentur, tam quoad dominium, et possessionem, tam quoad administrationem, servato tantum Sac. Congregationi jure recipiendi reditus, eorumque fructus, in dimissionem creditorum erogandos, nemo profecto non intelligit ex præfatis legibus jus quæsitum fuisse Communitati Velitrarum obtinendi restitutionem bonorum, neque indignisse Pontificis auctoritate. Nihil ergo novi, nihilque vetiti continet cessio die prima Octobris anni 1817 celebrata, cujus ope Veliternum Municipium, annua depacta certa, perpetuaque pensione scutorum *millium biscentum septuaginta quatuor*, ac obulorum *viginti quinque*, solvenda Sacræ Congregationi Boni Regiminis, bonorum non venditorum dominium, jura eis inhærentia, ac cum dominio conjunctam administrationem vindicavit, et ab onere sese exemit fructus bonorum quotannis tradendi eidem Sacræ Congregationi. In hoc uno differt Veliterni Municipii conditio a coeterorum Municipiorum conditione, ut hæc quidem bonorum recuperaverint dominium, et administrationem cum onere tradendi reditus Sacræ Congregationi, ad aes alienum luendum, illa vero ex cessione liberam assequuta fuerit eum dominio conjunctam bonorum administrationem, et ab omni onere tradendi reditus exemptam. Consulenda praeterita *Decisio* § 2 *et*. 3.

Si huc ergo tantum respexit cessionis stipulatio: ut ob annuam, perpetuamque in numerata pecunia præstationem, nil amplius negociorum intercederet Veliternam inter Communitatem, et Sacram Boni regiminis Congregationem, cui nec fructus tradere, nec mandatis ejus parere teneretur, necessario sequitur, id fieri potuisse absque nova Summi Pontificis venia. Nam ex ipsius Encyclicis Literis, ex quibus non re; sed nomine tenus restituta fuerat singulis Municipiis suorum bonorum administratio oportebat 2

ut Municipia ipsa traderent bonorum reditus Sacræ Congregationi, quæ libera erat eorum administratrix, deque eis poterat ad libitum disponere, dommodo in utilitatem Municipiorum, ac creditorum satisfactionem erogarentur. Jam vero, ut animadvertit etiam alia mea hujusce diei decisio super *nullitate Cessionis* § 6 *et* 7, rem utilem gessit Sacra Congregatio, tam creditoribus, quam cæteris Communitatibus, cessionem cum Municipio Velitrarum ineundo. Nam post contractum diei 28 Junii. 1808, in quo utila bonorum omnium rusticorum dominium sibi comparaverant germani fratres Romani cum annuo canone scutorum *mille biscentum sexaginta unius*, hi statim insurrexerant, et de immittendo canono ipso agere cæperant, sive ob auctum publicorum vectigalium pondus sive ob damna quæ rei emphyteutice dicebant illata. His de causis jam se creditores efferebant Sacræ Congregationis in ingenti summa scutorum circiter *septem millium*. Contra vero dum Communitas Velitrarum nil aliud ex cessione acquisivit, quam prædictum canonem quotannis ab emphyteutis solvendum, annumque redditum scutorum *quadraginta quinque* ex domunculis quibusdam eruendum, pensionem paullo canone majorem se numeraturam spopondit, sibique periculum suscepit litium omnium, tam illarum nempe, que jam fuerant ab emphyteutis instructæ, quam aliarum, quas instituere ipsi minitabantur.

3 Qua de re, si ex cessione aucta est annua præstatio Sacræ Congregationi solvenda: si hæc præstatio cedere in creditores dimittendos debebat, si quanto plus a Communitate Velitrarum rependebatur, tanto minus de reditibus suis conferebant coetera Status Ecclesiastici Municipia: in oculos profecto nsilit meliorem factam ex cessione ifuisse creditorum non minus, quam aliorum Municipiorum conditionem. Quæ autem objiciebantur de compendio, quod forte relatura erit Communitas Velitrarum, si ei bene vertat lis adversus emphyteutas instituta de contractus emphyteutici læsione, ea quidem levissima visa sunt. Semper enim redit, procul etiam a cessione potuisse Veliternum Municipium jura quæcumque adversus emphyteutas exercere in vim Legum antea latarum, ex quibus dominium bonorum, et administrationem recuperavit, Coeterum lis pendet a futuro rerum eventu, qui uni potest vel alteri ex litigantibus arridere, quique si arrideat etiam Communitati; id non eveniet, nisi postquam ipsa sumptus multos in eo judicio projecerit. Si ergo bonorum dominium absque ullius cessionis ope in Communitatem redierat, cessio fieri poterat absque auctoritate Pontificis, ac venia ab eo data non ad substantiam, et perfectionem, ut initio dictum est, sed ad probationem accessit. His positis, etiamsi vitio aliqua subreptionis, vel obreptionis inficeretur Pontificium Rescriptum, viribus attamen suis cessio consisteret in vim punctim earum Legum, quæ restitui Municipiis propria bona mandarunt.

Sed adeo legitimus fuit cessionis contractus, ut in damnata etiam hypothesi, quod Pontificiæ Leges de bonis restituendis ita habendae essent, perinde ac si in lucem nunquam prodiissent, eorum dominium penes Sacram Congregationem jugiter mansisset non aliter in alios trasferendum, nisi assentieno Pontifice; adhuc tamen firma, atque integra cessio consisteret. Hanc enim cessionem S. M. Pontifex Pius VII. auctoritate, Rescriptoque suo probavit quod, ex deductis in præcedenti mea *Decis.* § 5, non alia de causa posset infirmari, et adversus illud obloquendi tribui posset potestas, quam si obreptionis, vel subreptionis vitio inquinari, et juri alteri quæsito præjudicium intulissa revinceretur. Quoniam vero obreptionis, subreptionisque labes in eo consistit, quod narratione falsi verique reticentia Supremus Princeps ita fuerit circumventus, ut si germanam novisset rerum historiam, aut elargitus gratiam non fuisset, aut difficilius ad eam elargiendam fuisset inductus; non a qualibet idcirco narratione falsi, verique reticentia, sed ab 4

ea tantum, quæ rei respicit substantiam, obreptionis, subreptionisque vitium oritur, et venia Principis infirmari solet, ut arguit auctoritatum exemplis superior mea *Decisio* d. 5. At in Rescripto diei 24 Septembris 1817 nullum apparet vitium obreptionis. Huic enim subscripsit Summus ille Ecclesiae Antistes, postquam exploraverat cognoverat, ad tutinam revocaverat cessionis tractatum, et preces ad se delatas pro obtinenda illius probatione.

5 Atqui tum tractatus scriptura, quam proprio charactere firmarunt cl. mo. Cardinalis Matthæus, tunc Sacri Collegii Decanus, et Velitrarum Episcopus, et Amplissimus S. R. E. Cardinalis Albanius, Sacræ eo tempore Congregationi Præfectus, modo autem Bononiae Legatus, tum etiam preces accuratam præbebant futuri contractus analysim. Inutiliter autem mentio facta fuisset de Legibus super ære alieno Municipiorum editis, quas ignorare non poterat Princeps Supremus quippequi earum fuerat lator, et auctor. Ne quidem nihilominus desideraretur, ad memoriam revocatae in scriptura tractatus, ac in precibus fuerunt Encyclicæ literæ anni 1808, ex quibus redintegrata singula Municipia vidimus ad bonorum administrationem, adjecto attamen pacto tradendi reditus Sacræ Congregationi. Ad substantiam, atque indolem cessionis quod respicit, bene ex precibus, atque scriptura noscebat Summus Pontifex hoc esse contrahentium propositum, ut scilicet sub annua certaque præstatione acquireret Veliterna Communitas ea bona, quæ adhuc supererant invendita, et jura omnia adipisceretur bonis ipsis inhærentia. Quae autem exposita fuere, ea omnia veritati apprime nitebantur. Potior siquidem ratio, quæ ad stipulandam cessionem impulit contrahentes, quæque in tractatu, et precibus pro proposita præcipue fuit, in eo versabatur consilio amputandi, sedandique jurisdictionis controversias inter Sacram Congregationem, et Veliternum Episcopum exortas, emphyteutarum causa, qui pro re nata declinare auctoritatem ejusdem Episcopi conabatur.

Quod rursus scriptura tractus, et preces innuebant, cessionem a publico Velitrarum consilio fuisse probatam, id verissimum esse tabularii Municipalis acta demonstrant. Nec cavillari ex eo decet, quod reticitum fuerit Pontifici rem esse de cessione dominii, et proprietatis bonorum. Nam id nominatim, disertisque verbis, quæ nullo egent interprete, dictum, et pluries repetitum extat in precibus, ac scriptura tractatus. Si autem silentio prætermissum est, quod alis fuerant rejectæ preces de oppugnanda emphyteutica stipulatione nihil hoc confert ad obtinendam oris aperitionem. Non enim contractus ille commune quidquam habebat cum cessione bonorum ineunda. Uno verbo, non id, ut oportet ad firmandum Rescriptum, ad substantiam rei, de qua agebatur, ullo modo pertinebat. Futilius demum excipiebatur haud preces, vel tractatus scripturam meminisse, quod hoc animo Veliterna Communitas cessionem contrahebat, ut facilius in emphyteutas insurgeret, et contractum emphyteuticum oppugnaret ex capite læsionis enormissimæ. Non est enim inquirendum qua causa, quove fine impulsa Communitas fuerit ad bonorum cessionem obtinendam, et ad Pontificiam sanctionem implorandam, cum præcipue probatum sit bonorum dominium ex anterioribus Legibus recuperare Communitatem potuisse. Coeterum ea, quae juris sunt, ignorare Pontificem non præsumitur. At de jure est, ut cessionarius in juribus omnibus a cessione dependentibus subrogatus cedenti censeatur. Ergo fugere Pontificem non poterat jus etiam oppugnandi contractum emphyteuticum, cum germanis fratribus Romani celebratum, in generali cessione contineri, et in Communitatem fuisse translatum. 6

Obreptionis, subreptionisque vitio sublato, minus valet, quod dicebatur, jus tertio quæsitum ex cessione læsum fuisse. Non emphyteutis namque, non creditoribus, non caeteris Communitatibus præjudicium ullum intulit ces- 7

sionis contractus. Non primis, quia nihil in cessione comprehensum fuit, quod partem faceret emphyteusis: jus oppugnandi contractum emphyteuticum procul etiam a cessione, præsto erat Veliterno Municipio ex Legibus antea vulgatis. Non alteris, quia melior facta est eorum conditio, ut supra demonstratum est § 3. Non postremis denique, quia ex augmento, utcumque levi, annuæ pensionis earum quoque conditio melior evasit. Quod si forte reponeretur, eo consilio cessioni operum dedisse Communitatem, ut compensationem effugeret, qua erga coeteras Communitates premebatur, ob majorem illam summam, quam hæ contulerant in æris alieni solutionem; levis hæc etiam exceptio esset. Tam in precibus siquidem, et tractatus scriptura, quam in publicis præfatæ cessionis tabulis relatio habita est ad Literas Encyclicas anni 1808, in quibus multa demandabantur quoad istam compensationem ad æqualitatem inter omnes Communitates servandam. Videnda præterita *mea Decis.* § 8. Nulla igitur suberat ratio, cur oris aperitio concederetur adversus Rescriptum illud, cui nulla labes vel obreptionis, et subreptionis, vel læsionis juris tertio quæsiti objici potest.

Atque ita, suffragantibus Dominis decisum est, utraque etc.

ROMANA SEU VELITERNA

CESSIONIS

SUPER PRIMO DUBIO

Lunae 4. *Februarii* 1828.

ARGUMENTUM

Ex Motu Proprio *diei 14 Julii Anni 1803* restitutum fuit Municipiis omnibus, quae in Ecclesiastica ditione continebantur, bonorum dominium, quo ex anteriori lege carebant, et nil aliud Sacrae Congregationi relictum, nisi jus easdem bona administrandi, quo facilius aes alienum, quo premebantur, dimitti potuisset.

SUMMARIUM

1. *Lege Pontificia* diei 24 Decembris 1808, *facultas facta fuit singulis Municipiis in possessionem suorum bonorum redeundi.*
2. *Ad validitatem contractuum Municipiorum, accedere debet majoris, ut inquiunt, civium consilii.*
3. *Ex Motu proprio* 14 Julii anni 1803, *restitutum fuit Municipiis omnibus, bonorum dominium, quo ex anteriori lege carebant.*
4. *Haec restitutio tamen facta fuit, cum onere dimittendi aes alienum.*
5. *Jus praelationis non competit emphyteutae, si dominus directus dominium suum velit alienare.*
6. *Exceptio de jure tertii, nullo in pretio haberi debet.*
7. *Nequit in laesione commensuranda attendi, quidquid pendet ab incerto litium eventu.*
8. *Tum prohibetur rem litigiosam alienare, cum possessor, et petitor de illius dominio apud Judices disputent.*

DECISIO CCCXLV.

Quod judicium de nullitate cessionis inter Municipium Veliternum, et Romanum Romani, a Sacro Nostro Auditorio, præviis duabus Decisionibus dumtaxat expediendum, per easdem binas Decisiones, quas ad die 12. Junii 1826., ac 19. Januarii superioris anni publici juris fecit R. P. D. Meus Marco, almæ Urbis Præses, ac dein excepit Rotalis Sententia, nunc videbatur absolutum, ex ea ratione, sic ferente Decreto Præsulis, qui sacra vice fungitur, instauratum hodie est, quod, cum publicæ cessionis tabulæ Sacratissimi Principis oraculo fuerint confirmatæ, nec ulla facta fuerit potestas adversus Apostolicum Placitum obloquendi, defuerit quoque Sacro Ordini facultas judicandi: Clausula igitur *de aperitione oris* Rescripto delegationis adjecta, utraque controversia, jam alias definita, tam scilicet super nullitate, quam super indole, et natura cessionis mihi commissa fuit una cum quæstione super oris aperitione. In objecta nullitate cessionis præsens Decisio vertitur. At roganti mihi, an Rotalis Sententia, quæ validam cessionem ipsam renunciavit, esset confirmanda, vel infirmanda nec ne,

responsum est = *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*

1 Ut demonstretur jure confirmatam fuisse Sacri Nostri Auditorii Sententiam, oportet in facto prænoscere ex Motu Proprio diei 19. Martii 1801. bona cuncta Municipiorum Status Ecclesiastici, una cum eorum ære alieno, addicta Ærario publico fuisse. Prænoscendum pariter, posteriori Motu Proprio diei 14. Julii 1803. eadem bona exempta a quolibet onere Fisci hac lege transiisse in potestatem, et administrationem Sacræ Congregationis negociis Municipiorum præpositæ, ut nimirum æs alienum dimitteretur, non minus ex ea parte bonorum, quæ venui subjicienda erant, quam ex reditibus alterius, quæ superfuisset. Sciendum rursus est, pleraque prædia rustica Municipii Veliterni, quæ una cum cæteris ad alias Communitates spectantibus administrabat prædicta Congregatio, ex Pontificio Rescripto diei 28 Junii anni 1808 in Emphyteusim concessa fuisse Valentino, nunc vita functo, ac Romano, germanis fratribus Romani, sub anniversario canone argenteorum nummorum *mille biscentum sexaginta unius.* Nec omittendum, multis hunc contractum dedisse causam litibus ab ipso populo Velitrarum excitatis, quem dolebat ab emphyteutis obstaculum parari, quominus uterentur cives Veliterni veteribus juribus pascendi, et lignandi in prædiis emphyteuticis, etsi peculiari pactione fuissent hæc jura in tabulis emphyteusis reservata. Hæc jurgia minuit Pontificia jussio diei 24 Decembris anni 1808, qua facultas facta fuit singulis Municipiis in possessionem suorum bonorum redeundi, lege nihilominus adjecta, ut eadem bona ad creditorum indemnitatem, hypothecæ vinculo manciperentur, eorumque fructus impenderentur æri alieno luendo. Quousque viguit jugum Gallorum, quod supervenit post annum 1808. Pontificia Lex exequutioni committi nequivit quoad bona Veliternæ Communitatis. Rebus vero publicis restitutis, ipsum quoque Veliternum Municipium recuperavit quidquid bonorum, ac jurium antea commigraverat in Sacram Boni Regiminis Congregationem: idque factum est ope publici Instrumenti Kalendis Octobris anni 1817 initi, quod auctoritate sua probaverat S. M. Pontifex Pius VII.

Ut primum bona et jura omnia Municipio Veliterno restituta fuere, statim querelas extulit de læsione contractus emphyteutici anno 1808 a Sacra Congregatione Boni Regiminis cum fratribus Romani gesti, deque ea judicium instituit coram Sacro Nostro Tribunali, ac deputari peritum virum obtinuit, qui super ipsa referat læsione. At qui nunc Valentino fratri superstes est, Romanus Romani præjudiciales movit quæstiones de validitate non solum cessionis anno 1817 celebratæ, sed etiam de indole, ac natura jurium cessorum. Hæ sunt controversiæ, super quibus binæ Decisiones, et subsequens Rotalis Sententia a R. P. D. Meo Marco subscripta prodierunt. Ut autem, hisce in facto præmissis, de priori Sententia Rotali, seu de validitate cessionis sermo habeatur, nullo profecto, seu formæ, seu substantiæ vitio contractus cessionis inficitur. Nullus enim contractus tantis solemniis celebratus fuit, quanta accesserunt stipulationi cessionis anni 1817; Partes siquidem Sacræ Congregationis Boni Regiminis sustinuerunt, tam Cardinalis Præfectus, quam Præsul a Secretis, et Advocatus Fiscalis: quoad autem Veliternum Municipium, nedum deventum ad stipulationem non fuit, nisi prius venia accedente *majoris*, ut inquiunt, civium *consilii*, sed præterea, quod magis est, contractum ipsum approbavit Cardinalis amplissimus Veliternæ Civitatis Antistes, qui populum illum gubernat, et regit, atque etiam probavit, causa cognita, ipse Pontifex Maximus. Nil est igitur, quod extrinsecus obiici possit contractui cessionis. Sed nullo pariter intrinseco vitio eadem cessio laborat, ex quo ejus nullitas adstrui valeat. 2

Nullitatis exceptio ex triplici capite oriri posset, *vel* ab ipsa, nempe, Sacra Congregatione, cui facultas dees- 3

set restituendi bona; *vel* a Communitate Velitrarum, si capax recipiendi restitutionem bonorum non fuisset; *vel* denique a læsione juris alicui quæsiti. Corruit autem prior causa nullitatis, quia Pontifex recolendæ memoriæ Pius VII, utcumque de bonis ageretur exsolvendis nominibus debitorum destinatis, nulloque alio Sacra Boni Regimis Congregatio super iisdem bonis jure potiretur, quam administrandi tantum, plenitudine tamen potestatis suæ omnem ei tribuit facultatem, non modo propriæ administrationis jura in Communitatem Velitrarum transferendi, sed cætera etiam ejus bona restituendi. Clarissimis id verbis expressum est, tam in precibus Sacratissimo Principi porrectis, et subsequenti Rescripto, quam etiam in publicis cessionis tabulis, in quibus Sacra Congregatio cessit, abdicavit, transtulitque in Municipes Veliternos omnia et singula jura, quibus ipsa pollebat, ut Congregationi suffecti, subrogatique Municipes censerentur. Animadversione insuper dignum est, ex Motu Proprio diei 14 Julii anni 1803 restitutum fuisse Municipiis omnibus, quæ in Ecclesiastica Ditione continebantur, bonorum dominium, quo ex anteriori lege carebant, et nil aliud Sacræ Congregationi relictum, nisi jus eadem bona administrandi, quo facilius æs alienum, quo premebantur, dimitti potuisset.

4 Actionem tandem recuperandi bona nacta fuerat Communitas jam inde ab anno 1808, quo Sacra Boni Regiminis Congregatio encyclicas literas edidit ad mensem Decembris, eisque voluntatem Supremi Principis patefecit, ut bona Municipiis restituerentur cum onere dimittendi æs alienum. Cum antea tamen, anno scilicet 1805, quædam bona Communitatis Velitrarum a Sacra Congregatione, auctione constituta, distracta fuissent, et ex contractu præterea diei 28 Junii 1808 utile cæterorum rusticorum bonorum dominium translatum in fratres Romani fuisset, ob canonem in summa scutorum 1251 depactum, nulla proinde alia bona post hoc tempus Communitati superfuerant, nisi ædiculæ nonnullæ, reditus admodum exilis scutorum *quadraginta sex* in annos singulos, una cum directo bonorum emphyteuticorum dominio, ac jure canonem ab emphyteutis exigendi. Harum rerum dominium in communitatem Velitrarum, sicut in cæteras redierat post promulgationem Motus Proprii diei 13 Julii 1803. Ex contractu autem anno 1817. Kalendis Octobris inito id punctim factum est, ut bona, quæ ab auctione fuerant exempta, nova accedente Summi Pontificis auctoritate, Communitas Veliterna recuperaret, una cum omnibus dominii, et administrationis juribus, quibus ex anterioribus legibus fuerat expoliata. Non igitur cessio die *prima* Octobris anni 1817 stipulata ad unum cohibita fuit jus exigendi canonem a fratribus Romani emphyteutis; sed æque cuncta complexa est dominii, possessionis, et administrationis jura, cum Sacra Congregatio in hac stipulatione ipsum quoque dimiserit jus administrandi, utcumque ei in encyclicis literis anni 1808 servatum.

5 Nec meliori omino objiceretur, aut facultate caruisse Municipium Veliternum vetera sua bona recuperandi, novisque obligationibus sese devinciendi, aut læsum fuisse jus tertio quæsitum. Nam quoad primum comparavit sibi hanc contrahendi facultatem Communitas Velitrarum primo a Magistratu Municipali, deinde a publico Consilio, demum ab Eminentissimo Civitatis Antistite, in cujus tutela, et cura cives omnes Veliterni sunt. Si quid vero, vel Congregationi Boni Regiminis, vel Communitati Velitrarum, ad hanc stipulandam bonorum, juriumque cessionem defuisset, quemlibet defectum abunde supplevit Pontificis Rescriptum diei 24 Septembris 1817, quo contractum cessionis probavit. Absurdior est tandem objecta læsio juris *tertio* quæsiti. Non enim cessio præjudicium intulit fratrum Romani juribus. Quod spectat ad bona urbana, quæ Veliternæ Communitati restituebantur, nul-

lum sane jus super his bonis adepti fuerant fratres Romani, utpote quæ nemini unquam fuerant alienata. Si de bonis autem rusticis quæramus, hæc partim fratres Romani emptionis nomine acquisiverant, partim etiam in eosdem transierant jure emphyteusis. At cessio diei primæ Octobris anni 1817, neque bona coempta, neque bona in emphyteusim concessa unquam percutit. Adeo imo verum est prædicta cessione nil detractum juri emphyteutico fuisse, quo fratres Romani fruebantur, ut cessio ipsa unum respexerit bonorum directum dominium, nec de utili meminerit quidam. Neque est quod inquiant, jus prælationis sibi præpeditum fuisse. Jus siquidem prælationis domino directo super re emphyteutico, alienanda quoad utile dominium, competit; non vero emphyteutæ, si dominus directus dominium suum directum velit alienare *Corradin. de jure praelat. cap.* 31 *n*, 3.

6 Multo minus censendum, ac cessione illatum creditoribus præjudicium fuisse, quippe qui jus habebant satisfactionem consequendi, aut ex fructibus prædiorum, aut ex eorum venditione. Exceptio enim est *de jure tertii*, nulloque proinde in pretio haberi debet. Non gratuito insuper, sed oneroso titulo hanc cessionem sibi quæsivit Communitas, quæ annuam, et ingentem quidem pensionem sese soluturam promisit. Hæc pensio ex pacto in arcam inferenda est, ex qua depromitur pecunia ad æs alienum Municipiorum dissolvendum. Non aliter hinc deterior facta creditorum conditio dici posset, quam si minus congruam fuisse revinceretur conventam pensionem: quod sane, nec in tantis, quæ adhibita fuerunt, solemniis præsumi potest, nec unquam probatum fuit; nec demum, etiamsi probatum fuisset, ad trutinam in præsenti judicio revocari posset. Consulendæ hic binæ Decisiones, quæ Rotali Sententiæ præiverunt, *prior* §.7, *et* 8 *altera* § 7. Ad probandam porro annuæ conventæ pensionis læsionem abutebatur alias Romanus Romani folio quodam, quod prodiisse fertur u Congregatione *Mixta*, quæ æri aliano Municipiorum dimittendo a Supremo Principe præposita fuit. In hoc folio scriptum legebatur ex eo læsam cessionis causa fuisse reliquorum Municipiorum conditionem, quia – *sarebbe sommamente gravoso per le altre Communità, se dopo di avere già estinto coi proprj sapitali una quota vistosissima del debito di Velletri, dovessero estinguere ancora la rata residuale, e conservare a quella Commune il diretto dominio de'beni rustici, la proprietà de'fondi urbani, sd il diritto dell'erbatico ragguagliato in capitale a scudi* 44595. Sed omnem removat difficultatem, læsionisque umbram, expressa Sa. Me. Pii VII voluntas, qui sane, dum bona Municipiorum Status Ecclesiastici publico addixit Ærario, nominatim quoad Communitatem Velitrarum jussit, ut ab hisce bonis exciperetur jus pascendi, et lignandi, illudque beneficio civium reservaretur, Si ergo beneficio Principis, quod decet, esse mansurum, jus pascendi, et lignandi præcipuum sibi habent Cives Veliterni, perperam objicitur, patrimonio omnium Municipiorum hoc jus insignis valoris ex cessione ereptum fuisse.

Cæterum melior facta est conditio 7 creditorum ex cessione anni 1817. Nedum enim certam assequuti sunt, et determinatam pensionem, sed et finis et mudus aliquis impositus fuit continuis emphyteutarum petitionibus, nunc reductionis canonis, mox compensationis, demum refectionis damnorum, quas coram Sacra Congregatione proposuerunt. Nec refert maximum futurum fore compendium erga Municipium Veliternum, si irritus renuncietur, vel ad æqualitatem saltem reducatur contractus emphyteusis, Id quippe pendet ab incerto litium eventu, qui non minus Veliternæ Communitati, quam ipsis emphyteusis potest e converso favere. Uteumque Municipio sors arrideat, hoc haud poterit obtinere, nisi post multos sumptus, et lungas judiciorum ambages. Quidquid lucri uno verbo refert Communitas, rite referret, et recte, postquam cessionem sancivit auctoritasPon-

tificis, quem sane latere non poterant Edictales leges hac punctim de causa editae, ut indemnitati creditorum Communitatum prospiceretur. Utique cessione 1817 una cum translatione directi dominii jura etiam adepta fuit Communitas impugnandi contractum emphyteuticum anni 1808, vel uti nullum, vel uti enormi læsione infectum. Sed id præpedire non poterant fratres Romani, minimeque prohibere, quominus Sacra Boni Regiminis Congregatio in Veliternum Municipium cuncta ea jura tranferret, quæ impugnando, rescindendo, aut saltem ad æqualitatem reducendo emphyteutico contractui valerent, quæque Congregatio ipsa experiri potuisset. Cum igitur post contractum anni 1817 subrogata fuerit ex cessione Communitas omnibus juribus, et actionibus Sacræ Congregationis, sequitur proinde, ut ipsa, tam ex Motu Proprio diei 14 Julii 1803, quam ex encyclicis literis diei 24 Decembris 1808 jura omnia, et propria, et cessa adversus contractum emphyteuticum anni 1808 potis sit exercere.

8 In aliis experimentis ex ea quoque ratione nullitatis insimulabat Romanus emphyteuta contractum cessionis, quod inquiebat res litigiosas in stipulationem deductas fuisse. At si hæc exceptio in præsens iterum proposita fuisset, præsto esset responsio, qua usæ sunt binæ Decisiones coram R. P. D. Meo Marco, prima § 6, et 7 altera § 9, et 10, in quibus rectissime animadversum est, tunc demum intelligi rem litigiosam alienari prohibitam, cum scilicet possessor, et petitor de illius dominio apud Judicem disputent. Verum nulla de dominio lis exarserat inter fratres Romanii Sacramque Boni Regiminis Congregationem. Quod si imo Veliternæ Communitatis mandatarius, et insimul Advocatus Fiscalis inter stipulandam cessionem sibi cavit, ne ullum ex ea illatum detrimentum Communitati censeretur quoad jura, et actiones adversus emphyteutas exercendas, ex hoc ipso patet lites inter Communitatem, et fratres Romani, non inter eosdem, et Congregationem Boni Regiminis intercessisse. Est item scitu necessarium, non sola jura, quibus adversus fratres Romani pollebat, Sacram Congregationem cessisse Municipio, sed et bona omnia, et jura præterea, actionesque contra quoscumque in una eademque stipulatione fuisse compræhensas. Etiamsi igitur res litigiosa in cessionis contractum venisset, non ideo irrita reputanda foret cessio ex vitio litigiosi, quod semper exulat, si res litigiosa non principaliter, vel singulariter distrabitur, sed per consequentiam divendita sub rerum universitate contineatur, veluti arguunt præfatæ Decisiones *loc. cit.* Hæc propterea in causa fuere, cur albus calculus adjiceretur Sacri Nostri Ordinis Sententiæ, quæ validitatem, ac justitiam cessionis vindicavit.

Et ita Universa Aula judicium tulit altera tantum etc.

ROMANA SEU VELITERNA

CESSIONIS

SUPER I. DUBIO

Veneris 9. *Maii* 1828.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXLV. -

SUMMARIUM

1. *Quidquid dispositum fuit, quoad bona municipalia, continetur in* Motu Proprio 19 Martii 1801, *in altero* 14 Junii 1803, *et in* litera Encyclica 24 Novembris 1808.
2. *Quilibet actus rescinditur, vel ob vitium formae, vel ob vitium substantiae.*
3. *Ubi Communitas stipulavit, Pontificia auctoritate accedente, quodlibet vitium sublatum censetur.*
4. *Jus praelationis, non emphyteutae, sed domino directo tantum competit.*
5. *Ut obstet rei litigiosae vitium, oportet quaestiones agi de tempore alienationis.*
6. *Utile per inutile non vitiatur, nec unquam superflua nocent.*
7. *Nunquam praesumitur quod legislator leges ignoret a se latas.*

DECISIO CCCXLVI.

Impleta est hodie lex Pontificiæ Delegationis, quæ controversiam a Romano Romani excitatam de nullitate cessionis, inter Sacram Congregationem boni Regiminis, et Veliternum municipium anno 1817 initæ, Sacro Nostro Ordini commisit, præviis duabus Decisionibus, ac universa Aula suffragante, dirimendam. Validitatem hujusce bonorum, juriumque cessionis, jam vindicaverant duo Decisienes, et subsequens Rotalis Sententia a R. P. D. D. Meo Marco, Almæ Urbis Præside subscripta. Quoniam vero cessionis tabulas Suprema Auctoritas S. M. Pontificis Pii VII probaverat, deductaque ad Sacrum Ordinem quæstione, nulla ei facta fuerat protestas judicandi, an rite, nec ne, fuissent contractus tabulæ Pontificia sanctione roboratæ; instaurato idcirco judicio ex Decreto Præsulis, qui vice Sacra fungitur, quique facultatem Sacro Auditorio fecit Pontificium placitum ad examen revocandi, Decisio mea ad diem *quartam* Februarii hujusce anni evulgata, validum, legitimumque renunciavit prædictum cessionis contractum. Nec secus hodie mano evenit, Decisione ipsa ad justitiæ lancem appensa. Adeo enim juri consona est ea reperta, ut perstitum prorsus fuerit *in Decisis*.

1 Quid jusserint, ac disposuerint tum Motus Proprius diei 19 Martii anni 1801, tum alter Motus Proprios diei 14 Julii anni 1803, tum denique Literæ Encyclicæ diei 24 Novembris anni 1808 quoad bona municipalia, et æs alienum eis inhærens, tenent omnes, et latius exponit superior mea Decisio § 2, et 3 Breviter attamen recolendum, bona municipiorum omnium Ecclesiasticæ Ditionis, quæ ex prædicto Motu Proprio diei 19 Martii anni 1801 ea lege addicta Ærario publico fuernnt, utex cis æs alienum ipsorum Municipiorum dimitteretur, primum ex posteriori Motu Proprio diei 14 Julii anni 1803, quoad proprietatem, et dominium dumtaxat, deinde vero ex Encyclicis Literis, quoad administrationem quoquo eisdem Municipiis fuisse restituta; sed, onere adjecto, ut hypothecæ nexu devincta manerent, eorumque reditus Sacræ Boni Regiminis Congregationi traderentur ad solvendos creditores. Dum hæc bona Municipalia administrabat Sacra Boni Regiminis Congregatio, pleraque prædia rustica Communitatis Veliternæ, exeunte Junio anni 1808, publicarum tabularum ope, ac accedente Summi Pontificis auctoritate, in perpetuam Emphyteusim concessa fuerunt Valentino, ac Romano germanis fratribus Romani, qui canonem argenteorum nummorum *mille biscentum sexaginta unius* sese quotannis soluturos promiserunt. Multis hæc emphyteutica stipulatio causam præbuit contentionibus. Fratres siquidem Romani in re qualibet declinare Jurisdictionem studebant Cardinalis Antistitis, et Principis Veliterni, qui Populum illum moderatur, et regit et ad Sacram convolabant Boni Regiminis Congregationem. Summopere prætcrea Communitatem Velitrarum dolebat, exili admodum depacto canone, bona multa, et maximi valoris, in emphyteusim concessa fuisse fratribus Romani, qui exercitium jurium lignandi, et pascendi Civibus Veliternis præpediebant, utcumque in emphyteuticariis tabulis nominatim ea fuissent reservata, multas in dies actiones excitabant de imminuendo canone, de obtinendis compensationibus, deque aliis hujusce generis, quæ omni prorsus fulcro destituebantur.

Ad hæc dissidia tollenda, quamvis posset Communitas Velitrarum, non minus actione quadam populari, quam ex Encyclicis Literis, earumque vi, et substantia, nomine proprio in emphyteutas agere, sive ad jura pascendi, et lignandi vindicanda, sive ad ipsum contractum emphiteusim impugnandum ex capite læsionis satius nihilominus existimatum est publicum Instrumentum anno 1817 die *prima* Octobris inire, ex quo Sacra Boni Regiminis Congregatio cessit, et in Municipium, Veliternum transtulit bona, et jura cuncta, quæ ei super fuerant, 2

veluti antiquitus, et ante Motus Proprii anni 1801 promulgationem, ad idem Municipium spectantia. Hac de causa, Communitas Veliterna ad annuam rependendam pensionem scutorum 1274 sese obligavit, et se liberaturam Sacram Congregationem a quibuscumque molestiis in posterum obventuris promisit. Obtenta cessione, quam S. M. Pontifex Pius VII jam probaverat, cæpit illico Communitas contractus emphyteutici læsionem objicere, ad quam cognoscendam Sacer Ordo censuit peritum virum deputare, qui de ea referat in scriptis. Ut banc tamen quæstionem antcverteret, et læsionis disputationem effugeret Romanus Romani, qui Valentino fratri, fervente lite defuncto, superstes fuit *præjudiciales* excitavit controversias de validitate cessionis stipulatæ anno 1817. ac de ejus quoque indole, atque natura. At ad banc cessionem quod pertinet, de qua agunt, tam Decisiones coram R. P. D. Meo Marco, et subsequens Sententia ab eo subscripta; quam alia mea Decisio diei *quartæ*, Februarii hujus anni, nullo eam, aut formæ, aut substantiæ vitio inquinari compertum est. Partes enim Sacræ Congregationis substinueruntCardinalisPræfectus, Præsul a Secretis, Advocatus demum Fiscalis; Veliternum autem Municipum non aliter dedit operam stipulationi, quam audito prius *Majoris* Veliterni Municipii *Consilii* suffragio, annuente Cardinali Episcopo, ac ipso probante Summo Pontifice. Tot ergo solemnia contractum a quolibet vindicant *extrinseco* vitio.

3 Sed nulla *intrinseca* labes bonorum inficit cessionem. Hæc siquidem ex triplici capite oriri posset, *vel* ab ipsa, nimirum, Sacra Congregatione si facultate destitueretur bona restituendi: *vel* a Communitate Velitrarum, si potestate caruisset accepto cessionem habendi: *vel* denique a jure alteri quæsito, cui fuerit detrimentum illatum. Atqui prima deest causa nullitatis, quia immortalis.Memoriæ Pontifex PiusVII., quamvis do boni res esset, quorum reditus exigebat Sacra Boni Regiminis Congregatio ad æis alienum luendum, quo ea premebantur, plenitudine tamen Potestatis suæ omnemSacræCongregationi tribuit facultatem, nedum administrationis, seu reditus percipiendi jus, sed omnia quoque bona Communitati restituendi, veluti constat, tum ex precibus Sacratissimo Principi exhibitis, ab subsequenti PontificioRescripto, tum etiam ex publicis cessionis tabulis, quarum ope Sacræ Congregationi suffecti, subrogatique Municipes Veliterni fuerunt. Deest rursus alia causa nullitatis ex defectu eruta potestatis in Communitate Veliterna accepto cessionem habendi. Hæc namque contrahendi licentia Communitati facta est a Municipali primum Magistratu, dein a *Majori* Municipii *Consilio*, ab amplissimo denique Cardinali Velitrarum Antistæ, cujus patrocinio, imperio, curæ subsunt cives omnes Veliterni. Ut ut vero fingeretur hæc omnia satis, superque non fuisse, ut Communitas rite contraheret omne tamen vitium substulit auctoritas Pontificia, ex quo Cessionis stipulatio probata est.

Deest tandem læsio quælibet juris 4 alteri quæsiti. Cessio enim neque fratribus Romanis emphyteutis; neque Municipii Veliterni creditoribus præjudicium intulit. Non primis, quia in cessionè erga Communitatem facta nihil comprehensum fuit de bonis, aut jam distractis, aut in emphyteusim datis. Ea cessio unice respexit ædiculas non adhuc venui expositas, ac prætorea canonem ab ipsis emphyteutis solvendum, qui nullum cæteroquin in emptione, seu cessione prælationis jus poterant experiri. Utinamque probat præcedens mea Decisio § 6 hoc jus prælationis uni competit, si utile dominium detrahatur, domino directo, non vero emphyteutæ, si de vendendo canone, directoque dominio res sit. Non item aliis, creditoribus scilicet Communitatis, quippe qui meliorem fecerit propriam ex cessione conditionem. Misso siquidem quod annua pensio, ex cessionis causa conventa, a Veliterno Municipio solvenda erat Sacræ Congrega-

tioni, ut in creditores dimittendos impenderetur, illud etiam accedit, pensionem cum Communitate depactam paullo majorem fuisse canone emphyteutico, qui a fratribus Romani rependitur. Dicebatur Congregationem *Mixtam*, quæ æri alieno Municipiorum dimittendo a Supremo Principe proposita fuerat, ex eo alias reputasse læsam cæterorum Municipiorum conditionem, quod scilicet, dum eorum bona conferebantur in dimittenda nomina Communitatis Veliternæ, sarta, tecta servare quoque cogerentur jura civica lignandi, pascendi, et id genus alia, quibus ab antiquo tempore Communitas ipsa fruebatur. At si hæc jura integra relinquebantur, non id ex arbitrio proveniebat Sacræ Congregationis, sed ex beneficio, et gratia ejusdem S. M. Pontificis Pii VII., qui bona omnia Municipiorum Fisco addicens ex Motu Proprio Anni 1801, ab hac lege nominatim excepit jus pascendi, et lignandi, illudque Communitati Veliternæ reservavit.

5 Hoc etiam compendium ex cessione venit in creditores, quod ex ea finis, et modus impositus fuit continuis emphyteutarum querelis, qui modo uno, modo alio titulo imminuere conabantur annuum canonem, qui in satisfactionem creditorum cedere debebat. Nam Municipium Veliternum, certæ, immutabilique annuæ pensioni sese subjiciens, molestias omnes sibi suscepit in posterum orituras. Nec extollenda est utilitas, quæ forte in Communitatem redundabit, si, vel rescindatur contractus emphyteuticus cum fratribus Romani initus, vel ad æqualitatem saltem revocetur. Seorsim a cessione hanc litem instituere poterat Communitas, sive actione quadam populari, sive ex legibus, ex quibus restituta fuit ad bonorum suorum dominium. De futuris præterea contingentibus, ut Logici inquiunt, nulla datur determinata veritas. Poterit ab hoc judicio victrix descedere Communitas: poterit etiam causam amittere: omnia pendent ab incerto litium eventu, qui, et si faveat Communitati, ea tamen nihil obtinebit, nisi post multos sumptus, ac judiciorum ambages. Quæ autem de vitio litigiosi disputabantur, ea nihil rei præsenti poterat officere. Si enim Communitatis mandatarius in cessionis tabulis cautum voluit, ne quid præjudicii illatum ex cessione intelligeretur juribus, et actionibus adversus emphyteutas exercendis; ex hoc ipso patet, si quæ lites ferbuerunt, eas inter Communitatem, et emphyteutas, non inter hos, et Sacram Congregationem intercessisse. Ut obstaret vero rei litigiosæ vitium, oporteret quæstiones super re cessa inter Sacram Congregationem, et ipsos emphyteutas excitatas, atque actas fuisse, ut arguit præterita mea Decisio hic consulenda. § *ultim.*

6 Hæc erant, quæ proponebat in anteactis jurium experimentis Romanus Romani, et quæ omnino, tam in superioribus Decisionibus coram R. P. D. Mco Marco, quam in alia mea Decisione, quæ hodie confirmatur, refutata, et rejecta fuerunt. In præsenti vero experimento, veteri abjecta defensione, contendebat ex cessione anni 1817. Sacram Congregationem Boni-Regiminis juxta Encyclicas Literas diei 24 Decembris anni 1808, in Veliternam Communitatem, non liberum bonorum dominium, seu Administrationem tantum translulisse. Utcumque dominium quoque transtulerit, contendebat rursus quoad illud irritam, nullamque fuisse cessionem. Facili nomen negocio utrumque diluitur objectum. Nam quod revera non sola cessa fuerit bonorum Administratio, seu jus recipiendi eorum reditus, ad æs alienum luendum, res facti est, et sufficit oculos coniicere in cessionis tabulas, ut unusquisque sibi suadeat, una cum jure exigendi reditus, bonorum dominium, ac proprietatem quoque venisse. Non semel enim, sed bis, et tertio mentio in tabulis occurrit de cessione, ac translatione dominii bonorum in Municipium Veliternum. Ex eo autem, quod ex præcedentibus Legibus jam Communitas adopta fuerit illorum bonorum dominium, non ideo sequitur, irritam fuisse cessionem, in qua de hoc ipso dominio in Communitatem iterum transferendo actum

est. Utile enim per inutile non vitiatur, nec unquam superflua nocuisse sæpe traditum est. *Cap. Utile de Reg. jur. in* 6. Tantomagis imo cessio sustinetur, quia, etiamsi bonorum dominium in Communitatem ex Pontificiis Legibus antea remeasset, semper attamen manebat penes Sacram Congregationem jus oxigendi redditus bonorum, non adhuc auctioni subjectorum, et canonis ab emphyteutis solvendi.

7 At multum Communitatis intererat, ad sedandas, omnes controversias et ad validiora reddenda jura, qua experiunda erant in ipsos emphyteutas, sese ab onere tradendi reditus eximere, ot canonem emphyteuticum acquirere. Quamvis boc unum cessio respiceret, valida semper habenda esset. Sed ex demonstratis complectitur ea quoque bonorum dominium: quod tanto magis dicendum est, quia Summus Pontifex, qui, neque ignorabat, nequo poterat ignoraro Legum a se latarum vim, probavit attamen contractum illum, in quo de dominio transferendo agebatur. Si autem valida est cessio, in hypotesi etiam falsissima quod extenderetur ad solum canonem exigendum, et jus retinendi reditus ædicularum, animadvertebant Domini Mei, novam Romani defensionem non bene cohærere cum Dubii formula, quæ unam respicit cessionis nullitatem, et ad summum aptari posse alteri quæstioni super qualitate, et natura ejusdem cessionis in subsequentibus Comitiis proponenda. Sive itaque ex anterioribus Legibus, sive ex cessione posteriori bonorum dominium recuperaverit Communitas Veliterna, numquam dici potest illud usurpasse in detrimentum emphyteutæ. Deficit ergo querela, quod plus juris in cessionarium fuerit translatum, quam quod cedens haberet.

Et ita, confirmata in cæteris priori Decisione VV. OO. DD. judicatum est.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS

SUPER DEPOSITO

Veneris 4. *Julii* 1828.

ARGUMENTUM

Administrator deputatus, finita administratione, debet rationes reddere et pecuniam deponere.

SUMMARIUM

1. *Locator pro pensionibus non solutis habet praecipuum jus super fructibus, et redditibus rei locatae.*
2. *Principis rescripta strictissime servanda.*
3. *Notissimi juris est Sequestra obicis esse solutioni pecuniae favore cujuscumque creditoris, nisi accedat judicis sententia.*
4. *Administrator non potest proprio libitu pecuniam administrationis retinere, ob mercedem sibi debitam.*

DECISIO CCCXLVII.

Johannis Bottoni, ingenti alieni æris pondere pressi, precibus annuens SSmus Pontifex, rescripto diei 11 Novembris anni 1824 facultatem tribuit R. P. D. Colapietro deputandi administratione illius patrimonio sub lege bona = *accurate describendi, et deponendi reditus, et fructus quousque, deductis impensis, et oneribus, in Æde Sacra, cum vinculo sequestri favore creditorum* = atquo deinceps prædictus Præsul ejus administrationis munus, sub die 21 Januarii anni 1825 contulit in Josephum Villetti = *facta per eumdem ante administrationis exercitium, obligatione jurata in actis de bene, et fideliter administrando, et de reddendo rationem ad omne mandatum Illustrissimi Domini* =. Bona inter a Bottonio detenta erat præcipue latifundium *Monterado* in Senogalliensi Territorio positum, ad Celsissimam Leuchtembergensem Domum spectans; eidem Bottonio locatum pro annua pensione, primum sc. 12000., ac dein cobibita ad sc. 8971 94 cujus particularis administratio, ob conductoris moram in pensionum solutione, concredita fuerat Anselmo Rossio, qui ex Signaturæ Rescripto diei 24 Fe-

bruarii anni 1825 eam dimisit, ex quo Villettus hujus etiam Latifundii administrator extitit. Sed nolens ipse Roma sese Senogalliam conferre, ut hujusce latifundi administrationi, prout debebat, præessot, sui deputationem illius administris nunciare neglexit, in eoque sivit hosce administros cum Bottonio libere versari; ac solum, die 30 Junii ejusdem anni 1825. Aloysio Brocardio, servitio addicto Eminentissimi, nunc defuncti, Cardinalis Herculanii, Senogalliam petenti, ut ibi nundinarum tempore ratiucinatoris Fiscalis officium exerceret, mandatum dedit, quo ipsum sibi, privata auctoritate, in illius Latifundii administratione suffecit.

Videntes vero ii, qui Celsissimae Leuchtembergensis Domus negocia Senogalliæ curabant, res in Latifundio *Monterado* in pessum ire, supplices fuerunt coram SSmi Auditore, ut majus præjudicium ab ea averterent Domo, ac die 17 Septembris anni prædicti 1825. Decretum obtinuere, quo mandatum fuit = *per Administratorem deputatum in vim rescripti SSmi diei* 11 *Novembris* 1824 = nempe Villettum = *colligi singulos fructus, et redditus Latifundii Monterado, cum facultate illos vendendi utiliori pretio, et cum onere de iisdem distinctum computum retinendi ac suis loco, et tempore, et cui de jure rationem reddendi, et cum lege deponendi illorum pretium, deductis oneribus, et impensis eidem Latifundio inhærentibus, in Æde Sacra, ita ut pretium succedat loco rei, ad effectum conservandi privilegium Excellentissimae Locatricis instantis pro pensionibus ejusdem Latifundii* = Huic decreto, Villetto legitime nuncupato, obtemperare prorsus ipse neglexit, nullumque præsertim depositum e reditibus Latifundi *Monterado*, ad quod perficiendum favore Celsissimae Leuchtembergensis Domus obstingebatur, implere curavit. Die dein 2 Januarii 1826 collatam sibi administrationem abdicavit, quoddam die 1 Aprilis illius anni redditionis rationum folium exhibuit R. P. D. Colapietro, specie tenus extensum ad totius patrimonii Bottonii administrationem, sed reapse compræhendens tantum reditus Latifundii *Monterado*, impensas vero, quarum plurimae ab hujus Latifundi administratione sunt prorsus alienæ, cujus redditionis rationis summa fuit ut reddito constituto in scutis 5856 66 ½ exitu vero in scutis 3931 29 ½ penes se reliquam esse pecuniæ vim ipse profiteretur in scutis 1925 4, quæ tamen juxta susceptam obligationem in Ædo Sacra haud deposuit.

Nil adversus hanc rationi redditionem obiicere tunc potuit Celsissima Leuchtembergensis Domus, quia ipsam inter, ac Bottonium judicium agebatur quoad plures quæstiones ad Latifundii *Monterado* locationem conductorem spectantes, quæ, etiam si primum ab A. C. Colapietro resolutæ fuerint favore Bottonii, contra ipsum tamen omnes a S. Nostro Ordine definitæ fuerunt, testibus sex Decisionibus de iis a me editis superiori anno 1827, aliisque sex earum confirmatoriis, eodem anno Rogatis quas consonæ a me signatæ Rotales Sententiæ subsequtæ fuerunt. Quo autem ad Celsissimæ Leuchtembergensis Domus creditum adversus Bottonium; nomine pensionum Latifundii *Monterado*, ad totum usque annum tantum 1826, constitutum hoc fuit in sc. 3936 80, ad quæ assequenda decretum fuit = *ut primo exigi debeat quidquid extat penes custodem, et administratores; quod si impar sit solitando debito, tunc liceat excutere Bottonii patrimonium, illudque ad reliquum solvendum adigere* = Mandatum pro ea summa scut, 39361 80 exhibitum per Cursorem fuit Villetto, ut in ejus computum solvoret ipse prædictam quantitatem sc. 1925 41 quam ex gesta administratione pro Bottonio, sese retinere pro fessus fuerat; sed solutionem ipse negavit, obiiciens, præter alia, depositi legem constanter ab eo antea spretam, et assertum sibi debitam ex illa gesta administratione mercedem: Actum itaque, de eo ad hanc solutionem adigendo coram S. Nostro Tribunali, ad quod ex SSmi Auditoris Decreto commissa etiam fuit ob connexionem, alia Causa coram A.

C. Colapietro pendens, quoad legitimitatem redditionis rationum ab ipso exhibitæ, ac alia ab eo promota contra Brocardium, qui ab ipso proprio arbitrio sibi suffectus, ipsus nomine administrationi Latifundii *Monterado* præfuerat.

Tria hinc a me hoc mane Patribus proposita, pro eorum definitione, fuerunt Dubia. Illius, quod ad rationum redditionem, et prætensam mercedem spectat dilata fuit resolutio, ac præscripta deputato = *Periti Curialis cum facultate assumendi Peritos subalternos, ad effectum excipiendi redditionem rationis* = quia multas protulit Ducissa Amalia de Leuchtemberg exceptiones adversus redditionem illam rationis, quæ peculiarem trutinam merentur, et quæ haud dilui possent absque peritorum opera, ut dignoscatur quid reapse exegerit, quod solverit ipse Villettus. Quoad aliam quæstionem, Villettum inter, ac Brocardium, definitio fuit simpliciter *Dilata*. Dubium demum, quod respicit solutionem, vel Depositum summae sc. 925 41., de quo nunc agitur, ita conceptum = *An, et pro qua summa sit locus exequutioni, seu potius deposito in casu etc.* = diremptum fuit responso = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. et ad mentem* = Mens autem fuit = *Quod per Josephum denantur in Æde Sacra sc.* 1955 41, *quæ ex rationibus expositi patet ab ipso retineri, ut creditorum juribus ita prospiciatur, et a D. Ponente in solutionibus decernendis provideatur, ne Joseph mercede frustretur, ad quam jus habere possit* =

1 Obtinuit quidem Celsissima Leuchtembergensis Domus mandatum pro scutis 39360 80 contra Bottonium, ob hujus debitum pensionum ex conductione Latifundii *Monterado*, et hoc mandatum exequutioni dari debet prius pecuniis existentibus apud administratores Patrimonii ejusdem Bottonii ac postea super hoc patrimonio. Fuit etiam Pontificio Rescripto diei 17 Septembris an. 1825 injunctum Villetto ut de redditibus Latifundii *Monterado* retineret = *distinctum computum, ita ut illorum pretium succedat loco rei, ad effectum conservandi privilegium Excellentissimæ locatrici pro pensionibus ejusdem Latifundii* = ac probari poterit scuta 1925 41 quæ Villettus e gesta administratione sese retinere professus fuit, retracta fuisse redditibus illius latifundii, quibus super præcipuum est jus Leuchtembergensi Domui, pro pensionibus non solutis, tam ex hoc Pontificio Rescripto, quam ex pacto, ac jure communi per *leg. in praediis 7 ff in quibus causis pignus, vel hypotheca tacita contrahatur, Voet. in Pandect. lib.* 20 *tit.* 9 *num.* 19 *Merlin. de pignoribus lib.* 2 *tit.* 2 *quaest.* 67 68 *Zanch. de Praelat. Credit. Exercit.* 2 § 6 *num.* 86 *Rot. Decis.* 223 *num.* 23 *coram Tanara, et in Romana Concursus super Prælatione* 3 *Junii* 1737 § 2 *coram de Vaiis.* Semper demum Villettus pecuniam deponere neglexit, et solum suam depositi hujus pecuniæ conficiendi obligationem objecit, dum ei exhibitum a cursore fuit prædictum mandatum, ut ea sc. 1925 41 ab ipso dissolverentur in partialem illius mandati exequtionem.

Attamen, cum Pontificia Rescripta 2
tam illud pro generali administratione patrimonii Bottonii datum die 11 Novembris anni 1824 quam aliud diei 17 Septembris anni 1825; respiciens peculiarem Administrationem reditum Latifundii *Monterado* explicite injunxerint administratori deputato obligationem deponendi in Æde Sacra favore creditorum Bottonii pecunias ex administratione collectas, fieri haud potuit quin Leuchtembergensis Domus petitionem pro assequenda a Villetto solutione illius summæ scut. 1925 et obul. 41. Patres rejicerent, et hujus depositum præscriberent, sunt enim Principalia Rescripta strictissime servanda, ad *Text. in cap. cum dilect. de Rescriptis, Cap. Cum de non Sacerdotali de Præbendis in sexto, Gloss. in Clementina vere.* 3 *de vita, et honestate Clericorum, Bart. in leg. non sunt liberi ff de statu hominum, Alexander in leg.* 9 *num.* 8 *vers. et ex prædictis ff de liberis, et posthumis. Rot. in recen. decis.* 345 *num.* 2

part. 2 *decis.* 404 *num.* 12 13 *p.* 4 *Tom.* 2. ab eis, vel minimum recedere licet, etiam de partium consensu, per *Rot.* in *Recca. decis.* 222 *num.* 4 *p.* 4 *Tom.* 1 *et decis.* 65 *num.* 22 *part.* 5 *Tom.* 1.

3 Eo vero magis prædictæ summæ, non solutio Leuchtembergensi domui, sed depositum in Æde Sacra imperandum Villetto fuit, quia omnes Bottonii Creditores eam impetere poterunt, nisi probetur ejus particularis derivatio reditibus Latifundii *Monterado*; et quia indiscriminatim super pecuniis a Villetto ex administratione Patrimonii Bottonii retractis imposita a quibusdam Bottonii creditoribus fuere sequestra, quos inter Rev. Camera Apostolica sequestrum indixit pro scutis 600 a Bottonio debitis, ex causa *Bulli*, ac *Regesti* haud soluti. Sequestra autem obicis esse solutioni pecuniæ, eis obnoxiæ favore cujuscumque creditoris, nisi accedat Judicis Sententia, quæ eam præscribat, notissimi juris est, ut firmat *Rot. coram Seraphino Decis.* 296 *num* 10 *Decis.* 529 *num.* 3 *coram Cavalsr. Decis* 446 *num.* 9 *coram Buratt. et Decis.* 16 *part.* 10 *num.* 4 *in recent.*

4 Jure itaque summae, de qua agitur depositum Villetto fuit a Patribus injunctum. At inaniter ipse contendit sese ad integram eam summam deponendam adigi haud posse, quia sint prius ab ea ipsius favore deducendæ administrationis impensæ, ac merces ei pro hac administratione debita. Ad impensas etenim quod spectat, proponi hæ poterunt coram Perito, qui rationum redditionem a Villetto recipere debet. Ad mercedem administratori deberi. At *in specie* videndum erit an ita in administratione gerenda Villettus versatus sit, ut ex ejus negligentia, ac culpa, quodlibet ad mercedem ejus administrationis assequendam jus amiserit ad tradita per *Zacchiam de Salario quaest.* 51 *num.* 66 *et seq. et Sard. de Alimentis Tit.* 7 *quaest.* 41 § 1 *et seq. et Rot.* in *Romana redditionis super Salario* 8 *Februarii* 1751 § 3 *cor. Cl. Mem. Migazzi.* Præterea, in hypothesi etiam, quod merces sit Villetto debita si probetur pecuniam retinet, provenisse ex reditibus tantum Latifundii *Monterado* pro rata tantum hujus administrationi respondente poterit ei merces ex ea pecunia tribui. Optime idcirco huic controversiæ provisum a Patribus fuit, adjecto confectioni depositi integræ summæ scut. 1925 41. modo, quod nempe D. Ponens provideat in solutionibus decernendis ne Joseph mercede frustretur, ad quam jus habere possit.

Et ita etc. Utraque etc.

ANAGNINA JURISPATRONATUS

Lunae 14. *Decembris* 1829.

ARGUMENTUM

Juspatronatus – *pro se suisque heredibus, et successoribus in perpetuum* – vel est simpliciter hereditarius, quod ad quoscumque heredes etiam extraneos absque discrimine progreditur, vel ad summum mixtum, quod ex hereditario scilicet, et familiari, seu gentilitia coalescit.

SUMMARIUM

1 *Jus patronatus* – Pro se suisque heredibus et successoribus in perpetuum – *haereditarium jus et mixtum comprehendit, et non unam heredis, sed sanguinis quoque qualitatem requirit, ac descendentes tantum ex faeminis, minime vero faeminas agnatas repellit a jure nominandi.*

2. *Jus patronatus activum a passivo plausibilem recipit interpretationem.*

Non datur cognatis jus repraesentationis in praejudicium faeminae agnatae – ibid. –

3. *Non potest procedi ad novam nominationem ab illa, qui suilibet suo juri, quo uti potuisset renuntiavit.*

4. *Inter praesentatos ille eligendus, qui majora requisita habet.*

Antistiti Civitatis jus nominandi competit quando scissura oriatur inter patronos – ibid.–

DECISIO CCCXLVIII.

Juspatronatus Cappellaniæ, sub invocatione, et tutela Sanctissimæ Trinitatis in templo SS. Francisci, et Bla-

sii Oppidi *Filectini* in Hernicis, ab antiquo tempore erectæ, quod familia de Sebastianis, cum in egestatem lapsa reficiendo fatiscenti sacello, sacræque parandæ suppellectili impar evasisset, et alibi lares transferre cogeretur, Episcopo Anagnino anno 1710 resignavit, renuntiavitque, Blasius, et Franciscus Arquati sibi, suisque hæredibus, et successoribus in perpetuum addixerunt aucta dote, atque opere suscepto instaurandi sacellum, illudque sacris aulæis instruendi, sacramque turrim cum tintinnabulo demum ædificandi. In publicis tabulis, quas de augmento dotis Cappellaniae, adeptoque jure patronatus prædicto anno 1710 die *decimanona* Novembris cum eodem Antistite Anagnino celebrandas novi patroni curarunt, præcipue constitutum est, ut Cappellania pro patrimonio sacro inservire deberet descendentibus ex familia, et gente de Arquatis, qui ad sacros Ordines, et ad Sacerdotium, optimam partem, cuperent promoveri. Ideo enim bonis propriis sese Cappellaniam ditasse professi fuerunt *quatenus nominetur aliquis sacerdos, vel clericus de descendentia sive masculina sive fœminina præfati Domini Blasii, ita ut sit clericus, possit, et valeat obtinere dictam Cappellaniam pro supplemento patrimonii sacerdotalis, cujus titulo promoveri possit ad sacros Ordines* = Cautum præterea iisdem in tabulis fuit, ut = *præsentetur sacerdos, seu clericus proximior ipsis Blasio, et Francisco, et inter proximiores concurrentes præferatur semper senior, seu majorætàte, et quatenus concurrant Sacerdos, et clericus, qui ambo sint proximiores, prælatio concedatur clerico nondum in sacris ordinato.*

Constituta his conditionibus Cappellania, eam primo possedit Franciscus Arquati Blasii filius, qui tunc temporis jam presbyter erat, deindeque transiit in Ascensium de prædicta familia Arquati, quo recens defuncto, Catharina ejus soror in Cappellanum nominavit clericum Petrum Alexandrum Persia ex Matrimonio natum filiæ suæ Annæ Xaveriæ cum Joachimo Persia. Cum tamen ad ejus notitiam pervenisset, Joachimum Pesci filium Ermenegildae Arquati, etiam qua cessionarium jurium Fordinandi Arquati, nominationem explevisse erga Ferdinandum Pesci nepotem, e re sua censuit urgere coram Episcopali Curia Anagninae, ne quidquam innovaretur super re controversa, nisi se vadata, et monita, quæ soror erat Cappellani postremo defuncti. Ipse imo Clericus Petrus Alexander, nominationem exhibens suam, immitti penes eamdem Curiam postulavit ad possessionem bonorum Cappellaniæ, et Apostolicas Literas sui favore petiit expediri. Tunc videns, probeque sontiens Joachim Pesci nominationem a se factam sustineri non posse, quia Cappellanus a se nominatus, nedum minor erat ætate, quam esset Petrus Alexander a Catharina præsentatus, verum etiam quia remotior erat Blasio, et Francisco de Arquatis Cappellaniae institutoribus, nominationem suam retractavit, eamque, re jam in judicium deducta, contulit in filium suum Aurelium. At Vicarius Anagninus nominationem probavit a Catharina initam, et institutionem sententia sua dedit Petro Alexandro, a qua cum reclamassent fratres Pesci, factum exinde est, ut Dominos meos rogarem, constituta Dubii formula = *An, et cujus favore constet de jure patronatus, et sit danda institutio in casu ec.* = cui responsum est = *Affirmative in omnibus favore Alexandri* =

1 Sub una, eademque Dubii formula, ac sub uno, eodemque responso binæ proponebantur, definitæque quæstiones fuerunt; *altera* super activo, *altera* super passivo jure nominandi. Atque, ut sermo primum sit de jurepatronatus activo, litera institutionis inspecta, ex qua Blasius, et Franciscus de Arquatis, Cappellaniæ dotem augentes, illius juspatronatus = *pro se, suisque haeredibus, et successoribus in perpetuum* = reservarunt, denegari nequit rem esse de jure patronatus: aut simpliciter hæreditario, cujusmodi plerumque præsumitur, et ad quoscumque hæredes etiam extraneos absque discrimine gregreditur vel ad summum

mixto, quod ex hæreditario scilicet, et familiari, seu gentilitio coalescit, et non unam hæredis, sed sanguinis quoque qualitatem requirit, ac descendentes tantum ex fœminis, minime vero foeminas agnatas extorres facit, repellitque ab honorifico jure nominandi *Cap. Quoniam de jure patr. Clement. Plures eod. tit. Rot. cor. Buratto decis.* 183 *num.* 1 *cor. Durano Dec.* 147 *n.* 3 *in Rec. dec.* 223 *n.* 4 *et* 5 *part.* 19 *cor. Molines dec.* 1009 *n.* 1 *Dec.* 701 *n.* 3. *cor. Eodem.* Hæc vero interpretatio fortius retinenda est, quia Blasius, et Franciscus de Arquatis, dum verbis illis usi fuerunt = *pro se, suisque hæredibus, et successoribus in perpetuum* =, nullum masculinitatis, et agnationis votum pandiderunt, ideoque a fœminis non abhoruisse necessario dicendum est.

2 Cum itaque Catharina, fœmina agnata, proximior sit institutoribus Cappellaniæ, Blasio scilicet, et Francisco de Arqnatis, ac germana soror ultimi Cappellani, jure nominandi præ cæteris ea unice pollet. Proximiores enim descendentes prædilexisse. Cappellaniæ institutores etiam in jure patronatus activo, tum naturae legibus consentaneum est, tum facile colligitur ex lego ab eis dicta quoad passivum juspatronatus, dum remotiores proximioribus descendentibus apertis verbis post habuerunt, itemque illius emolumentum absquo ulla distinctione vocarunt omnes descendentes, tam ex linea masculina, quam fœminina. Nemini siquidem ignotum est activum juspatronatns a passivo plausibilem recipere interpretationem. *Card. De Luca de jurepatr. disc.* 26 *num.* 8. Quo cum res perducta sit, ne responsionis quidem honorem ea merebantur, quæ jactari solebant de Joachimo repræsentante matrem suam Ermenegildam, ideoque Catharinæ in activo jure nominandi præferendo. Numquam enim auditum est dari in cognato, cujusmodi est Joachim Pesci quoad institutores Cappellaniæ, jus repræsentationis in præjudicium fœminæ agnatæ, prout est Catharina, quæ proximior est institutoribus, quam sint aut Joachim Pesci, aut ipse Ferdinandus Arquati, ejusdem Catharinæ nepos consobrinus. Nec in pretio habendus est ultimus status juspatronatus, dum nominatus fuit Ascensius postremo defunctus. Porro siluerunt tunc sane fœminæ: at ideo siluerunt, quia aderant tunc temporis agnati masculi de familia Arquati, ipsi scilicet pater, et patrui Catharinæ, qui ei gradu præcellebant, eaque erant institutoribus Cappellaniae proximiores.

Si ergo jus nominandi uni Catharinæ competebat, posthabita quacumque alia nominatione, is dumtaxat est instituendus, qui fuit ab ea nominatus, idest clericus Petrus Alexander Persia. Is autem cæteris nominatis esset præferendus, utcumque placeret in calculo nominationes habere, quas fecit Joachim Pesci, primum erga nepotem Ferdinandum, deinceps erga filium Aurelium. Ferdinandum enim vincit tum ætate, tum majori sanguinis conjunctione erga institutores Cappellaniæ; utrique vero præstat paupertate, et propensione ad Sacerdotium. Voluerunt quippe Cappellaniae institutores, ut nominaretur = *aliquis sacerdos, vel clericus de descendentia sive masculina, sive fœminina præfati D. Blasii, ita ut si sit Clericus possit, et valeat obtinere dictam Cappellaniam pro supplemento patrimoni sacri, cujus titulo promoveri possit ad sacros ordines* =, insuperque jusserunt = *ut præsentetur sacerdos proximior ipsis Blasio, et Francisco, et inter proximiores præferatur semper senior, et quæ major, et quatenus concurrant sacerdos, et clericus, qui ambo sint proximiores, praelatio concedatur clerico nondum in sacris ordinato* = adeo autem abest Petro Alexandro præferendum esse Ferdinandum, ut ipse Joachim Pesci, qui eum nomiuavit videns gradu remotiorem illum esse, nominatiunem suam retractavit, eamque contulit in filium Aurelium. At vero neutra ex his nominationibus potest sustineri. Non prima, quia nedum eam revocavit Joachimus, sed quia præterea sperni omnino debet, semel 3

ac contra votum institutorum is fuerat nominatus, qui, et junior erat, et gradu remotior. Non alia, quia non erat amplius Joachimo permissum ad novam procedere nominationem, postquam ipse nuncium miserat cuilibet juri, quo ex civilibus, aut sacrorum canonum legibus uti potuisset pro variatione nominationis, et ipsa res fuerat in judicium deducta.

4 Quamvis enim, dum agitur de jure patronatus laicali, licitum sit patrono laico variare, et cumulare nominationes; nequit tamen amplius hoc jure uti, si ei renunciavit expresse in prima nominatione, aut si ex instituto coram Episcopali Curia judicio res non sit amplius integra. *Fargna de jure patr.* 2 *can.* 9 *cas.* 4., *Piton. controv. patron. alleg.* 99 *n.* 11 *et sequ.*, *Rot. Decis.* 41 *num.* 15 *cor. Riminaldo, et Decis.* 56 *num.* 12 *cor. Eodem.* Res vero in idem recideret, utcumque nec renunciatio obstaret, nec jam institutum ad tempus initæ alterius nominationis judicium. Quandoquidem Aurelius Pesci secundo loco nominatus, etsi clericalem tonsuram suscepisset adhuc ephebus, deinde nihilominus ecclesiasticam militiam deseruit, et sæcularibus negociis addictus, vestes clericales abjecit, nullaque cæteroquin eget Cappellania, quam sibi potest ex propriis fundis constituere, si mavult ad sacros ordines promoveri; a quibus tamen adeo alienus est, ut jam adoltus, et septimum agens lustrum, de contrahendo matrimonio noperrime cogitaverit. Quantum autem Cappellania non eget Aurelius, tantum indiget Petrus Alexander, qui extrema laborat inopia, quique præterea, cum tonsura, et sacris minoribus ordinibus auctus fuerit, et facilius deinde valeat ad sacerdotium ex adepta Cappellania promoveri, omnibus pollet requisitis ab institutoribus Cappellaniæ præscriptis, et pro nominato haberi debet ex ipsa lege fundationis. Seposita demum Catharinæ nominatione, nemini dubium, quin ob patronorum scissuram Anagnino Antistiti jus competat nominandi, qui cum gratificatus fuerit Petro Alexandro, nulla ratio subest, cur ejus sententia servanda non sit.

Et ita etc. utraque ec.

ANCONITANA CAMBIORUM

Lunae 26. *Januarii* 1829.

ARGUMENTUM

Obnoxiae sunt legum rigori, et severitati Tribunalium, alienationes a decoctis patratae in fraudem creditorum: at quominus declarationes proferant, et testimonia, nil vetat. Confessiones namque, et declarationes quoque decoctorum, si necessariae sint, et praesertim si adminiculis fulciantur, attendi debent, licet creditoribus afferant praejudicium.

SUMMARIUM

1. Qui pro persona nominanda contrahit, veluti nudum procuratorem, ac mandatarium se constituit.

In hujusmodi casu persona pro qua agitur non simulatur, si reticetur. - ibid. -

2. Ad simulationem probandam valida argumenta in promptu esse debent.

3. Ei pro quo constat stipulationem intercessisse collybi dominium adscribitur.

4. Actus omnes infirmantur si constet initos fuisse a decocto ad tempus decoctioni proximum.

5. Bifariam iniri potest contractus pro persona nominanda.

6. Nominationem procrastinare ultra annum, a die initae stipulationis numerandum, non licet.

Confessiones decoctorum si necessariae sint, attendi debent - ibidem. -

7. In nominatione necessaria dies perfiniri non potest.

Nominatio, post plures etiam annos dilata utilis est - ibidem. -

8. Jus domino ademptum censeri nequit ex eo quod Procurator per aliquot annos personam pro qua contraxit, patefacere destiterit. - E num. 9. -

10. Qui simulatam actum instituit, caetera quoque ad simulationem composuit, ne proposito, simulandi fraudetur.

DECISIO CCCXLIX.

Trinos, volvente anno 1821; iniit obliquos collybos pro persona nomi-

nanda, et cum pecuniis nominandæ personæ, Joseph Consolani, non exigui nominis tunc temporis Anconæ negociator: omnes quidem per publicas tabulas, et aureorum nummorum (*doppie*) millium, quos ille fœnori dedit, primo ad diem *decimam secundam* Maii Commendatori Æmilio Ripanti; rursus ad diem *decimam septimam* ejusdem mensis Francisco Angelo Marinellio; tertio demum Marchioni Botitio Trionfi ad exitum Junii. Post quadriennium fere a stipulatione horum contractuum elapsum inopinato creditoribus suis ipse decoxit, pluribusque controversiis decoctione sua præbuit materiem, eique præsertim, de qua hic quæritur. Cum enim ipse pridie quam a Judicibus de mercatorum, ac commercii negociis jus Anconæ dicentibus dies decotionis suæ constitueretur, quorum SententiamSacer Ordo probavit, prout videre est ex Decisionibus *in Re Commerciali* ab emerito Collega, et amplissimo nunc S. R. E. Cardinali Marco anno 1826 evulgatis sub titulo *Anconitana Decoctionis*, privata apocha declarasset collybistica nomina a se inita anno 1321 pro persona nominanda, ad Comitem Franciscum Cresci pertinere, ejusque ære fuisse contracta; insurrexerunt illico Consolanii creditores, decoctique patrimonii Syndici, ac nullitatis insimulantes declarationis chirographum, contendere cœperunt, non quidem ad Crescium, sed ad unum Consolanium bina cambia spectare, tum illud, quod cum Francisco Angelo Marinellio, tum alterum, quod cum Marchione Bonitio Trionfi celebratum fuit. Ex principali venia delata statim rei cognitione ad Sacrum Auditorium, ut præviis duabus Decisionibus, ac universæ Aulæ Suffragio dirimeretur, placuit Dominis Meis in Comitiis habitis anno superiore pridie Kalendas Junii comperendinari judicium, ac testes utrinque adductos, et adducendos examinis prelo subjicere. Hodie vero, post absolutum examinis negocium, cum ego suffectus superius laudato Collegæ, jam Causæ Ponenti, rogationem proposuerim in hæc verba – *An, et cujus favore constet de proprietate cambiorum in casu etc.* – Responsum retuli – *Affirmative favore hæredum Francisci* –.

1 Quantum enim patebat ad Consolanium pertinere non posse collybistica nomina, quod unum sat esset ad repellendos creditores; tantum æque constabat ea ad Comitem Franciscum fervente lite defunctum, unice pertinere potuisse. Ad Consolanium non spectare collybos ex iisdem revincitur publicis tabulis, ubi non proprio nomine, sed alieno, pro persona scilicet nominanda, stipulatus fuit, ac item non ex ære proprio, sed ipsius personæ, pro qua stipulabatur, cambia contraxit. Quod si Consolanius eo tempore quo nihil, minus poterat suspicari, quam eum aliquando fuisse defecturum, professus est, non pro se, sed pro alia persona, non sua, sed aliena pecunia contractibus collybisticis operam dedisse, litera profecto stipulationis occidit, et vi sua prohibet, quominus dici valeat Consolanium pro se egisse. namque contrahit pro persona nominanda, veluti nudum procuratorem, ac mandatarium se constituit, cum hoc discrimine dumtaxat, ut mandantis personam non exprimat, ut fit in aperto procuratore. At, si latet persona mandantis, non occultum est procuratorio nomine eum gessisse, qui pro alio agere, et contractum stipulari protitetur. Vehementer autem errant, qui putant hac in re simulationem intercedere vel personæ, vel nominis. Non simulatur siquidem, sed reticetur tantum persona, pro qua agitur: ut tum solum simulatio non immerito objiceretur, si Consolanius egisset nomine suo, ac deinde Crescium nominasset, quod sane longissime distat a litera contractus. Quisquis hinc authumaret Consolanium mentito nomine proprium exercuisse negocium, is simulationem demonstrare teneretur, quæ cæteroquin, ut docti sciunt, indoctique, patrata non dicitur, nisi probata simulandi caussa, et validis accedentibus præsumptionibus actum simulationem suadentibus.

2 Nedum tamen nulla erat caussa pro-

curatoriam simulandi qualitatem, si proprium negocium Consolanius egisset; sed ejus intererat, quod magis est, ne quidquam simularet. Integra enim erat tunc temporis, et honestissima de homine illo fama, et fides adeo gravis, ut florentissimam faceret in emporio Anconitano mercaturam, et concredita ei fuerit ab ipso Anconæ Municipio arcæ publicæ custodia, et procuratio. Atqui nil magis interest negociatorum, quam ostentare pecuniam, et exaggerare divitias: eum sæpe accidat, ut quo magis erescit existimatio opulentiæ, eo latius pateat, et protendi valeat negociatio, quæ non pecunia solum, sed opinione pecuniæ promovetur. Non congruebat itaque conditioni Consulanii eique, in qua versabatur, mercatoriæ qualitati, alienum fingere, quod suum erat, quando ei potius expediebat suum fingere; quod erat alienum. Non una autem deficit simulandi caussa; sed simulationis præterea conjecturæ desiderantur, quæ aliunde conflictarentur a fortunis, et conditione Consolanii, ex qua palam est nunquam fieri posse, ut ad eum collybistica nomina pertineant. Adeo quippe tenue, revolutis post decoctionem codicibus, emersit ejus patrimonium, ut ipse fateri creditorum cætus debuerit, usque a negociationis suae primordiis eum bonis caruisse, ad eaque comparanda, exercendamque mercaturam alienis abusum fuisse. Conflictarentur rursus ab aliis præsumptionibus, ex quibus certe eredendum non est, posthabitis quæstuorioribus commercii negociis, in facnore Consolanium voluisse collocare pecuniam, si sua revera fuisset. Subest porro ratio, cur fænerationem selegerit Creseius: non item patet, qua de causa maluerit Consolanius, caeteroquin negociator, hac in re repudiare commercia, majorique lucro, quod semper avidissimi quaerunt mercatores, valedicere, fæneratione selecta.

3 Magis incredibile est, quod per quatuor, vel per quinque annos in fænore jacere pecuniam maluerit Consolanius, quam in opportuni ntes mercatoriis multo utiliores impendere, licet dies restitutionis pecuniæ venisset, quam nihilominus apud debitores, prorogato capitis reddendi tempore, reliquit. Cujusque denique hominis eredulitatem vincit, quod idem Consolanius, in graves angustias subinde conjectus, uti noluerit ea pecunia, si sua fuisset, deque ea disponere potuisset. Poterat utique præsidio illo nommorum aureorum *bismillium* decoctionis calamitatem praepedire: cum tamen id non fecerit utcumque de nomine, ac fortunis ageretur, nemo non intelligit id facere nequivisse, quia sua pecunia non erat. Crescit imo vis argumenti, ex eo quod medio piaculari anno 1825, quo tempore dies defectionis ejus patrimonii imminebat, collybum cum Marinellio prorogavit, quin pecuniam in usus suos adhiberet, ut necessitas urgebat. Quamvis autem chartæ omnes, et scripturæ Consolanii ab ejus creditoribus retinerentur, non hi tamen probare potuerunt quidquam fuisse illis adnotatum, aut de capite, aut de fructibus, aut de erogatione pecuniae. Nec obest codices regulariter, et ad juris tramites non fuisse servatos. Patet enim ex inventario non deesse ephemerides, et adversaria non pauca, in quibus dati, acceptique rationes continentur. Si itaque in his nullum extat indicium, voeula nulla de collybis, planum est eos ad Consolanium minime pertinere. Tanta siquidem oscitantia; si ne in imperito quidem, et idiota quolibet praesumenda non est; multo minus suspicari potest in negociatore, eujusmodi erat Consolanius ante decoctionem. Non ei ergo, qui patulis verbis professus est sese contrahere pro persona nominanda, quod frequentissime in usu est, ut animadvertit *decis.* 71, *coram Ansaldo*, , et honestissime peragi solet, sed alteri, pro quo constet re, et substantia stipulationem intercessisse, utriusque collybi debet. *Salgad. labyr. credit. part.* 2. *Cap.* 13. *numero* 28. *Rot. in Ravennaten. Census* 4. *Julii* 1785. §. 6. *cor. Soderino.*

Is procul dubio fuit Crescius: quod est Secundo loco demonstrandum. Nam 4

nemo alius prodiit, qui collybos sibi arroget, quique sub velo personae nominandae sese delituisse proteatur. Nominavit Consolanius. In Crescio denique audiendi erant Consolanii Creditores dum irritam, et inanem traducebant declarationem, quod ei subscripserit Consolanius pridie quam decoqueret, et post quadriennium a stipulatione contractuum emensum. Dicebant enim, non esse quidem a jure impermissum, ut quis contrabat pro persona nominanda at personae nominationem intra annum explendam esse contendebant; quo tandem explendam esse contendebant; quo tandem expleto, quin fuerit persona nominata, ita rem haberi oportere, perinde ac si is, qui contraxit pro persona nominanda, pro se ipso contraxisset, nec ab eo abdicatum rei dominium censetur. Quemadmodum hinc actus omnes, qui sive ad commercium pertineant, sive alia quaevis respiciant civilia negocia, infirmantur, ac pro irritis existimantur, si constet initos fuisse a decocto ad tempus decoctioni proximum: ita irritam, nulliusque momenti judicandam esse propugnabant personæ nominationem a Consolanio factam pridie quam decoctus ex Sententia Judicum Commercii Anconæ renunciaretur. Ut ut enim disputent inter se Doctores, quale sit tempus decoctioni proximum et diversum pro Sententiarum varietate praefiniatur; concludebant tamen ex auctoritate *de Luc. ad Gratian. Cap* 391 *num.* 14 *Scacc. de Commerc.* §. 2. *gloss.* 5 *num.* 445., *et Sacri Ordinis decis.* 104 *num.* 1 *coram Buratto* illud extra controversiam esse, brevius uno die tempus a nomine constitui.

5 Sed hæc, utcumque in jure compertissima, huic themati minime conveniebant: ac has regulas objicere idem erat, ac *procedere ad generalitates sine casuum distinctione*; ut inquit *Card. de Luca.* Aliud profecto est nominatio, ex qua jus novum confertur in nominatum; aliud ea, quæ nominati jus ab initio quæsitum declarat. Nunquam vero Consolanius ullo jure potitus est in pecuniam, quam uti mandatarius, et procurator a Crescio recepit ut in collybos impenderet, non suo, sed nomine alieno, sive pro persona nominanda. Nominatio igitur non fuit juris novi translatio, sed declaratio dumtaxat, quam explevit mandatarius de persona, a qua pecuniam, et mandatum contrahendæ cambiariæ negociationis acceperat, Ad tollendam quamcumque juris antinomiam constituendum est, bifariam iniri posse contractus pro persona nominanda. Nonnunquam acquiruntur bona: sed emptor jus nominandi alium sibi præservat, atque emere profuetur pro persona nominanda, eo cæteroquin consilio, ut ad se, nemine nominato, acquisitio pertineat. Sæpe e converso bona acquiruntur pro persona nominanda, ejusque pecunia, cum proposito tamen personam omnino nominandi. In primo quidem casu non inutiliter quæritur, cujus interim sint, cujusque periculo bona acquisita, et ad quem fructus pertineant, usquedum nominatio fiat. Sic item non inepte disquiritur, usquequo valeat differri nominatio, ac utrum expleri posset post decoctionem in fraudem creditorum. Nam hoc in casu, qui in conventionibus ultro, citroque obligatoriis locum habere potest, in emptione, dicis caussa, conductione, redemptione, et aliis id genus, de quibus loquebantur auctoritates a creditoribus adductæ, *voluntaria*, *non necessaria* dicitur nominatio, ac nominatus ab ipso nominante, non vero a venditore, vel locatore caussam habet.

Hinc non immerito in casu prædicto, ad vitandas fraudes, et ne diu in incerto maneant dominia rerum, cautum est, ne liceat nominationem procrastinare ultra annum, a die initæ stipulationis numerandum. Multo secus censendum est in casu alio, cujusmodi est subjecta thesis, in qua Consolanius non eo consilio contraxit, ut sibi quæsitum, omissa nominatione, rei dominium intelligeretur, sed imo pro persona nominanda, ejusque ære, atque ea demum mente personam omnino nominandi. Hoc alio in casu nominatio non est *voluntaria*, sed *necessaria*, nec est nova alienatio, conventio, ac jurium quodammodo cessio, sed procu- 6

ratoris, nudique Ministri declaratio, quæ personam occultam publicat, cujus nomine, et pecunia collybus initus fuit. Dum igitur Consolanius nominationem explevit, non contulit jus novum in Crescium, sed jus vetus patefecit, contractum executioni commisit, ac, veluti testis *qualificatus*, personam occultam renunciavit, cujus extitit in perendo negocio procurator. *Cenc. de Cens. quæst.* 67. *num.* 11. *ad* 21. *Salgad. labyt. credit. part.* 2. *cap*, 13. *per tot., Rocc. disput. jur. select. cap.* 154. *num.* 3., *et seq.*; *Rot. post Cenc. de Cens. decis.* 163. *num.* 17. Hujusmodi imo fuit declaratio, ut ad eam exhibendam, ni sponte Consolanius personam nominasset, judicio compelli potuisset. Prætereа, etsi nunquam Consolanius nominationem emisisset, id nil Crescii juribus obfuisset. Aliunde enim quam ex argumentis nempe, et conjecturis elici potuisset quæ fuisset persona, pro qua gestum negocium fuit, ut probant citatæ *dec. Ravennat:n. Census* 4. *Julii* 1785. *cor. Soderino, et decis.* 71. *coram Ansaldo* in quorum themate, nulla fuerat nominatio edita. Procul ergo abest, quod creditores, de protopraxia quaerentes inter se, dicebant ex declaratione sese fuisse fraudatos. Obnoxiae sane sunt legum rigori, et severitati Tribunatium, alienationes a decoctis patratæ in fraudem creditorum: At quominus declarationes proferant et testimonia, nil vetat. Confessiones namque, et declarationes quoque decoctorum, si necessariae sint, et praesertim si adminiculis fulciantur, attendi debent, licet creditoribus afferant præjudicium. *Salgad. labyr. credit. part.* 2. *cap.* 13. *num.* 33. *Constantin. ad statut. Urb. adnot.* 26. *art.* 2. *num.* 160., *Rot. post Cenc. de Cens. decis.* 163. *num.* 11., *et in Rec. decis.* 24. *num.* 19. *part.* 7. *decis.* 217. *num.* 5. *part.* 11. *et decis.* 253. *num.* 4. *part.* 17.

7 Si itaque oec vergit revera in fraudem creditorum, nee vergere suapte indole poterat facta nominatio, nil nocet, quod pridie decoctionis nominantis prodierit. De tempore, quo nominanda sit persona, ac de effectu dilatae nominationis, opportune quæritur in nominatione libera, et voluntaria, in qua vendinditoris interest cognoscere quis emerit, vel conduxerit; cum e contra in collybistico contractu nil interest debitoris agnoscere personam occulti creditoris, cui obligatus est, quia adest procurator, cui libere pecunia numeratur. At in nominatione necessaria sine absurdo dies præfiniri, et coerceri non potest. Esset enim idem ac diem praefioire testimonio, ac declarationi alicujus rei, quando imo deeot daclarationem veritatis esse perpetuam, nec ullo tempore præscribi. Propterea passim receptum est, nominationem post unum, vel plures etiam annos dilatam utilem esse, ac quandocumque expleri posse, si necessaria sit *Gloss. ad leg. qui fundam* 40. *vers.* 30. *ff. de contrahen. empt. Card. de Luca de Emptione disc.* 30. *numer.* 2., *De Nigris de nominat. quæst.* 80. *num.* 2., *et segn. Castill. lib.* 4. *controv. cap.* 36. *num.* 11. Minos vero peremptoria ulla die præfinitur nominandi facultas, si adminiculis, et præsumptionibus nitatur. Cum enim aliunde constet, quæ fuerint persona, cujus nomine, et nummis celebrata fuit stipulatio, nominatio fere superflua evadit, et plus ad confirmandum, quam ad constituendum jus nominati pertinet *Card. de Luc. dict. disc.* 30. *numer.* 2. *Angel. de Confes. lib.* 1. *quæst.* 8. *limit.* 6. *num.* 46. Quapropter, si Consolanius decoxisset, aut proximus decoctioni fuisset Anno 1821., quo tempore nomma collybistica uti procurator contraxit, tunc sane ambigi posset, an ex simulato rem suam alieno nomine obduxisset.

8 Quoniam autem stipulatio pro persona nominanda tempore non suspecto inita fuit, nil officit personam fuisse nominatam, ingruente jam decoctione. Nominatio siquidem ad stipulationis tempus retrotrahitur, ac veluti unus, idemque contractus habetur, quasi personae occultae nomen expressim a principio ipso fuisset adhibitum. *Sard. decis.* 182. *in fin. Salgat. labyr. credit. part.* 2. *cap.* 13. *num.* 29. *et seq.* His positis, abs re certo erat Articulus 438.

mercatorii codicis, ubi nullius roboris, et efficaciae renunciantur contractus per decem ante decoctionem dies gesti – *a titolo gratuito* – Non enim bostimenti, et remunerationis gratia, multoque minus exercendae liberalitatis ergo declarationi illi subscripsit Consolanius: sed ut oneri satisfaceret, quo tenebatur, nominandi personam, a qua pecuniam acceperat in collybos impendendam, et pro qua fuerat stipulatus. Quæ duo igitur objiciebantur, nominationem scilicet fuisse expletam post annum a die stipulationis, et pridie decoctionis, ea nihil detrahebant ex demonstratis validitati, et justitiae ejusdem nominationis, cum, nec rei veritas immutata, nec jus domino ademptum ex eo censetur, quod Procurator quatuor annorum spatio personam, pro qua contraxit, patefacere destiterit. Idque certius retinendum, quia juris dispositioni validitatem vindicanti declarationis, accedunt testimonia, et adminicula. Testes quippe, nedum numero plures, sed omni praeterea exceptione majores ob ipsum, cui obnoxii fuerunt, examen judicale, fidem præ caeteris perhibebant. Consolanium tempore non suspecto sæpe fuisse professum, ad Crescium vere spectare nomina collybistica, eumque esso a se in posterum nominandum utriusque collybi proprietarium. Quod si unus vel alter ex testibus amicitiam erga Comitem Crescium aliquam præsetulit, nihil derogat auctoritati testimonii, tum quia sex numero testes sunt unanimes, qui de hoc deponunt, cujusmodi numerus diluit, et purga exceptionem, tum quia cum de re arcana agerctur mirum est potuisse sex inveniri ex amicis, quos Crescius, utcumque studiosus obtegendi veritatem, tamen ea celare non potuit.

9 Inter autem præsumptiones, et adminicula, quæ rei dominium in Crescio revincunt, non levia ea sunt, quæ testes ipsi deponunt, et ex aliis quoque monumentis apparet, Crescium consuevisse collybos inire per interpositam personam, et quidem in aurea semper moneta, ex qua capitis restitutionem, fructumque solutionem, pacisci solebat: Crescium rursus adeo cæcam habuisse in Consolanio fiduciam, ut sine ulla satisdatione, et cum maximo discrimine fidejusserit pro quæstura arcæ municipalis Anconæ eidem Consolanio concredita, et sæpe ira in illos excandesceret, qui de illius Nomine, et fide suspicionem injiciebat; Crescium item maxime divitem fuisse ut unus potuerit adeo ingentes pecuniæ summas fænori collocare: apud Crescium repertas fuisse chartas, et scripturas ad utrumque collybum spectantes, una cum schedulis hypothecuriæ inscriptionis adversus debitores susceptæ: Crescium denique jam fato proximum fuisse, quo tempore expleta fuit nominatio, eaque facta, supremum diem obiisse. Jam vero pater familias, prout erat, octogenario major, et summa præditus honestate, non est Crescius præsumendus ita immemor æternæ salutis, ut illaqueat tanti piaculi conscientia animam Deo reddere non reformidaverit, si revera turpem patrasset cum decocto collusionem in fraudem creditorum. *Rot. in Ravennaten. Census* 4. *Julii* 1765 § 7 *cor. Soderino*.

At si tanta erat Crescii fiducia in 10
Consolanio, mirum non est, si sollicitus non fuit obtinendæ declarationis bonæ fidei, quam *antapocham* dicunt. Cæterum eamdem methodum, una excepta vice, ipse servavit cum aliis procuratoribus, et mandatariis, ex quorum persona, antequam Consolanio uteretur, pariter contraxit, adeout antapocham ab altero ex his mandatariis non requisiverit, nisi serotinam, cum scilicet dies debitori dicenda foret pro capite non minus ac interusuriis. Nec illud mirum, quod interpositam Crescius adhibuerit personam, quippe qui morbo illo afficiebatur, quo nonnulli solent mercatores. Itali præcipue, et Jannenses, teste *Salgad. labyr. credit. part.* 2 *cap.* 13 *num.* 49 laborare, ut divitias suas occuleret: idque egit fortius cum Marchione Bonitio Trionfi genero suo, cui stipulanti fidejussor accessit, ne scopus simulan-

di deficeret. Qui enim simolatnm aliquem actnm instituit, cætera quoque ad aimnlationem componit, ne ipsum qnodammodo propositumsimulandifraudetur. *Roto in Bononien. Separationis bonorum* 6 *Aprilis* 1818 § 7 *coram Eminentissimo Odescalchi, et in Romana Pecuniaria* 5 *Martii* 1819 § 13 *coram Reverendissimo P. D. Tiberi*. Nec mirum denique, quod Consolanius uti suos, imminente decoctione, cullybos venditaverit, eorumque distractionem curaverit; quoniam is, qui aliena patrimonia obligurivit, arcas publicas expilavit, datam fidem turpiter fefellit, ut probant indubia monnmenta, facile etiam poterat amicitiam prodere, et male partam hominis fiduciam decipere: retorquetur imo in Creditores Consolanii argumentum. Si enim cambiaria nomine ad Consolanium vere pertinebant, explicari nequit quomodo neminem inducere potuerit ut illa vel in solutum acciperet, quamvis creditores haberet adeo flagrantes, et egentes.

Et ita ' accedente meo suffragio, Universa Aula judicavit, Utraque etc.

ANCONITANA CAMBIORUM

Veneris 5 *Julii* 1829.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXLIX. ·

SUMMARIUM

1. *Qui nomine alieno contrahit procurator est. Simulatio deest ubi, pro persona nominanda, ejusque pecunia contrahitur* - *Ibid.* - Et num. 2.
3. *Ei adscribendum dominium nominum collybisticorum, pro quo patet initam stipulationem fuisse.* - Et num. 4 -
5. *Regula de nominatione intra annum absolvenda plena est odii, et creditoribus obnoxia.*
6. *Qui per alium facit per se ipsum facere videtur*-
7. *Nulla fraus paratur a contrahente pro persona nominanda, si ad multos etiam annos differat nominationem.*
8. Voluntaria *nominatio ab necessaria differt.* - Et num. 9. -

DECISIO CCCL.

Dum albus hodie mane calculus est Decisioni a me vulgatæ ad diem *sextam supra vigesimam* Januarii hujusce anni, ubi constitutum fuit, ac definitum, bina nomina collybistica aurum omnino *bismillium*, a Josepho Consolani olim in Anconæ emporio negociatore anno 1821 pro persona nominanda, ac cum pecunia personæ in posterum nominandæ contracta cum Francisco Angelo Marinellio, et Marchione Bonitio Trionfi, ad defunctum Comitem Franciscum pertinuisse, satisfactum insimul est legi S. M. Leonis XII. qui rescripto suo, reclamantibus Consolanii interea decocti creditoribus utriusque collybi dominium, controversiam istam Sacro Nostro Ordini delegavit, præviis duabus Decisionibus, ab omnibus dominis appellatione remota, dirimendam. Cum igitur præfati creditores irritum denuo traducerent, atque inane chirographum a Consolanio Subscriptum pridie quam ejus defectio a Judicibus do mercatorum, ad commercii negotiis Anconae jusdicentibus Solemni Sententia renunciaretur, ae trutinam revocata ipsa mea Decisio, ea adeo invictis inniti rationum momentis comperta est ut Patres de more rogati = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = perstiterint prorsus = *in Decisis* =

Summa rei erat, ut iterum cognoscerctur, utrum germanis de Comitibus Cresci, uti filiis, et hæredibus Francisci, an Consolanti patrimonio, ejusque creditoribus addicendum sit utriusque collybi dominium. Sed nil juris experiri posse super utroque collybo Consolanii creditores publicæ contractus tabulae revincunt, ubi Consolanius non pro se stipulatus fuit ea mente, ut alium deinde nominaret: sed contraxit nomine alieno pro persona scilicet nominanda, ejusque ære, lucro vel damno. Ita autem contrahendo merum sese procuratorem, ac mandatarium fecit personæ deinceps nominandæ, qui si in occulto manet, ac reticetur, quousque nominatio fiat, 1

non latet nihilominus eum, qui stipulationi dedit operam, procuratorio nomine egisse. Nec petitione principii laborat argumentum ab ipsa tabularum litera deprompitum. Tunc vitium istud obiicii posset, si ex eo solum, quod Consolanius contraxit qua mandatarius, et pro persona nominanda inepte coniiceretur emolumentum omne contractus ad comitem Crescium spectasse: idemque esset ac quæstionem solvere cum eo ipso, quod in quæstione est. At, si ex eo quod Consolanius contractum iniit pro persona nominanda, ac cum nominandae personae pecunia, arguitur Consolanium adscribere sibi non posse utriusque collybi nominium, eosque ad alium quemcumque quam ad Consolanium pertinere; nemo profecto unus intelligit, procul ab ulla principii petitione, decidendi rationem ab ipsa descendere confessione contrahentis, qui cæteroquin pro persona nominanda contractui subscribens nihil certe simulavit. Non injuria Simulationis vitium exprobaretur, si Consolanius egisset nomine suo; et stipulationis compendium in alterum postea contulisset; cum tamen is pro persona nominanda cujusque pecunia contraxerit, longe diversa res est, et a simulatione disjuncta. Consulatur prima *Decis* § 2.

2 Aptari vero huic themati nequit quod pluries in corpore juris, sed potissimum in *Leg. qui aliena Cod. si quis alteri, vel sibi* scriptum est, rem emptam, vel conductam, ei acquiri, qui nomine suo contractum gessit, non alteri qui pecuniam ad emendum, vel conducendum suppeditavit. Etsi enim pecunia aliena stipulationi accesserit Consolanius, non tamen stipulatus fuit nomine proprio, sed pro persona nominanda, cui proinde justa contractus initio quæsitum est ad dominium utriusque collybi vindicandum. Caeterum nec simulavit revera, nec quidquam simulare Consolanio expediebat, quippe qui tunc temporis copiosam Anconae mercaturam exercebat, ideoque apud suos divitiarum, et probitatis in primis opinione præstabat, ut ejus fideicommissa fuerit, tum plurium familiarium administratio, tum Arca Municipalis Anconæ. Cum autem progrediatur eo latius negociatio, mercatorisque commercium, quo magis Consolanium, si sua revera pecunia fuisset, contrahere nomine proprio, quam pro persona nominanda, ut ita negociationes suas, ac commercium ampliare. Immo cum Consolanium potius juvaret suum fingere, quod erat alienum; absolutum est, ut dicamus alienum simulasse, quod suum esse, et proprium. Quapropter illud idem constat, una cum laboris, contrahentis quoque conditionem suadere unum, et alterum collybisticum nomen ad Consolanium spectare non posse.

Nedum enim, illius defectione Superventa, ejusque Codicibus, et privatir libris inspectis, apparuit nihil unquam eum in bonis habuisse, et abusum aliena pecunia fuisse ad negociandum; verum etiam præsumi nequit solertem, navumque virum, quæstuosiora negocia Commercii postbabnisse pecuniamque suam voluisse fænori collocare: quod quantum congruit patrifamilias bonas artes profitenti, qui modico gaudet fructu, tantum aviditati repugnat negociatorum, qui nova lucra quotidie terra, marique auspicantur, moliuntur. Publicis vero tabulis, ac contrahentis conditioni plures, et validæ præsumptiones adstipulantur æque revincentes collybistica nomina ad Consolanium minime pertinere. Porro non solum ænigma, sed rem sapit absurdam, quod Consolanius, cum prope esset, ut creditoribus dequoqueret, noluerit uti pecunia sua ad calamitatem decotionis vitandam, et collybos cum debitoribus duxerit renovandos, utut dies restitutionis venisset. Neque item præsumendum est prudentem alioquin mercatorem nihil nec de capite, nec de interusuriis utriusque collybi in suis calendariis adnotasse, quamvis ephemerides haberet, ubi dati, accoptique rationes exscribebat. Illorum omnium hæc una collectio est, fieri non posse, ut is dominio polleat nominum collybisticoourm, qui palam professus fuit 3

sese contrahere pro persona nominanda, et cum pecunia nominandæ personae. sed ei adscribendum est eorum dominium, pro quo revera patet re, et substantia initam stipulationem fuisse quemadmodum optime arguit superior causæ *Decis.* § 4.

4 Personam autem pro qua stipulationem iniit Consolanius, unum fuisse Crescium, argumenta plura, ac rationum momenta non ostendunt modo, sed palam faciunt. Non alius primum, præter Crescium, in medium venit collybistica nomina vindicaturus. Unum præterea Crescium nominavit Consolanius ante decotionem. In uno denique Crescio plura concurrunt adminicula, quæ veritatem expletæ nominationis confirmant. Nam præ cæteris, Crescius potissimum solebat per interpositam personam contractus collybisticos celebrare in aurea pecunia, cujusmodi ea fuit, quam Consolanius, uti Cresci mandatarius, tam Marinellio, quam Marchioni Bonitio Trionfi subministravit, Crescius itidem adeo opulento patrimonio potiebatur. qui tam ingentes pecuniæ summas posset fænori collocare. Crescius rursus ita acquiescebat in fide Consolanii, ut nil hæserit quin pro eo fidejuberet erga Anconæ Municipium, a quo idem Consolanius arcam publicam receperat custodiendam. Crescius pariter penes se retinebat exemplaria tabularum, et schedulas hypothecariæ inscriptionis adversus debitores susceptas. Crescius item mortem obiti, nominatione jam facta, nihilque, antequam in fata concederet; ei objecit, neque eam retractavit; quod sane homo pius, et octogenario major facere non detrectectasset, si falsa nominatio fuisset, et pro re nata conficta in fraudem creditorum. Crescio denique favebant testes numeris omnibus absoluti, usque ad numerum senarium, et examinis prælo subjecti, qui tempore non suspecto tam a Consolanio, quam a Crescio, audivisse asserebant collybistica nomina; non primi, sed alterius propria esse. His testibus septimus nunc accedebat æque fida dignus, utcumque extra judicii ritum quæsitus, qui aliorum dicta confirmabat. Adeis Superiorem *decis.* § 10 ubi fusius do his edisseritur præsumptionibus.

Antithesim hæc omnia præstant argutationibus, quæ adversus Crescium proponuntur a Consolanii Creditoribus. 5
Qui vero a Consolanii creditorum partibus erant, quomodo sese torquebant, ut hujusce patrimonii vim imminuerent. Et primo authumabant haud impermissum in jure esse quominus quis contrahat pro persona nominanda; sed nominationem intra annum, a die stipulationis incipiendum, absolvi oportere subdebant, ne dominia rerum in incerto maneant, et ne via pene consularis fraudibus, et simulationibus aperiatur. Hinc etiam objiciebant nominationem *necessariam* esse quousque pergit annus, eo autem elapso, evadere *voluntariam* nec amplius licitam esse in præjudicium creditorum, qui post annum emensum, omissaque nominatione; rite existimare potuerunt, ad stipulantem pro persona nominanda contractus emolumentum pertinere, ac sub hujus justæ credulitatis clypee ad contrahendum cum eo adducti sunt. Tandem non suspiciosam dumtaxat traducebant, sed nullitatis insimulabant Syngrapham nominationis a Consolanio subscriptam pridie decoctionis. Cuncta hæc tamen in superiori Decisione profligata, et hodie denuo congesta ab Oratoribus Consolanii, nil ei profuerunt. Animadverteban etenim pro eorum sapientia Patres regulam de nominatione intra annum absolvendam ab uno vel altero ex Doctoribus suggestam admodum odii plenam esse, et veris creditoribus noxiam, nec aliunde latet alios non desiderari Doctores, qui nominationem post unum, vel plures annos peractam recipiunt, et probant si adminiculis fulciantur.

In hoc proinde opinionum, Sententiarumque conflictu probe distinguendum esse concludebant. Alia siquidem est nominatio, ex qua jus novum quæritur nominato; alia vero nominatio, quæ jus nominati ab initio quæsitum pandit, explicat, declarat. Cum vero Consolanius, tamquam mandatarius con- 6

traxerit personæ in posterum nominandæ, nullum jus adeptus fuit ab initio contractus, ac omnia gessit nominanda, quæ ita habenda est; perinde ac si ipsa adfuisset stipulationi. Nam qui per alium facit per se ipsum facere videtur *Cap. Qui facit de reg. jur. in 6.*, *Leg. Ita §. Gessisse ff. de Administr. tut.* Dum itaque personam nominavit Consolanius, non jus novum transtulit in nominatum, sed eum declaravit, qui celari principio voluit, et pecuniam mandatario sua præbuit ad contrahendum. Qua in re non inutiliter explicandum denuo est, quod jam præcedens mea *Decis.* §. 6. constituit; duplici modo fieri posse contractus pro persona nominanda. Quandoque enim bona emi solent pro persona quidem nominanda, sed eo tamen consilio, ut quodammodo lege, vel in contractus tabulis expressa, vel alio modo probata, ut omissa nominatione, res fiat acquirentis. Sæpe e contra bona acquiruntur pro persona nominanda, ejusque pecunia, cum proposito tamen personam omnino nominandi. Hoc autem propositum, nisi palam verbis exprimatur, satis etiam elici potest ex indole contractus, si nimirum acquirens, nec nomine, nec ære suo fuit stipulatus: quo sane casu necessario sequitur commodum omne, vel incommodum contractus, alium quemcumque afficere, atque percellere, quam stipulantem pro persona nominanda. Alterius hujusce generis esse contractus, de quibus agitur, litera stipulationis avincit.

7 Utique in primo casu cum res sit de nominatione voluntaria, quæ ab arbitrio pendet acquirentis, non inepte disputatur, cujus interim sint, cujusque periculo bona acquisita, et ad quem spectant fructus, usque dum nominatio contingat. Huc refertur illorum Doctorum opinio, qui rati sunt nominationem explendam esse ad coercendas fraudes, intra annum, quo elapso, reputandum esse commodum stipulationis ad stipulantem pertinere. Non ita vero censendum est in casu alio in quo, cum agatur de nominatione *necessaria*, et quilibet, cujus interest, stipulantem lacessere potest ad nominationem explendam, inceptum esset diem, et terminum præstituere nominationi absolvendæ idemque esset, ac diem præfinire edendo veritatis testimonio, quod decet esse perpetuum. Nulla enim fraus paratur a contrahente pro persona nominanda, et cum pecuniis nominandæ personæ, si ad moltos etiam annos differat nominationem. Nonnisi quippe insipiens, et fatuus opinari potest, emolumentum contractus gesti pro persona nominanda, ac cum pecuniis nominandæ personæ, ad eum pertinere, qui ita cum aliquo contraxit. Quapropter incivile erat, quod Consolanii creditores urgebant, sese ex nominatione pridie decoctionis ab ipso Consolanio erga Crescium inita fuisse fraudatos. Neque enim legum censuræ, quæ contractus alienationum a decoctis celebratos paucos ante dies decoctionis revocat, veluti gestus in fraudem creditorum, obnoxia esse potest declaratio, et nominatio a Consolanio facta, quæ nil aliud ex præmissis sapit, nisi testimonium veritatis.

Atqui nil vetat, ne testimonia a decoctoribus quoque perhibeantur, si necessaria sint; et aliis veritatis praesumptionibus munita, utcomque vergaut in creditorum destrimentum, prout probat prima *Decis.* §. 7. Hinc nominatio ad tempus stipulationis retrotrahitur, atque unus idemque contractus existimatur, perinde ac personae occultæ nomen a principio panditum fuisset. Discrimine itaque facto inter nominationem voluntariam, et necessariam, conciliantur Doctorum inter se dissidentium sententiæ, neque ees errare manifestum est, qui nominationem sustineri arbitrantur, licet post multos annos absolutam, si necessaria comperiatur, nec adminiculis destinata. Utroque extremo poliet nominatio a Consolanio in Crescium facta, quippe quæ, tum necessaria fuit, tamquam ab eo contractu promanans, cujus commodum suapte indole non poterat ad stipulantem pro aliena persona, et cum pecunia nominandæ personae, pertinere: tum pluribus fulcitur adminiculis, at praesumptionibus, cujusmodi profecto sunt illæ omnes, quæ longa serie recensen- 8

tur in §.5. hujusce Decisionis, et rursus in superiori Decis. §. 10. At tamen contra has etiam præsumptiones, adminicula, et conjecturas, dominium nominum callybisticorum in Crescio suadentes, insurgebant Consolanii creditores, nec eredendum dicebant; quod Crescius voluerit adeo ingentes pecuniæ summas eidem Consolanio fidere, nulla bonæ fidei syngrapha ab eo obtenta, qui caeteroquin palam, et publice collybistica nomina uti sua distrahenda curavit.

6 Sed oleum perdebant, et operam. De hominis namque consuetudine per interpositas contrahendi personas, et divitias suas, ut plerique solent negociatores, oculendi, ut pauper quodammodo, et egenus, apud suos; et propinquos præcipue videretur, testes plures deponebant omni exceptione majores. His accedebant plures etiam hujus generis contractus, qui consuetudinem ipsam contrahendi per personam comprobant. Quod si plurimam in Consolanio fiduciam Crescius habebat, nec sese de bonæ fidei declaratione consequenda sollicitum præbuit, non alia ratione id fecit, nisi quia nihil ei timendum erat ex eo genere stipulationis, quæ natura sua suadebat ad stipulantem pertinere non posse stipulationis emolumentum. Reque mirum in homine, qui arcas publicas expilavit, et pecuniam alienam in usus suos convertit, quod edllybos, ingruente decoctione, jactaverit uti suos, et distrahendos curaverit. Certum tamen est nihil unquam vendidisse, si exeipias collybum eum Commendatore OEmilio Ripanti, cujus tamen pecunia Crescio tradita fuit. Ex quo duo sequuntur, quæ æque favent hæredibus Crescii: quod nimirum, aut non invenerit Consolanius, qui ab eo emeret, quem non dominum sciebat: aut quod ipse nunquam se ad vendendum induxerit collybos, licet ageretur in frequentissimo emporio, ac de summis vendentis angustiis, quia noscebat rem alienam esse, non suam. Cuncta ergo probant summo jure hæredes Crescii vindicare utriusque collybi dominium, quod eis, et præterita, et præsens Decisso addixit.

Atque ita confirmata prima Decisione cum universi Ordinis, meoque suffragio jus redditum est. Utraque etc.

ARIMINEN

GRADUATIONIS ET CONSIGNATIONIS

Lunae 4. Maii 1829.

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae Confirmatur - DECISIO CCCXXVIII.

SUMMARIUM

1. *Qui fuit anterior in hypotheca inscribenda, is caeteris praefertur.*
2. *Hypothecaria inscriptio non afficit bona cuncta debitoris, sed ea coercetur intra limites territorii ubi tabularium existit, in quo fuit inscripta*
3. *Jurisdictio cujusque tabularii a jurisdictione metitur ejus loci, in quo adest tabularium excipiendis inscriptionibus destinatum*
4. *Competens Tribunal est illud cujus jurisdictioni subest praedium hypothecarum vinculo mancipatum, si de bonis hypothecae vinculo affectis agatur.*
5. *In rebus judiciariis plurimum defertur testimonio Causidicorum et Tabellionum.*
6. *Cum agendum sit de hypothecarum inscriptione, non inquirendum ubi resideat potestas administrativa et politica, sed auctoritas judiciaria.*
7. *Renovatio inscriptionem supponit anteactam, quae si vitiosa apparet renovatio effectu caret.*
8. *Si accil uxori viri error potere debet a viro illati damni sarcitionem.*
9. *Ex Pontificibus sanctionibus non aliter valiturae dotales hypothecae, quam si inscriptae statuto tempore fuerint.*

DECISIO CCCLI.

Probari, confirmarique hodie promeruit, quod definitum est anno superiore in Comitiis habitis ad diem *tertiam* supra *vigesima* Junii, jus bene, recteque redditum ab Urbini Prætore fuisse, quippe in judicio proropraxiæ

super pretio prædii sub corona distracvi, ac in agro *Seclani* prope Urbinum jacentis, primo Philippum Filippi, dein Marcum Roselli, tertio conjuges Petrem Pucci, et Lauram Carboni, cæterisque omissis postremo Theresiam Giorgi præferendos esse duxit, uti creditores ex diversis nominibus Francisci, ac Josephi germanorum Fratrum Carboni, ad quos prædium illud pertinebat. Cum enim Theresia Giorgi, quæ cæteris sedem anteriorem invidebat, adversus Decisionem meam insurrexisset, tunc temporis editam, ubi latius rerum gestarum exponitur historia, datumque ei fuerit novæ audientiæ veniam ab humanitate Sacri Ordinis obtinere, factum ideo est, ut assuetam, renovato periculo, rogationem proposuerim = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Responsumque retulerim = *In Decisis.*

1 In hoc tantum differt in hoc prælationis judicio vetus a nova jurisprudentia, ut antiquitus creditores illi præponendi cæteris forent, qui anteriores erant, simulque potiores; modo vero, pro bono publico, a Pontificibus confirmato, quod a Gallis ditionem Ecclesiasticam occupantibus accepimus, hypothecarum publicis in Codicibus inscribendarum Systemate, unus inspiciatur inscriptionum ordo, quique fuit anterior in hypotheca inscribenda, is cæteris præferatur, quamvis tempore posterius sit initium crediti, quod experitur. Sive de generali, vel peculiari, sive de expressa, vel tacita, sive demum de conventionali, vel judiciaria agatur hypotheca. Leges Gallicae *in Artic.* 2165. Codicis explicatæ jusserunt, ut prælationem consequerentur = *i creditori aventi privilegio*, o *ipoteca iscritto, sopra un immobile lo sieguono presso chiunque passi per essere collocati, e pagati secondo l' ordine de' loro crediti, e delle Iscrizioni* = Idque etiam voluerunt leges nostræ de hypothecis inscribendis feliciter introductæ ex Motu Proprio S. M. Pii VII. ad diem *sextam* Julii anni 1816 evulgato, ubi *art.* 9 scriptum extat in hæc verba = *L' Ipoteca non desume il suo grado, e la sua anteriorità, se non dall' epoca della sua Iscrizione* » Hac itaque methodo, quæ repudiari nequit, in præsens amplexa ad suam sedem unicuique creditori triboendam, dignus visus est, qui omnibus anteponeretur post judicii, et sportularum sumptus Philippus Filippi, qui primus omnium pro suo credito hypothecam anno 1809 inscribendam, et non adhuc elapso decennio, renovandam curavit. Tantum autem abest nedum cæteros Creditores, qui tamen non adversabantur, quominus prima sedes ei concederetur, sed ipsam potissimum Theresiam Giorgi resistere posse Philippo Filippi, ut hujusce foeminæ creditum ortum sit multo post inscriptam ab eodem Philippo Filippi hypothecam et ipsa per consequens mulieris hypotheca, quæ sine credito non datur, multo posterior esse debeat, et revera sit, quippe quæ suscepta fuit anno 1813.

Ut resistere primo creditori, ita nec 3
alteri sese objicere potis erat foemina, nimirum Marco Rosellio, qui prædium de cujus diribendo pretio agitur sub hasta emit, et pretium utut creditor, deposuit auctoritate judicis cui de jure tradendum. Non denegabat porro Rosellina sese serius hypothecam suam in publicas tabulas recensuisse, quam fecerit Theresia Giorgi: contendebat tamen posthabendam esse hujus hypothecam, licet anteriorem quia percellere, et afficere nequivit prædium, de cuius pretio quæritur: Id vero æquissimum compertum est, et hypothecariæ jurisprudentiæ maxime consentaneum. Hypothecaria siquidem inscriptio non afficit bona cuncta debitoris, sed ea coercetur dumtaxat intra limites territorii ubi tabularium existit, in quo fuit inscripta. Secus enim, si inscriptio in altero peracta ex pluribus tabulariis intra fines Pontificiæ Ditionis existentibus, bona amplecteretur, quæ intra limites continentur alterius tabularii, ubi deficit inscriptio, non sine absurdo oporteret ad evincendam alicujus prædii libertatem tabularia omnia perquirere ditionis Ecclesiasticæ:

cui reparando incommodo, vitandoque absurdo, et Gallicanæ prospexerunt, et Pontificiæ leges. Profecto *in artic.* 3246 Gallici Codicis cavetur prout sequitur = *Le iscrizioni si fanno all'Officio della Conservazione delle Ipoteche, nel cui Circondario sono situati i beni sottoposti al privilegio*, o *alla Ipoteca* = Idipsum quoque statuit Decreto suo, quod publici juris fecit exeunte Martio Anni 1806 Italiæ Prorex = *Le iscrizioni, e trascrizioni* (ita legitur Art. 2.) *che in esecuzioni delle disposizioni del Codice Napoleone devono farsi a preservazione dei privilegi, ed ipoteche, si fanno nell' Officio del Conservatore delle ipoteche nel Circondario del quale sono situati i beni stabili sottoposti al privilegio*, o *all' Ipoteca* = Huic autem censuræ sese accomodarunt ordinationes nostræ hypothecariæ in prædicto Motu Proprio Anni 1816. expressæ *Art.* 34 in quo ita jubetur = *Se i fondi esistono in diversi Circondari di Uffici d'Ipoteche, l' Iscrizione deve esser presa in cadauno Ufficio nel di cui Circondario esistono i fondi.*

3 Verum extra controversiam erat, hypothecam suam in Tabulario Forilivii inscripsisse Theresiam Giorgi, veluti ipsamet sponte declaravit, dum die *secunda Augusti* 1823 eam renovavit non amplius Forilibii; sed Urbini. Prædium e contra auctione coostituta divenditum, non quidem Forilivii sed Urbini tabulario subjiciebatur, quousque perrexit Italiæ Regnum a Gallis invectum, idque facto comprobatur singulorum creditorum, una excepta Theresia, qui hypothecas suas inscripserunt in Urbini tabulario. Nec præsumendi sunt adeo resupini, et desides, nedum ipsi creditores, sed ii præterea, qui recipiendis, inscribendisque hypothecis præerant sub Gallorum imperio, ut primi vellent inefficacem inscriptionem explere; alii obviam ire periculo præstandi damnum ex inscriptione minus legittima, et legali proveniens prout leges ipsæ Gallorum ferebant. Sed facto creditorum loculentior est juris disciplina, qua tunc vivebamus, quæque maxime servanda hic est, cum res sit de inscriptionibus tunc temporis absolutis. Jurisdictio siquidem cujusque tabularii a jurisdictione metiebatur ejus loci, in quo aderat tabularium excipiendis inscriptionibus destinatum. Hac de causa, tam in Gallica, quam in Italia Ditione, tot erant hypothecarum tabularia, quot de primis actionibus cognoscendis Tribunalia. Ita cautum Decreto edito anno 1806. ad exitum vergente Martiu = *In ogni Commune di residenza di un Tribunale civile di Prima Istanza vi sarà un' Ufficio di conservazione delle Ipoteche. Il Circondario soggetto ad ogni Uffizio è il Circondario giurisdizionale presso il quale risiede* = Ita cautum posteriori Decreto anno 1809 ad diem quartam Julii lato = *Si stabilirà un Bureau della Conservazione delle Ipoteche in ciascun Circondario di Tribunale di Prima Istanza, e sarà situato nella Città ove risiederà questo Tribunale* » Consulatur prima mea *Decis.* §. 4

Neque id immerito constitutum censendum est. Nam juxta receptissima juris hypothecarii eo tempore vigentis principia nullum aliud Tribunal de controversiis super inscriptionibus exortis cognoscere poterat, nisi illud quod in eo aderet territorio = *Circondario* =, ubi hypothecarum tabularium quoque reperiebatur. Tribunal istud omnes dirimebat quæstiones de nullitate, et effectibus inscriptionum excitatas ita monente Italico Codice *Art.* 2156 ubi legitur » *le azioni alle quali le Iscrizioni possono dar luogo contro i creditori, saranno promosse innanzi il Tribunale competente* = At sub nomine *competentis* Tribunalis non aliud potest intelligi, nisi illud, cujus jurisdictioni subest prædium hypothecarum vinculo mancipatum, ut etiam suadet ejusdem Codicis, alius *artic.* 2259 in quo sancitum erat » *La Cancellazione delle Ipoteche deve richiedersi al Tribunale, nella cui giurisdizione si è fatta l' Iscrizione* = Jam vero inscriptio ex demonstratis peragenda erat in eo tabulario, ubi quoque extabat primarum actionum Tribunal. Unum ergo Primarum actionum Tribunal jurisdictione pollebat de con- 4

troversiis hypothecariis judicandi. Quod si jurisdictio tabularii hypothecarum a jurisdictione pendebat Tribunalis primarum, actionum necessario consequitur illudTabularium competens recipiendishypothecarum inscriptionibus fuisse, quod in eo existebat territorio, ubi quoque extebat Primarum actiunum Tribunal; ita ut tam Tribunalia, quam Tabularia connexa inter se fuerint, et quodammodo relativa.

5 Cum igitur Oppidum *Seclani* in cujus Agro prædium jacet, jurisdictioni subjiceretur Tribunalis primarum actionum Urbini, erravit Theresia Giorgi, et inefficacem inscripsit hypothecam, dum eam recensuit in Codicibus, et Tabulario Forolivii. Ad incitas redacta negabat ea quidem, Oppidum illud, jurisdictioni subjectum fuisse Tribunalis Foroliviensis, et inficiationem suam fulcire nitebatur dicto unius, et alterius testis, pro re nata coempti; sed aut turpiter negabat, aut dubio procul inscite. Testibus enim ab ea adductis præferendi visi sunt Tabelliones, Scribæ, Judices, Causidici plures, tam Pisauri, quam Urbini, et ex propria scientia deponentes, Oppidum *Seclani*, quousque perstitit Italicum Regnum, quoad judicialem jurisdictionem obnoxium fuisse Tribunali primarum actionum Urbini. Nam in rebus judiciariis plurimum defertur Testimonio Causidicorum, et Tabellionum *Rot. Decis.* 64 *num.* 19 *part.* 12., *et Decis.* 410 *numer.* 8 *Part.* 16 *Rec.* In bodierno autem jurium experimento Victores jus suum magis in aprico ponebant, educto a publicis Archiviis exhibitoque indice Municipiorum, et Civitatum, quæ Italici Regni tempore Jurisdictioni subjiciebantur Urbini easque inter potissimum continetur Oppidum *Seclani*. Nemini ergo amplius dubium esse potest quin hypothecæ inscriptio explendæ foret in Urbini tabulario.

6 Nil vero refert idam Oppidum *Seclani* quoad Administrationem et politiam subjectum fuisse Forolivio. Differt siquidem, veluti nemo unus intelligit, potestas *Administrativa et politica* a potestate et auctoritate judiciaria. Ex eo proinde, quod Oppidum illud quoad Administrativa, et politica negocia jurisdictioni suberat Forolivii, non ideo ex diversitata subjecti sequebatur, ut subesset quoque quoad res judiciarias, inspectis potissimum Legibus Gallorum: quæ nullo egent interprete; quæque nominatim jubebant, ut inscribendis hypothecis inspiceretur jurisdictio Tribunalis primarum actionum, ubi bona hypothecæ nexu devincta sita erant. Ex quo fit, ut quandu agebatur de hypothecarum inscriptione, non inquirendum esset, ubi resideret potestas administrativa, et politica, sed ubi foret auctoritas judiciaria. Certius quia Gallorum Imperium, in Italia præsertim, in tot Provincias partiebatur, in totidem item territoria subdivisas, quæ exotico nomine dicebatur = *Circondarj* = Suus quidem quoad Administrativa negocia singulas Provincias Præfectus obtinebat, cujus auctoritati cætera Provinciæ territoria erant obnoxia, non eadem tamen res erat quoad judiciaria negocia, quibus cognoscendis, sive de civilibus, sive de criminalibus controversiis ageretur, peculiares judices in quolibet territorio seu *Circondario*, præpositi fuerant, quemadmodum fusius arguit prima decis. § 9. et 10.

7 Quidquid autem oggerebant Theresiæ defensores, ut evincerent, alia quoque Tribunalia ex Gallorum Decretis Anconæ, Pisauri, Asculi fuisse constituta, ut vel de primis actionibus, vel de provocationibus jus redderent; id sane, utcumque verum, non efficit, haud extitisse Urbini Judices primæ jurisdictionis; quod unum satis est, ut ad legum tramites ibi tantum, non Forolivii, non alibi, peragenda essent inscriptio. Quod si ii, qui publicis vectigalibus exigendis Faventiæ eo tempore præerant, hypothecam inscripserunt in Forolivii Tabulario super bonis a Joanne Francisco Carboni in Agro *Seclani* possessis, demonstrat hoc quidem non unsm sesa fefellisse Theresiam, sed cum ea pariter errasse Faventiæ Quæstores, quorum tamen factum, nec delere, nec quidpiam dotrahere valet

legis dispositioni. Quem vero patravit errorem per inscriptionem hypothecæ in Forolivii tabulario susceptam corrigere Theresia non potuit ope renovationis, quam ipsa explevit in Urbini tabulario. Si enim renovatio præcedentem supponit inscriptionem, proinde fit, ut renovari nequiverit in Urbini tabulario hypotheca, quæ inibi non fuerat inscripta. Prædicta itaque renovatio ex vitio præcedentis inscriptionis, effectu quolibet vacua remansit, nec tantillum quidem læsit jura cæterorum creditorum, veluti etiam animadvertit superior Decis. § 10.

8 Nec foeminæ proderat in ultimum fere subsidium errorem, bonam fidem, odium nullitatis, privilegium denique legalis hypothecæ jactare, quo foeminæ pollebant sub Gallorum Imperio absque onere inscriptionis. Etiamsi namque juris error fæminas, et minores excuset, non tamen in præsens mulier erravit, sed vir, quippe qui tenebatur uti legitimus bonorum uxoris suæ administrator hypothecam illam rite inscribere, et stato tempore renovare. Si nocet uxori viri error petat uxor a viro illati damni sarcitionem: non vero ferendum, ut noxæ pœna in innocuos retorqueatur creditores, qui jure suo utuntur, et jure postulant foeminæ præferri, ejus bona fide posthabita. Exceptio quippe bonæ fidei, quæ cæteroquin a juris ignorantia suam trahit originem, si quid ponderis in hoc præsertim judicio mereretur, actum esset de legibus hypothecariis, earumque inscriptionibus, cum tanto bono rei publicæ introductis; quando e converso oportet eas sartas, incolumesque servari, nec paullulum ab illarum disciplina deflectere. Qua de re illud etiam patet, quam inepte nullitatis odium proponatur: idque magis quia non de nullitate, sed de inefficacia inscriptionis hypothecariæ a Teresia susceptæ agunt creditores, et inefficacem dumtaxat non vero nullam, prout in altera, ita quoque in præsenti Decisione inscriptionem ipsam Sacer Ordo declaravit.

9 Utique demum sub Gallorum Imperio privilegio legalis hypothecæ pro dotibus foeminæ fruebantur absque onere inscriptionis. Sed leges illæ recesserunt ab aula. Nunc in honore sunt Pontificiæ sanctiones, quæ dotales etiam hypothecas non aliter valituras voluerunt, quam si inscriptæ stato tempore fuerint. Ipsum protopraxiæ judicium sub iisdem Pontificiis legibus inceptum est, quæ tempus sex mensium præfinierunt ad Legales hypothecas sub Gallorum Imperio contractas in publicis Codicibus inscribendas. Retineri oportet Gallicas Leges, ut statuatur in tabulario ne hypothecarum Forolivii, an in altero Urbini peragenda fore inscriptio. At, si postea abrogatis Gallorum institutis, supervenerunt Pontificiæ Leges, eæque jusserunt, ut dotales quoque hypothecæ mulierum inscriberentur, in hac secundaria controversia, non Gallicæ, sed Pontificiæ sunt observandæ sanctiones. Atqui Theresia labi sivit inutiliter præstitutum sex mensium terminum. Ergo legalis hypothecæ privilegium non amplius objicere potest, nec ægre ferre debet, si non a die contracti matrimonii, aut stipulationis tabularum nuptialium, sed a die inscriptionis hypothecariæ in Urbini tabulario susceptæ jus suum oritur, ideoque cæteris post habenda sit in judicio protopraxiæ.

Et ita, relatione habita ad primam Decisionem, judicatum est, utraque ec.

AUXIMANA SEU MACERATEN

PECUNIARIA

Veneris 12 *Decembris* 1828.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXXIX. -

SUMMARIUM

1. *Ut debiti caput ex turpi faenore descendere admittatur, legitimis monumentis probandum.*
   In hypothecario judicio duo extrema concurrere debent, creditum et hypotheca -ibid.-
2. *Creditor ex jure pignoris valet actione Ser-*

viana possidentem convenire, ipsumque persequi pignus.

3. *Creditori licet adire Judicem, ut immissionem obtineat in bona debitoris; at haec immissio non exturbat debitorem a dominio bonorum, nec illud transfert in creditorem, qui bona servare tenetur donec ad hastam publicam distrahantur.*
4. *Necessaria est transcriptio ut praedia a futuris hypothecis eximantur.*
5. *Contractus judicandi prout tempora quibus gesti sint, jubent.*
6. *Indemnitas, cujus gratia praedia viri ab uxore retineatur, nullum transfert in mulierem dominium.*
7. *Qui bonorum proprietatem nullam unquam acquisivit, resistere nequit actori creditum et hypothecam probanti.*

Cuilibet creditori licet fundum hypotheca affectum persequi - ibidem. -

DECISIO CCCLII.

Postquam creditum suum, antea ex Gallorum lege, usuras ex mutuo permittente, frugiferum in quinque nummis argenteis dumtaxat in singula centum, et annos, deindeque evectum, abrogata lege, ad besses fructus ex prolatione requisitorum *Pauli de Castro*, comprobari, ac adversus Cæsarem Gallo, civem Auximi Patricium, ad liquidum perduci solemni judicata re Tribunalium Maceratae, Gallis exactis Comes Theodorus Compagnoni Maceratensis, cum neque debitor, neque is, qui ejus patrimonio præerat, præsenti pecunia de ære alieno luendo solliciti forent, coactus hinc fuit bona debitoris impetere, quæ sibi, nedum pactitiæ, sed judiciariae quoque hypothecæ vinculo devincta manebant. Hæc bona interea temporis a Comite Gallo tradita precario fuerant in solutum uxori suæ, ut ex eorum redditibus exhibitioni suæ, filiorumque prospiceret, veluti convenerat publicis in tabulis Henrica Comitissa Simonetti, dum Comiti Gallo nupsit anno 1801. Hypothecarium itaque judicium, quod primo, vadatis curatore debitori, ac cæteris creditoribus qui hypothecæ jure super ipsis prædiis peræque pollebant, contra illustrem mulierem inceptum est coram Anconitanis Primarum Actionum Judicibus, his postmodum abrogatis, ac implorante matrona illa beneficium *leg. Unic. Cod. quando imperator*, ex jussu Tribunalis Signaturæ Justitiae delatum fuit ad Sacrorum Ordinem. Ibi in Comitiis diei *quartæ* Julii labentis hujusce anni rogavi Dominos Meos, proposita formula = *An sit locus præfixioni termini pro solutione vel pro subhastatione, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, ac judicii aleam refugientibus cæteris creditoribus, Comitissa vero Henrica una cum curatore patrimonii viri sui comperendinationem perperam flagitante, Responsum retuli = *Pro Informante*, scilicet = *Affirmative in omnibus, et esse relaxandum mandatum pro summa scutorum* 4248. 73. ½ =, ut pandit Decisio mea tunc temporis edita, quæ hodie, una obsistente Comitissa, ad trutinam revocata confirmari promeruit Responsio = *In decisis* =.

De credito, et credito quidem hy- 1
potheca suffulto, dubitare amplius non licet post ea, quae latios animadversa sunt in superiore mea Decisione a §. 4. *ad* 7. Reque vera nihil objiciebant Comitissa Defensores quoad crediti quantitatem; nihil quoad fructus, diversumque eorum modum, ad rationem scilicet quincuncem, quousque porrexit Gallica lex ex Pontificia sanctione, bonoque publico servata pro Provinciis serius ad dominium Pontificium reversis usque ad exitum anni 1820., ac deinceps ad bessem mensuram in vim requisitorum Castrensium; nihil denique quoad sumptus, quos actor impendit pluribus judiciis ad satisfactionem sui crediti consequendam institutis. Unum dicebant, debiti caput ex turpi fænore descendere, illudque Comitem Gallo contraxisse, dum adhuc paternae potestati subjiciebatur. At neque legitimis monumentis haec probabantur, neque quidquam objicienti profuissent, utcumque ad ultimam evidentiam probata, prae viribus rei judicatae, quae creditum actoris constituit, quæque non potest obiter, et non imperata prius in integrum restitutione, revocari. Quapropter ea duo extrema concurrunt, quæ in hypothecario judicio maxime

desiderantur, creditum scilicet, et hypotheca. Non enim dubium est, hypothecæ jus sibi quæsivisse Comitem Theodorum Compagnoni, nedum ex publicis tabulis anni 1812. die *secunda* Septembris initis, verum etiam ex sententiis, quæ rem judicatam præiverunt, titulumque præbent idoneum inscribendae hypothecæ, ut revera creditor inscripsit, statoque tempore renovavit.

2 Hoc autem loci nullius pensi erat, quod Comitissa jactabat, bona ipsa (quae impetit Compagnonius, cessa usque ab anno 1815 ex Judicis auctoritate sibi fuisse, ut ex eorum fructu conventam in nuptibus tabulis sibi pararet exhibitionem. Si enim ea bona erant hypothecæ vinculo Compagnonio mancipata, non poterat debitor illius conditionem facere deteriorem, vel cessionis, vel alienationis ope in extraneum, aut in ipsam uxorem expletæ. Imo alienatio ista non perimit jus pignoris, ex quo recte valet creditor actione *Serviana* possidentem convenire, ipsumque persequi pignus. *Leg. Distractis* 14. *Cod. de pignor. et hypoth.*, *leg. Debitorem* 15. *Cod. eod tit. leg. Res.* 10 *Cod. de remiss. pign. leg. tom.* 1. *Cod. de precar.* Caeterum, utcumque totum hoc cessionis negocium judiciario ritu inceptum, brevique fuerit absolutum, compertum tamen est, gesta omnia fuisse, insciis prorsus creditoribus, quorum intererat jura noscere mulieris, eique sese objicere, unoque tantum vadato viro, qui nihil, vadimonio deserto, restit uxori, eique manus praebuit adjutrices, Tamquam ergo res inter alios acta, nil nocere potest creditoribus quidquid ex condicto vir, atque uxor egerunt in eorum fraudem. Neque vera suspicione fraudis, et simulationis non vacat bonorum cessio, quae sibi Henrica quaesivit. Quamvis namque exhibitio ei fuisset nuptialibus in tabulis promissa, eaque praeterea hypotheca legali in vim Gallicarum legum absque ullo inscriptionis onere potiretur: erat ipsa nihilominus creditrix hypothecaria incertae quantitatis, quæ ad liquidum perduci oportebat, ut deinde actione hypothecaria ageret, ut revera egit Henrica.

Sed nil magis actioni hypothecariæ repugnabat, quam ut ex obligatis viri sui prædiis fructus fæmina colligeret. Creditor siquidem agens hypothecariam rem sibi obligatam persequitur, non ut ipsam rem sibi habeat ut sed ut ex ejus pretio satisfactionem sui crediti consequatur: idque, nedum veteri hypothecario jure in *leg. pro debito* 6. *Cod. de bon. auct. jud. possid.*, sed etiam novissimo cavetur, teste. Edictali Lege anni 1816. Art. 89. Cuique utique ex creditoribus licet adire Judicem, ut immissionem obtineat in bona debitoris, sibique praetorium pignus constituatur; at haec immissio minime debitorem exturbat a dominio bonorum, nec illud transfert in creditorem, qui bona servare tenetur donec ad hastam publicam distrabantur, *Leg. in possessionem* 8. *Cod. de bon. auct. jud. possid. leg. Res. ob causam* 1. *Cod. Si in caus. judicat. pign. capt. sit, Zoes. Comment. in Cod. lib.* 8. *tit.* 22. *in princ. in Cod. lib.* 22. *Num.* 1. *et seq.* Brevi tamen dilemmate res tota conficitur. Aut enim ex cessione illa dominium bonorum transiit in Henricam: Aut jus tantum percipiendi precario fructus ei factum est, dominiumque permansit penes virum. Si primum, cum numquam Henrica fundos sub proprio nomine transcribendos curaverit, hæc omissio effecit, ut bona ipsa censeantur adhuc manere sub dominio viri, ac recte impeti valeant ab ejus Creditoribus veluti fusius arguit praeterita mea *Decis.* §. 7. 3

4 Quin prosit reponere, ex jure Gallico, quo vigente bonorum cessio celebrata fuit, post expletam venditionem inscribi amplius nequivisse hypothecas, et distractos fundos ab omni futuro nexu solutos abire, quin ulla opus transcriptione foret. Quamvis, vix lato Gallorum Codice, disputatum initio fuerit, num necessaria esset transcriptio ut prædia hipothecis eximerentur, omnem nihilosecius sustulit disputationem judiciarius alter eorumdem Gallorum Codex, ubi *art.* 834. sancitum legebatur, ut

creditoribus liceret, hypothecas suas inscribere = *fra il termine di quindici giorni da quello della trascrizione dell'atto translativo di proprietà* =. Quod itaque, antequam publici fieret juris Codex Judiciarius voluntarium tantum erat, et in facultate positum creditorum, id necessarium evasit post editum Codicem judicarium ad liberandos fundos a futuris hypothecis. Hinc constat inter omnes Gallicos de hypothecario jure scriptores, quos inter *Merlin Repertorie verb. inscription*. §. 2, *et Pothier. lib.* 20. *tom.* 2. §. 3; necessariam ex Gallico quoque jure fuisse transcriptionem, prout monet Secer Ordo *decis.* 87. *numer.* 28. *coram Emo Odescalchi, et decis.* 112. *num.* 7. *coram Eodem.* Nec in calculo habendae sunt Decisiones aliæ in *Urbevetana Pecuniaria super consignatione dieram* 11. *Januarii et* 9 *aprilis* 1822., quippe quæ prodierunt, nemine contradicente, fueruntque postea, universa Aula auffragium ferente, revocatae in Comitiis habitis ad diem *decimam octavam* Decembris ejusdem anni. Quod si transcriptionem Comitissa peregisset, immunia a futuris thypothecis reddere quidem potuisset ea bona super quibus judiciariam hypothecam Compagnonius inscripsit; non item alia, quae eidem Compagnonio ex præcedenti conventionali hypoteca erant obligata.

5 Si autem dominium bonorum unus semper retinuit Comes Gallo, multo minus potest ejus uxor præpedire, quominus, urgente creditore, auctione constituta vendantur. Dominium profecto bonorum penes debitorem continuo mansisse, tum probatum hactenus est, tum etiam evincunt sententia 1815 a muliere obtenta, ejusque explicita, nulloque cogente, emissa confessio. Sententia siquidem, quam, Partibus conspirantibus, a Gallicis Judicibus prædicto anno 1815 retulit Henrica, nullam ei bonorum proprietatem attribuit, sed jus tantum percipiendi fructus, quamdiu vel ipse vir non rependisset uxori caput exhibitionis, vel ejus Creditores sub hasta distrahi bona ipsa postulassent. Uti enim ex Romanis Legibus, quibus matrimonium iniit Henrica, nullum aliud ei jus erat matrimonio manente, in virum exercendum, quam illud petendi, ut dotis creditum, aliaque jura dotalia, et ex tabulis nuptialibus orta in tuto ponerentur; ita hoc ipsum jus incolume, firmumque mansit et Gallicis legibus. Invexerunt etiam istæ leges remedium alterum *separationis bonorum*: at remedium istud, tum indole sua, tum ex legum ipsarum consura, vim nullam exerebat quoad contractus antea initos, de quibus judicandum erat ad tramites legum, quæ tempore, quo gesti fuerunt, in bonore manebant. Reque vera adeo extraneas a re, de qua agebatur, reputarunt Henrica, ejusque consultores Gallicas de separatione bonorum sanctiones, ut non in earum vim, sed potius ex nuptialibus tabulis exhibitionem sibi parar iflagitaverint.

Quidquid ergo actum est anno 1815, 6
nulllum alium potuit effectum parere, nisi, ut idemnitas gratia prædia viri ab uxore retinerentur. At vero indemnitas ista, seu *assecuratio*, ut inquiunt, nullum translulit in mulierem dominium, sed jus tantum dedit retinendi, conservandique bona loco pignoris, et hypothecæ, ut jam definitum est in *Bononien. Executionis* 17 *Maii* 1816 *coram cl. me. Serlupi, et in confirmatoria* 4. *Julii* 1817. §. 4. *cor. Eodem* Accedit tantum his omnibus confessio mulieris disertissima, quæ tantum abest, ex obfentis sententiis de adipiscendo bonorum dominio cogitasse, adeoque visa est de cessione dubitare, ut aperte, dum eas exequutioni commisit, reservata sibi jura voluerit adversus viri patrimonium exercenda. Nec ad rem faciebant exempla *Salvi anistæ, et usufructuarii* qui exturbandi a possessione non sunt, quousque durat Salvianum, et usufructus In primis namque nec Salviani, nec ususfructus jure possidet Henrica bona viri sui, qua tradita ei fuerunt, ut ex eorum fructu exhibitioni suæ consuleret, quousque cæteri creditores de bonis ipsis hastæ subjiciendis cogitarent. Deinde vero Sacri Ordinis Oracula in *Praenestina Manutentioni* 4 *Junii* 1758 §. 1. *cor. Mo-*

lino, *in confirmatoria* 11 *Martii* 1709 §. 3. *Eodem*, *in Romana Prælationis* 7 *Maii* 1819 *cor. Rmo P. D. meo Decano*, respiciunt usumfructum alienatum, antequam quis hypothecam in fundis acquireret ususfructus servituti mancipatis: quando e converso bona, quæ tradita fuerunt Comitissæ, jamdiu erant hypotecæ vinculo actori devincta.

7 Si nullam itaque bonorum proprietatem unquam acquisivit Henrica, resistare nequit actori, creditum, et hypothecam probanti, eique aut æs alienum solvere, aut fundos deserere cogitur preconis voce distrahendos, ut concludit superior mea *Decis*. §. 8. Idque præcipue, quia omnibus satisfecit solemniis, quæ in hypothecariis hisce judiciis ex praxi requiruntur, omnesque quorum interest, nominatim vadavit. Nam quod dicebatur, potiora esse hypothecæ jura, quae in eos fundos experitur Comitissa, cujus legalis hypotheca, sine inscriptione ad vim Gallicarum legum rite servata, originem trahit suam usque ab anno 1801, quo data nuptialibus tabulis opera fuit, id non erat in præsens expendendum. Scitum quippe est, ex hypotecariis legibus cuilibet creditori, utcumque novissimo, licere fundum hypotheca affectum persequi, ut sub corona vendatur, ejusque pretium priores, et potiores creditores obtineant. Cum imo datio in solutom obligati prædii primo creditori facta haud noceat creditoribus posterioribus; hypotheca proinde, pignus, aut etiam privilegium, nullum jus tribuit priori creditori fundum retinendi, cæteris invitis, atque despectis. Cujusnam vero creditoris potiora sint jura, id videndum est, dum agitur de pretio dividendo, quod ab auctione fuit elicitum. Consulenda prima *Decis*. §. *ult*. Aegre hinc ferre non debet Comitissa, ut praedia bastæ subiiciantur, eorumque pretium in Aede Sacra deponendum ei postea tradatur, cujus potior est hypotheca.

Et ita confirmata præcedenti Decisione, judicatum est, utraque etc.

AUXIMANA SEU MACERATEN

PECUNIARIA

Lunae 15. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quæ confirmatur – DECISIO CCCLII. –

SUMMARIUM

1. *Possessorem jure pollentem expoliare non licet, nisi simul creditum, pro quo possidet, solvatur.*
2. *Separatio patrimonii efficit, ut creditores defuncti in ejus bonis praeferri debeant quibuslibet aliis creditoribus heredis.*
3. *Ut privilegium separationis jure possit exerceri, requiritur ut illud in defuncti boni inscribatur intra sex menses ab obitu debitoris, et ut intra idem tempus petitio separationis proponatur.*
4. *Non una inscriptio vice fungitur privilegii.*
5. *Novatio inducitur, si quoquomodo creditor heredem pro debitore suo fateatur et agnoscat.*
6. *Non secundum jus vetus sed ad tramites novarum legum de hypothecis judicandum.*
7. *Non licet debitori, cessionibus ususfructus, jura creditorum, qui hypotheca pollent super ipsis fundis in usumfructum cessis, vel omnino fraudare, vel ad tempus distinere.*
8. *Quidquid hypothecae, vel privilegii primus creditor habent, tunc solum poterit illud experiri, quum res erit de pretio diribendo, quod ex pignore provenerit.*

   Servatum lex vult associationis remedium absque ullo praejudicio creditorum, quibus hypothecario faveat inscriptio – *Ibid*. –
9. *Neque anterior hypotheca, neque privilegium jus tribuit retinendi praedia ab hypothecariis et inscriptis creditoribus impetito; sed tantum licet illud experiri, quando agitur de pretio diribendo juxta gradus prerogativam.*

DECISIO CCCLIII.

Nubens anno 1801 nobilis foemina Henrica Simonetti Viro Auximi patricio Comiti Cæsari Gallo, non exiguam dotem argenteorum nummorum *novem millium* ei attulit, partim in actu stipulationis numeratam, partim intra quinquennium solvendam, quam recepit Cæsaris pater Comes Joannes Baptista,

tam constante, quam dissoluto matrimodio, spondens se magnifice sponsam exhibiturum in re lintearia, victuali, vestibus, aedibus, servis, ancillis', rhedis, et aliis id genus, ac bona sua omnia hypothecae nexu devinciens non minus pro dotis indemnitate, quam pro pactorum nuptialium implemento. Partam, superventis Gallorum legibus, quæ necessitatem hypothecarum inscribendarum invexerunt, publicis in Codicibus inscripsit Henrica. Sed anno 1812 postridie Kalendas Septembris, Cæsar argententeos nummos *termille* mutatus fuit a Comite Theodoro Compagnoni, depactis, prout Lex Gallica ferebat, a Summo Pontifice in Sedem suam reverso pro bono publico servata, quincuncibus interusuriis, ac prædiis nonnullis hypothecæ subjectis in securitatem creditoris, qui pariter de hypotheca ipsa in codices publicos referenda, deque inscriptione stato tempore renovanda sollicitum sese præbuit.

Prout sunt tamen rerum humanarum vices; utut ditissimi patrimonii possessor, ad inopiam vergere, elato patre, cæpit Cæsar. Quapropter sibi, filiisque consulendum esse existimans Henrica, ad Judices primarum actionum Maceratæ convolavit, ac post inspectas nuptiales tabulas, et exquisitum agrimensorum suffragium, tot seligi prædia rustica, quot anniversarium redditum efficerent scutorum *millium*, *et centum*, ac ad precariam eorum possessionem obtinuit immitti, ut ex fructibus sibi pareset exhibitionem, quemadmodum in aliis Decisionibus narratum est. Missa in prædiorum illorum possessione nobilis matrona, reiquo insistens, non amplius de actione cogitavit, nec renovandam, emenso decennio hypothecæ inscriptionem curavit. Cum cesserit deinde veneritque dies restituendi nominis, quo erga Compagnonium tenebatur Cæsar, nec in promptu pecunia esset ad caput, insolutas usuras solvendas, judicio egit creditor, et solemnem impetravit, et in causa fuit, ut creditor ipse, cui duplex opitulabatur hypotheca, pactitia, nimirum, et judiciaria, quam post primam editam super credito sententiam susceperat: hypothecaria actione impeteret fundos a foemina possessos, et hypothecæ nexu sibi mancipatos. Omnibus propterea vadatis creditoribus, qui inscriptione pollebant, Compagnonius diem mulieri dixit coram Anconitanis primae Jurisditionis Judicibus, ut, vel æs alienum lueret, vel pateretur, possessione dimissa, prædia vendi sub corona. Postquam multum temporis inutiliter penes eos judices insumptum est, in præsidium foemina vocavit notissimum privilegium *leg. Unicae Cod. Quando* Imp. reique cognitione Sacro Ordini commissa, *tamquam in prima*, una, et altera Decisio a me edita anno superiori sub diebus *quarta* Julii, ac *duodecima* Decembris plausum fecit votis actoris. Hodie vero, licet tertio audita, efficere tamen nequivit Henrica, ut Sacer Ordo a sententia sua dimoveretur, qui imo, postquam lis hæsit, accita ad suffradandum Aula universa persistit in *decisis*.

Ad infirmandum jus actoris, qui cæteroquin ad extremam usque evidentiam requisita comprubabat ad hypothecariam exercendam actionem necessaria. veluti expendunt præteritæ Decisiones prima a § 4 ad 6, altera § 2 triplici utebantur argumento qui a foeminæ partibus erant, iique diffusa, subtilique oratione nitebantur evincere, a possessione sua illustrem matronam exturbandam non esse, primo, quia pro suorum nuptialium jurium tutela privilegiaria pollet hypotheca adversus socerum, et viri sui patrem, modo defunctum, Joannem Baptistam Gallu, a quo bona proficiscuntur a muliere possessa, dum e converso Compagnonius unum sibi obligatum habet Caesarem filium, contra quidem hypotecariam suscepit inscriptionem; *dein* quia eadem foemina bona retinet credito, et hypotheca Compagnonii admodum anterioribus: tertio demum, quia non licet tertium possessorem potiori jure pollentem expoliare, nisi simul creditum, pro quo possidet, solvatur, aut saltem non desint licitatores bujusmodi pretium offerentes, quod ejusdem crediti 1

æstimationem excedat. Cuncta hæc, etsi specie tenus alicnjus pensi viderentur, re tamen summa maturitate discussa, nullius efficaciæ comperta sunt ut Compagnonius præpediatur, quominus urgeat distractionem bonornm ad hastam publicam. Reque vera non erat in discrimen revocandum, unum Joannem Baptistam in suum debitorem foeminam agnoscere potuisse, et actiones suas contra ipsum experiri, qui integram recepit dotem, promisitque, sese novæ nuptæ præstiturum splendidam exhibitionem, ideoque bona sua omnia sub fiscali formula devinxit. E contra nec illud erat in discrimen revocandum Compagnonium cum uno contraxisse Cæsare Gallo, nec ideo bona patris impetere potuisse. Sed hæc quidem distinctio debitorum facultatem Henricæ tribuebat separationem patrimoniorum urgendi.

2 Separatio quippe patrimonii, tam ex Romanorum, quam ex Gallorum jure probata, hoc punctim efficit, ut creditores defuncti in ejus bonis præferri debeant quibuslibet aliis creditoribus hæredis, quamvis anterioribus, privilegiariis, veluti de jure Romano probat *text. in leg. Sciendum* 1 § 1 *et* 3 *de separat. Rot.* in *Romana Cnncursus de Palazzeschis* 4 *Februarii* 1752 § 2 *cor. Molino in Romono Salviani* 9 *Februa-* 1953 § 7 *cor. Canilliac in Romano* 5 *Februarii* 1821 § 7 *cor. cl. m*°. *Serlupi in Romana Segregationis patrimonii* 13 *Juni* 1825 § 3 *cor. Rmo P. D. Patrizi* ad de jure Gallico testantur Codex Civilis *art* 878. *Maleville Comment. in cod. civil. cit. ori.* 878. *Pothier de hypotech. cum odd. in annot.* 53 § 1., et docnit etiam Sacra Aula *in cit. Romona Segregationis patrimonii* 13 Junii 1825 § 4 coram Rmo P. D. Patrizi. Verum utrum separatio patrimonii reapse fuerit implorata; an rursus, prætermisso semel hoc judicio, integrum adhuc fuisset illud instruere; hoc est quod in facto prorsus corruit, et in jure. Nam in facto constat judicium illud, qnod post obitum soceri coram abrogato juridico primæ jurisdictionis cetu Maceratæ instituit Henrica, instituit adversus virum non uti hæredem patris suis Joannis Baptistæ, qui sese erga mnlierem devinxerat, sed contra ipsum Cæsarem nòmine proprio. Libellus vero, qnem illis judicibus Henrica proposuit, non eo tendebat, ut separatio fieret patrimoniorum, sed eo spectabat, ut tot fundi seligerentur, quot pares esset gignendis annuis fructibns valoris scutorum millium et centum, quorum ope se, suamque familiam foemina sustentare valeret. Ipsa demum Sententia, quam judices protulerunt, nil aliud jussit, nisi ut possessionem quorumdam bonorum mulier adipisceretur, eorumque fructus ad prædictum ei haud foret dotem suam recuperare aut tutam alio modo reddere.

Cæterum nec integrum adhuc erat 3 foeminae postulare separationem patrimoniorum, si jus Gallicum inspiciatur. Quamvis enim ex jure Romanorum usque ad quinquennium protrahi posset judicium separationis ex præfata *leg. Sciendum* 1 § *Quod dictum est ff de separat. Voet in Pandect. lib.* 42 *tit.* 7 *num*, 4. *Donell. Op. omn. edit. Lucen. tom.* 6 *volum.* 167 *num.* 10. *Zoes. Comment. in pandect. lic.* 42 *tit.* 7 *ad dict. leg. Duaren. Op. omn. edit. Lucen. tom.* 2 *pag.* 174., cum tamen anno 1814 iu fata concesserit Joannes Baptista, quo tempore apud Picenos adhuc obtinebant Gallorum leges, non quid disponat Romanum jus, sed quid præscribat jus Gallicum unice videndum est, ut sæpe sæpius Sacer Ordo definivit. Atqui, jure Gallico inspecto, et præcipue art. 2111. Codicis Civilis, ut privilegium separationis jure posset exerceri. duo necesaario requirebantur: ut scilicet privilegium ipsum in defuncti bonis inscriberetur intra sex menses ab obitu debitoris: ut insuper intra idem tempus petitio separationis proponeretur. Quod cavetur autem Civili Gallorum, id confirmant Gallici juris interpretes, qui antinomiam etiam aliquam inter leges ipsas Galliras exortam conciliant, atque explicant, et potissimum *Merlin. repertoire de jurisprudence verb. separation de patrimoines* § 3 *num.* 6 *Grenier. trait. delle ipothe-*

che edit. Rom. tom. 2 *pag.* 194. *Rogron. Cod. Civ. expliquè par ses motifs, et par des exemples art.* 2111 *edit. Patris* 1828 *pag.* 290 *Battur traitè des privileges, et hypotheques edit. Paris. ann.* 1824 *tom.* 1 *pag.* 134, *Pannier. traitè des hypotheques edit. Eadem ann.* 1824 *pag.* 124. *Chabot de l'Allier commentaire sur la loi des successions. edit. Paris ann.* 1818 *tom.* 3 *pag.* 651.

4 Neutrum vero egit Henrica. Nedum enim privilegium separandi patrimonium in codicibus hypothecariis nunquam inscripsit, sed nec petiit separari patrimonium intra sex menses a die obitus sui debitoris. Ergo non potest amplius in præsidium vocare separationis privilegium. Nec bene mulieris oratores subdebant, huic legi satisfactum fuisse, semelac ejusdem mulieris creditum in hypotecarios codices relatum fuit: eamque in rem abutebantur sæpe citata *decis. in Romana Segregationis patrimonii* 13 *Junii* 1825 *coram Rmo P. D. Patrizi* qua dicebant constitutum onus inscriptionis privilegii impositum a Gallica lege fuisse creditoribus, qui usquo ad obitum defuncti inscriptionibus caruissent; non autem aliis creditoribus, qui hypothecarias inscriptiones rite antea initas proferrent. Nam primo unica illa Decisio in lucem prodiit, non certantibus, ut ipsa testatur, omnibus creditoribus. Præterea nihil magis planum, quam quod inscriptio privilegii separationis patrimonii confundi non deboat cum hypothecaria crediti inscriptione Inscriptio autem privilegii præstat, ut defuncti bona secernantur a bonis hæredis, et impeditus maneat heres ipse separata bona hypothecae subjiciendi. Qui priore tantum pollet inscriptione, concurrat oportet cum creditoribus aliis, qui hypothecam inscripserunt, et cum iisdem disputet de pretio dividendo. Qui vero posteriorem habet inscriptionem, creditoribus haeredi objicit privilegium separationis; eosque arcet ab hauriendo fundorum pretio, nisi antea sit de credito suo satisfactus, Non igitur una inscriptiu vice fungitur alterius, nec supplet altera defectum alterius; se sed separationis privilegium prorsus alienum est ab hypotheca, veluti ipsi monent civilis Codici glossographi loco citato ad finem § 5 hojusce Decisionis.

Ab re erat; quod objiciebatur, judicium a fæmina institutum fuisse post restitutas Romanorum leges, quæ quinquenni tempus ad petendam patrimoni separationem prestituunt. Non quando caeptum est judieium, sed quo tempore mortem obiit Joannes Baptista inspici debet, quin exinde cæteris filii jus quæsitum fuit, ut non petita intra semestre separatione; non ea possit amplius postulari, et do duobus patrimonium unum coalescat. Etiamsi autem ad plures migrasset Joannes Baptista post exactos a Piceno Gallos, eadem nihilosecius esset foeminæ conditio. In eo siquidem judicio, quod dolet actum fuisse non citatis omnibus creditoribus unam viri sui fidem foemina sequuta fuit; non distinxit qualitatem hæredis aequalitate propria Cæsaris; non petiit, nec obtinuit separationem honorum, sed immissionem dumtaxat ad prædia quædam, ut iis fruetur ad sibi comparandam sustentationem, quousquo licet alio modo ejus indemnitati providere. Num vero adeo elapsum est quinquennium ad poscendam separationem præfinitum, ut non minus ab obitu Joannis Baptistæ præterierint, quam anni quindecim. Nefas est igitur de separatione amplius quærere. Ex eo ipso imo, quod in persona viri fæmina non distinxit qualitatem hæredis a qualitate propria, privilegium novavit. Novatio siquidem ex *art.* 879. Codicis civilis Gallorum inducitur, quoquomodo creditor hæredem pro debitore suo fateatur, et agnoscat ut etiam arguunt præfati Gallici interpretes, nimirum *Battur. lo. cit. pag.* 129 *et Chabot. loc. cit. pag.* 540. Multo minus hinc possel privilegium separationis opponere. 5

Ejusdem furfuris erat, quod secundo loco fæmine defensores jactabant, eam non jure dominii, sed jure ususfructus, et juribus credito, et hypotheca Compagnonii anterioribus impetita bona re- 6

tinere. Principio enim, sive jure dominii, sive jure ususfructus bona possideat Henrica, in utroque casu repellere nequit creditorem urgentem, ut bona, anctione constituta, distrahantur. In primo siquidem, cum acquisitionem, dominiumque suum non transcripserit, ut oportebat ex deductis in secunde *Decis.* § 5 præpedire non potuit, ut novæ hypothecæ super fondis imponerentur. In altero autem, quia omisit hypothecariam inscriptionem stato tempore renovare, ideoque invidere non potest cæteris creditoribus, utcumque posterioribus, ut sibi in satisfactione prætii præferantur. Nil officit, proinde, quod veteri jure ex sanctione *leg. Ubi adhuc* 29 *Cod. de jur. dot.* mulier pro suorum jurium securitate mariti bona retinens espelli a crediluribus posterioribus nequiverit. Minus officit, quod ex veteri eodem jure is, qui primus alicujus fundi possessionem in usufructu, aut in *Salviano* ut inquiebant, edeptus fuerit, cæteros vinceret creditores sive pares, sive etiam anteriores. *Negusan. de pignor. part.* 3 *num.* 31, *Pacific. de Salviano inspect.* 3 *cap.* 2 *num.* 33, *De Luc. de cred. disc.* 1 *num.* 3, *Rot. decis.* 234 *num.* 5 *cor. Celso, decis.* 1 *n.* 1 *tit. de reb. cred. cor. Falconerio, in Prænestina Manulentionis* 4 *Junii* 1768 § 4 *cor. Molino*, *Romana Immissionis* 12 *Maii* 1752 § 5 *cor. Vicecomite*, *et in confirmatoria* 11 *Martii* 1753 § 3 *cor. Eodem.* Nunc non amplius secundum jus vetus, sed ad tramites novarum legum de hypothecis judicendum est, ex quibus expressis verbis *art.* 89 Salvianum fuit abrogatum; jura autem usufructuarii, quæ adversa sane sunt regulis hypothecariis, extiterunt implicitu deleta.

7 Actum profecto foret de hypothecis, et inscriptionibus, quæ adeo utiles sunt civium securitati, si debitori liceret, cessionibus ususfructus jura creditorum qui ypotheca pollent super ipsis fundis, in usufructum cessis, vel omnium fraudare, vel ad tempus distinere. Nunquam, post introductas hypothecarum sanctiones, Sacer Ordo id licere affirmavit, nec *in Romana Consignationis* 12 *Januarii* 1827 § 2 *cor. Rmo P, D. Tiberj*, *nec in Romana privilegii, et actionis hypothecariæ* 16 *Januarii ejusdem anni* § 9 *cor. R. P. D. Meo Muzzarellio*, ubi de jure loquuta est tecitæ tantum hypothecæ qua pollent pupilli, minores, furiosi super rebus mobilibus tutorum, et curatorum: quod longe distat a specie ususfructus, in cujus possessione, si aliquando quis Sacri Ordinis imperio servatus fuit, factum id est, quia agebatur de cessione ususfructus absoluta, antequam jus hypothecæ creditori quæsitum fuisset, veluti animadvertit secunda Causæ *Decis.* § 7. Verum accedit, non jure ususfructus, neque nomine *Salviani* versari in possessione fundorum Henricam, sed uno titulo pignoris, et securitatis. Etiamsi verbulum aliquod exciderit in sententia, quam retulit Henrica, rei substantia, quæ unice attendenda est, reapse revincit loco pignoris in possessionem prædiorum immissam fuisse, ut ea tamdiu retineret, et tamdiu ab eis fructus perciperet, quamdiu de suo dotis credito heud satisfieret, aut alia providentia decerneretur. Contra vero ususfructus persæpe durat ad vitam usufructuarii: nec est dicendum ususfructus jure fœminam esse assequutam bonorum possessionem, quæ ad nutum aut possidentis, aut debitoris, aut aliorum creditorum poterat persolvi.

Si itaque jure pignoris bona retinet 8
Henrica, intercedere nequit, quominus bona ad hastam distrahantur. Quidquid namque hypothecæ, vel privilegii primus creditor habeat, tunc solum illud poterit experiri, quum res erit de pretio diribendo, quod ex pignore provenerit, ut probant superiores Causæ Decisiones, utrobique §. *ult.* Nec in exemplum afferenda Sacri Tribunalis Decisio *in Romana Praelationis* 7 *Maii* 1819 *cor. Rmo P. D. Meo Spada Decano*, ubi servatum fuit associationis remedium, quo gaudent domini censuum, ut de fructibus insolutis satisfiant. Ideo quippe nihil detractum est *associationi*, quam sacræ virgines obtinuerant contra census debitores, quia remedium illud incolume servarunt le-

ges hypothecariæ, et quia propterea ipsæ sacræ virgines non ex nuperis hypothecarum legibus, sed juxta veterem jurisprudentiam obtinuerant associationem. Duo tamen observanda sunt: alterum, quod servatum lex voluit associationis remedium absque ullo præjudicio creditorum, quibus hypothecaria faveat inscriptio: alterum, quod, non ea ratione in possessione fundi moniales manere decisio jussit, quia ipsis fas esset jure pignoris percipere fructus et et alios creditores arcere; sed quia census dominus fructus colligit tamquam suos, cum censuarius contractus nil aliud sit, quam fructuum censiti fundi venditio. At vero in nuptialibus tabulis non fructus prædiorum sponsæ vendidit Joannes Baptista, sed prædia tantum obligavit. Non ergo ex indole susceptæ obligationis mulier capere potest prædiorum possessionem, neque fructus, tamquam suos accipere.

9 Quod tandem tertio loco proponebator, non esse tertium possessorem exturbandum a possessione sua, nisi, aut creditum solvatur, pro quo possidet, vel licitationes concurrant, quæ crediti ipsius superent valorem, ineptissimum est. Fuerit hæc olim doctrina *Textus in leg. Unic. Cod. si commun. res pignor. data sit, leg. Qui pignus* 1 *Cod. qui pot. in pign. hab.* Nun canon est hypothecariæ legis, quo non vulgatior alter, neque hypothecam anteriorem, neque privilegium tribuere jus retinendi fundi ab hypothecariis, et inscriptis creditoribus impetiti, sed tantum licere illud experiri, quando agitur de pretio diribendo juxta gradus prærogativam, uti jam dictum est § 10. hujus Decisionis. Rem vero non turbat Sacri Ordinis Decisio *in Anconitana Hypothecae* 12 *Decembris* 1825 *cor. Eminentissimo Marco*, ubi juris remisso vigore, definitum est ejici a possessione fundi tertium possessorem non posse, nis postquam æstimatum prædium fuisset, ac ex æstimatione constaret illius valorem possidentis creditum excedere. At in specie illius Decisionis tertius possessor pleno jure dominii possidebat, atque insuper primus erat creditor hypothecaria inscriptione munitus. Ad effugiendum itaque inanem circuitum, et ne is de possissione expelleretur, qui cras in eam fuisset restituedus, optime themati illi quadrabat arreptum æstimationis temperamentum. E contra nec dominii jure possidet Henrica, nec uti prior creditrix amplius habenda est, postquam, adepta prædiorum possessione, renovare hypothecæ inscriptionem post decenium omisit. Non ergo ei aptari valet objectæ Decisionis modus, quæ causa semper cadat oportet, quia, si domina est fundi, dominium non transcripsit; si precaria detentrix, hypothecam non servavit. Nec valet quod infelix fœmina, si fundos dimittere cogatur, in tanta calamitate patrimonii sua dote privabitur, nec aliquid habebit, ex quo sustentationi prospiciat. *Nam pauperis quoque non misereberis in judicio*, ut scriptum extat *Exodi* 13, et mouet *Scannarol. de visit. carcerat. lib.* 2 *cap.* 11 *num.* 3.

Atque ita, relatione in cæteris habita ad præcedentes Decisiones, tota Aula, me etiam suffragante, judicavit.

BONONIEN DELETIONIS

INSCRIPTIONIS HYPOTHECARIÆ

Veneris 26. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Leges Gallicae volebant, ut certa crediti quantitas in inscriptione praestitueretur, ex qua creditum ipsum inscribebatur: aut, si debitoris obligatio conditionalis erat, nullamque certam crediti quantitatem continebat, opus erat, ut is, qui hypothecariam inscriptionem ex hujusmodi obligatione postulabat, aestimationem iniret crediti ex conditionali, et indefenita obligatione profluentis.

SUMMARIUM

1. *Hypothecaria inscriptio deletur ab albo inscriptionum si vitium aliquod solemnium contineat, vel si titulus defecerit inscriptionis.*
2. *Certa crediti quantitas in inscriptione praestitui debet.*

3. *Aestimationem crediti conditionalis et ab eventu pendentis, lex inscribentis arbitrio permittit.*

Renovatio hypothecae simplex est prioris inscriptionis memoria. – ibid. –

4. *Si irrita inscriptio, irrita et renovatio.*
5. *Mutationes substantiales priorem inscriptionem percellentes, rejiciuntur.* –Et num. 6. –
7. *Jus praelationis vel pro indiviso cunctis conductoribus, vel pro diviso cuique tribuitur.*
8. *Jus praelationis est individuum.*
9. *Natura stipulationis in jure praelationis ea est, ut si alteri solidum praestetur, caeterorum actio perimatur.*
10. *Si agitur de jure congrui, super aedibus a pluribus vicinis exercendo, qui magis sit vicinus prae caeteris praelatione gaudet.*
11. *Res inter alios acta tertio non nocet.*

DECISIO CCCLIV.

Quod longe, lateque patens prædium nuncupatum *Mirabello*, *Raveda*, *e S. Venanzo* possidet in Agro Bononiæ prænobilis Vir Carolus Philippus Comes Aldovrandus per publicas tabulas pridie Kalendas Augusti anni 1799 initas, locavit ad longum tempus ad annos nempe *decem*, *et* octo Andreæ Rusconio, anniversaria conventa pensione libellarum Bononiensium *sexaginta millium*, ratis portionibus solvenda, duplicique prætorea adjecta pactione de conductore ipso cæteris omnibus præferendo, si distraheretur latifundium, aut denuo locaretur post tempus primæ conductionis absolutum, deque vocando Joanne Guidio in communionem damni, vel lucri, quod ex triente tantum amplissimæ ejusdem conductionis obvenisset. Sed videns deinde Rusconius, sese imparem esse sustinendis sumptibus, quos prædii cultura requirebat, socium alium adscivit Aloysium Ugolinium. Societas ista, ut ut bonis auspiciis incepta, desiit tamen, et dissoluta est vix emenso triennio; quo tempore, conscripta privata apocha, divisoque inter æquas partes latifundio, dummodo consensus locatoris accederet, constitutum fuit, ut unusquisque suam partem acciperet, ære suo coleret, fructusque proprio lucro, vel damno colligeret. Assentitus reapse fuit his mutationibus Aldovrandus, qui ratus ex nova stipulatione non amplius teneri ad præferendum Rusconium in venditione latifundii, insciis omnino conductoribus, illud venumdedit Equiti Francisco Milzetto, cui postea successit Joseph Zucchinius, legemque imposuit emptori, conductores in possessione rei conductæ servandi, prout revera per totum conductionis tempus religiose servarunt.

Supervenientis interim legibus de hypothecis in publicis Codicibus inscribendis, de contractu conductionis in prædictos Codices recensendo statim Rusconius cogitavit: ac, licet multa in inscriptione de indole contractus, de pactis conventis, de oneribus sibi susceptis meminissot, nullam nihilominus mentionem fecit de jure prælationis, quod in vetere Instrumento anni 1799 sibi fuerat stipulatus, si quo unquam tempore aut distractum, aut alteri denuo locatum latifundium fuisset. Patris errorem, qui interea temporis in fata concesserat, novisse visi sunt ejus filii, quippe qui, cum jam prope esset, ut elaberetur decennium a die susceptæ inscriptionis hypothecariæ, renovandam eam censuerunt anno 1819 ad diem *sextam* supra *decimam* Junii, eaque occasione in medium protulerunt jus prælationis. Id vero vix ad aures Aldobrandii pervenit, convolavit statim ad Tribunal primæ Instantiæ Bononiæ, ibique petiit adversus Rusconios, utramque inscriptionem deleri. Repulsus inimica Sententia, ad Sacrum Nostrum Ordinem provocavit, ubi primum proposita, discussaque quæstione, in comitiis habitis anno superiore pridie Kalendas Julii, cum in discrimen a Rusconiis adduceretur tenor prædictæ inscriptionis, rescriptum fuit = *Dilata*, *et afferatur ad acta fides originariæ inscriptionis* =; hodie vero, re iterum expensa, fideque illius inscriptionis, quæ apud acta jam extabat, inspecta, vadimonio a Fratribus Rusconis deserto, dubii formulæ, quæ ita quærebat = *An sit locus deletioni inscriptionis*, *seu inscriptionum hypothecæ*, *ita ut sit rela-*

xandum mandatum de deleado in casu etc. =, responsum est = *Affirmative in omnibus* =.

1 Jubendum sane, ut hypothecaria inscrpitio deleatur ab albo inscriptionum si vitium aliquod solemnium, quod actus nullitatem secumferat, in suscipienda inscriptione irreserit, aut si ex solutione debiti, vel alio modo, qui solutioni æquiparetur, titulus defecerit inscriptionis. Sic traditum extat *Artic.* 77. Pontificæ Legis quoad hypothecarum inscriptiones = *La delezione dev'essere ordinata dai Tribunali per mancanza delle formalità richieste nella iscrizione medesima, la quale mancanza porti nullità. o per deficienza, illegitimità, o estinzione del titolo, sul quale è appoggiata l'iscrizione medesima, ovvero per altre vie legali, che operino la cesssazione della ipoteca* =. Cum autem de vitio solemnium, ac de cessatione tituli inscriptionis constet, ratio disputandi exigit, ut primum de solemnium vitio, deinde de cessatione tituli inscriptionis edisseratur. Nulum dubium, quin eo tempore, quo Andreas Rusconius hypothecariam suscepit inscriptionem, scilicet anno1809; Gallicæ Leges vigerent, ideoque oporteret, ut ab inscribento ea forma, et solemnia servarentur, quæ ab illis Legibus præscribebantur. Jam vero principe loco Leges Gallicæ volebant, ut certa crediti quantitas in inscriptione præstitueretur, ex qua creditum ipsum inscribebatur: aut, si debitoris obligatio conditionalis erat, nullamque certam crediti quantitatem continebat, opus erat, ut is, qui hypothecariam inscriptionem ex hujusmodi ubbligatione postulabat, æstimationem iniret crediti ex conditionali, et indefinita obligatione profluentis, quemadmodum *Art.* 2132 sancivit civilis GallorumCodex his verbis = *Non è valida l'ipoteca convenzionale, se non in quanto la somma, per cui fù convenuta, sia certa, e determinata dall'atto. Se il credito risultante dall'obbligazione è condizionale relativamente alla sua esistenza, o indeterminato pel suo valore, il cretore non potrà chiedere l'iscrizione, che fino alla concorrenza di un valore, giustà la stima, che egli espressamente dichiarerà* =.

At nec poterat ullum in inscriptione peragenda creditum adversus Aldobrandium æstimare Rosconius, ullamquo summam declarare, et præfinire, nec revera æstimavit, declaravit, præfinivit. Etsi enim multam inter stipulandum pecuniam pensionum nomine locatori prænumoraverit Rusconius, cautum tamen fuerat in tabulis, ut satisfieri de prænumerata pecunia posset conductor ex ipsa etiam quantitate pensionum, retinens per duodecim annos, sibique addicens 2500 libellas Bononienses ex *sexaginta millibus*, quot in causam annuæ pensionis conventus fuisse tabulæ revincunt. Onus quoquo assumpsit conductor ædificandi in latifundiu duas rusticas domos: ne quid tamen detrimenti caperet, contextim conventum, ut redintegrari de sumptibus constructionis valeret ex ipso pretio pensionum. Qua de re ratio deerat, et causa, ex qua inscriptionem hypothecariam susciperet, nisi spatium illud longævum *decem et octo* annorum, quo bona ex conductione retinenda ab eo erant, et ipsum pactum prælationis excipias, quæ materiam, et titulum præbebant inscribendi. Sed Resconius utrumque hunc titulum penitus omisit, et tam longe abest his de causis inscriptione hypothecaria sibi consuluisse, ut ne meminerit de iis quidem, aut locatorem ullo modo debiturem renunciaverit, dum petiit dumtaxat = *che detto contratto, ed obbligazione generale de' beni tutti spettanti al detto Signor Aldovrandi venga iscritta nell'Offieio delle ipoteche per ogni di lui buon fine, ed effetto* =.

Quin imo baud sat erat titulum diuturnæ conductionis, et jus prælationis simpliciter innuere. Nam si hæc duo conditionale creditum conductoris constituebant, quod ab incerto pendebat rerum eventu, necessario parendum Legi erat, quæ conditionalis, et ab eventu pendentis crediti æstimationem arbitrio permittit inscribentis, veluti monent Gallici hypotheca-

rii juris scriptores, ac præsertim *Persil. regim. hypoth. edit. Mediol.* 1010 *tom.* 1 *pag.* 199, *Tarrible traité des privilèges, et hypoteques edit. Leodien.*1819 *tom.* 1 *pag.* 333. *Pannier traité des hypotheques edit. eadem* 1824 *pag.* 181 *et* 225 ac juxta Gallorum Leges arguit etiam Sacer Ordo *in Romana Nullitatis inscriptionis hypothecariæ* 17 *Januarii* 1823 § 9 *et* 10 *coram bon. mem. Martinez, et in Confirmatoria* 17 *Martii* 1824 § 9 *coram Eodem*. Parvi autem faciendum est, quod in renovatione hypcthecariæ inscriptionis a fratribus Rusconiis anno 1819 post patris obitum expleta, nomioatim, et expresse ii memoraverint jus prælationis in veteris locationis conductionis instrumento parenti concessum, ac ægre ferentes ademptum jus illud sibi fuisse per alienationem fundi, conductoribus inconsultis, ab Aldovrando patratam, passum damnum æstimaverint scutis *viginti millibus*. Non enim aliud est renovatio, nisi simplex prioris inscriptionis memoria, ne post decennium illius robur, et vis deficiat. Non est renovatio nova inscriptio, quæ naturam habeat peculiarem, et petitio; adeo ut, si nulla, et irrita ab initio fuit, etiamsi centies renovetur, nullam firmitatem acquirit, nisi, priore penitus abrogata, alia ex integro fiat inscriptio.

4 Si igitur irrita fuit prior inscriptio ab Andrea Rusconio anno 1809 suscepta, fuit etiam irrita illius renovatio ab ejus filiis expleta anno 1819. Licet utique in renovatione subrogare nomen creditoris, et debitoris defuncti, itemque fas est novum designare possessorem obligatæ rei, ac cætera omnia addere, quæ non destruant substantiam primæ inscriptionis, a qua una creditor jus suummetitur. In hypothecario siquidem jure præcipuum est, ut constet, quibus oneribus prædia afficiantur, uo secus alii decipiantur, qui cum debitore contrahunt. At non licet summam crediti pro arbitrio augere, et mutationes inducere in renovatiooe, quæ substantiam percellant prioris inscriptionis. Absurdum imo esset renovatiooem postulare veteris inscriptionis, insimulque urgere, ut pro nova crediti quantitate, aut quanti ante majori hypothecaria renovetur inscriptio. Uno verbo renovatio noo potest novum jus tribuere, aut illud augere, quod creditori quæsitum est ex priori inscriptione. *Rot. in cit. Romana Nullitatis inscriptionis hypothecariæ* 6 *Junii* 1823 § 9 *coram Martinez, et in Anconitana hypothecæ super I. Dubio* 12 *Decembris* 1825 § 11 *coram Emo Marco*. Patet igitur ob non servata solemnia, inscriptionem, ac ejus renovatiooem omnino corruere, etiamsi justum inscribendi titulum præseferant *Rot. in cit. Anconitana hypothecæ super I. Dubio* 12 *Decembris* 1825 *coram Emo Marco*.

In eodem statu res esset, quamvis renovatio inscriptionis hypothecariae considerari vellet uti nova inscriptio. 5
Cum enim anno 1819 expleta fuerit, inquirendum propterea de ea esset juxta legem hypothecariam anno 1816 editam, ex qua vetitum fuit, ne generales hypothecæ inscriberentur. Quoad eas quidem generales hypothecas, quæ a vetustioribus titulis manabant, jam erat elapsum utile tempus, quo inscribi debebant. Post evulgatam autem legem non potuerunt amplius ex quovis titulo sive antiquiore, sive recentiore generales hypothecæ in publicos Codices referri, ut cavetur Art. 37 hypothecariæ legis = *Siccome nel sistema ipotecario introdotto, e conservato nelle diverse parti dello Stato Pontificio sono scorsi i termini accordati per iscrivere le ipoteche generali convenute anteriormente alla introduzione di questo sistoma, ed in appresso le convenzioni delle ipoteche generali non hanno potuto avere alcun effetto per la iscrizione ipotecaria; perciò si dichiara, che in virtù di tali ipoteche generali comunque, ed in virtù di qualunque clausola convenuta nei contratti stipolati antecedentemente, e susseguentemente alla presente legislazione, niuna iscrizione potrà aver luogo* =.

Præter autem solemnium defectum, nunc illud etiam accedit, ut titulus 6

desierit inscribendi, ideoque multo magis abroganda sit inscriptio hypothecaria. Reque vera, ut ut diuturnitas conductionis per *decem, et octo* annos titulum suppeditaret ad inscribendum, quem cæteroquin, conductione pergente, numquam Rusconii cnrerunt; ipse tamen titulos desiit, cessata locatione. Ex pacto vero prælationis, quam initio sibi quæsivit Andreas Rusconius, poterat quidem inscriptio fieri; sed ipse inscribendi jure destitutus fuit, semel ac socios adscivit, ac deinceps societate dissoluta, novus initus fuit contractus a locatore probatus, ex quo latifundio in tres æquas partes diviso, quisque incepit partem suam agnoscere, eamque ære proprio, damno, vel lucro colere. Quidquid ergo ex priore contractu Rusconius sibi fuerat peculiariter stipulatus, illud plane amisit ex contractu posteriore, quo ei, Guidio et Ugolinio ita data fuit ex integro conductio, ut singuli pro sua portione socii, ac pro virili erga locatorem tenerentur. Oportebat igitur, ut jus illud prælationis, quod sibi Busconius, qua unico conductori, fuerat ante stipulatus, in novam stipulationem deduceretur, ne penitus intercideret. At nihil de hujusmodi jure in secunda conductione conventum fuit. Ergo nec inscriptionem suscipere pro prælationis jure novi conductores valebant.

7 Quin imo ex indole ipsa posterioris contractus jus illud penitus evanuit. Nam prælationis jus super universo latifundio Rusconius exercere antea potuisset ex primo contractu dumtaxat, Immutata deinde est ejus persona, et ex generali conductor partiarius evasit. Ergo jus illud, quod super universu latifundio, uti conductor generalis primum obtinuerat, abdicata generali conductione, obtinere amplius non potuit. Nec ex eo, quod in altero conductionis contractu nihil de jure prælationis cautum fuit, ideo præsumendum eodem modo fuisse novis conductoribus concessum, quo fuerat universali primo conductori reservatum. Non enim jus prælationis, vel pro indiviso cunctis conductoribus super universo latifundio, vel divisim cuique conductori pro parte latifundii locata, tributum fuisse constat. Non primum, quia prælatio super universo latifundio, cum ex priori contractu data fuerit uni dumtaxat conductori, necesse erat in contractu posteriore nominatim cavere, quod prælatio illa uni tantum initio concessa, cunctis deinde conductoribus concedebatur. Eoque magis id erat cavendum, quia conductores non latifundium receperant conjunctim, ac socialiter, ita ut pro uno conductore haberentur; sed suam quisque partem disjonctim conduxerat, adeo ut tres revera essent conductores. Non alterum, quia scilicet, ut jus illud prælationis, antea per universo prædio uni tantum conductori concessum, in singulos conductores deinde divideter super parte qualibet latifundii, peculiari conventione opus erat, quæ cum prorsus desideretur, idcirco dici nequit singulis conductoribus jus prælationis divisim fuisse concessum.

Cæterum jus illud prælationis, tum natura, et indole sua tum natura, et indole primi contractus individuum erat ac universum latifundium respiciebat. Hinc si posterior locatio fundum in tres partes divisit, non æque poterat in tres partes dividi jus prælationis. Quum igitur nominatim cautum non fuerit, novationem quoad jus prælationis fieri ex novo contractu, cum tamen appareat, locationem posteriorem non posse simul, quoad jus prælationis, cum anteriori consistere, novatio certe intercessit, quæ toties inducta dicitur, quoties pacta primi contractus pactis posterioris contractus adversantur. *Voet. in Pandect. lib.* 46 *tit.* 2 *num.* 3. *Rot. decis.* 183 *num.* 15 *coram Olivatio, decis.* 33 *num.* 5 *coram Rovarella, cor. Malvasia decis.*262 *num.* 11 *in Romana seu Æsina Reductionis* 4 *Julii* 1803 § 4 *coram Bardaxi, et in Romana Reductionis* 17 *Junii* 1805 § 4 *coram Eodem.* Ex eo imo, quod jus prælationis est individuum, tamquam obligationem præseferens dandi, vel vendendi, quæ pa-

riter est individua, novum exurgit argumentum ad profligandum ex posteriori contractu ipsum jus prælationis, abrogancam hypothecariam inscriptionem. Aut enim neino ex conductoribus illud jus acquirere potuit, aut omnes in solidum acquisiverunt. Si nemini quæsitum est jus prælationis, actum est de inscriptione, eaque necessario delenda est. Si vero cunctis in solidum quæsitum fuit, æque acta res est, quia locator illud adamussim dedit, atque concessit alteri ex conductoribus, qui jus ipsum in solidum pepigerat.

9 Constat porro, Zucchinium, qui Equiti Francisto Milzetto successit in emptione latifundii, successisse pariter in jura duorum ex conductoribus, Guidii scilicet, et Ugolinii. Ugolinius siquidem, qui latifundium conduxerat pro persona nominanda, nominavit postea Guidium; Guidius vero, qui bessem conductionis comparaverat, bessem ipsum deinde transtulit in Zucchinium. Erat ideo Zucchinius, non secus ac Rusconius consors stipulandi, qui sibi nempe in solidum acquisiverat jus prælationis: contra vero Aldovrandus erat debendi reus, qui nimirum cuilibet ex consortibus stipulandi primum petenti jus prælationis denegare non poterat. Ea autem est natura hujusce stipulationis, et obligationis, ut, si alteri solidum præstetur, cæterorum actio perimatur, et debitor liberetur. *Instit.* § 1 *de duob. reis stip. leg. cum duo de duobus reis stip.* Atque hæc præcipue regula locum sibi vindicat in materia prælationis, quæ pluribus competat, et ab uno tantum valeat exerceri; adeo ut petitio prævenientis cæteris auferat actionem *Barthol. in leg. si Servus* 23 *ff de act. empt. et vend. num.* 7 *Alciat. in leg. Dudum* 14 *Cod. de contrahend. empt. num.* 24 *Castrens. cons.* 221 *num.* 2 *et seq. Constantin. ad Stat. Urb. adnot.* 24 *num.* 376 *Mastrill. decis.* 21 *num.* 2 *Rota in recent. decis.* 156 *num.* 17 *par.* 15 *cor. Kaunitz decis.* 208 *num.* 5 *dec.* 987 *num.* 8 *coram Buratto et decis.* 156 *n.* 5 *coram Otthobono,*

10 Quod si hæc obtinent in Zucchinio, qui cum Rusconio in solidum prælationis jure polleat, eo magis obtineant oportet, cum pateat longe potiore, quam Rusconius, eum jure potiri ad prælationem exercendam. Si enim ex tribus partibus conductionis bes earum pervenit in Zucchinium, qui juribus Guidii, et Ugolinii suffectus fuit, ac triens tantum Rusconio obvenit, dubitari profecto nequit, quin Zucchinio, uti majorem vonductionis partem possidenti, præ Rusconio prælatio competeret. Quemadmodum siquidem, si agatur de jure congrui, et prothomiseus super ædibus a pluribus vicinis exercendo, inspici solet, quis magis sit vicinus, et ædibus retrahendis adjaceat, eique præ cæteteris prælatio conceditur, ut arguunt *Gratian. discept. forens.* 626 *num.* 1 *Rocc. disput. jur. select. cap.* 16 *num.* 10 *Constantin. ad Stat. Urb. adnot.* 24 *num.* 377 *Rot. in Rec. part.* 4 *decis.* 853 *num.* 17 *in Firmana Prælationis* 4 *Martii* 1795 § 4 *cor. Resta, et in Bononien. Contractus super Prælatione* 26 *Junii* 1793 § 5 *coram Paracciano*; ita pariter hæc regula servanda est, quando res est de prælatione supes conductione, vel emptione alicujus fundi a pluribus exercenda, quæ in eo tantum differt a prima, quae prior a jure, altera erutur ex pacto. Cum autem quoad substantiam una sit, eademque res, ideo iisdem regulis precedendum esse, tam in prælatione, quæ ex stipulatu, quam in prælatione, quæ ex jure descendit, ratio naturalis suadet, et interpretandi leges.

Hypotecariam denique inscriptionem, quam sustinere Rusconii nequeunt, inaniter contenderent firmam esse retinendam ex judicio. 11 Nullum quippe negocium facessit judicium, quod anno 1803 inter Aldovrandum, et Andream Rusconium exarsit de jactato jure prælationis, quodque inchoatum utique fuit, nunquam vero ad exitum perductum. Oportet itaque, ut primo judicium absolvatur per unam saltem sententiam, quæ, si votis fratrum Rusconi favebit, tunc melius poterunt de inscribenda hypotheca videri solliciti. Nec obstant acta judicialia, quæ anno 1806 Milzettus instituit adversus Rusconium, ut ab eo, veluti latifundii dominus agno-

sceretur. Ranuebat quidem Rusconius prætextu inanissimo prælationis Milzettum agnoscere latifundii proprietarium. Sed tricas omnes sustulit Judicis decretum, ex quo adactus fuit Rusconius ad agnoscendum in prælationem ad tramites juris postulandi. Redit igitur oportere, ut Rusconii judicium prælationis usque ad sententiam absolvatur, sine qua perperam operosi sunt de judiciali hypothcca inscribenda. Cæterum nil interest Bldovrandi quidquid accidesit Rusconium inter, et Milzettum, cum tritum sit in jure proverbium, rem inter alios actam tertio nocere non posse *Rot.* in *Viterbien. Legati* 1 *Julii* 1737 § 5 *cor. de Vais.*

Et ita definitum est, altera tantum etc.

CIVITATIS CASTELLANAE

CREDITI

Lunae 15 *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Convelli non potest res-judicata, quae nec nullitattis, nec injustitiae vitio laborat - Quisquis, qui aut ex lege aut ex pacto tenetur debitorem cogere ad solvendum ex eo solum ab onere liberatur excussionis, quod demonstretur profuturam non esse debitoris excussionem.

SUMMARIUM

1. *Convelli non potest res judicata, quae nec nullitatis, nec injustitiae vitia laborat.*
2. *Donatarius universalis defuncti, ad instar haeredis habeadus.*
3. *Si transactio in implicita maneat validitatis statu, omnis quaestio ad concordiae tramitee reducitur.*
4. *Posteriora prioribus derogant.*
5. *Transactio quae nil dejuribus anterioribus cujuspiam innovat, non nocet eisdem.* -Et n.6.-
7. *Posteriores leges anteriorem factum immutare nequeunt.*
8. *Transactio amica inita concordia querimonias partium excludit* - Et num. 9. -
10. *Depositum omnibus solemniis persolutum, nullitate nequit redargui.*
11. *Quisquis tenetur debitorem cogere ad solvendum, ex eo solum ab onere liberatur excussionis, quod ipsius debitoris bona nimis implexa sint, aut profutura non sit ex quacumque alia caussa debitoris excussio.*
12. *Cessionaria pro solvendo obesse nequit scientia aut difficilis exactionis, aut inexistentia nominis cessi.* - Et num. 13. -

DECISIO CCCLV.

In diuturna controversia, quæ sub postremo Gallorum imperio exarsit, a conjugibus Maria Alexandra Ciotti, et Joanne Marchetti excitata in conjuges Annam Ciotti, et Gabrielem Cianciani, uti donatarios universales defuncti Bonaventura Ciotti, utriusque fæminæ parentis, tres hactenus prodicrunt Sacri Auditorii Scntentiæ. In prima, cui subscripsit, una dumtaxat ac contumaciali præeunte Dccisione, bo. mem. Martinez, constitutum est nullo jure potiri conjuges Mariam Alexandram Ciotti, et Joannem Marchetti denuo condicendi solutionem dotis ab ipso Bonaventura jamdiu receptae. Rcbus illustratis, suique præsentiam faciente Joanne Marchetti, qui antea vadimonium dcseruerat, secus dennitum in altera, quam evulgavit post tres inter se consentaneas Decisiones emeritus Collega, nunc Cardinalis Amplissimus, Franciscus Marco. Probarunt siquidem omnes Domini creditum dotis a Joanne Marchetti propositum, nec ei unquam hoc nomine fuisse satisfactum existimarunt; quem propterea creditorem fecerunt in pecuniaria quantitate ad liquidum deinde perducenda. In tertia denique ab emerito alio Collega Præsule Patrizj, sacris modo infulis aucto pronunciata post binas conformes Decisiones dierum 9 Martii 1827 et 4 Februarii superioris anni, confirmatum fuit posterius hoc judicium, dotisque creditum rursus in genere comprobatum. Ita solemnis orta est Res-judicata; a qua tamen, cum de lite ageretur ante initam judiciorum reformationem instituta, facile potuerunt conjuges Annam Ciotti, et Gabriel Cianciani restitutionis in integrum beneficium experiri. Commissa igitur mihi causa, rogavi bodie universam Aulam; exhibita de more Dubii formu-

la » *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* », et responsum retuli » *Constare de rejudicata.*

1 In jure nihil antiquius, quam convelli non posse rem judicatam, quæ nec nullitatis, nec injustitiæ vitio laboret. Cum de nullitate nulla quæstio moveretur, tota disputatio ad justitiam rei judicatæ cohibetur, ad quam evincendam erat paullo altius in facto repetendum, quod eo tempore, quo cum aurea, et argentea moneta in commercio versabatur cuprea, ac papyracea, ullo absque valoris discrimine, Crescentium, ac Theodoram Siniscalchi uberrimum patrimonium filiæ Hyacinthæ, nuptæ Bonaventuræ Ciotti, patricio Fescennino se reliquisse, ut nummos argenteos, *quatuor mille* dotis nomine numerarent adolescentulæ Mariæ Alexandræ quæ ex eo matrimonio jam ad lucem venerat, quæque deinceps anno 1798 nuptui tradita fuit Joanni Marchetti. Harum nuptiarum occasione, Mariæ Alexandræ pater Bonaventura dotem ex avito præcepto filiæ constituit in prædicta summa scutatorum nummorum *quatuor millium*, eique addidit Hyacintha mater nummis alios *quingentos* in dotis auctarium, quorum solutioni, ut Bonaventura prospiceret, ordinem Marchettio cessit scutor. 1100 a Valerio solvendum; promisit se ei soluturum alia scut. 350, ac pro reliquo ei tot tradidit nummarias tesseras, quarum æstimatio, cum in dies adeo vilesceret, ut forent omnium fere opinione damnatæ, ita socerum inter, et generum convenit, ut redderentur, nisi possent negotiationibus implicari. Nec illum ordinem exigere, nec nummariis tesseris uti potuit Marchettus; quare hæc omnia Ciottio restituit; ex quo factum fuit, ut diebus 2., ac 16 Decembris anni 1802 Ciottius cum Marchettio transactionem inierit, privatis tabulis conscriptam, quia ipse, ordine prædicto, ac nummariis tesseris sibi redditis, suum erga Marchettium debitum agnovit, tam pro dote *scutorum quatuor millium*, ejusque augmento in aliis scutis *quingentis*, quam pro dotis interusuriis, et mutuo præterea scutorum circiter *quatuor centum*, quæ interea temporis a genero receperat, ut domesticis consuleret necessitatibus. Ut autem hoc dimitteret æs alienum, quo premebatur, duo nomina collybistica alterum scutorum *quatuor millium* cum Joanne Pio Liberati, Romanæ Curiæ Præsulæ, alterum scutorum *mille quingentum* adversus hæredes Josephi Valeri, Creditori suo cessit, una cum fructibus insolutis, qui hoc pacto propositæ assentitus fuit cessioni, ut accepto quidem *pre solvendo*, non vero *pro soluto* nomina debitorum haberentur. 2

Ex cessis nominibus nil aliud consequi datum fuit Marchettio, nisi scuta circiter 3500 e cambio cum Liberato, sortis, ac fructuum nomine. Quapropter ipse egit in socerum pro reliquo credito, cumque sententia A. P. Pelagallo damnari obtinuit, qui creditori suo satisfecit ope dationis in solutum quorumdam bonorum vice pecuniæ. Sed interim quoque Gabriel Cianciani judicio Bonaventuram lacessivit, ac in eum judiciale mandatum pro credito dotis scutorum *termillium* uxori suæ constitutæ impetravit, quod executioni commisit super iisdem bonis a Joanne Marchetti in solutum acceptis. Ferbuit hinc inter leviros spolii querela, in qua cum jura prævaluissent Gabrielis Cianciani, actione spolii deserta, censuit Joannes Marchetti de credito, quod in vim transactionis experiebatur, peculiariter cum leviro suo disceptare: idque bene ei cessit, quidquid antea fuerit definitum, duabus postremis Sacri Ordinis sententiis rem judicatam constituentibus, quæ modo ad examen revocata visa est juri, et justitia apprime congruere. Omne quippe fuerunt punctum privatæ transactionis tabulæ diebus *secunda, et decimasexta* Decembris 1802 stipulatæ, ex quibus Mariæ Alexandræ sponsus a socero Bonaventura Ciotti cessionem obtinuit *pro solvendo* duorum nominum collybisticorum, ex quibus, cum nil aliud is exprimere potuerit, nisi scuta circiter 3600., necessario proinde sequitur,

superesse adhuc Marchettum, ad ejusdem transactionis tramites, creditorem, ac pro reliquo credito rite eum agere adversus conjuges Cianciani, qui donatarii universales extiterunt defuncti Bonaventuræ Ciotti, ideoque ad instar hæredum, hæredumque loco habendi sunt.

3 Multa de more proponebantur ad reliquum creditum ab iis, qui causam pro conjugibus Cianciani dicebant, quique contendebant, restitutas ab Joanne Marchetti inter transigendum non fuisse nummarias schedas antea in solutionem dotis acceptas: tum reductioni obnoxiam esse dotem a patre constitutam; rursus perperam transegisse Joannem Marchetti cum Præsulæ Joanno Pio Liberati de nomine collibistico scutorum *quatuor millium* una cum fructibus: item excutere omisisse eumdem Marchettum hæredes Josephi Valeri, nec eo judicio compulisse ad collybi restitutionem, præjudicatum denique fuisse creditum, quod ab Actore proferebatur, præcedenti Sententia, ex qua spolii actio rejecta fuit. Sed hæc omnia quæ jam in superioribus Decisionibus rem judicatam praeuntibus profligata fuerant, iterum expensa deterrima comperta sunt, nulliusquo fere momenti. Ad singula tamen respondentes Domini Mei, una mecum suffragium ferentes, animadvertebant, nedum nihil efficere quod inter transigendum restitutae non fuerint nummariæ schedæ, solutionis loco traditæ, sed commentum id quoque redolere, extantibus de restitutione peracta monumentis. Nam, si de viribus transactionis modo disputaretur, non inepte forte proponeretur non factæ tesserarum restitutionis objectum. Cum autem transactio in implicito maneat validitatis statu, eaque potissimum utantur conjuges Cianciani ad excludendum creditum Joannis Marchetti, omnis quæstio ad concordiæ tramites dirimenda est, omnesque extraneæ disputationes procul amandandæ sunt, in diversa judicii sede disquirendæ. Jam vero, postquam dotis debitor Bonaventura irritas omnino, ac nullas in transactione renunciavit solutiones cum nummariis tesseris initas in causam dotis, perinde habenda res est, ac si chartacea moneta numquam tradita fuisset.

Sed commentitium erat restitutas inter transigendum non fuisse nummarias tesseras, semel ac restitutionis acceptilatio proferebatur ab omni falsi criminis labe vindicata. Nec in pretio habenda erant quarumdem epistolarum exempla, quas in triumphum adducebant conjuges Cianciani ad demonstrandam saltem simulationem acceptilationis. Præter enim quod, authographis numquam exhibitis, tuto affirmari non poterat, epistolas illas scriptas a Marchetto fuisse; cum tamen transactionem epistolae præcesserint, non illud observandum est, quod in epistolis legitur, quodque fortasse propositum fuit, dum agebatur de re transigenda, sed unice spectanda transactio est, eaque facem præferat oportet huic quaestioni dirimendæ, quia posteriora derogant prioribus. Nihil vero aliud ex epistolis colligebatur, nisi quod generi persuadere Socero voluerit, infectas censendas esse ob reprobam monetæ qualitatem initas solutiones: nec ullum de restitutione schedarum verbum occurrit, ex quo conjici valeat, eas non fuisse restitutas, acceptilationis Syngrapham de simulatione suspectam videri. Nec melior est exceptio alia, quæ de reductione dotis agit, nec in facto, nec in jure ullo modo comprobanda. Nam, de rerum gestarum seriem quod pertinet, recolendum est dotem scutorum *quatuor millium* Mariæ Alexandræ constitutam fuisse ex voluntate, atque substantia conjugum Siniscalchi, qui erant avus, atque avia Materna nubentis puellæ, quique eo tempore migrarunt ad plures, quo nullum inter probos, reprobosque nummos discrimen adhuc fuerat invectum. De huc avito praecepto nil quidem meminit nuptialis contractus; sed rem faciunt indubiam publicæ collybi tabulae inter Hyacintham Ciotti Mariæ Alexandrae matrem, et Præsulem Joannem Pium Liberati stipulatæ, ubi Hyacintha disertis verbis professa fuit, summam scutorum *quatuor millium* 4

ab haereditate manere Crescentii, et Theodoræ Siniscalchi, idcoque fœnori collocari, ut tantumdem pecuniæ ex eorum mente deinde Mariæ Alexandræ dotis nomine persolveretur.

5 Utique in posterioribus nuptialibus tabulis anno 1798 celebratis collybi illius caput pro dote assignatum non fuit, nec in iis mentio facta est de voluntate pandita ab avis Mariæ Aloxandræ. Utique, eamdem quantitate dotis promissa, alius solvendi modus debitori placuit. Satis tamen est quantitatem illam ex haereditariis utriusqoe avi facultatibus deberi cœpisse ab eorum obitu, idque palam fecissa Hyacintham occasiona collybi, quem anno 1795 cum Præsule Liberati contraxit. Constitutio siquidem dotis, ejusque promissio, licet anno 1798 inita, dum Joanni Marchetti nupsit Maria Alexandra, retrotrahitur tamen ad tempus obitus Crescentii, et Theodoræ Siniscalchi, quo cum nulla monetarum varietas existeret, cumque nonnisi ad integræ æstimationis nummos propriam voluntatem referre avi potuerint necessario consequitur reductioni obnoxium dotis creditum fieri non possa. Rem vero non turbat posterior transactio, cui anno 1802 operam dederunt socerus, et gener. In aa enim nihil detractum est juribus Joanni Marchetti, ejusque uxori quæsitis, tam ex dispositione Crescentii, et Theodoræ de Sinischalchiis, quam ex nuptialibus tabulis anni 1798. Cum imo pleraque dos, in prædictis tabulis Mariae Alexandrae promissa, in papyraceis tesseris soluta hoc pacto fuisset, ut schedae nummariae redderentur, si impendi, et in commercio poni nequivissent; hoc proinda contrahentes in transactione in primis egerunt, ut irritas scilicet, et nullas profiteretur Bonaventura Ciotti dotis solutiones cum reproba illa moneta peractas, qua uti non potuerat Mariæ Alexandræ vir, cujus propterea jura ad dotem assequendam denuo cœperunt reviviscere. Nulla itaque novatio ex transactiona facta est, ex qua prohiberetur Marchettus, quominus jura sua exerceret ad dotem in proba pecunia vindicandam.

Huc imo spectat integar ejusdem 9
transactionis contextus ut, cum novisset Bonaventura ex avitæ dispositionis lege dotem subjici raductioni non possa, nec leve alioquin præjudicium illatum genero fuisse ex papyracea moneta, quam ei dederat, ideo solutiones factas infirmavit, iterumque modum constituit dimittendi dotalis nominis ex inita cessionem *pro solvendo*. Hujusce rai lucuIentum præbet argumentum transactio ipsa, quæque transactionem antevertit schadarum restitutio. Non alia namque de causæ restitutæ schedæ fuerunt, nisi quia, earum æstimatione ex omnium opiniona diminuta, ita illas distrahere, et permutare nequiverat Marchettus, ut exinde verum sibi servaret valorem scutatorum argenteorum *quatuor millium*, quot filiæ suæ nupturæ Bonaventura debebat. At nec is schedas sine quærela recepisset, nec se iterum integræ dotis, ejusque fructuum debitorem declarassat ex syngraphis dierum 2 et 16 Decembris anni 1802, nisi probe nomen suum novisset a quolibet reductione prorsus immune. Quapropter in medium adducendæ non sunt reductionum leges, quæ tempore vigebant transactionis. In transactione enim non dotem promisit Bonavontura, sed ratam habuit, confirmavitque obligationem suam de dote solvenda, qua tenebatur ex instrumento anni 1798, vel ex postrema dispositione conjugum Siniscalchi multo prius patefacta. Sive igitur hæc dispositio, sive instrumentum illud originem dederit obligationi, in utroque casu locum non fieri reductioni ex hactenus deductis patens ast.

Deterior autem est exceptio reductionis in jure, sive Siculis Ducis Na- 7
selli, sive posteriores Cardinalis Camerarii leges præ oculis habeantur. Naselliana enim lex, ad diem 13 Decembris 1799 lata, quæ jussit ut nomina reducerentur sub monetario discrimino contracta in mulierum favorem, et pro bono matrimonii nominatim excepit dotes, dotium augmenta, et lucra dotalia, ut sæpe monuit Sa-

cer Ordo, ac præsertim in *Firmana Reductionis* 5 *Junii* 1804. §. 4. *coram Tassoni*, *et in Firmana Dotis super reductione* 25. *Aprilis* 1816. §. 2. *coram Eodem*. Subsequens vero Edictum Cardinalis Camerarii, pridie Kalendas Januarii anni 1803 publici juris factum, reductioni dumtaxat subjecit ea nomina, quæ contracta fuissent post diem *primum* Aprilis anni 1800 usque ad diem ipsam adscriptam Edicto. Quocirca nemo non intelligit reductioni obnoxium non esse nomen, de quo quæritur, utpote ortum longe ante diem *primam* Aprilis anni 1800, idest quoad *quatuor millia* ante annum 1793 ex conjugum Siniscalchi dispositione, et quoad scuta *quingentum* ad diem 8 Februarii 1798. Si quæ autem proferebantur Sacri Tribunalis oracula, ex quibus demandata quandoque fuit reductio dotis, utcumque ante monetarium discrimen constitutæ, ea quidem casus longe diversos recipiebant, quoties nimirum solutio incidebat in tempus, quo hujusmodi discrimen vigebat, ac ex pacto præterea debitori licebat nomen suum, etiamsi privilegiarum, vel argentea, vel ærea moneta dimittere. Non erat hisce in casibus permissum concessam debitori facultatem pervertere, et satis consultum est creditoris indemnitati ex arrepto temperamento, ut solutio fieret partim in ærea, partim in argentea moneta.

8 Aeque levis est, et inanis exceptio alia, qua conjuges Cinciani solent objicere perperam transegisse Marchettum cum Præsule Liberati, et ab eo recepisse scuta circiter 3500 dumtaxat, dum alia 500, præter quantitatem non modicam fructuum collybi, debebat exigere. Est enim observandum, collybum scutor. *quatuor millium* cum Præsule illo contractum quinquennio circiter ante, quam Marchetto cederetur, dimissum fuisse, teste publico instrumento, cui, tam Bonaventura Ciotti, quam ejus uxor Gyacintha subscripserunt. Non erat igitur amplius in rerum natura, dum in Marchettum nomen istud collybisticum translatum fuit, qui tamen, ratus irritam fuisse solutionem a Præsule totidem nummariis schedis expletam, judicio in eum egit, adoque profecit, ut damnari obtinuerit Præsulem ad iteratam solutionem, deducto tantum valore *reali* schedarum. Cum vero ab inimica sententia provocasset Præsul, et ejus vires a Sacro Nostro Ordine expendendæ essent, factum exinde est, ut tota controversia componeretur amica concordia, quæ adeo utilis fuit Marchetto, ut nil aliud, initis calculis, Præsuli condonaverit, nisi tenuam admodum summam scutorum *centum sexaginta quatuor*. Adeo imo abest transactionem istam: post interpositam provocationem exaratam, posse a quopiam exprobari ut assentitus ei fuerit ipse Bonaventura Ciotti, qui procurationis Mandato Marchettum munivit ad transigendum de quo licet mentio in transactione facta non fuerit, dubitare tamen non sinit, authographum ejus exemplar a Marchetto prolatum.

Nec erat eidem Marchetto succensendum, aut ejus culpae vertendum, quod excutere destiterit haeredes Josephi Valeri pro solutione alterius cessi collybistici nominis obtinenda. Constat enim cedentem Ciottum jam inde a mense Majo anni 1798. coram Vaticani Praetore in jus vocasse Petrum Valeri, qua tutorem, et curatorem ex testamento filiorum Josephi Valeri, eumque damnari postulasse ad caput, fructusque collybi reddendos. Atqui debitor constitutum accepto habens vadimonium, seque judicio sistens, urgere caepit collybi restitutionem explendam esse cum nummaris tesseris: idque probavit Decreto suo Judex, in cujus vim nummariæ ipsæ tesseræ depositi loco relictæ fuerunt penes argentarium Urbis, plaudente, ac consentiente eodem Bonaventura Ciotto, qui jugi silentium, deposito confecto, servavit, ac silentio suo initum depositum ipsum fuisse significavit. Si nomen itaque, quod genero cessit socer, jam fuerat ad tempus cessionis satisfactum, habenda cessio illa est perinde ac si nunquam intercessisset, neque incusandus est cessionarius, si nec interpellavit haeredes Josephi Valeri, nec 9

eos excussit. Neque dicendum in dubium revocari potuisse depositi validitatem, ejusque obstaculo sublato, solutionem iterare debuisse debitores. Neque enim tenebatur cessionariusquaestiones istas instituere: neque quidquam, iis etiam institutis, profecisset. Posita veritate cessionis, si quae essent lites ad cessi nominis solutionem assequendam instituendae, eas quidem cogebatur instruere cessionarius: non item alias, quae ortae ab expleta cessi nominis solutione fuissent, de quibus cedens omnino siluit.

10 Caeterum neque erat ratio cur nullitatis depositum redargueretur, quippe quod absolutum fuit, omnibus adhibitis solemniis, quae ex jure erant adhibenda, nimirum interposita Judicis auctoritate, et exhibita insuper creditori denunciatione, tum peracti depositi, tum lati a Judice Decreti, ex quo depositum ipsum probari promeruit. Quid si nummariis schedis constitit depositum, non id erat probandum, cum eo tempore, quo confectum illud scilicet anno 1789 ad diem vigesimam Junii,tradere utiliter liceret nummarias schedas, secus ac si argentea, et aurea pecunia tradita fuisset. Leges namque, quae eodem anno prodierunt, reductionem subjecerunt eas tantum solutiones, quas plures post dies initas fuisse constabat, veluti monet superior Causae *Decisio diei* 9 *Martii* 1827 *coram Reverendissimo P. D. Patrizj.* Quo cum res perducta sit, frustra regerebatur ex pacto transactionis obligatus fuisse Marchettum ad omnes lites suscipiendas, quae ad recuperanda cessa nomina conferre potuissent. Aliud siquidem est quem ex stipulato teneri coram Judice sistere, ut morosum debiturem adigat ad solutionem: aliud vero, longeque aliud, cessionarium cogere,ut Judicem adeat,ab eoque obtineat ad duplicem solutionem debitorem condemnari. Atqui non hanc secundam, quae irritam quoque fuisset, sed primam dumtaxat obligationem suscepit cessionarius, tum ex vi cessionis *pro solvendo*, tum etiam ex tenore transactionis, ubi verba, et dictiones passim occurrunt, quae crediti non litigiosum existentiam praesupponunt.

Etiamsi vero judicium de nullitate 11 depositi cessonarius instituisset, in eoque datum ei fuisset vincere, nihil tamen profutura ei fuisset victoria ad cessum nomen exigendum. Ex invictis siquidem monumentis apparebat, filiis, atque haeredibus Josephi Valeri *privativum* Judicem a Sacratissimo Principe fuisse deputatum, cuius imperio adactus fuit patrimonii curator Petrus Valeri ad reddendas rationes gestæ administrationis, ex qua constitit, consumpta universa haereditaria substantia, creditorem superfuisse curatorem in scutis circiter *septigentum*. Cum igitur cessio nominis interposita fuerit post redditas a curatore rationes nullo errore redarguendas, immerito negligentiæ insimulabatur cessionarius, si obligationem in transactione suceptam non implevit. Quisquis enim, aut ex lege, aut ex pacto teneatur debitorem cogere ad solvendum, ex eo solum ab onere liberatur excussionis, quod ipsius debitoris bona nimis implexa sint, et ambagibus involuta, aut profutura non sit ex quacumque alia causa debitoris excussio, quemadmodum probat Decisio *diei* 2 *Decembris* 1825 *a R. P. D. Marco, nunc S. R. E. Cardinali, edita* §. 10. Undecim loca Montium in Collybistico contractu fuisse a debitore obligata, eaque persequi Marchettum potuisse dicebatur. Sed id quoque ineptum visum est. Nam in primis oportebat obstaculum depositi removere, eoque demum sublato, si de perseqoendis locis Monitum sollicitis fuisset cessionarius, nil aliud ex eis, nisi exilem summam, retulisset, prout testimonio proxenetarum evincebatur; quod non evertebant peculiares quædum locorum montium venditiones majuri pretio initæ, cum non id spectandum sit, quod raro, sed quod frequentius, et ex communi hominum opinione eveniebat.

Quin obsit cessionarium sivisse, quo 12 in statu res essent ad tempus cessionis Cessionario quippe *pro solvendo*, prout erat Marchettus, obesse nequit

scentia aut difficilis exactionis, aut inexistentiæ nominis cessi, quia personam gerit meri procuratoris, et in cedentem regressum habent, si non potuit integrum nomen, aut ejus partem exigere, prout arguit præcedentes Causæ Decisio *diei* 9 *Martii* 1827 §. 10 *coram R. P. D. Patrizi*. Accedebat hanc scientiam dimissi nominis cessi non bene probari, quemadmodum decet ad irrogandum praecipue præejudicium, et ex alia quacumque causa, quam ex noti tia peractae solutionis cessionarium abstinuisse a vexandis hæredibus Josephi Valerj, Cæteram licet cessio *pro soluto* celebrata fuisset, cum tamen non simplici cessione contentus evaserit Marchettus, sed id amplius voluerit, ut cedens teneretur quoad cessionis effectum, veramque solutionem, veluti ex transactionis verbis apparet, sponte hinc sequitur, data etiam scentia inexistentiæ nominis, non antea cedentem liberatum a contractu obligatione intelligi posse, quam post *realem* cessi nominis exactionem per cessionarium obtentam.

13 Vix erat post hæc quod responderetur objecto deducto ex sententia spolii ab A. C. Pelagallo pronunciata, et a Gallico appellationum Tribunali confirmata. Ratio quippe, ex qua spolii actio rejecta fuit, non in eo versatur quod forte Marchettus ullo credito in Socerum destitueretur; sed quia, dum conjuges Cianciani judiciale mandatum super bonis Marchetto in solutum datis exequutioni commisserunt, fundos persequuti sunt sibi jam devinctos, sibique quæsitos ope donationis universalis cum Clausulis translationem dominii praeseferentibus a Bonaventura emissæ. Non poterat hinc Marchettus, ut de dote, aliisque creditis satisfieret, ea invadere bona, quae ex præcedenti facto in Conjuges Cianciani transiverant. Quod si credito etiam mentio excidit in animadversionibus dispositivæ pronunciationi præambulis, quæ continentur in Sententia edita sub Gallorum imperio, obiter id erit, et perfunctoriæ observatum, atque in eum finem, ut magis, magisque actio Spolii » Marchetto proposita profligaretur. Deficiente igitur vera, appositaque Sententia, quae creditum rejecerit, actio de credito ipso peculiari judicio per Marchettum quandocumque instruenda non ita praejudicata censenda erat, ut exceptione rei judicatae elidi possit, quæ cæteroquin ut officiat, non easdem solum personas desiderat, sed idem quoque subjectum.

Et ita, relatione habita ad omnes Decisiones, quæ rem judicatum quæsiverunt, Aula universa judicavit, Utraque etc.

FERRARIEN

NULLITATIS CONTRACTUS

Veneris 12 *Decembris* 1829.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXXXVII. -

SUMMARIUM

1. *Usurae, ex mutuo pecuniae per se sterilis, vetitae sunt.*
   Idem affirmandum de contractibus ad obtegendas usuras compositos - ibid. -
   In hujusmodi contractibus praesumptiones, conjecturae etc. simul juvant ad prouaciandum contractus injustitiam - ibid. -
2. *In societate aequa fieri debet pro capite ab unoquoque socio collato lucrorum damnorumque divisio.*
3. *Contractus qui trini appellantur improbandi sunt.*
4. *Mutuum palliatum sub eo contractu latet in quo promittitur pecuniam ad aliquid impendi, in facto autem nondum erogatur.*
5. *Animalium negociatio cum sit incerta*, besses *tantum fructus ex ea redire queunt.*
6. *Contractus mercatorius nomine tenus a trino contractu differt.*
7. *Mensura fructuum in contractibus census, collybi etc. pertinet ad* accidentalia, *in mercatoria contractu vel trina ad substantiam contractus.*

DECISIO CCCLVI.

Ingenii sui aciem plurimum intendit, multumque hodie laboravit Jacobus Gu-

linellus, ut momenta convelleret, quibus innixa mea Decisio, ad diem *sextam* Junii proxime elapsi evulgata, nullum, ac usuraria pravitate infectum renunciavit contractum, cum inter, ac Antonium Floranium initum, cujus vi hic a Gulinellio receperat nummos argenteos Bavariæ *quatuor mille*, hoc pacto in bubulam negociationem erogandos, ut post *septem* annorum spatium pecuniæ caput foret ei restituendum, solutis interim interusuriis *dextantibus* in singula centum, et annos. Quidquid senserint Judices Primarum Actionum Ferrariæ, qui cæeteroquin irritum centractum definierunt, ac Judices alii, qui de provocationibus Bononiæ jus dicunt, Patribus certe usque ad *Sextum* rogatis visum est, sustineri non posse stipulationem, quæ sub verborum involucro, ac sub spectro Societatis, aut alterius cujusdam contractus, quem *mercatorium* Ferrariæ vocant, et usque a temporibus Ducatus Estensis eo loci celebrari passim consuevisse dicunt, fænus occulit, usuramque nequissimam. Atque idem, re denuo cognita, fuit hodie Sacri Ordinis judicium, qui adeo probavit argumenta in prædicta mea Decisione ad evincendam contractus nullitatem exposita, ut illico assuetæ rogationi responderit = *In Decisis* =.

1 Quemadmodum enim divino, humaque jure vetitæ sunt usuræ ex mutuo pecuniæ per se sterilis; ita pariter prohibentur cæteri contractus, quos etiamsi extrinsecam quamdam habeant speciem, et integumentum licite conventionis, simulatos tamen fuisse constat, atque unice compositos ad obtegendas usuras ex mutuo. Cum sæpe sæpius subditorum malitia anperet legumlatorum scientiam, hinc occurrendum est eorum improbitati, quibus tenax est propositum eludendi leges, et sub honestorum contractuum nomine, et larva, fænus impune exercendi. Propterea plurimum hac in re defertur indiciis, præsumptionibus, conjecturis, ut singula, quæ non prosunt, simul unita juvant ad pronunciandam contractus injustitiam. Propterea etiam in his judiciis spectari plus solet, quod actum revera fuit, quam quod simulate concepisse contrahentes videntur, ut alias monuit Sacer Ordo, et praesertim *in Rec. decis.* 338 *n.* 12 *part.* 15, *decis.* 401 n. 28, *et* 29, *part.* 16, *Decis.* 240 n. 6 *cor. Ludovisio, in Albanen. Antichresis* 29 *Januarii* 1753 §. 10 *cor. Molino, et in Veliterna Cambiorum, et Fructuum* 16 *Martii* 1770 § 10 *cor. Origo.* Hujus autem furfuris est contractus, de quo quæritur, ut non aliter valeat definiri, quam involucrum verborum ad fænus occultandum dumtaxat excogitatum sub pallio legitimæ conventionis. Utcumque enim sub triplici illo aspectu societatis trini contractus, ac contractus denique mercatorii Ferrariæ factitati, considerari velint tabulæ Gulinellium inter, ac Floranium initæ, illicita semper, ac usuraria deprehenditur stipulatio, quam illæ præseferunt.

2 Si ea porro est legitimæ societatis tessera, ut aequa fiat pro capite ab unoquoquo socio collato lucrorum, damnorumque divisio; jam illud sequitur, ut vera, et justa societas inter Gulinellium, et Floranium contracta dici non possit, cum se maxime sollicitum praebuerit Gulinellius, et in pactum deduxerit, ut caput integrum a se immissum, exeunte septennio sibi restitueretur, fructusque *decunces* interea rependeretur ratione lucrorum. Quantum haec duo indoli societatis repugnent nemo non intelligit, qui noscat incertum societatis eventum, quae potest quandoque lucrum, et compendium sociis afferre, sed non raro fit detrimentosa, non modo ex re ipsa, super qua inita societas fuit, sed etiam ex sociorum incuria, imperitia, et temporum vicibus. Si quis ergo ita contrahat cum aliquo, ut caput integrum, sive bene, sive male cesserit negocium, sibi ab altero socio reddi velit, et praeterea summam certam, ac praefinitam lucrorum nomine persolvi constituat, is quidem, non societatem licitam, quae jus fraternitatis quodammodo contineat, sed societatem *leoninam*, ut inquiunt, ut *ad caput salvum* contrahit, qualem punctim exsecratus est S. M. Pontifex Xistus V Constitutione sua, de qua fusius edisserit

superior mea *Decis.* §. 3, et omnes insuper leges odio habent, ac maximopere vetant. In usurae vero vitium lapsum misere Gulinellium fuisse ex ipsa revincitur lucri parte, quam ille sibi in contractus tabulis praestituit, non quidem in fructibus incipiendae negociationis, sed imo in certa pecuniae quantitate, quae *dextantibus* responderet usuris.

3 Ex hac siquidem pactione tanto magis elucet Gulinellii propositum refugiendi periculum negociationis et quodcumque damnum, si quod futurum in posterum esset, in socium alterum rejiciendi. Cum autem contractus de quo agitur, non veram, legitimamque societatem, sed societatem impropriam, et oblegendas usuras ex mutuo fabrefactam præseferat; hinc, si pacto conventum fuit, ut pecuniæ dominium in Floranium transiret, id sane consilium excludit veram ineundi societatem; ejus attamen iniquitatem melius ostendit, si sub Societatis respectu controversa stipulatio vellet perpendi, quæ nihil aliud quam palliatum mutuum sub multo verborum apparatu complectitur. Nec ista stipulationis improbitas abstergitur, ut ut consideretur præsens conventio, uti contractus *trinus*, ita nuncupatus, quia tres continet contractus, societatis, scilicet, capitis assecurationis, et conventionis, certi lucri. Nam hi, qui huic contractui dant operam, societatem cum altero cuntrahunt super aliqua re, et caput, quod in societatem immittunt, integrum in societatis exitu sibi reddi constituunt sub lege, ut interim, loco lucrorum, quæ gignere potest negociatio socialis, quid certum, et praefinitum in pecunia numerata, vel in alia qualibet re persolvatur. In primis, juxta saniorem melioris notae Theologorum, Canonistarum, ac Jurisconsultorum sententiam, trini hujusmodi contractus, ad tramites Sixtinæ Constitutionis, apertissime reprobantur, cum in eis eadem vigeat ratio prohibitionis, mutuumque palliatum peræque contineant, ut latius arguit præterita mea *Decis.* §. 5, quae illud quoque addit, calamo potius scribentis, extra rem sine necessitate vagantis, quam Sacri Ordinis sapientiæ tribuendum esse, si quid in nonnullis excidit Decisionibus, ex quo inferri posset, hujus generis contractus a Sacro Ordine fuisse probatos.

Deinde vero ii etiam, qui contractum trinum protuentur, docent tamen duo esse elementa necessaria et quodammodo *substantialia*, quæ hunc trinum contractum informent, ut validus valeat existimari. Primo enim oportet, ut is, qui recipit ab altero pecuniam, inter mercatores revera recenseatur, illudque negocium exerceat, pro quo nummos accepit. Rursus necessarium est, ut qui integram sepigit immissi capitis restitutionem cum annuo certi lucri reditu, debeat lucrum istud in tam modica quantitate præstituere, ut tantum, eo subducto, ex negociationis compendio supersit, quantum compenset periculum, cui socius alter subjicitur ob integram capitis restitutionem, certique lucri solutionem, quam promittit. Atqui neque mercator erat, quo tempore contraxit Floranius, neque adeo moderatum, et honestum fuit lucrum, quod ipse quotanniua sese daturum Gulinellio spopondit, ut exigant ipse contractus trini fautores. Tantum profecto aberat, Floranium buceriæ negocationi unquam antea vacasse, ut ad contrabendum accesserit cum Gulinellio postridie, quam ad majorem pervenerat ætatem, ab eoque pecuniam conquisiverit ob unam causam æris alieni luendi, quo paterna implicabatur haereditas, uti ipsæ rotundis verbis tabulæ contractus enarrant. Si igitur pecunia in dimissionem nominum impensa fuit, nec in buceriam negociationem crogata, certius est mutuum palliatum latere sub eo contractu, cujus iniquitas adeo solidis argumentis evincitur. 4

Adeo autem ingens: et enorme fuit lucrum, quod quotannis sibi Gulinellius addixit in usuris *dextantibus* in singula centenaria nummorum Vindelicorum, ut nihil Floranio relinqueret, ex quo remunera, et socialem ejus industriam, atque operam, ac praeterea periculum, cui esse objiciebat, restituendi ex propria crumena pecuniæ ca- 5

put, fructusque *decunces* numerandi. Etenim ex illorum quoque sententia, qui licitum dicunt trium contractum, ad illum nihilominus validum renunciandum requiritur, ut pars lucri, quæ cedit socio suscipienti periculum, septies excedat certi lucri mensuram, quæ fuit alteri socio promissa. At e converso incerte adeo est animalium negociatio, quippe quæ sæpe epizootiæ, aliisque epidemicis, ac contagiosis morbis subsunt, nec leve quandoque ob inclementia cœli, pascuorumque siccitate sentiunt detrimentum, ut ex peritiorum hominum testimonio constet, non alios quam *besses* fructus, compensata annorum, ac tempestatum diversitate, ab hac bovilla negociatione redire, utcumque beneverterit. Etiamsi itaque bene sese habuisset instituta Glinellium inter, ac Floranium negociatio, adhuc tamen hoc quoque in casu, et bene juvante fortuna, jacturam hic postremus faciebat *sextantis* usuræ, quam solvere ex ære suo debuisset, ut *decunces* fructus æquaret cum Gulinellio conventos. Nam spernendum erat quidquid in publicis tabulis Floranius asseruerat, dum declaravit, majus quoque *decuncibus* fructibus emolumentum erui posse a negociatione bovilla. His siquidem confessionibus, quæ aliunde ad foenus obtegendum præsumuntur extortæ, nunquam Judices solent a quiescere, nisi aliis, et invictis monumentis earum veritas demonstretur. Quocirca ne extrema quidem trini contractus habet objecta stipulatio, eamque faenus, usuramque redolere cunctis legibus invisam optime concludit prima *Decis.* §. 8. hic recolenda.

6 Verum in hodierno jurium experimento, cæteris despectis argumentis, reponebant Gulinellii defensores, nil alud actum in publicis tabulis diei *vigesimæ* Septembris anni 1816 fuisse, nisi de contractu *mercatorio*, Ferrariæ usque a temporibus Ducatus Estensis usitatissimo, ac auctoritate probato S. M. Pii VI in Motu-Proprio, ad niem *nonam* Januarii 1777 edito. Sed haec, etsi majori studio iterum jactata, Sacrum Ordinem dimovere nequiverunt. Quamvis enim hujus generis contractus probati dicendi forent, sive ex veteri consuetudine, sive ex auctoritate Pontificia, et ex prædicto Motu-Proprio, in quo cæteroquin nil alind Pontifex ille imperavit, nisi, ut cambia obliqua, sensim contractibus mercatoriis subrogata, certæ intributioni subiicerentur, veluti ipsi subiiciebantur mercatorii contractus; nedum attamen ex verbis prædicti Motus-Proprii, verum etiam ex auctoritate, et testimonio eorum, qui multa de mercatorio contractu literis tradiderunt, quorum in numero sunt *Malucellius*, *et Fantagutius* in superiore Decisione laudati, duo suo, quemadmodum in trino contractu, requisita ad validum renunciandum mercatorium contractum omnino necessaria. Porro, cum nomine tenus a trino contractu differat contractus mercatorius, hinc in eo quoque requiritur ut pecuniam recipiens in mercatura versetur, ac pecuniam eroget in emptionem mercium in contractu constitutam; alter autem socius, qui caput immissum sibi reddi integrum voluit, levissimum exigat lucrum. Jam vero utrumque in themate deficere demonstratum est, quia parte ex una Floranius mercaturæ non erat addictus, nec pecuniam acceptam in negociationem erogavit; parte item ex altera Gulinellius, præter integri capitis restitutionem, lucrum ingens, et immane convenit cum evidenti alterius socii detrimento. Ergo consistere nequit contractus, de quo res est, utcumque dici vellet mercatorium sapere contractum, quem, si unquam probavit, non aliter tamen probasse Summus ille Ecclesiæ Antistes justitiæ, ac æquitatis cultor, et vindex, censendus est, quam cum suis requisitis, quorum alterutrum si desideratur, corruit, et ipse contractus.

Suasum adeo erat Gulinellii oratoribus fructus enormes, loco certi, attamen modici, lucri fuisse depactus, ut illorum imminutioni se promptos exhiberent, dummodo valida stipulatio renunciaretur. Ac vehementer eos errare visum est. Modus quippe, ac mensura fructuum, quæ in contractibus vel col- 7

lybi, vel census, et alii hujus generis ad *accidentalia* contractus dumtaxat pertinet, in mercatorio contractu, uti etiam in contractu trino, si licitus esset existimandus spectat *ad substantiam*. In illis quidem, si immodici sint fructus, arbitrio Judicis juxta morem regionis ad justum modum cohibentur, quin opus si irritum renunciari contractum, in quo convent̤ fructus ipsi fuerunt. At in contractu mercatorio, cum potissimum firmum ejus requisitum in eo consistat, ut modicum lucrum is assequatur, cui caput integrum reddendum ex stipulatu est; hujusmodi scilicet lucrum, quod tenuitate sua tantum alteri socio servet, quantum ei compenset periculum, cui subjicitur; si fructus loco modici lucri conventi, immodici sint, atque enormes, causam ipso jure præbent nullitati contractus, apertum fœnus præseferentis. Qua de re non ipsa solum immodica fructuum conventio vitiatur, sed ea præterea totum vitiat contractum, ac irritum reddit. Hoc est discrimen, quod intercedit inter contractum mercatorium, aliosque contractus collybisticos, et censuum, quod hic jugiter retinendum erat, ne secus via quodammodo consularis fraudibus, et usurariæ pravitati aperiatur. Nunquam igitur fieri potest, ut honesta, et licita judicaretur conventio Gulinellium inter, et Floranium inita, quam Sacer Ordo, re mature discussa, nullam et invalidam hodie denuo renunciavit.

Et ita, confirmata in cæteris, priori Decisione, definitum est cum *quinti, ac sexti* suffragio.

MACERATEN CREDITI

Veneris 6 *Februarii* 1829.

ARGUMENTUM

Qui instrumentum falsum asserit, claram probationem afferre debet. Frustra adversum pubblicum instrumentum adfertur apoca, quae registro caret, et quae per diuturnum tempus occultata fuit. In judiciis civilibus sola suspicio falsitatis, pro falsitate habetur.

SUMMARIUM

1. *Qui de falsitate instrumentum arguit, probationem afferre debet.*
Ad ingerendam falsitatis suspicionem, in judicio civili sat est simplex praesumptio
2. *Inverasimile est, quod quis conventionem, quae suum sortiri debet effectum post longum tempus, levi privatoque folia committi voluerit.*
3. *Apposita falsitas, ex ejusdem diuturna occultatione, facile praesumitur.*
4. *Ex conventione, quae nunquam extitit, nulla actio oriri potest.* – Et num 5. –
6. *Testes mendaces in uno detecti, tales in omnibus praesumuntur.*
7. *Renunciatio, quoad omne jus in genere, comprehendit etiam renunciatio quoad melioramenta.*
8. *Bona quae legitime possidentur, persequi nequeunt nec actioni personali, nec reali.*
9. *Quaestiones ejusdem speciei, una decisione solvuntur.*

DECISIO CCCLVII.

Bona inter, quæ in territoriis Recineti ac Montis Sancti jacentia, et olim ad Clarevallis Abbatiam spectantia, S. M. Pontifex Clemens XIV Cisterciensi Ordini anno 1771 emphiteutico titulo concessit, prædium erat nuncupatum = *S. Domenico* = quod obtigit Monasterio illius Ordinis, sub nomine = *di Santa Maria in Potenza* =, quodve, uti colonus partiarius, retinebat Joseph Camilloni. Occupata a Gallis Piceni Provincia, Demanium Italicum locavit bona, quæ prædictum Monasterium S. Mariæ *in Potenza* possederat, Gregorio Ugolini ac Eugenio Liberati, qui die 2 Augusti Anni 1809 judicialiter Camillonio indixere coloniæ in eo fundo finem, hujusque restitutionem. Obstitit Camillonius, tam nullitatem disdictæ, tam hujus terminum præterlapsum obiicens, et vicit primum die 31 Augusti 1811 coram Judice Pacis Montis Sancti, succubuit dein die 19 Octobris ejusdem Anni apud Tribunal *Musonis:* sed in hisce judiciis numquam proposuit sese, in hypothesi quod a fundo recedere deberet, jus habere ad reintegrationem assequendam pro assertis meliorationibus, propriis sumptibus in eo fundo jamdiu expletis. Res

tamen post hæc siluit, et in fundi Colonia Camillonius versari pacifice perrexit.

Pervenit deinceps fundi proprietas ad Montem Napoleonis, ac postea addicta fuit, inter alia plurima bona, Patrimonio, seu *libero appannaggio* Principis Eugenii, Italiæ Pro-Regis, ac dein Ducis Leuchtembergensis, quod Patrimonium, primum Napoleonis Decreto constitutum, fuit postea Vindobonense Fædere, ac Pontificis Pii VII. Sanctissimæ Memoriæ Chirographo confirmatum. Donec Joseph Camillonius vixit, fundi coloniam retinuit. At post ejus obitum, cum ejus filii et haeredes, Sanctes aliique fratres Camilloni, coloniæ pacta haud implerent, Sanctes Tesejus, Leuchtembergensis Domus Administer in Recineti Territorio, coloniæ dimissionem ipsis indixit judiciali libello sub die 18 Maii 1827. Acceptam hanc denunciationem habuere Camillonii, nec ullum jus protulere ad reintegrationem sumptuum pro predictis assertis meliorationibus. Atque, cum obtinere potuissent a Tesejo coloniam alterius fundi in Vocabulo *Masone*, legali conscripta apocha, dioi 25 ejusdem mensis Maii, nuncium misere coloniæ illius fundi = *S. Domenico* = et = *a qualunque altro diritto, che aver possino* o *pretendano avere* = super eo fundo = *da loro colonizzato in Contrada S. Maria in Potenza* =.

Hisce tamen haud obstantibus ausi fuere Maceratensem adire Prætorem die 13 Octobris ejusdem anni 1827 petentes a Leuchtembergensi Domo solutionem melioramentorum quæ ab eorum parente Josepho confecta fuisse in eo dimisso fundo asseruere anno 1780., ex conventione inita cum Piermartinio, tum temporis Abate Monasterii S. Mariæ *in Potenza*, qua ei servatum dicebant jus assequendi reintegrationem pro eorum melioramentorum impensa, adveniente casu, quo ipse, vel ejus successores a fundo recederent. Hanc vero instantiam fundarunt, primum super testimonio emisso a quodam Laurentio Boccaccio, qui fuerat inter Laicos illius Monasterii, culturæve et administrationi illius bonorum præfuerat post annum 1791 ac fuerat postea = *dimesso dal suo impiego*, *e mandato via dal Monastero* =. Quo testimonio nullius fidei reperto, ad prætensam eam conventionem probandam, apocham protulerunt ab eodem Laurentio obsignatam, appicta ei die 18 Octobris 1780., quamvis ille non ante annum 1781 Monasterium fuisset ingressus, nec ante annum 1791 bonorum administrationi præpositus. Adeo vero sibi benevolum Judicem illum reddere potuerunt, ut hic, prepedita Leuchtembergens Domui quacumque defensione, et hac prorsus inaudita, Sententiam sub die 1 Februarii elapsi anni 1828 protulerit, qua banc ipsorum instantiam admittere non dubitavit. Provocavit illico Leuchtembergensis Domus ab hoc judicato. At Camillonii, mali ipsorum juris prorsus conscii, judicium constanter refugere. Quare proposito a me hoc dubio = *An et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Domini incunctanter responderunt = *Pro Informante* = scilicet = *Negative in omnibus* =.

1 Actio a Camillonis adversus Leuchtembergensem Boccaccio, tam uti Administratore bonorum Monasterii S. Mariæ *in Potenza*, quam » *con permesso, licenza, e volontà del P. Abate Piermartini, capo e Presidente di questo Monastero* = conscriptam et obsignatam dixerunt, quamve Maceratensi Pretori exhibuere, qui faciles eis aures præbuit. Cum itaque = *sive civiliter sive criminaliter super probatis codicillis vel aliis instrumentis requiratur incumbat probatio fidei Instrumenti ei primitus, qui scripturam, obtulerit deinde ei qui stricta instantia falsum arguere paratus est* = ut ait Imperator in *Leg.* 24 *C. ad Legem Corneliam de falsis*, nil eis profuisset coram S. Ordine sistere, nisi plenam probationem veritatis ac auctoritatis illius apochæ attulissent. Id vero eis, impossibile prorsus fuisset; dum e contra illam omnino falsam Leuchtembergensis Domus demonstrat. Qua in re, cum agatur de judicio civili; sat huic reæ conventæ fuisset unam alte-

ramve conjecturam proferre, quæ illius apochæ falsitatis suspicionem ingereret per Cap. *Inter dilectos, de fide Instrumentorum*; *Cap. Tertio Loco, de probationibus*; *L. penultima, et ultima, C. ad Legem Corneliam de falsis*; *Laurent. de jure Canonico lib.* 2 *tit.* 21 *quaest.* 724 *numer.* 1; *Haber praelect. Juris civili lib.* 22 *lit,* 4 § 12.; *Roc, Disput. Juris selecti, cap.* 46 *num.* 17.; *Rota Decis.* 546 *numer.* 11 *corom Ludovisio*; *in Forolivien. Concursus super credito* 11 *Junii* 1756 § 6 *coram Elephantutio, in Albanen. Cambiorum* 30 *Januorri* 1769 § 2 *coram Origo, in Ferrarien. Pecuniaria* 4 *Julii* 1788 § 5 *coram Roverella, et in Albanen. supplantationis receptarum* 18 *Martii* 1808 § 8 *coram Piccolomini.*

2 Non vero leves tantum quædam conjecturæ falsitatis et supplantationis apocæ suspicionem inducunt, sed undique indicia concurrunt, quæ plenam hujusce falsitatis ac supplantationis probationem conficiunt. Primo siquidem inverisimile prorsus est, conventionem quæ suum sortiri effectum poterat etiam post longissimum temporis lapsum, et quæ ideo pubblicum requirebat Instrumentum, committi potuisse levi privatoque folio ab uno Boccaccio signato, lucrationis alterationisque periculo obnoxio, ad firmata *per Rotam in Decis.* 32 *num.* 11 *coram Ansaldo*; *Decis.* 82 *num.* 13 *coram Tanara*; *in Gomen. Transactioni* 11 *Februarii* 1737 § 18 *coram Harrach.*, *et in Romana Reportationis pecuniarum super rejudicata quoad partitam scutorum* 4000 *super reservatis* 20 *Junii* 1777 § 7 *coram Litta.* Præterea fuisset ea conventione actum de interesse Monasterii S. Mariæ *in Potenza*; quare in apoca scriptum legitur eum fuisse confectam post Josephi Camilloni petitiones = *riconosciute giuste e doverose dal P. Abate Piermartini Capo e Presidente di questo Monastero di S. Maria in Potenza* =; eique adjectum fuit, quod Boccaccius = *per osservanza di quanto sopra obbligò Beni e ragioni del suddetto Monastero nella più ampla forma della R. C. A.* = fieri itaque haud poterat, quod assertæ illius conventionis apoca valida saltem haud esset, si vera fuisset, trium testium subscriptione, ad ei fidem, in re tam Monasterio gravi conciliandam per *Rota in Sabinen. Cambii* 25 *Aprilis* 1755 § 8 *coram Paracciano*; *et in Romana reportationis pecuniarum quoad partitam scutorum* 4000 *super reservatis* 22 *Januarii* 1781 § 6 *coram Sentmana.*

Accedit, ad augendam falsitatis ejusdem apocæ suspicionem, illius tam diuturna occultatio, eum fuerit prolata post fere quinquaginta annos ab asserta ejus confectione. Eoque magis, quia Joseph Camillonius ne ullum de eo verbum fecit, eum anno 1809. Ugolinus ac Liberatus, qui a Gallico Demanio conduxerant bona, quæ spectabant ad Monasterium S. Mariæ *in Potenza*, ei indixerunt dimissionem coloniæ fundi *S. Domenico*, et lis hac super re acta fuit, primum coram Judice Pacis Montis Sancti, et dein apud Tribunal *del Masone*, qua occasione haud neglexisset prædictus Camillonius sibi consulere, assertum suum creditum pro expletis in eo fundo meliorationibus proponens, ut illud saltem essequi posset, si ad relinquendum fundum damnatus fuisset, uti reapse evenit per sententiam latam a prædicto Tribunali *del Masone*. Idem silentium servatum fuit ab ejus filiis, et hæredibus anno 1827 eum eis Leuchtembergensis Domus Administer judicialiter denunciavit recessum a Colonia, ac discessum ab eo fundo, quibus sese submittere debuerunt. Nemo vero nescit, quam gravis oriatur alicujus folei, vel apocae, falsitatis suspicio ex ejus serotina exhibitione: *Rota in Rom. dotis* 17. *Februarii* 1752 § 6 *cor. Canillac.*, *in Romana seu Januen. Dotis* 10. *Decembris* 1755 § 9 *cor. Olivatio*; *in Interamnan. Parrocchialis* 5 *Decembis* 1765 § 6 coram Herreros, *et in Romana Pecuniaria super sequestro* 10 *Januarii* 1791 *cor. Origo.* 3

Quamvis hae conjecturæ maximi sint ponderis, itaut, nedum suspicionem falsitatis apocae Camilloniis prolatæ inducant, sed imo eam omnino falsam simulatamque demonstrent, possent ta- 4

men seponi, cum gravissima adsint facta, quæ luculentissime evincunt confictam eam a Camillonis, e condicto cum Boccaccio, fuisse in fulcimen assertæ conventionis de reintegratione sumptuum meliorationum, quæ numquam extitit, nec existere potuit. Apparet siquidem ea apoca exarata, et a Boccaccio signata, uti = *Ministro ed agente del predetto Monastero di Santa Maria in Potenza* = die 18. Octobris anni 1780. At constat a codicibus illius Monasterii, quod = *Lorenzo Boccacci vestì l'adito religioso nell'anno* 1781 = et quod = *circa l' Anno* 1781. *poi venne destinato alla Amministrazione dei Beni del Monastero nostro, chiamato S. Maria in Potenza* =, atque Rev. Badiolius, Claræ Vallis Abbas et Vicarius Foraneus testatur = *Che il converso Religioso Lorenza Boccacci fu trasferito entro l'anno, tra il* 1790. *al* 1795. *da questo Monastero di Chiaravalle in quello di S. Maria in Potenza in qualità di Amministratore, dovendo però in ogni mese render conto a me, allora Cellerario Generale* « Si igitur Boccaccius anno 1780. non adhuc Monasterio sese addixerat, et si ejus bonorum administrationi prepositus, baud fuit ante annum 1790., plane consequitur, nil impudentius absurdiusve proponi posse, quam conventio cum eo inita et apoca ab eo signata, uti illius Monasterii administro, quo tempore ipse ne illi quidem nomen adhuc dederat.

5 Apocæ falsitatem, et collusionem inter Camillonium et Boccaccium confirmat declaratio emissa a Reverendo Bernardo Livizzano, eximio S. Mariae *in Potenza* Abbate, qui ait, quod » *tutti li bonificamenti e piantagioni di Alberi di qualunque sorte essi siano esistenti in tutte le colonie, nessuna affatto riservata, sono state sempre eseguite a carico e spese tutte del predetto Venerabile Monastero* = quod = *dalle apoche coloniche esistenti nell' anno* 1801 *non risultava, che qualche Colono dovesse nella partenza esser pagata pei bonificamenti fatti, obbligazione, che necessariamente doveva esser posta nell' apoca stessa, se fosse esistita* = quod ipse cum omnibus colonis renovavit coloniæ apocas per acta Tabellionis Dominici Pozzi, et quod = *in queste furono descritti tutti i pesi dei coloni e quanto dovevano lasciar di foraggi nel partire dal predia; in presenza dello stesso Notaro e Testimonj furono lette a tutti i coloni, e niuno affatto reclamò per esser pagato dei bonificamenei in caso di licensa* = quod cum deinceps fuerint rursus confectæ = *nuove golizze con tutti i contadini della Abbazia, in atti del Signor Cotoloni, in queste ancora furono descritti tutti i i pesi inerenti ai poderi, sensa senzachè i coloni affacciassero alcuna pretensiozione di rimborzo per i bonofici fatti* scientiae causam afferens = *per avere io stesso dimorato in quel Monastero in qualità di Abate di Governo; per avere piena congnizione come fatto mio proprio per averlo rilevato dalle stesse Polize coloniche, nelle quali necessariamente dovevano esser descritti non salo i pesi dei Coloni, ma eziandio i pagamenti, che il Padrone avrebbe doruto fare ai medesimi in caso di partenza* =.

6 Perplures denique Testes, ætate graves solemniter coram Notario fidem fecere, do facto proprio deponentes, utpote de re quæ sub eorum oculis locum habuerat = *che era Fattore del Monastero un tale Antonio Torregiani, il quale nel* 1777 *e prossimi a detta epoca fece eseguire una nuova priontazione nella colonia che allora si coltivava da Giuseppe Camilloni, denominato il Barchetta, quale piantagione era ridotta quasi al suo termine, mentre il detto Fattore fù levato dal suo posto per mezzo dei Monaci di Chiaravalle, i quali nel* 1791 *circa mandarona un loro Frate Laico Fra Lorenzo Boceacci* =, qui fuit postea = *dimesso dal suo impiego, e mandato via dal Monastero* =; atque addidere = *che le piantagioni nei terreni dell' Abbazia di S. Maria in Potenza, comprese quelle della Famiglia Camilloni sopranominato Barchetta, furono fatte in tempo, che era fattore dell' Abbazia suddetta il defonto Antonio Torregiani, a spese tutte del Monastero di detta Abbazia* = Perspicua est itaque ex hisce omnibus apocæ a Camillonis prolatæ

falsitas, et simulatio conventionis ci innixæ. Quamobrem si coram S. Ordine Camillonii judicio stitissent, et quocumque alio modo hanc conventionem probare fuissent adnisi, nulla eis fides adhiberi potuisset quia mendaces in uno detecti, tales in omnibus, ex notissimo juris adagio, renunciandi fuissent, per *Rot. in Romana pretii tabularum pictarum* 30 *Junii* 1749 §. 4 *coram Miga* 331., *in Neapolitana Matrimonii* 21 *Martii* 1760 §. 6 *coram Cornelio*: *et in Realina Donationis* 28. *Aprilis* 1788 §. *final. coram Origo.*

7 Corruit itaque ex cujuscumque fundamenti defectu actio a Camillonii instituta adversus Lenchtembergensem Domum pro assequendo ab ea pretio meliorationum, quas in fundo *S. Domenico* perfecisse asseruerunt, dum hic fundus a Monasterio S. Mariæ *in Potenza* possidebatur. Verum, si etiam admitteretur hypothesis, quod fuerint in eo fundo prætensæ meliorationes ab Josepho Camillonio expletæ, et quod de harum pretio reintegrari ipse, vel ejus successores in casu dimissionis fundi a Monasterio debuissent, duo eis ineluctabiliter obsisterent, ne possent pro hac assequenda reintegratione Leuchtembergensi prædictæ Domui molestias inferre. Primum, ipsorum renunciatio, favore hujus Domus emissa = *alla colonia parziaria, ed a qualunque altro diritto che aver possino, o pretendino di avere sul terreno da loro colonizzato in contrada S. Maria in Potenza, spettante alla Casa Ducale di Leuchtemberg promettendo, ed obbligandosi di lasciar libero e vacuo detto terreno* = Quæ renunciatio = *a qualunque altro diritto, che aver possano, o pretendono avere sul Terreno ec.* = comprehendere per necesse debuisset assertum etiam jus ad assequendum prætensarum meliorationum pretium, cum præsertim res esset de jure de præterito *Torr. de Pactis futurae successionis Lib.* 2 *Cap.* 38 *num.* 104., *et Cap.* 46 *num.* 3., *De comitibus Dec. Florent.* 5 *num.* 7. *Rot. Dec.* 58 *num.* 11 *coram Emerix Junior.*; *Dec.* 298 *num.* 3 *coram Olivat.*; *in Anagnina Immissionis* 3 *Februarii* 1806 §. 8 *coram Eminentissimo Bussio*, *et in Auximana, seu Ancanitana Immissionis quoad Bona Alexandri Malaccari super secundo semisse* 16 *Junii* 1806 §. 4 5 Eo vero magis quia ea renunciatio a Camilloniis emissa in actu dimissionis coloniæ fundi, cui obsistere haud poterat, fuit correspectiva concessioni, quam a Leuchtembergensi Domo obtinuerunt, coloniæ alterius fundi » *il Musone* »

Illud dein sequitur, tum in facto certissimum, quam in jure firmissimum, quod unum ad causam pro Leuchtembergensi Domo conficiendam sufficeret, Principem nempe Eugenium, hujusce Domus auctorem, nullam a Monasterio S. Maria, *in Potenza* causam habuisse, quia quecumque bona ei data fuerunt ad constituendum ejus Patrimonium, seu *Appannaggio*, quæ inter illa olim pertinentia ad illud Monasterium, habuit ipse ex Decreti Napoleonis, ex Fædere Vindobonensi, ex Pontificio Chirographo = *liberi ed esenti da ogni vincolo e peso* = quare quilibet Monasterii creditor bona ab hoc possessa, et in eumdem Principem ita translata, haud potuisset persequi nec actione *personali*, quia ipse ad summum fuisset Monasterii singularis successor, et ideo baud obstrictus, ad solvenda debita a præcedenti fundi possessore contracta etiam hujusce fundi respectu per *Text. in leg.* 8 *ff. de contrahenda emptione*; *leg.* 4 *Cod. de rerum permut.*; *leg.* 10 *cod. de rescindenda venditione*; *Vela Dissert. jur. lib.* 1 *disc.* 12 *num.* 34., *Surd. Dec.* 52 *num.* 3., *et Rot. in Romana Reductionis in pristinum* 6. *Martii* 1818 §. 9. *coram Eminentissimo Bussi*, *et in confirmatoria* 1. *Martii* 1819 §. 8 *coram Eodem*; nec actione *Reali* quia superior Auctoritas omnia prædicta bona Patrimonio Principis Eugenii addicta exemit = *da ogni vincolo, e peso* =, et quia preterea nulli hypothecæ pro asserto credito Camillonii, vel ejus successorum in hypothecarios codices relatæ, mancipatus predictus fundus videtur. 8

Quod adeo verum est ut in specie 9
huic simili Leuchtembergensis Domus

immunis a S. N. Ordine declarata fuerit a debitis super aliis prædiis, pariter Patrimonium Principis Eugenii constituentibus contractis ab iis, qui ea antea possiderant, ut statuunt, prædictis rationum momentis innixæ Decisiones *Romana seu Senogallien. super tertio Dubio quoad damaa ab aano* 1818 *ad annum* 1815 6 *Julii* 1827 §. *final. a me edita, et confirmatoria* 7 *Decembris* 1827 §. 7., *pariter a me vulgata*, quas subsequuta fuit Rotalis Sententia a me obsignata, atque alia, quæ hanc Sententiam confirmavit *diei* 2 *Decembris* 1828 §. 7 8 *coram R. P. D. Meo Celestini*. Quaquaversus igitur inspiciatur actio, pro assertarum meliorationum condicendo pretio, a Camilloniis in Leuchtembergensem Domum proposita, in comperto est eam numquam potuisse a Camilloniis, si judicio stitissent, defendi, et a Dominis probari.

Et ita etc. Altera tantum etc.

PERUSINA GRADUANIONIS

Veneris 26 *Julii* 1829.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Creditores hypothecarii juxta* anterioritatis *et potioritatis jura anteponuntur.*
2. *Irrita est inscriptio inita super bonis debitoris decocti.*
3. *Jus hypothecarium est jus reale.*
4. *Creditor hypothecarius pretium tantum ex venditione rei hypotheca affectae expostulare potest.*

In judicio concursus creditores eadem jura experiuntur, quibus ante debitoris decoctionem pollebant - ibidem. -

DECISIO CCCLVIII.

Non leviter errasse jusdicentem Oppidi Castilionis ad lacum Trasimenum, dum in judicio protupraxiæ, quod coram eo agebatur super bonis Joannis Antoni Pisellii qui foro cosserat suam singulis creditoribus hypotecariis sedem attribuit, Sacri Nostri Ordinis Sententia testatur, a R. P. D., nunc Eminentissimo, Marco lata ac editæ ad Fiem quartam Junii anni 1824 Decisioni consentanea. Servata siquidem prima, et altera sede, tam privilegiaris creditoribus, quam Elisabethæ Zucchiniæ, decocti Pisellii uxori ac pro dotali nomine prælationem postulanti, in reliquis omnino correxit Sententia Rotalis præstitutum a pedaneo judice graduum ordinem, et seriem, et creditores hypothecarios, in incongruas sedes dejectos, caeteris ita substituit, ut tertium in gradum, remotis Josepho Bellaccio, et Francisco Fregiotto, ingrederetus Antonius Miniatus; in quartum, eodem Bellaccio repulso, Franciscus Carlius; in quintum, loco Antonii Moscardini Michael Taccinius, et Joannes Baptista Romittellius; sextum denique, prædicto Fregiotto ejecto, bæredes Laurentii Bianchi consequerentur. Nihil autem Josephum Bellaccium et Franciscum Fregiottum juvit ab ea Sententia provocasse. Commissa enim Causa Rmo P. D. Tiberi, nunc apud Hispanum Regem Apostolicae Sedis Legato, altera quidem Decisio anno 1827 ad diem sextam supra decimam Martii evulgata fuit, ea tamen, quiaquid Rotali Sententia fuerat constitutum, et definitum, plenissime probavit.

Sed victis datum est audiri in Comitiis habitis ad diem vigesimam primam Martii superioris anni. Tunc me Rmo P. D. Tiberi suffecto, et assuetam proponente Dubii formulam, accidit ut digna visa fuerit quæ confirmaretur præterita decisio, adjecto modo, ex quo jussum tertiam sedem Miniato concessam usque ad quantitatem termillium dumtaxat Gallicarum libellarum ei esse servandam, ac pro reliquo credito, pro quo hypothecariam inscriptionem susceperat post imploratum, et obtentum a Pisellio cessionis bonorum beneficium, inter chirographarios creditores esse rejecendum prout constat ex Decisione, quam publici juris feci anno, et mense prædictis. Ex

humanitate nihilominus Sacri Ordinis tertio potuerunt suorum jurium periculum facere litigantes. Quapropter quærenti mihi, an a Decisis esset nec ne recedendum, responsum hodie est = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum* =, qui in eo versatur, ut scilicet in sedem suam redeat Miniatus pro integro credito, sub ea tamen lege, ut tam ipse, quam coeteri creditores hypothecarii jus hypothecæ exerceant super iis tantum prædiis, quæ eis sunt peculiariter hypothecæ nexu devincta, et cum aliis creditoribus certent, si non omnino, prædiis excussis, de suo credito satisfient.

1 Mutata in odierno experimento pene erat contentionis indoles, et natura; et quamvis antea de gradibus unicuique creditori præstituendis potissimum disceptaretur, et alter alteri sedem anteriorem invideret, atque contenderet hodie quisque erat sede sua, et sorte contentus, nec amplius simulationis criminabatur nomen alterius ex creditoribus, de qua coeteroquin nec legitima monumenta prolata unquam fuere, nec in hoc judicio poterat disputari: cum præcipue ipsi nunc in scriptis suis simulationis exceptioni valedicant, qui eam inepte alias excogitarunt. Confirmato igitur protopraxiæ, seu graduationis ordine in Rotali Sententia, et posterioribus Decisionibus præfinito, ex juribus in iisdem Decisionibus latius expositis, duæ in præsens oriebatur subalternæ quæstiones, a litigantibus invicem excitatæ. Parte enim ex una Miniatus ad tertiam sedem sese esse restituendum pro integro, quo pollet adversus debito is patrimonium nomine propugnabat: parte vero ex altera, qui a primis sedibus ejecti sunt, Joseph Bellaccius, et Dominicus Fregiottus, non renuebant, ut subrogati creditores sibi anteponentur dummodo ea solum prædia persequantur et impetant, quæ eis sunt speciali hypotheca devincta: adeout si quid crediti, iisdem prædiis sub hasta, et in popatulo venditis, adhuc supersint, illud non aliter valeant obtinere, nisi una cum reliquis creditoribus juxta anterioritatis, et potioritatis jura, vel etiam, si pares sint inter se, contributum. At vero, tum id quod Miniatus adversus alios creditores obiciebat, tum aliud, quo adversus Miniatum coeteri proponebant creditores, Sacri Tribunalis sapientiæ visum est cum jure, et justitia consentire, et hujusmodi esse ut novo modu Decisioni adjecto omnibuscreditoribus foretconsulendum.

Recte autem pro integro credito Sacer Ordo ad pristinam sedem Miniatum censuit restituendum. Ideo enim præterita mea Decisio in tertia sede Miniatum servavit usque ad summam dumtaxat Gallicarum libellarum termilium, quia putavit pro reliquo credito hypothecariam inscriptionem serius eum suscepisse, scilicet anno 1815 ad diem decimam novam Januarii, quo sane tempore, nedum cessionem bonorum Pisellius exolcverat, sed impetum etiam in ejus patrimonium fecerant creditores. Irrita proinde inscriptio ipsa fuisset, tamquam inita super bonis decocti debitoris. Nunc vero, cum proba tum fecerit Miniatus sese usque ab anno 1810, scilicet ante cessionem bonorum, hypothecam pro integro credito inscribendam curasse, cessat prorsus decidendi ratio, ac inscriptio tempore utili peracta effecit, ut pro uno eodemque nomine non amplius diversæ sedes Miniato sint præfiniendæ, eidemque tertius gradus pro integro credito sorvandus sit. Nec refert, antequam elaberetur decennium, renovatam non fuisse inscriptionem. Notum quippe est, et in jure exploratum, post initam a debitore bonorum cessionem, ac declaratam decoctionem, inutilem evadere quamlibet hypothecariam inscriptionem, et inscriptionis renovationem, cum omnia bona debitoris sub banca, veluti ajunt, judicii maneant in eo statu, quo erant ad tempus decoctionis ut ex eorum pretio, auctione constituta, eruendo creditores omnes satisfiant, quemadmodum probat, allatis auctoritatum exemplis, superior mea Decis § 8. 2

Quod item urgebant Bellaccius, et Fregiottus, ut Miniatus scilicet Carlius 3

hæredesque demum Laurentii Bianchi præferendi sint super fundis tantum eorum hypothecis specieliter obnoxiis, id adeo planum erat, ut necesse plene non esset, quod adjecto modo palam exprimeretur, cum ex censura legum satis clare descendat. Nam, cum jus hypothecarium sit jus reele, quod afficit rem hypotheca devinctam, ad tradita per *Vinn. Instit. lib. 4 tit.* 6 *de action. N.* 15, *et Rot. in Urbevetana Pecuniaria suoer consignatione* 9 *Februarii* 1818 §. 8 *cor. Emo Odescalchi et in Fulginaten.* 3 *Julii* 1820 § 6 *cor. cl. me Serlupi*, necessario sequitur, ut percellere nequat alia bona, quæ minimo fuerunt hypothecæ vinculo subiecta. Si secus res esset, ac si cuncta, et absque ullo discrimine impeti possent actione reali debitoris bona, tam hypothecæ nexu mancipata, quam ab hoc onere soluta, nulla pugnaret ratio, cur distinguendum sit inter hypothecam specialem, et hypothecam generalem, ut distinxit Legum adeo providarum auctor, et conditor. Creditores imo speciali hypotheca pollentes, si actione reali persequi sine delectu omnia debitoris bona valerent, hypotheca uterentur generali, ejusque fruerentur effectu, quamquam eam, nec ex jure habeant, nec ex pacto. Ex quo fit, ut Carlius, Miniatus, hæredesque Laurentii Bianchi jus prælationis teneantur axercere in bonis tantum hypethecis suis obnoxiis, nimirum super bonis peculiaribus, si specialis sit hypotheca; super omnibus autem bonis, si hypotheca sit generalis.

4 Quod si bona speciali hypothecæ subjecta minime respondeant nominum quantitati, pro credito, quod superest dissolvendum, rejiciendi sunt inter creditores chirographarios ob defectum hypothecæ per fundi venditionem sublatæ, cujus vis ad alios fundos non inscriptos porrigi nequit, generali hypotheca deficiente. Hinc sequitur, ut Miniatus, Carlius, et Laurentii Bianchi successores ad tramites modi huic Decisioni adjecti, super aliis fundis sint præferendi una cum aliis creditoribus secundum *anterioritatis et potioratis* ordinem. Si vero patres inter se reperientur, satis ipsis faciendum per contributum erit. Nec rem mutat, quod hic non agatur de acquirenda fundorum possessione, sed de pretio inter creditores dividendo. Nam creditor hypothecarius nunquam rem vindicat, sed actione reali pretium ex venditione rei hypotheca affectæ retractum semper expostulat, ut de suo credito satisfiat. Concursus igitur creditorum nullum jus tribuit creditoribus hypothecariis ab eo diversum, quod ante debitoris defectionem habebant. Qui potiuntur hypothecæ præferendi æque sunt super pretio retrahendo ex venditione rei hypotheca devictæ. Uno verbo in judicio concursus creditores eadem jura experiuntur, quibus ante decoctionem debitoris pollebant. Uti ergo, sospite adhuc manente condictione, et statu debitoris, creditori fas esset actione eeali persequi fundum hypothecæ obnoxium, et pro reliquo credito actionem personalem in ipsum debitorem exercere, ita, decoctione superventa, non aliud ei licet, nisi prædium hypotheca affectum impetere, et pro reliquo nomine cum aliis creditoribus de *anterioritate, et potioritate* certare, vel in paritate conditionis per *contributum* satisfactionem cum iisdem reposcere.

Et ita etc. Utraque etc.

PERUSINA

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM QUOAD LEGITIMAM

Veneris 21. *Novembris* 1828.

ARGUMENTUM

Filii querelae inofficiosi valedexisse praesumenmuntur, si paternum exequuti sunt testamentum, utcumque de legitima illorum portione pater in eodem testamento, vel in parte, vel in totum disposuerit - Soccini cauthela impleri potest per aequipollens.

SUMMARIUM

1. Adversus Rem-judicatam injustam victo restitutionem in integrum danda est.

Legitima ex ipso jure naturae est ut a Patre absque ullo onere relinquatur -ibid.-

2. *Compertissimi juris est posse filios querelae inofficiosi testamenti valedicere, et paternum exequi testamentum utcumque de legitima illorum portione, pater in eodem testamento, vel in parte vel in totum disposuerit.*

3. *In supputatione legitimae facienda, habendae sunt prae oculis censuales tabulae, cum augmento, pro locorum varietate, vel trientis, vel semissis.*

4. *Inutiliter invocatur cauthela Soccini quando legittima portio ad juris tramites data ostendatur.*

5. *Jus petendi legitimam ad instar aliarum actionum spatio triginta annorum praescribitur.*

DECISIO CCCLIX.

Masculorum prole gentia Diamanti perempta, cum Primogenitura a Joanne Simoni Casomanni instituta, de qua latius edisserit coeva mea Decisio, cui titulus *Perusina Reintegrationum, Detractionum, et Fructuum*, transitum fecerit in Pacificum Petrucci, qui erat primonatus feminæ postremo gravato hæredi proximioris, multa hunc inter, et Franciscum Ciofium, hæredem fiduciarium Jacobi Aurelii Diamanti flagrarunt dissidia, et lites, quas pariter enarrat prædicta mea hujusce diei Decisio. Inter enim detractiones, quas a fideicommissaria substantia faciendas esse Ciofius contendebat, numerabatur quoque legitima priori hæredi gravato debita, quam præcipi constituit Sententia A. C. Ricanti, coram quo judicia omnia contestata fuerunt. Re ad S. Ordinem deducta, cognitor judiciarius huic legitimæ detractioni assentitus fuit, eamque ad liquidum perduxit, Sententia fretus ejusdem A. C. Riganti, quæ interea temporis, provocatione non interposita, vires rei judicatæ nacta fuerat. At sollicitus fuit Philippus Jacobutius, qui Pacifico Petrucci interim defuncto successait, ut obstaculum illius Rei judicatæ removeret, in integrum restitutionem a Signatura Justitiæ implorare: qua tandem impetrata, factum est, ut hodie, proposita dubii formula, disquireretur = *An constet de Re judicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* =, quæ post ampliata suffragia usque ad Quintum, et Sextum dimissa fuit Responso = *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam* =.

1 Rem judicatam injustam, prout ea fuit, quam pronunciavit A. C. Riganti, legitimæ detractionem excipiens, retractandam esse, ac victo prospiciendum beneficio restitutionis in integrum, nemo est, qui ignoret. Non hic autem agitur, utrum filii jure polleant consequendi legitimam: quod sane adeo incontroversum ex ipso jure naturæ est, ut imo sit a Patre absque ullo onere relinquenda *Leg. Quoniam 32 Cod. de inoff. testam.* Quæritur dumtaxat, an Joannes Simon officio suo satisfecerit nec ne: idque nequit in discrimen revocari, inspectis testamentariis tabulis, in quibus duas Primogenituras testator instituens, ad prioris emolumentum Victoriam, ad alterius compendium Barbaram, et filios ab eis nascituros vocavit: addens nominatim, et expressis verbis, ut nemini ex gravatis hæredibus liceret, vel quidquam detrahere ex fideicommissaria substantia, vel fundos Primogenituræ nexu devinctos ullo modo distrahere, et obligare. Rationem ideo reddidit hujusce suæ dispositionis, inquiens, sese jamdiu filiabus suis constituisse dotem legitima portione majorem, atque hoc onere impleto, fas sibi esse, cuilibet etiam extraneo hæreditatem suam relinquere = *Mentre avendo io alle mie figlie dato colla dote più, che oltre la legittima, non intendo, nè voglio, che neanche per causa di Dote si possano distrarre i detti beni, essendo io padrone di lasciare anche ad un estraneo, quando ho soddisfatto alla legittima* = Cum hæc autem declaratio prolata fuerit in actu serio, nimirum in testamento, non videtur ad pompam composita, nec per transennam emissa, sed ex intima rerum suarum cognitione, ac ex certo animi sensu, certoque consilio deprompta.

2 Non est itaque credendum, quod Defensores Laurentii Magnani, ad scopulum hujusce confessionis effugiendum, propinabant, errasse Joannem Simonem, dum dotem legitima portione majorem

filiabus suis assignasse significavit. Non est siquidem præsumendus Joannes Simon adeo rerum suarum ignarus, ut non cognosceret quanti Patrimonium suum æstimaretur; cum præcipue fuerit jurisperitus, res suas, ac Helenæ uxoris administraverit: passim nova prædia comparaverit. Certius id præsumendum non est post lapsum unus pæne Sæculi, quo nec Joannis Simonis alia, nec illius Nepotes, ac pronepotes umquam insurrexerunt adversus hanc declarationem ipsam apertissime probarunt, prout constat, tam ex inventario a Victoria confecto de bonis hæreditariis Joannis Simonis, ubi nihil apparet, ex quo impugnata dici valeat paterna declaratio; quam ex aliis inventariis a Victoriæ descendentibus exaratis, in quibus tantum abest de legitima Victoriæ debita curasse, ut imo jus sibi reservaverint consequendi bona eidem Victoriæ in dotem constituta. Si igitur post facta adeo luculenta, ne ipsis quidem Victoriæ filiis, et descendentibus liceret insurgere, et legitimam matris portionem urgere; multo minus id permittendum extraneo hæredi, qui nec probabat quidem sese hæredem fuisse postremi masculi agnati familiæ Diamanti. Quandoquidem juris est compertissimi, posse filios querelæ inofficiosi testamenti valedicere, et paternum exequi testamentum, utcumque de legitima illorum portione pater in eodem testamento, vel in parte, vel in totum disposuerit *Gratian. discept. for. Cap.* 383 *num.* 11 *Fusar. de substit. quæst.* 294 *num.* 6; *Rot. in Rec. Decis.* 202 *num.* 9 *part.* 14; *et Decis.* 196 *num.* 10 *part.* 15 *Rec.*

3 Tanti est ponderis acquiescentia ista, ut nullus pateret aditus petendi legitimæ supplementum, etiamsi probaretur, errasse revera Joannem Simonem, dum arbitratus fuit, dotem legitima portione majorem sese filiabus suis assignasse. Sed numquam fieri poterit, ut error evincatur: nec quidquam ad illum demonstrandum conferunt animadversiones judiciarii cognitoris, qui primogenituræ substantiam ad Victoriam delatam scutis plusquam *decem millibus* æstimavit, et æqualis valoris primogenituram Barbaræ fuisse relictam authumavit. Utique Joannis Simonis patrimonium, ex quo præfiniendæ sunt portionis legitimæ vires, non ex una Victoriæ, sed etiam ex Barbaræ substantia eruendum est. At tuto constitui nequi valorem primogenituræ Victoriæ relictæ scuta *decem millia* excedere, quia secus constat ex publicis emptionis venditionis tabulis. Nec illud pariter constitui valet, unius, ejusdemque valoris fuisse primogenituras a Joanne Simone conditas. Si imo argumentum a dotibus filiabus suis a dicto Joanne Simone constitutis sumendum est, illud omnino dicendum, æstimationis longe inferioris fuisse Barbaræ primogenituram. Nam Victoria dotem a patre consequuta fuit in *bismille* nummis argenteis, e contra Barbara dotem retulit in scutis *quingentum* supra *mille* dumtaxat. Despectis autem notulis informibus, et perlustratis censualibus tabulis, quæ tantum præ oculis in hisce casibus habendæ sunt, cum augmento, pro locorum varietate. vel trientis, vel semissis, manifeste patet, vix ad scuta *quatuorcentum* pervenire valorem prædiorum, quæ Barbaræ primogenituram efficiunt, si unum excipias prædium = *Monte Ruffiano* = quod pro triente tantum ad Joannem Simonem pertinebat, et ex ejus Codicillis ex æquo dividendum erat inter Victoriam, et Barbaram.

Probari ergo nequit, quod erraverit Joannes Simon, dum dixit sese dotem legitima portione majorem filiabus suis dedisse: adeo ut retinenda omnino sit ejus confessio, eaque retenta, petita legitimæ detractio satis obvio juris adagio, *frustra petis, quod intus habes*, facile rejicitur. Quæ cum ita se habeant, ineptum erat, quod reponebatur, inutiliter a testatore interdici legitimæ detractionem, nisi adhibeat celebrem cauthelam Jurisconsulti *Soccini*, ex qua optio servanda est hæredi, vel accepto testamentum habendi, vel, hoc repudiato, legitimam portionem ad juris tramites postulandi *Cyriac. controv.* 438; *Mans. Consult.* 152 *num.* 31, *Gratian. discept. forens. cap.* 985 *num.* 3, *Rot. in Rec. Decis.* 209 *num.* 12 *part.* 11; 4

in *Nuperrim. decis.* 41 *num.* 5 *tom.* 7, *et in Romana Legitimae* 10 *Maetii* 1755 § 3 *cor. Canilliac.* Semel ac enim testator detractionem legitimæ diserte probibuit, et in alia testamenti parte mandavit = *che impugnandosi detta mia disposizione, s'intenda, e sia nulla, ed invalida la vocazione di quello, e di tutta la sua discendenza, come se fatto non fosse, e sia, e debba essere ammesso a detta primogenitura l'altro che osserverà, ed adempirà quanto io ho disposto* = ; Nemo non intelligit, per æquipollens, impletam fuisse Soccini cauthelam. Primam enim partem cauthelæ habemus, in prohibitione expressa testatoris præcipiendi legitimam : pars vero altera, qua optio tribuitur hæredi gravato, *aut* accipiendi legitimam absque ullo onere, et restituendi reliquam hæreditatem, *aut* totum compendium accepto habendi sine legitimæ detractione, consistit in eo testatoris proposito inobsequentes emolumento hæreditatis privandi : quo in casu nemo dixerit, inobsequenti, et testatoris voluntati recalcitranti non suppetere actionem conseqnendi legitimam.

5 Res itaque ita habenda est, perinde ac si testator detractionem legitimæ vetans, usus fuerit Cauthela *Soccini*. Atqui Victoria Paterno testamento acquievit. Ergo non potest amplius peti legitima. Certius, quia ab obitu Joannis Simonis tot præterierunt anni, quot pæne attingunt sæculi spatium, quo sane tempore peremptum mansit jus petendi legitimam, quæ cæteroquin, ad instar cæterarum actionum, lapsu triginta annorum præscribitur *Merlin. de legitim. lib.* 1 *tit.* 3 *num.* 8, *Gratian. discept. forens. cap.* 458 *num.* 27 *Mans. Cons.* 24 *num.* 9, *Urceol. consult.* 53 *num.* 55, *Rot. in Rec. Decis.* 361 *numer.* 33 *part.* 11, *cor. Cavalerio dec.* 256 *num.* 5, *cor. Bichio decis.* 845 *num.* 15, *cor. Tanara decis.* 114 *num.* 10, *et deci.*. 420 *num.* 8 *cor. Riminaldo.* Quin obsit, qnod Pacificus Petrucci, bodierni actoris auctor, Sententiam A. C. Riganti, ubi comprobata fuit legitimæ detractio, accepto habuerit, ideoque rei judicatæ vires ea nacta fuerit. Nam Jacobutius, non qua hæres Petrucci, sed jure proprio impetit Joannis Simonis primogenituram. Postquam vero supremum Signaturæ Justitiæ Tribunal facultatem Sacro Ordini fecit de justitia Rei judicatæ cognoscendi, quodcumque sublatum censendum est obstaculum ex ipsa Re judicata proveniens.

Et ita cum suffragio *quinti*, et *sexti* definitum est Utraque etc.

ROMANA COMPENSATIONIS

Veneris 12. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Compensatio non datur nisi creditum et debitum liquidum sit in genere, et in specie.

SUMMARIUM

1. *De liquido ad illiquidum nulla datur compensatio,*
2. *Non aliter admittenda est compensatio nisi de credito constet in genere, et specie, nec aliter in specie liquidum existimatur creditum, nisi quantitas appareat, aut per rem judicatam, aut per confessionem, aut per instrumentum nulli obnoxium exceptioni.*
3. *Epicheja judiciorum non patitur, ut is cui favet pactum refectionis expensarum extrajudicialium ea omnia impendat quae nec necessaria nec utilia sunt, nec ad meliorem conferunt defensionem.*

Extrema in omni re non carent vitio - ibid. -

Compensatio magis deneganda quando creditum petentis compensationem sit sterilis debitum frugiferum ex L. Curabit Cod. de Empt. et Ven. ibid.

DECISIO CCCLX.

Ex pretio latifundii = *Forno Casale* = quod ab Aloysio Matthæjo coemit Continis, adhuc persolvenda supererant, ut narratum est in contemporanea mea Decisione super *Liberatione a molestiis scuta quinque millia*, cum Contious judicio lacessitus ab hypothecariis creditoribus, ut vel æs lueret alienum, vel fundi possessionem dimitteret, tum li-

berationem ab illatis molestiis, tum compensationem reliqui pretii cum sumptibus litium cum iisdem creditoribus actarum coram defuncta A. C. Calapietro postulavit. Quid censuerit A. C. Juridicus quoad liberationem a molestiis innuit prædicta Decisio, quæ album calculum ejusdem Judicis sententiæ adjecit. Quoniam vero præter liberationem a molestiis, propositam quoque compensationem excepit Præsul A. C. Calapietra; ægre hinc ferens Matthæjus creditum suum evanuisse, provocationem ab inimica Sententia interposit, effecitque, ut hodie quæreretur a *An sit locus compensationi, ita ut, et cujus favore, et in qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc*, et victor, postquam bis hæsit Sacer Ordo, a judicio decesserit, universa Aula suffragante, ipse Matthæjus ex obtento responsio = *Negative in omnibus* =.

1 Canon est in Civili jurisprudentia, quo non vulgatior alter, ut de liquido ad illiquidum nulla detur compensatio *leg. fin. Cod. de compensat., Rot. cor. Bich. decis.* 23. *numer.* 20., *cor. Falconer. tit. de salut. decis.* 11. *num.* 6., *cor. Olivatia decis.* 554. *num.* 1., *et decis.* 63. *num.* 3. *cor. Rinaldo.* Jam vero creditum, quod experitur Matthæjus a publico oritur, juratoque instrumento, quod paratam habet exequutionem; dum e converso creditum, quod exercet Contius, a sumptibus oritur judiciorum, quæ adversus creditores hypothecarios sustinere coactus fuit. Utcumque certum in genere sit creditum istud expensarum, et ad omnes reficiendos sumptus Matthæjus teneatur, quos Contius in lites agendas impendit; non tamen in specie constat, quid et quantum id sit, quod expensarum nomine a Matthæja reficiendum est. Nec reponendum regulam de liquido non compensando non intelligendam esse de arithmetica supputatione, sed satis esse ad decernendam compensationem, ut creditum, quod objicitur, certum in genere sit, quamvis ad liquidum sit perducendum. Hanc thesim comprobare Contii defensores nitebantur ex ipsis verbis *leg. fin. Cod. de compensat.* ubi inquit *Imperator*, compensationes abjici posse = *si caussa ex qua compensatur liquida sit, et non multis ambagibus involuta* =; ideoque contendebant ex illo verbo *caussæ* quæ non aliud significat, nisi actionem, et debitum, satis apertam esse legis voluntatem, ut ad compensationem jubendam sufficiat creditum esse certum in genere, etsi non sit liquidum in specie.

Sed non hujusmodi fuisse *Imperatoris* mentem ac sub verbo *caussæ*, intellexisse, et voluisse, ut creditum compensandum sit in genere certum, et in specie liquidum ex posterioribus patet legis verbis, uti judices admonet = *ut non procliviores ad admittendas compensationes existant, nec molli animo eas suscipiant, sed jure stricto utentes, si invenerint eas majorem, et ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alii judicio reservent, litem autem pristinam sententia terminali componant* = Hinc in foro, et curia invaluit principium, ut non aliter sit admittenda compensatio, nisi decretis constet in genere, et specie, nec aliter in specie liquidum existimari creditum, nisi quantitas appareat, aut per rem judicatam, aut per confessionem, aut per instrumentum nulli obnoxium exceptioni. *Rot. in Anconitana super mandato* 28 *Junii* 1762. §. 4. *coram Riccio, et in Aeugubina Bonorum quoad portionem Equitis Livii* 19 *Januarii* 1778 §. 6. *cor. Sentmanat.* At tantum abest, hisce modis de quantitate crediti doceri, ut imo sumptus ipsi, quorum refectionem a Matthæja Contius expostulat, partitas contineant, aut omnino indebitas, aut præter modum, et sine delectu in computorum notulis inscriptas, et nullo modo reficiendas, etiam si agatur de judicio liberationis a molestiis, in quo indole sua veniunt extrajudiciales expensæ. 2

3 Non enim sumptuum extra judicii ritum factorum refectio, ita accipienda est, ut damno illius, qui ad liberationem a molestiis condemnatur, adscribendum sit, quidquid voluntas, et arbitrium actoris sine necessitate, aut utilitate profudit: Omnia sunt sano modo, et sobrie intelligenda: Nam epi-

cheja judiciorum non patitur, ut is, cni favet pactnm refectionis expensarum extrajudicialium, ea omnia impendat, quæ nec necessaria, nec utilia sunt, nec ad meliorem conferunt defensionem. Ratio uno exigit, ut quasi bonus patrimonii adversarii sui administrator existat. Cum extrema in omni re non careant vitio, judicis ideo in arbitrio est, ea omnia in æstimatione sumptuum extra judicialium expungere, quæ superflua fuerunt in verisimilia, et plus adversario damnosa, quam actori proficua. Magis vero deneganda est compensatio, quia creditum petentis compensationem sterile est, et mere pecuniarium; illius autem debitum frugiferum ex censura *leg. Curabit. Cod. de act. empt. et vend.*, quæ non sinit rem, et pretium ab emptore retineri. Nec omittendum, inter credita, quæ cum suo debito compensanda Continus proponit, præter expensas, recenseri quoque binas collybi literas multis obuoxias exceptionibus, quas Matthæjus usurariæ pravitatis insimulare non verebatur, Contio prorsus silente. Cum igitur hæc omnia jure suo requirant, ut diligens fiat, et accurata nominum analysis, antequam Matthæjus ad solutionem cogatur, respuunt etiam quodcumque jus faciendæ compensationis.

Et ita universa Aula, meo etiam accedente suffragio, delinivit. Utraque.

ROMANA

LAESIONIS ENORMISSIMAE

Lunae 7. Decembris 1829.

ARGUMENTUM

Quando res vendita sit molto majori pretio, quam res valet, Emptor potest agere contra venditorem pro laesione. Nec suffragantur venditori clausulae etiam effrenatae, in contractu appositae, et juramento firmatae super remissionem aut condonationem pretii si plus vel minus res valeat, nam, quando de laesione enormissima res sit, juramentum extortum censetur.

SUMMARIUM

1. Confessio judicialis omne superat probationum genus.

Quando tenuissima quantitas, immane praesefert discrimen inter pretium solutum et pretium justum tunc aenormissima laesio adest, contractusque rescissio; ac pretii restitutio decernenda est - ibid. -

2. Ad excludendum laesionem non valet expressio in venditione facta - per un sacco di ossa - Nam haec regula Aleatorii contractus, viget quando bona fide ambo contractum fecerint.

3. Si ne dum ultra bessem, sed longe ultra dodrantem veri justique pretii deceptus laesusque fuit emptor omnis boni et aequi ratio exigit, ut ei succuratur, deleaturque contractus.

4. Peritia judicialis praevalere debet extrajudiciali peritiae nisi saltem de evidenti errore doceatur.

5. Pactum in contractu emptionis venditionis adjectum ut condonatum, et remissum invicem intelligeretur si plus vel minus justo pretio fuisset solutum, prodest tantum, si laesio sit modica et enormis fines excedat, secus autem si enormissima,

Extortum censetur juramentum in contractu, ubi laesionis enormissimae vitium detegitur, et cujus actioni renunciatum sit -ibid.-

6. Contractus monumentorum pulchrarum artium, a peritis viris facile queunt aestimari etsi constantem et intrinsecum valorem non habeant.

7. Consuetudo contra legem plenissime demostrari et probari debet.

DECISIO CCCLXI.

Vermiculatam tabulam superstitiosum exhibentem Ægyptiorum cultum bovi Apidi, seu Serapidi, quem illi, velut aliam Isidem, pro numine colebant, possidens Alexander Gentilius in Romana Curia patronus, consilium cepit eam distrahendi. Quo majus itaque lucrum captaret, vetustatem musivi operis, ejusque præstantiam spectatum admissis prædicabat, ac ne falsa venditare videretur, descriptionem ostendebat defuncti Archeologiæ Antecessoris Laurenti Rè, qui tesselatum emblema scriptis illustraverat; ac sub Imperatoris Adriani ævo fabrefactum, et nuperrime in ambitu, et area ab excelc lenti Artifice refectum autumaverat. In-

ter alios, qui segmentatam inviserunt tabulam, fuit etiam lapicida Joseph Collius, qui emptionem illico proposuit, eamque per privatam apocham exeunte Januario anni 1827 cum Gentilio conclusit, pretio nummorum argenteorum *mille quingentum*, quos partim numerata pecunia persolvit, partim vero traditis venditori marmoreis signis, et pulchrarum artium operibus, certo pretio æstimatis. Timens autem Gentilius, ne vetustate musivi operis turbæ deinde moverentur, sive vetus illud foret, sive recens, ita a se vendi, et ab emptore voluit comparari, prout erat revera, clausulis adjectis querelam omnem redbibitionis, læsionisque procul amandantibus, pactoque præterea addito, ut si vermiculatum emblema minoris, vel pluris æstimaretur, quam fuisset solutum, id omne, quod justum pretium excederet, aut eo esset inferius, invicem amoris ergo donatum, ac remissum intelligeretur.

Quod animo prospexerat suo venditor facile futurum, ut turbæ de operis vetustate cierentur, id evenit apprime. Monitus enim Collius ab artificibus, et pulchrarum artium cognitoribus, opus esse novissimum, nec satis accurate a triviali opifice elaboratum, ita ut vix; ac ne vix quidem scutis *centum* distrahi potuisset; querelam enormissimæ læsionis coram A. C. Grimaldi proposuit, qui sententia sua votis annuit actoris. Ex interjecta provocatione cum quæstio conscenderet ad Sacrum N. Ordinem, in Comitiis habitis die *quarta* Maii hujusce anni rescriptum est, ut testes examinis prelo subjicerentur ad detegendam tabulæ identitatem, peritique viri eligerentur, qui musivum opus æstimarent. Dum properarant, ut opera daretur testium examini, nuncium ei misit judiciario ritu Gentilius, agnovitque rei venditæ identitatem. Factum exinde est, ut electa meo Decreto fuerit ad æstimandum musivum opus insignis Divi Lucæ Accademia, quæ tres eximios viros hanc in rem delegavit. Vincentium nempe Camuccini, Albertum Thorwaldser, ac Clementem Folchi, quorum alter in picturæ, alter in sculptura, postremus in re architectonica peritissimus est. Hi vero ad Sacri Ordinis tabularium accedentes, ubi depositum extat musivum opus, illudque oculis perlustrantes, unanimi consensione nuperrimum, male excultum, unoque pretio dignum scutorum circiter *nonaginta* renunciarunt. Edita quocirca peritorum virorum relatione, Collius effecit, ut denuo definienda Dominis meis exhiberetur Dubii formula ita concepta = *An constet de læsione enormissima, ita ut sit locus rescissioni contractus, et solutioni scutorum* 1500 *loco pretii, et sit relaxandum Mandatum in casu etc.* =, cui datum hodie est Responsum = *Affirmative in omnibus* =.

1 Duo sunt, quæ controversiæ subjectum constituunt, tabulæ scilicet identitas, ejusque pretium. Sed non multis opus est argumentis ad demonstrandam tabulæ identitatem postquam Gentilius ipse solemni ritu, apud acta declaravit tabulam reapse eam esse, quam Collio vendiderat. Cum enim confessio, præsertim judicialis, omne superet probationum genus, de identitate proinde tabulæ actum omnino esse, nemo non intelligit. Ad pretium vero quod pertinet, satis est relationem expendere a viris probatissimis confectam Academiæ S. Lucæ addictis, qui uno ora professi sunt, ex opere, dispositione, ornatu, satis apparere, recens esse vermiculatum emblema, et ab artifice non multum perito laboratum inquientes = *Che la detta tavola in musaico, si nello stile, si nel disegno, composizione, ornato, e segnatamente nel meccanismo della esecuzione non dimostra essere di antico lavoro, e solo fa riputarlo di una cattiva manifattura moderna* = ob eamque caussam ejus pretium constituerunt in scutis octoginta novem obolisque sexaginta, ratione habita mercedis, quam publici Erarii quæstores pro qualibet quadrata spithama rependere in Urbe Roma solent artificibus in re musiva prestantioribus, qui tesselata templorum opera reficiunt. Cum autem tenuissima quan-

titas, ne *nonaginta* quidem argenteorum nummorum, immane præseferat discrimen inter unum, et alterum pretium, scilicet inter illud pretium, scutorum mille quingentum, quod revera solutum fuit, aliudque pretium, quod justum, verumque est, solvique debuisset, non est certe ambigendum, quin constet de vitio enormissimæ læsionis, ac sit contractus rescissio, ac pretii restitutio decernenda:

2 Ut hujusce argumentationis, vim imminuerent, rimari literam contractus satagebant Gentilii defensores, ejusque pacta a calce ad carceres recitantes clamabant s nihil venditorem apoponddisse de vetustate musivi operis sed illud imo, prout erat, vendidisse, dictione etiam adjecta = *per un sacco d'ossa* = qua nostrates ut plurimum in contractibus utuntur, adhibitaque conventione, ut donatum invicem, ac remissum esset existimandum, si quid minoris, vel pluris tabula valeret. In his contractibus, quæ jactum retis exhibent, et aleatorii dicuntur, quia ab incerto pendent eventu, qui alterutri ex contrahentibus prodesse potest, nullam dari, sive enormis, sive enormissimæ læsionis actionem insuper propugnabant. Sed tunc tantum hæc regula vires exerit suas, et remedio *ler.2. Cod. de rescind. vendit.* sive emptor, sive destituitur, quoties bona utrinque fide negocium actum sit, aleamque vere luserint contrahentes, quam inimicam æque ac prosperam ipsi valeant experiri, prout erat casus illarum Sacri Ordinis Decisionum, quibus Gentilius abutebatur *in Bononien. Læsionis* 10 *Junii* 1791 § 3 *cor. Priolo in confirmatoria* 4 *Martii* 1793 § 8 *cor. Acciajuoli*, *in Romana Nullitatis contractus* 8 *Junii* 1821 § *ult. cor. bo. me. Martinez*. *et in Bononien. Pecuniaria* 1 *Aprilis* 1826 *cor. Rmo P. D. Pianetti*. Si enim alter ex contrahentibus certo sciat aleam ludi non posse, quia res, de qua in emptione venditione agitur, aut vitiosa omnino est, aut optima, in hoc porro casu, cum scientia alterutrius ex contrahentibus de vitio, aut optimo rei qualitate, quæ reticetur, dolum, fraudemque secumferat ad alterum decipiendum, et circumveniendum paratam, quæ nemini debet patrocinari, et utilis esse cum alterius contrahentis detrimento, locum amplius non obtinet regula de non proponenda læsione, quam imo jure, et utiliter exercet quisquis sese deceptum, et circumventum queratur.

Jam vero scivisse Gentilium vetustam 3
non fuisse tabulam, sed recens fabrefactam, ex eo primum constat, quod nunquam probaverit, sed ne dixerit quidem a quo, et quo pretio eam emerit, aut habuerit. Accedebant hinc testes omni exceptione majores, qui deponebant defunctum Archeologiæ in ArchigymnasioRomanoprofessoremLaurentium Rè lapidem emisse a lapidario quodam, eaque comparata, viro in re musiva perito commissione, ut eam, imitato veterum stylo, superstitiosis Ægyptiorum siglis, et circumflexionibus elaboraret. Addebant insuper, eumdem Archeologum, opere confecto, scriptis ipsum illustrasse, ut fidem ementitæ vetustati conciliaret eos, qui spectatum ibant monumentum, et pluries fuisse professum, sibi polliceri futurum, ut ab extero aliquo scutis saltem tercentis emeretur. Quod si hæc ipsa tabula in Gentilii dominium deinde pervenit, atque is, ut ut sciret, eam non esse vetustam, quasi tamen ageretur de Græco monumento, vendidit ingenti pretio scutorum *Mille quingentum*, quod ne ipse quidem sperasset unquam Archeologus totius machinationis auctor, et fautor, nemo dixerit, ea bona fide gestum fuisse negocium, quæ requiritur, ut nullus actioni læsionis aditus pateat; Si imo nedum ultra bessem, sed longe ultra *dodrantem* veri, justique pretii deceptus, læsusque fuit emptor, omnis boni, et æqui ratio exigit, ut ei succurratur, deleaturque contractus tanta iniquitate refertus.

Quod enim, testimoniis allatis, di- 4
cebatur ad augendum tabulæ valorem refragatur id imprimis ipsius Archeologi confessioni, qui, et si jactaret monumenti antiquitatem, haud tamen

sperabat, scutis amplius *tercentis* sese illud fore venditorum. Nemini vero desunt proprii fautores, et in his rebus sententia quælibet, etsi minus recta facile potest excusari. Demum testimonia ista sunt proprus despicienda, non modo quia fuerunt lite fervente expiscata, sed quia præterea non conveniunt cum judiciali relatione hominum peritissimorum, quam tabulam, ne scutis *centum* æstimarunt, quique in judicio prævalent aliis quibuscumque cognitoribus extra judicii ritum quæsitis, nisi saltem de evidenti arroro doceatur. *Rot. decis.* 35 *num.* 7 *cor. Olivatio*, *et decis.* 415 *num.* 5 *coram Riminoldo.* Eoque magis servari oportet relatio judicialis, quia ei cohærent plures etiam extrajudiciales, et tot qood magis est, testes vetustatem tabulæ improbantes, et genuinam rei hystoriam narrantes, quæ malas ostendit artes ad emptorem decipiendum adhibitas. Adeo autem nota est, cunctisque perspecta peritorum virorum quos insignis Academia S. Lucæ misit in præsentem, integritas, religio, et in bonis artibus excellentia, ut plurimi facienda sit eorum relatio, quamvis laconice nimium loquuti fuerint, et rei musivæ artifices propriæ non sint, cujus tamen præstantiam, ac vetustatem, pictores quoque; et statuarios facile noscere posse, si præsertim excelleant in arte, nemo negabit.

5 Nec actioni Læsionis officit pactum apocae emptionis venditionis adjectum, ex quo cautum, ut condonatum, et remissum invicem intelligeretur, si plos, vel minus justo pretio fuisset solutum. Nam hujusmodi pacta, et quotquot aliæ excogitari possunt dictiones et clausulæ, tunc demum prosunt, et obstaculo sunt, quominus agatur *leg.* 2. *Cod. de rescind. vendit.* remedio, si læsio sit modica, neque simplicis, sive enormis fines excedat, secus autem, si enormissima sit cui semper famulatur do'us, qui omnes inficit vitiatque contractus. Tantum imo est odium læsionis enormissimæ ut, etiamsi cum jurisjurandi religione nuncium miserit læsus actioni læsionis, eam nihilominus utiliter experitur, invita renunciatione, ac invito juramento, quod exortum censetur. *Pacion. de locat. cap.* 18 *n.* 96, *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 46 *n.* 30, *Zanch. de laesione part.* 1 *cap.* 3. *n.* 142 *et seq.*, *Rot. in Rec. dec.* 125 *n.* 53 *part.* 5 *tom.* 1. *et in Sutrina seu Portuen. Laesionis* 1*u Februarii* 1756 §. 8 *cor. Canilliac.* His animadversis, ludricum erat obiicere in bis monumentorum pulchrarum artium contractibus, quae nullum habet intrinsecum valorem, et ad hominum opinione pendent, non dari læsionis actionem. Exceptio siquidem non est amplius integra, nec proponi amplios potest, postquam Sacer. Ordo Rescripto *diei quartae* Maii proxime elapsi, a quo nunquam Gentilius reclamavit nec provocavit unquam, peritos viros eligi jussit, qui tesselatam tabulam æstimarent; ex quo negandum non est, actionem implicite fuisse probatam. Falsum deinde est, in hisce contractibus læso, præsto non esse *leg.* 2. remedium; quod in aliis similibus quæstionibus constanter Sacer. N. Ordo retinuit, quia bonorum artium monumenta artificis celebritate, ævo cæterisque circumstantiis inspectis, a peritis viris facile queunt æstimari, etsi constantem, et intrinsecum valorem non habeant.

Perperam vero hoc jus contendunt, 6 et hanc jurisprudentiam evertere conantur, jactata quadam contraria consuetudine, nonnulli musivæ artis, et aliorum pulchrarum artium Artifices, ac negociatores. Tanti enim ipsi non sunt, ut adversam legi consuetudinem demonstrare, aut constituere valeant, quæ cæteroquin nec una, eademque actuum ratione constat, nec in contradictorio judicio, ut oportet, unquam probata fuit. Eoque minus eorum judicio attendendum est, quia in proprium commodum deponunt dum de tabulis pictis, vermiculatis emblematibus. aliisque pulchrarum artium operibus solent negociari. Rescindenda est itaque emptio venditio, ac emptori restituendum scutorum *mille quingentum*, quin ulla ratio haberi debeat de bonorum artium operibus ab ipso emptore traditis in pretii partem. Nam ver-

micnlatæ tabulæ pretium in determinata nummorum quantitate constitutum fuit, minime vero totidem marmoreis signis, ita ut permutatio potius, quam emptio venditio contracta dici debeat. Quidquid vero oggerebatur ad deprimendum valorem operum bonarum artium loco partis pretii traditarum post diuturnum silentium a Gentilio servatum spernendum est, et occasione motæ litis ad invidiam Collio creandam excogitatum visum est, ac responsionis honore penitus indignum.

Et ita definitum est utraque parte dimicante.

ROMANA LAESIONIS

Veneris 19 *Julii* 1829.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLXI. -

SUMMARIUM

1. *Emptiones bonorum etiam sub corona expletas, irritas, reddit laesio si aenormissima sit.*
2. *Rerum pretia intra decennium immutantur.*
3. *Exceptiones melioramentorum ad laesionem excludendam non sunt admittendae nisi plene probentur.*
4. *Bonorum praetio normam dant usurae sub quibus communiter, et absque excessu pecunia ad faenus collocari potest de tempore, quo ea bona vendita fuerunt.*
5. *Censuales codices impotes sunt ad valorem bonorum constituendum, quoad contractus, qui inter privatos cives ineuntur.*

   Bonorum valor ad normam usurae pecuniarum constituendus - *ibid.* -
6. *In quaestionibus dirimendis, non semper quid Sacer Ordo ex peculiaribus controversiae circumstantiis, videndum est, sed quid novissimae leges statuerint spectandum*
7. *Quando lex in casibus expressis et praecisis deductionem penetii admittit, eam voluisse dicendum est in aliis casibus quibuscumque, in quibus nil fuit de hisce deductionibus dictum.* - Et num. 8 -

DECISIO CCCLXII.

Enormis læsionis lube infectam emptionem, qua acquisita a Danesio sub corona fuit die tertia Februarii anni 1824 superior diæta cum adnexis domus sitæ in *Via Tor de'Sdecchj*, spectas ad Marchionem Antonium de' Ossoliis pretio scutorum *quingentumquaquaginta*, declaravit Sententia nunc defuncti A. C. Colapietro, lata die 3 Julii 1827, quæ Danesium damnavit ad supplendum erga Ossolium prædictae partis domus pretium ad scuta usque 1356 13 $\frac{1}{2}$, eique restituendos a die motae litis deficientis summae fructus. Sed rei cognitione, ex appellatione per Danesium interposita, ad S. N. Ordinem delata, binis Decisionibus sub diebus 10 Decembris anni 1827 et 7 Martii 1828 a R. P. D. Meo Muzzarelli editis quas subsequuta fuit Rotalis Sententia ab ipso obsignata. In hoc Sententiarum conflictu ulteriori Caussæ discussioni, a postrema earum Ossolio provocante, fuit locus in Comitiis diei 10 Decembris anni 1828 et mihi quærenti = *An sententia Rotalis sit confirmanda in casu etc.* = Patres, post jam ampliatum ad quintum, et sextum judicium, responderunt = *Sententiam esse infirmandam, constare de laesione enormi, et esse locum supplemento pretii in scutis* 1218 = ut patet ex decisione ad eam diem a me vulgato, quæ rei hystoriam latius exponit, et quæ hodie confirmari meruit Responso = In decisis =

Emptiones siquidem bonorum, etiam sub corona expletas, irritas, reddit læsio, quae in eis intervenerit, si enormissima sit, et earum rescissioni, seu reductioni ad æqualitatem, ut precedens mea firmat Decisio, pluribus adductis auctoritatibus § 5. Cum itaque Danesius Domus partem, de qua agitur, die 3 Februarii anni 1824 acquisiverit ad hastam pretio scutorum 550 et cum Patres censuerint enormis læsionis vitio hanc infici emptionem, hujusce definitionis justitia perspicua erit statim ac demonstretur ilius dumus partis valorem de tempore, quo fuit vendita scuta saltem 1100 excessisse. Ad hunc vero valorem prefiniendum, spectandum est juxta consuetudinem apud Sacrum Nostrum Ordinem rece- 1

ptam, quae pensio tribuenda fuisset illi diætæ cum adnexis, dum eam Danesius emit, si ea locata extitisset, et non fuisset, ab eodem Ossolio inhabitata et calculo super hac pensione inito, constituendum est, quanti tunc ea æstimari potuerit, sicuti statutum fuit, nedum in prædicta mea superiori Decisione sub § 6 cum aliis ibi relatis; sed etiam in utraque R. P. D. Mei Muzzarelli in causa Decisione, prima § 2 et 4, et secunda § et 7.

2 Hinc itaque, cum prædicta die 3 Februari anni 1824 nulla esset illi diætæ cum adnexis pensio, quia eam ab Anno usque 1810 Ossolius cum sua familia inhabitabat: cum hujusce pensionis juxta quantitas desumi haud posset a peritorum judiciis, qua de ea retulerunt, inspecta illius partis domus conditione de anno 1826, quo tempore Danesius jam in ea plura confici opera curaverat, insumptis in hanc caussam scutis 1019 86 $\frac{1}{2}$ ex quo ejus valor, cique conveniens pensio quam maxime fuerat adaucta, et cum demum nulla potuerit ratio antiquae illius pensionis scutorum 75 *in* singulos annos, pro qua ab anno 1778 ad annum usque 1810 locata extiterat, primum Bionduccio, dein Squsglia, quia nedum in genere certum est, rerum pretia intra decennium immutari ad *Text. in Leg.* 69 *ff ad legem falcidiam*: *Rot. decis.* 73 *num.* 14 *cor. Caprara*: *in Nullius, seu Carrarien.* 29 *novembris* 1779 *num.* 6 *cor. Bussio*, *et in Recineten. Laesionis* 15 *Januarii* 1824 § 7 *coram Rmo Pianetti Viterbiensi Antistite, et in confirmatoria* 18 *Junii ejusdem anni* § 5 *coram Eodem*: in specie vero nemo ignoret ab anno 1814, post Pontificium imperium feliciter restitutum, ad annum 1824 ædium pensiones adeo excrevisse, ut earum mensura duplicata etiam extiterit; optime idcirco Patres censuerunt, controversam pensionem constituere, habito respectu ad augmentum pensionis alterius illius partis domus quæ in divisione, anno 1817 peracta inter fratres Ossolios, obtigit Philippo; quæ pensio ab annuis scutis 60 pro quibus locata erat eo anno 1817, aucta fuit anno 1823 ad scuta usque 78 nempe in scutis triginta in quod libet ejus centenarium: ex quo, ad tramites hujusce augmenti, pensio diætæ domus, de qua agitur, a scutis 75 pro quibus locata erat ab anno 1778, assurgere saltem debuisset ad annua scuta 97 50. Videnda de bisce superior Decisio a me edita § 7 8 9.

Perperam contendit Danesius huic 3
pensionis augmento in domus parte a se empta locum haud esse potuisse, quia erat eo in pessimo stato, ita ut habitari non potuisset, nisi fuisset ab ipso magno sumptu refecta; quod probare adnititur ex eo quod id Sacro etiam Nostro Ordini perspectum fuisse dignoscitur, quia, post illius partis domus pretium, desumptum ab jus praedicta pensione, et constitutum in scutis 1431 ab hac summa subduxit scut. 213 innuens perinde, hanc summam impendi debuisse ad eam restituendam ad statum, quo posset habitari. At hujusce suppositi falsitas manifesta est, tum quia Ossolius in ea, dum fuit districta, cum sua familia degebat, tum quia etiam testes omni exceptione majores, et Praelatitia dignitate praediti, interposita juris jurandi religione; deponunt, quod ea domus pars = *era in buono stato servibile per qualunque famiglia distinta, e nobile quale è quella del nominato Signor Marchese*, *che vi abitava* =. Deductio vero praedicta scutorum 213. tribuenda tantum est Sacri Ordinis aequitati erga Danesium, non juris rigori; nam ex peritorum relatione constat eam summam pertinuisse ad ordinariam domus manutentionem: ex quo, stricte cum Danesio agendo, haud fuisset deducenda, post detracta e quantitate pensionis illi domus parti tributae, a qua ejus pretium desumendum erat, duodecim scuta in singula illius pensionis scuta centum, nomine impensarum pro illius ordinaria manutentione.

Firma igitur pensione diætæ cum 4
adnexis, e qua est pretium inducendum, in annuis scutis 97. 50. firmum etiam Patres tenuere modum ineundi super ea pensione calculi pro hoc pre-

tio constituendo, ad rationem 'nempe semissalem, id est tributo capite scutorum centum singulis scutis sex, quæ ex eadem pensione remanent, post deducta ab ea scuta duodecim in unumquomodo ejus centenariam scutorum pro intermissione locationum, expensis manutentionis, vectigalibus, aliisque oneribus; non vero ad rationem bessalem, seu aestimando aedes in scutis centum super scutis octo illarum pensionis. Atque id rectissime. Bonorum siquidem pretio normam dant usurae, sub quibus communiter, et absque excessu, pecunia ad fœnus collocari poterat de tempore, quo ea bona vendita fuerunt. Quamobrem, cum de anno 1824., post res publicas plane restitutas, æqua pecuniae usura semissem mensuram non excederet, in dictae cum adnexis, tunc venditae aestimatione semissalis ea ratio sequator oportet. Adstipulante Motu-Proprio diei 6. Julii anni 1816 quo sub articulo 138 statutum fuit ædium pretia desumenda esse *dal reddito delle pigioni, calcolote al cinque per cento* -; alioque Motu Proprio diei 11 Maii 1826. quo sub *Articulo* 14. fuit sancitum - *il primo prezzo dell'asta dei fondi Urbani sarà del sei per cento lordo, desumendone la rendito dall'attuale contratto di affitto, in mancanza di questo, dell' altimo, se sarà recente* -.

5 Quin prosit Danesio confugere ad alios Motus Proprios annorum 1801., et 1818,, in quibus bessalis ratio fuit praescripta pro aedium aestimatione. Hi namque Motus Proprii spectarunt tantum ad aedium valorem in Censualibus tabulis inscribendum pro vectigalium solutione; ac Censuales Codices impotes esse ad valorem bonorum constituendum, quoad contractus, qui inter privatos cives ineuntur, nemo est, qui nesciat. Idem dicendum de pluribus S. N. Ordinis Decisionibus, in quibus ratio bessalis fuit probata. Hæ namque ad tempus respexerunt, quo usura etiam centesima, ob infandam rerum publicarum perturbationem, et socialem ordinem non adhud restitutum, passim admittebatur, et ideo minor esse debebat bonorum valor, ad normam usurae pecuniarum constituendus; sed ea bessalis ratio merito a Sacra Aula rejecta fuit quoad aestimationem bonorum, quæ vendita fuerunt, post usurarum excessum plane cessatum, ut novissime etiam Sacer Ordo constituit in *Romano Laesionis* 4 *Moii hujusce anni coram R.P.D. Meo Muzzarelli* inter Marchionem Sciamanna, et hæredes Casini. Latius de hisce disserit superior mea in hac caussa Decisio §§. 10 et 11.

Consequitur ex huc usque deductis 6
justum diætae a Danesio ad hastam jemptæ pretium esse debuisse in scutis 1431. Grates ab eo profecto Patribus habendæ sunt, qui ejus favore firmam voluere detractionem ab hac summa scutorum 215, quæ, ut superius fuit animadversum, merito ei potuisset denegari, Nec ferendum est, ut rursus proponat aliam detractionem ex eo pretio pro triente, quia illi domus pars fuit ab ipso sub corona empta. Hæc namque petitio admittenda forsan fuisset, si de emptione ageretur sequuta ante hypothecarium regimen inductum, quia tunc poterat emptor obnoxius esse molestiis creditorum hypotheca pollentium super emptis bonis, quæ ei ignota esse potuisset, cum nulla lex ejus inscriptionem, ad eam servandam, juberet; at hæc prorsus eliminanda est quoad prædictam diætæ domus emptionem, quæ perfecta fuit anno 1824, post hypothecarias editas novissimas Leges, e quibus ad omnium notitiam hypothecæ bona gravantes, inscriptionis, ope, deduci debebant, eaque inscriptione neglecta, hypothecarius creditor omni jure destituebatur, bona, sibi hypothecæ vinculo obstricta, in tertium distracta persequi.

Nec rem mutant S. Ordinis Deci- 7
siones, quæ hanc trientis pretii deductionem favore etiam tertii ad hastam acquirentis probarunt; alia namque nunc est Sacræ Aulæ opinio, ut videre est in citata præsertim novissima Decisione *Romana Læsionis* 4 *Moii hujusce anni cor, R. P. D. Meo Muz-*

tarelli. Præterea non quid forte S. Ordo ex peculiaribus controversiæ circumstantiis senserit videndum est, sed quid novissimæ leges statuerint est spectandum. At in Motu proprio diei 22 Novembris anni 1827, ubi ab Articulo 1369 ad Articulum 1392 de bonorum subhastatione, et eorum erga tertios de liberatione formæ; et jura constituuntur, nil dictum invenitur de pretii bonorum *triente* horum favore deducendo, immo sub *articulo* 1384 jubetur, quod = *la delibera dovrà farsi al maggiore oblatore, il quale in termine di tre giorni dovrà pagare l'intiero prezzo presso il Depositario* =.

8 Quod si, dum idem Motus Proprius transiit in *art.* 1393, et sequentibus, ad adjudicationem bonorum erga creditorem, atque sub *artic.* 1399 sancivit, in defectu novorum oblatorum, bona sub corona posita adjudicanda ei esse = *per un terzo meno della stima*=, addidit etiam in præcedenti *artic.* 1398 ut, si novi supervenerint oblatores = *si ammetterà l'offerta anche ad un solo oblatore purchè offra almeno tre quarti del prezzo stimato*=, factum id fuit in casu a præsenti diverso, eo scilicet quod in prioribus experimentis nullus prodiisset oblator, et ad vitandum majus debitoris damnum, qui ferre debebat in oblatorum defectu, etiam in hoc postremo experimento, bonorum adjudicationem favore creditoris cum amissione trientis illorum pretii. Nec secus se habet dispositio alterius Motus Proprii *diei* 5 *Octobris* 1824 ab *artic.* 800 *ad* 823., ubi agit de licitatione, et deliberatione bonorum stabilium, et articulis 826 et 1827 ubi loquitur de adjudicatione ac *triente* pretii per adjudicatarium lucrando, et *quadrantis* lucro admittendo favore tertii oblatoris, qui in extremo experimento prodierit: Si igitur hæ leges deductiones pretii in expressis præcisis casibus admisere, eas noluisse dicendum est in aliis casibus quibuscumque, in quibus nil fuit de bisce deductionibus dictum. Agnoscat itaque Danesius enormis læsionis labem, qua inficitur partis domus, de qua agitur, emptio, et rependat Ossolio scuta 668, quot deficiunt ad æquandum illius pretium, ad senta tantum 1218 a Sac. Ordine ex æquitate cohibitum, vel eam rescindi emptionem patiatur, *ad Textum in leg. rem Majoris pretii* 2. *Cod. de rescindenda venditione*; *et Zanchium de læsione part.* 1 *cap.* 2 *num.* 42 *et seq.* cum pluribus Doctorum traditis, et S. Ordinis definitionibus ibi allatis.

Et ita etc. Quinto etiam, et Sexto suffragante fuit confirmationis robur priori meae Decisioni adjectum; Utraque etc.

ROMANA LIBERATIONIS A MOLESTIIS

Veneris 12 *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Quoties venditor rem liberam asseruit, eamque liberam emptor non invenit, toties actione liberationis a molestiis eidem emptori consulendum est. Sub evictionis nomine continetur quoque defensio, sive onus, quod venditor habet, defendendi possessionem emptoris, quamvis non adhuc is fuerit ab ipsa possessione ejectus

SUMMARIUM

1. *Quando emptor molestias habet ex parte creditorum hypothecariorum ad quorum extinctionem venditor se se obligavit, venditor tenetur ad suscipiendas molestias.*
2. *Liberatio a molestiis jure etiam sine pacto competit contra illum, cujus causa molestiae obvenerunt,*

   Ex voluntate autem contrahentium, quando venditor rem liberam asseruit eamque liberam emptor non invenit - ibidem. -
3. *Judicium liberationis a molestiis, a judicio evictionis in a hoc distat ut in judicio liberationis satis sit emptorem in possessione suo turbari, ut statim competat. Quoad aliud vero requiritur rem evictam fuisse, et emptorem a possessione dejectum.*
4. *Evictionis nomine continetur etiam defensio sive onus, quod venditor habet defendendi possessionem emptoris quamvis non adhuc is fuerit a possessione ejectus.*

   Quanda quis promisit generatim fundum exemptum ab omnibus hypothecis, non potest

venditor dicere non esse locum liberationi quia hypothecae inscriptae sunt adversam veterem latifundii possessorem - ibidem. -

5. *Quando agitur de evictione, et liberatione a molestiis praestanda, nihil interest an emptor sciverit, vel ignoraverit fundi vitium, in utroque casu eadem res est, et aeque ad liberandam emptorem a molestiis cogendas est.*
6. *Ex natura actionis liberationis a molestiis est, ut emptori praestandum sit, quidquid ejus interest rem emptam liberam non fuisse.*

Condemnatio liberationis praestandae debet incipere a die denunciationis transmissae - ibidem. -

DECISIO CCCLXIII.

Latifundium, vulgo dictum = *Forno Casale* = ot in Agro Romano situm extra Portam Exquilinam, anno 1811 coemit Aloysius Matthæjus a gente Acquaronia pretio convento nummorum argenteorum *quatuordecim millium*, quod nondum erat in totum numeratum, quo tempore, scilicet anno 1818, idem emptor Matthæjus latifundium ipsum vendidit Constantino Conti pro pretio majore scutorum *quindecim millium*. Ex his decem *millia* fuerunt a novo emptore soluta, partim venditori Matthæjo, partim ejus creditoribus. Quod reliqua scuta *quinque millia* conventum, ut ab emptore retinerentur quousque a Matthæjo delerentur omnia vincula hypothecarum, quæ fundum afficiebant, et in publicis codicibus fuerant inscripta. Cautum quoque, ut non liceret venditori reliqnam summam condicere, nisi probasset, sese de integro pretio Joanni Jacobo Aacquaronio satisfecisse. Ut imo emptoris indemnitati magis foret consultum, binas emphyteuticas ædes, quas in Urbe possidebat, hypothecæ nexui mancipavit publicis in tabulis emptionis venditionis latifundii, quæ duæ prædicto anno 1818 ad exitum Augusti conscriptæ fuerunt. Quoniam vero Matthæius, latifundium ab Acquaronio coemens, haud sollicitum sese præbuerat de acquisitione sua in publicis censualibus Codicibus recensenda, accidit proinde, ut etiam post initam venditionem per rexerint. Acquaronii creditores partas sibi hypothecas inscribere super ipso latifundio.

Indicto super bonis Acquaronii protopraxie judicio, plures, impetu facto, creditures impetere ceperunt prædium a Contio possessum, sibique hypothecae nexu devinctum. Principem inter hos locum tenuit Marchio Gaspar Cavallettus, qui Contium actione hypothecaria lacessivit, ut immanem summam argenteorum nummorum triginta sex millium octingentum quinquaginta persolveret, vel pateretur prædium, auctione constituta, divendi. Has molestias Contius illico Matthaejo denunciavit, qui tamen nihil de sedando creditorum tumultu laboravit, et emptorem ab illatis molestiis eximere, ne, vel a longe, cogitavit. Ipso itaque diuturna litem Contius sostinuit, tum adversus Cavalletium, contra quem palmam obtinuisse, declarata nultitate inscriptionis hypothecariae, narrant illius Causæ Decisiones, eaque præsertim, quam elapso anno piaculari ad diem septimam supra decimam Januarii ego evulgavi, tum adversus alios creditores, ac praecipue Generalitiam Cameram religiosae Dumiuicanae Familiae, de cujus molestiis certiorem pariter Contius, sed inutilties, fecit venditorem, Petebat autem religiosa divi Dominici Familia nil minus, quam nummos argenteos duodecim mille, ex caussa capitis et fructuum census, pro quo hypothecaria pollebat inscriptione, et latifundium prosequebatur hypotheca irretitum. Sed, utcumque contenderet Contius irritum fuisse censum ex pluribus vitiis, ob eamque rem sumptrosum judicium intendisset, nil tamen aliud potuit obtinere, nisi ut cogeretur Generalitia Camera, antequam solutionem urgeret ab extraneo possessore, censitos fundos impetere, veluti testantur Decisiones editae in *Romana Nullitatis Census, et in Romana crediti, et hypothecae super dimissione fundi* 1 *Junii* 1827. *cor Emo Isoard.*

Cessit interea temporis, venitque dies reliqui pretii scutorum quinque millium solvendi, dummodo Matthaejus assumptis satisfecisset oneribus, quae tamen numquam impleverat. Adiit ergo Con-

tius defunctum Praesulem A. C. Colapietro, ac quatuor eo corum proposuit postulationes, Petiit nimirum inchoatum usque ab anno 1820. liberationis a molestiis judicium ad exitum perduci: rursus compensari reliqna scuta quinque millia, ex empto ad eo solvenda, cum sumptibus litium cum Acquaronii creditoribus actarum: insuper cogendum esse Matthæjum ac præstationem novae cautionis loco, et vice nummorum argenteorum quinque millium, quos existimabat cum judiciurum expensis: compensatis demum eidem Matthæjo terminum praestitui ad liberandnm fundum ab hypothecariis inscriptionibus. Plausit omnibus petitionibus A.C. Juridicus: sed ad Sacrum Ordinem provocavit. Matthæjus, effecitque ut quatuor distincte tractandae componerentur Dubiornm formulæ, quoad liberationem a molestiis, compensationem, novam cautionem, et præfixionem termini. Hic vero, cnm agatur de liberatione a molestiis, qnaesitum propterea est - *An, quomodo, et a quo tempore sit locus liberationi a molestiis in casu etc.* - ac post semel, et bis discreta in æquas partes suffragia, accita tandem ad judicandnm Anla universa, datum hodie esf esponsnm - *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiae A.C.*

1 Non enim indiget interprete pactum luculentissimum, emptionis venditionis latifundii tabulis appositum, ex quo rem venditam Matthaejus asseruit = *a riserva delle ipoteche che attualmente gravano la persona, e beni di esso Signor Mattei, libera da qualunque altro vincolo, ipoteca e peso sì perpetuo, che momentaneo, obligandosi in caso contrario di ogni e qualunque evizione generale, o particolare, ed a tutti e singoli danni, spese, ed interessi* =; ac insuper promisit = *di radiare e cancellare tutte le ipoteche, che attualmente gravano la persona e beni del Signor Luigi Mattei, e tutte le altre ipoteche, pesi, ed obligazioni, che potessere per qualsivoglia modo possibile riverberare sulla medesima* = Jam vero, cum molestiae supervenerint, tam ex parte illorum creditorum, quorum hypothecas sese deleturum venditor spopondit, quam ex parte aliorum creditorum, a quorum hypothecariis inscriptionibus exemptum ac omnino liberum latifundium venditor affirmavit, nemo proinde non intelligit, commissam fuisse stipulationem, ac ad molestias sibi suscipiendos venditores teneri, veluti saepe decisum est, ac praesertim *decis.* 203 *num.* 1 *cor. Malrasia, in Romana Immissionis super reservatis* 21 *Junii* 1784 § 6 *cor. Lancellotto, in Urbevetana Liberationis a Molestiis* 22 *Junii* 1790 § 2 *cor. Paracciano, et in Foroliviэн. liberationis a molestiis* 21 *Martii* 1791 § 2 *et* 3 *coram Emo Cesarei.*

Contra hoc ipsum pactum attamen insurgebant qui venditoris Causam orabant, inaniterque deduci dicebant a supradictis verbis obligationem venditoris de emptore a molestiis liberando: liberationem a molestiis præterae quæ ex stipulatu tantum competit, non autem ex jure, diversam admodum esse ab evictione, quam unam, latifundium distrahentes, spendere visus est Matthæjus: evictionis demum actionem exerceri non posse, nisi evicta, nec ad illam instituendam quodcumque sufficere periculum evictionis. Sed hæc omnia, partim compertissimæ juris censuræ, partim contrahentium voluntati repugnabant. Juri siquidem refragatur, quod actionem liberationis a Molestiis procul a pacto nemo valeat experiri, cum imo sæpe Sacrum Tribunal liberationi a molestiis locum esso censuerit, quamvis pactum nullum liberandi a molestiis intercesserit, veluti præcæteris constat *ex Perusina Cambti super liberatione a molestiis* 8 *Martii* 1771 § 5 *coram Cornelio, et ex Confirmat. Junii ejusdem anni* § 3 *coram Eodem.* Contrahentium præterea voluntati refragatur, quod, dum asseruit Matthejus rem liberam atque exemptam abonere quolibet, non sese hoc modo devinxerit ad praestandam a molestiis liberationem, si molestiæ revera contigissent. Nam, quoties venditor rem liberam assuerit, eamque liberam emptor non invenit, toties actione liberationis a molestiis eidem meptori consultum est *Rot. in Rec. dec.* 2

324 *num.* 1 *part.* 10 *cor. Herreria decis.* 49 *num.* 7 *in Anagnina liberationis a molestiis* 22 *Junii* 1772 §. *cor. Ratta, in Romana liberationis a molestiis* 19. *Aprilis* 1781 §. 5. *cor. Acedo, in Confirmat,* 10 *Januarii* 1785 §. 3 *cor. Eodem., in cit. Foroliviea. Liberationis a molestiis* 21 *Martii* 1781. §. 2 *et* 3 *coram Eminentissimo Cesarei, et in Bononien. Pecuniaria super liberat. a molestiis* 23 *Aprilis* 1818 §. 7 *cor. Emo Mraco.*

3 Fortius ita censendum, quin promissæ bonorum liberati pactum aliud accedit, quo sese venditor obligavit obliterare, penitusque delere vincula cuncta hypothecarum quæ latifundium quoque modo premerent. Plus vero subtilitatis, quam veritatis habeat, quod reponebatur, pactum istud adjicere quidem conditionem reliqui pretii solutioni, non vero dispositionem præseferre, adeout, quemadmodum non liceat venditori reliquum petere pretium, nisi fundum antea purgaverit ab hypothecis, ita nefas sit emptori liberationem rei emptæ postulare, donec reliquum pretium retineat. Si enim ex toto contextu contractus mens emicat cuntraheotium, ut alter venderet, præstaretque prorsus rem liberam ab hypothecis; alter vero rem æque liberam et ab hypothecis, aliisque oneribus exemptam emeret, et possideret, hominis profecto esset imperiti non videre, ex pacto illo conditionem non solum, sed obligationem quoque venditoris emergere fundum liberandi, etiamsi reliqui pretii solutionem poshabere videatur. Nec refert, quod liberatio a molestiis distet ab evictione, quia quoad primam satis est emptorem in possessione sua turbari ut statim compotat quoad aliam vero requiratur rem evictam fuisse, et emptorem n possessione dejectum: *Rota in Ravennaten. spolii super liberatione a molestiis* 5. *Julii* 1756 §. 3 *et* 4. *coram Bussio, in Bononien. libevationis a molestiis* 6. *Junii* 1784 *coram Malvasia, et in Urbevetana liberationis a molestiis* 13 *Martii* 1792. §. 4 *cor. Eodem.*

4 Principio siquidem, etiamsi, re nondum evicta, non teneantur venditor evictionem praestare, animadvertendum nihilominus est sub evictionis nomine contineri quoque defensionem. sive onus, quod venditor habet, defendendi possessionem emptoris, quamvis non adhuc is fuerit ab ipsa possessione ejectus; *leg. Si plus, vel minus* 74 §. *Mota ff. de evict. Duaren. Op. omnia edit. Lucen. tom.* 1. *pag.* 413 *Mangil. de evict. quaest.* 184. *num.* 16 *et* 17 *Hermosil. ad Lopez tit.* 5 *gloss. numer.* 6 *num.* 27 *Fachin controv. jur. lib* 2. *cap.* 39. *Rot. in Recen. decis.* 372 *num.* 3 *part.* 18 *in Nuperim tom.* 2 *decis* 42 *num* 9 *et decis.* 946 *num.* 9 *cor. Molines.* Si autem pacto superius exposito, ex quo Matthejus affirmavit rem liberam esse et ab onere quolibet exeptam, idem est ac si liberationem a molestiis conceptis disertisque verbis promisset, quemadmodum §. 5 hujusce Decisionis probatum est, jam omnis cessat hac in re differentia inter evictionem et liberationem a molestiis, atque hanc postremam omnino esse præstandam, ut primum molestiæ fuerint illatæ ex ipsa rei conventi confessione concludendum est. Neque enim dicendum pactum et promissionem liberandi fuodum ab hypothecis eas respexisse hypothecas, quæ ortum ducerent ex facto proprio venditoris. Legenti porro tabulas emptionis venditionis apprime patet Matthejum, exceptis dumtaxat hypothecis = *che attualmente gravano la persona, e i beni di esso Signor Mattei* =, liberum a cæteria quibuscumque generatim prædium affirmasse. Jam vero molestiæ illatae emptori fuerunt, non obvincula, et hypothecas adversus Matthejum inscriptas, sed ob alias hypothecas jamdudum inscriptas adversus veterem latifundii possessorem Joannem Jacobum Acquaronium. Adsurdum ergo est, quod oggeritur, non esse locum petitiæ liberationi, quia molestiæ non prodierunt ex facto venditoris.

Et perperam Matthej sequerebatur 5 dicam a Contio transmissam, ut nuncium de illatis molestiis et præberet, minimo fuisse in aota relatum, Nam constat actis publicis exbibitam fuisse, tam primam citationem diei 25 Julii

anni 1820 quam alteram anni 1824, in qua imo ad memoriam revocata fuit prima citatio quadriennio ante transmissa. Si igitur legitimam habuit Matthejus illatarum molestiarum denunciationem, nihil desideratur amplius, ut venditor ad petitam liberationem cogatur. Quod siquidem ipse Matthejus objiciebat, novisse Continum, aut noscere potuisse ex publicis Codicibus onera et hypothecas, quibus venditum prædium subjiciebatur, inane erat, nulliusque momenti. Uti enim poterat Contius hypothecaria vincula detegere ex publicis codicibus, ita nil vetabat, quominus in fide conquiesceret venditoris, non sine malitia jactantis, quisbudam exceptis hypothecis, latifundi libertatem. Neque huic objectationi facilem paravit semitam *Lex Si fundum ciens* 27 *Cod. de evict.* quia ibi agitur de casu, quo nihil pactum conventumque fuerit de evictione præstanda, dum e converso in subjecta specie ad evictionem, et liberationem a molestiis præstandum Matthejus sese devinxit. Ergo, sive sciverit emptor, sive ignoraverit latifundi vitium, in utroque casu eadem res est, et æque ad liberandum emptorem a molestiis cogendus est ut, innuit Sacer Ordo *in Floroliven. liberationis a molestiis* 21 *Martii* 1791. § 5 *coram Eminentissimo Cesarei, in Veliterna liberationis a molestiis* 25 *Junii* 1826 § 6. *coram Reverendissimo D. Falconerio, et in confirmatoria* 5 *Martii* 1827 §. 8 *coram Eminentissimo Isoard.*

6 Quantum autem exploratum est, ad liberationem a molestiis teneri Matthaejum, tantum dubitari nequivit, quin ipsa liberatio præstanda sit emptori una cum refectione damnorum omnium, et sumptuum, tam judicialium, quam extrajudicialium, ut censuit Præsul A. C. Celapietro. Id siquidem est ex natura hujusce judicii ut emptori praestandum sit quidquid ejus interest, rem emptam liberam non fuisse. *Rota decis.* 204 num. 7 *cor. Malvasia, in Romana liberationis a molestiis* 25. *Junii* 1819. §. *fin. coram Eminentissimo Bassio*, et cit. *Peliterna liberationis a molestiis* 25. *Junii* 1827. §. 7. *coram Eminentissimo Isoard.* Id rursus ipse Matthæjus promisit, dum liberum et immuno a quolibet onere latifundium asseruit = *obbligandosi in caso contrario a tutti e singoli danni*, *spese* ed *interessi* =; ideoque geminas ædicolas in eodem emptionis venditionis instrumento hypothecæ nexui supposuit. Liberationem denique a molestiis præstandam esse a die 25 Julii anni 1820. quo tempore facta fuit prima molestiarum denunciatio, nemo poterit in discrimen revocare. Ab ea siquidem die in mala fide constitutus venditor fuit. Quamvis autem judicium liberationis a molestiis institutum fuisse constet ex secunda citatione, anno 1824. transmissa, non fuit tamen ista citatio instituit ex integro judicii initium, sed veteris jam ab anno 1820. instructi judicii instauratio. Cum ergo a die 25. Julii anni 1820. denunciationem molestiarum acceperit Matthæjus, ab eoque die teneretur molestias assumere, merito ab eo tempore ad liberationem præstandam condemnandus est, veluti in re simili judicavit Sacer Ordo *in Veliterna liberationis a molestiis* 16. *Maii* 1828. *coram Reverendissimo P. D. Patrizi* §. 5.

Et ita, utraque Parte dimicante, definitum est ab Universa Aula, meo quoque accedente suffragio.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER

EXPENSIS EXTRAORDINARIIS

Veneris 5 *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Necessaria est ea impensa, quae rem alias interituram extra ordinem conservat, prohibetque ne deterior fiat.*

Sumptus extraordinarii sunt necessarii - *ibidem.* -

Nefas est ut alter in gratiam alterius laedatur - *ibidem.* -

2. *Sumptus extraordinarii saepe imminuunt ipsam proprietatem.*
3. *Conductor plus debet esse sollicitus de reparationibus extraordinariis, quam de ordinariis.*
4. *Tantominus in patrimonio quanto plus in expensis.*
5. *Commoda et incommoda dividentibus debent esse communia.*

DECISIO CCCLXIV.

Quanmquam diuturnam litem, quæ plurium jurisconsultorum ingenia contorsit, de veteri fideicommisso inclytæ Gentis Barberiniæ transactio illa diremerit, quæ Lutetiæ Parisiorum, interpositis amicorum Officii, inter viros Principes, patrueles Franciscum Barberini, et Maphaeum Barberini Sciarra anno 1811. ad diem *duodecimam* Julii inita fuit, ea tamen novis jurgiis, et contentionibus aditum præbuit. Cum enim, præter splendidissimum palatium ad Collem Quirinalem extructum, quod sibi peculiariter solegit Vir Princeps Barberinius, ædes aliæ in Urbe positæ ei obvenerint in divisione; tum incapito decimo secundo transactionis conventi ut onera omnia ex æquo diribenda essent inter transigentes, ac in eorum æstimatione, constituendoque valore, ratio haberetur de reparationibus, quibus ædes ipsæ indigebant, aut decennii tempora inspecto, aut juxta legalem taxationem, si decennale experimentum, vel deficeret omnino, vel salebrosum foret, et incertum, prout melius visum arbitris fuisset, quorum judicio contrahentes permiserant quæstiones exinde forte orituras. Actum revera hinc fuit de oneribus dividundis, deque impendio prædictarum reparationum præfiniendo: sed illico dissentire inter se contrahentes cæperunt, an decennii lapsus, an taxatio legalis præ oculis habenda hac in re foret. Arbitri de santentia sua ex stipulatu rogati calculatori Raphæli Adinolphio jusserunt ut ad logographiam accederet nobilissimæ Barberiniæ Familiæ, iisque præsantibus, qui a ratiociniis erant utriusque dividentis, accuratam susciperet disquisitionem, abineunte anno 1801. usque ad exitum anni 1810. porrigendam, da computis artificum, quibus ponderatis, de sumptibus referret in ædes instaurandas per decennium impensis.

Muneri suo logographus satis fecit, pecuniæque vim, per integrum decem annorum lapsum in ædium reparationes erogatam evexit ad nummos argenteos *bis mille tercentum viginti novem*, atque obulos *triginta octo.* Sed, cum Maphaeus erroris insimulasset judicium ratiocinatoris, compromissarios quoque judices induxit ad virum in re architectonica peritum eligendum, qui illius relationem ad trutinam revocaret, et vera ne, an falsa narrasset, expenderet. Interea temporis jurisdictio desiit arbitrorum: ex quo factum est ut ab anno 1813. controversia siluerit usque ad annum 1823. Tunc autam Vir Princeps Barberinius litem iterum excitavit, duplici proposito adversus patruelem libello coram juridico A. C. Collegio, quorum altero dimidium petiit summæ, quam rationarius constitueral in caussam instaurationum: altero vero postulavit, ut certa dies ei præstitueretur ad prædium exhibendum anniversarii reditus scutorum *sexdecim* supra *Centum*, et obulorum *quadraginta sex*, quot punctim oportebat a reo convento pro sua virili parte rependi nomine reparationum. Quod si post præfinitum tempus ad hæc peragenda refragantur adhuc Vir Princeps Maphecus tum demum judiciale, sibi mandatum tribui poposcit Barberinius, executioni committendum super bonis rei conventi usque ad summam scutorum *bismille tercentum viginti novem*, quanti scilicet e fructibus ad modulum *quincuncem* æstimatur quoad caput onus annum scutorum *centum sexdecim, et obolorum sex* supra quadraginta a Maphaeo ferendum. Antequam jus redderent, censuerunt A. C. Triumviri Architecti judicium exquirere, atque in hunc sensam propendit Præsul A. C. Albarghinius, ad quem delata fuit rei cognitio, postquam abrogatus est juridicus Cætus A. C.

Interlocutorium hoc tamen Decretum adeo transversum egit Maphaeum, ut provocandum is ratus fuerit ad Sacrum

Nostrum Tribunal, ubi rogatione ad concilianda paternorum inter se dissidentium studia a R. P. D. Meo Bofondi in hæc verba proposita = *An, et quomodo sit locus liquidationi restaurationum, seu potius constet de credito, et in qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* Anceps primum bæsit definitio in Comitiis habitis anno 1827. ad diem *quartam* Maji. Ampliatis igitur usque ad *sextum* suffragiis, rogatio ipsa in disputationem rediit in comitiis diei 14. Maji ejusdem anni, placuitque Sacro Ordini supersedere judicio, donec per Architectum dein eligendum de viribus cognosceretur relationis a ratiocinatore Adinolphio confectæ; lege insuper adjecta inspiciendi libros logographiæ Barberiniæ, et computis artificum, habendique præterea rationem de sumptibus dumtaxat ordinariis. Ab hac providentia iterum appellavit Maphæus de una legali taxatione sollicitus. Commissa primum fuit caussa Rmo P. D. Meo Spada Decano, deinde vero, variatis sedibus, R. P. D. Meo Ruspoli, qui assuetum dubii formulam ita quærentem = *An Decretum Rotale sit confirmandum vel infirmandum in casu etc.* = proposuit, accepitque Responsum = *Decretum Rotale esse confirmandum juxta modum in Decisione exprimendum* =, quo sane modo jussit Sacer Ordo, ut ratio quoque de sumptibus extraordinariis haberetur, ut testis est decisio a R. P. D. Meo Ruspoli anno superiore ad diem *decimam quartam* Januarii evulgata. Quoniam vero difformia erant quoad sumptus extraordinarios Sacri Tribunalis interlocutoria Decreta, ideo provocatum est quoad hanc partem a Maphaeo, qui in caussa fuit, ut hodie quærerem = *An Decretum Rotale sit confirmandum vel infirmandum in casu etc.* = et Responsum habuerim = *Decretum Rotale: esse confirmandum* =.

1 Erat primo loco observandum Sacrum Ordinem, dum demandavit ut in constituendo pretio reparationem ædium in calculo haberentur etiam sumptus extraordinarii, noluisse tamen, ut in eo comprehenderentur sumptus illi sive, ordinarii, sive extraordinarii, qui non necessariam domorum refectionem, sed vel luxum respiciunt, vel majorem inquilinorum commoditatem. Hac præmissa animadversione, de qua consulenda est Decisio coram R. P. D. Meo Ruspoli diei *decimæ quartæ* Januarii superioris anni sub titulo *Romana Pecuniaria*, nil justius poterat definiri, quam ut ratio quoque de sumptibus extraordinariis haberetur. Si enim ordinarii reparationum domorum supputandi sunt ex pacto tabulis transactionis adjecto; eodem pariter modo in calculo habere expensas extraordinarias oportet, quæ sane æque, ac ordinariæ dicuntur necessariae: cum necessaria sit ea impensa, quæ rem alias interituram extra ordinem conservat, prohibetque ne deterior fiat *Leg. Impensarum* 1. *ff. de impen. in rem dot. fact.*; *leg. Impensæ* 29 *ff. de verb. signif.*, *Heinec in Pundect. lib.* 25. *tit.* 1. §. 249., *Garzia de Expens.*, *et meliorat. cap.* 2. *n.* 7., *Rota Decis.* 171. *n.* 6. *cor. Ansaldo, et Decis.* 280. *n.* 7. *cor. Molines*. Quamvis autem sumptus extraordinarii nomine suo complectuntur reparatione illas, quæ raro solent evenire, quemadmodum si, dicis causa, murus Voluntate collabescit, si trabs ignumve concrepuit; si Terremoto aedificium concutitur, si grande fenestrarum Vitra, aut Crystalla fregerit; Si pluvia, aut Venterum turbe tecta vastavorit; si incendium fortuitum partem destruat aedificii, si fulmen foramen fecerit in parietibus; sunt nihilominus necessarii, reditumque Ædium imminuunt, ipsasque remittunt ordinarias expensas. Cum vero divisio patrimonii Fideicommissarii inter viros Principes peracta fuerit, servata redituum aequalitate, ita seditus isti, nisi de extraordinariis quoque sumptibus ratio habenda sit quoad domos Viro Principi Barberinio obventas, longe decrescerent, jacturamque ei inferre immodicam decrementum hujusmodi contra indolem divisionis, in qua nefas est, ut alter lædatur in gratiam alterius.

Imo hi sumptus extraordinarii adeo 2
privilegiarii sunt, ut sæpe etiam imminuant, ne dum fructus, sed ipsam quoque proprietatem, veluti usuvenit, quan-

do maritus extraordinarios projecit sumptus in dotalis rei custodiam, aut hæres gravatus in fideicommissi conservationem, Utroque caso Marito, hæredique gravato jus suppetit ex ipsa rei vel dotalis, vel Fideicommissariæ substantia redintegrationem sumptuum deducere. *Leg. Impensarum* 1 §. 3 *ff. de impens. in rem. dot. factus Voet in Pandect. lib.* 25. §. 1., *Peregrin. de Fideicomm. Art.* 50 *n.* 1., *Castill. de Usufruct. cap.* 16 *num.* 2 *Rota in Senogallien. Reintegrationis* 18. *Junii* 1759 §. 2 *coram Cornelio, et in Ravennaten. Immissionis* 18 *Junii* 1790 §. 6 *coram Strasoldo.* Nec ipsi solum marito, aut hæredi Fideicommissario, sed malæ quoque fidei possessori favet hæc regula, ut sumptus necessarios ex ea ratione repetat, quod secus res vel periisset, vel deterior evasisset. *Leg. Domum* 5 *Cod. de rei vindicat.*; *Garzia de expens. et meliorat. cap.* 2. *num.* 7. Eoque magis inter reparationum expensas recenseri debent sumptus extraordinarii quia id, ne dum literæ transactionis, sed ipsi præterea congruit transigentium voluntati. Nam in æstimatione onerum ex æquo ferendorum voluerunt transigentes, ut ratio de reparationibus ædium haberetur, vernaculo adhibito Vocabulo = *Acconcimj* » quod vi sua generale est, et omnes sine discrimine amplecitur ordinarias, ac extraordinarias expensas, nisi quid additum fuerit, quod latam ejus significationem coerceat.

3 Bono autem animo tollerari non poterat, quod absque ullo probationis adminiculo confidenter asserebant Viri Principis Maphaei Defensores, ex communi loquendi usu sub illo Vocabulo tantum intelligi minores, et ordinarias reparationes, non vero cæteras, quæ in extraordinariis circumstantiis necessariæ sunt. Nam si sub verba » *Acconcimj* » instaurationes illæ continentur, quibus omissis usus non tollitur domus locatæ, multo magis contineri debent reparationes extraordinariæ, qaæ, si aliquantulum negligantur, rei conductæ usu, et commoditate conductorem privant. Si quid igitur valet communis loquendi usu, hoc utique præstat, ut sub nomine = *Acconcimj* = ordinariæ, æquæ, ac extraordinariæ, reparationes recenseantur. Quilibet enim conductor non modo esse debet, sed est plus revera sollicitus de reparationibus extraordinariis, quæ sæpe usum impediunt rei conductæ, quam de ordinariis, quibus conficiendis utcumque mora fiat, non tollitur tamen usu rei conductæ, in qua Conductor, si non æque commode, sine tamen periculo versatur, sed amplam Vocabuli significationem, quae suapte indole apta est comprehendere ordinarias reparationes, voluntas contrahentium confirmat, qui in præfiniendo instaurationum valoro praeoculis haberi decennii voluerunt interstitium. Decennio enim saepe evenit, ut casus accidant extraordinarii, qui extraordinarias quoque exigunt reparationes. Ideo in constituendis rusticorum praediorum fructibus decennium eodem modo spectatur, quo intra decennii curriculum annonae caritas, aut ubertas in calculum venit; aedesque, quae uno vel altero anno nulla reparatione indigebant, ita reficiendae sunt intra decennii spatium, ut unius anni reparatio fortasse totius anni reditum absorbeat, et saepe etiam excedat.

Non alia proinde de caussa decennii 4 calculum inspici voluere transigentes in aestimandis aedium reparationibus, nisi quia, tam sumptus extraordinarii, qui intra decennii lapsum acridere possunt, quam ordinarii, qui in annum saepe recurrunt, patrimonium diminuunt, et tantominus esse dicitur in patrimonio, quanto plus est in expensis *Gratian. discept. forens. cap.* 157. *num.* 27., *Carleval. de judic. lib.* 1 *tit.* 3 *disput.* 29 *num.* 9., *Rot. decis.* 1. *num.* 15 *tit. de Invent. coram Falconerio.* His positis in Virum Principem Maphaeum retorquebatur, quod ejus dicebant Oratores, extraordinarias expensas, ut probatum est in §. 5. hujus decisionis, non ferre usumfructuarium, non maritum, non gravatum haeredem. Nam ideo non ferunt, quia expensae istae non modo fructum, sed ipsam quoque proprietatem afficiunt,

et imminuunt. In praesens vero, nec de marito agitur, nec de usufructuario, nec de gravato demum haerede. Res est de decisione haereditatis, seu Fideicommissi in vim transactionis, in qua ideo reparationum impensae viro Principi Barberinio fuerunt promissae, ne Ædium reditus, quae ei in divisione obvenerunt imminutione ullam paterentur. Res rursus est de divisione, in qua tum commoda, tum incommoda, diribendorum bonorum dividentibus debent esse communia. Ergo necessario suppetandi sunt sumptus extraordinarii, ut aequa fiat ex pacto onerum, lucrorumque partitio.

5 Nec rem turbat ad taxationem legalem confugisse contrahentes, si commode fieri decennalis computatio nequivisset, quasi nimirum non plus voluerint in decennali computatione comprehendi, quam veniant in taxatione legali. Si enim animadvertatur, Barberinio fuisse promissam indemnitatem pretii reparationum, ne quid amitteret de aedium reditibus; si ante oculos sit; quod laudata Decisio R. P. D. Mei Ruspoli diei 14 Januarii elapsi anni saepius inculcat, taxationem legalem in subsidium tantum fuisse conventam; si demum perpendere placeat sumptus extraordinarios reparationum in pactum fuisse deductos ad aequalitatem inter dividentes servandam, facile intelligitur legalem taxationem in subjectu specie decennali calculo potius accomodare contrahentes voluisse, quam pactum reparationum ad legalem taxationem cohibere. Dum hinc de legali taxatione loquuti sunt, de ea expensarum taxatione cogitarunt, quae non ordinarias solum, sed extraordinarias quoque amplecteretur expensas. Postquam vero praedicta Decisio coram R. P. D. Meo Ruspoli adeo dilucide explicavit quid sub extraordinariis reparationum expensis contineri debeat, non est timendum, ne in eis commisceantur sumptus ad luxum, et voluptatem, aut jam initi, aut fortasse in posterum ineundi. Eos enim ad unum Virum Principem Barberinium pertinere extra controversiam positum est, nec ipse Barberinius in discrimen adducit, quippe qui solus istis commoditatibus fruitur, aut erit fruiturus, in quibus compensatio, et praemium impensae consistit. Atque ita cum suffragio Quinti et Sexti decisum est.

Utraque ee.

ROMANA SEU ARIMINEN

SOCIETATIS IN RE COMMERCIALI

Mercurii 16 *Decembris* 1829.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1 Apoca oneraria, autenticum praesefert documentum, qualitatis, et quantitatis mercium

2. Error nunquam praesumitur, ac minus etiam in eo, qui publico munere fungitur.

3. Quemadmodum inter Socios lucrum, ita dividi debet damnum quaod ex inopinato infortunio obvenit.

4. Quod, assensu adhuc non praestito, voluntatis est, necessitatis evadit, post praestitum assensum.

5. Expensae pro institore, quo saepe utuntur, mercatores, ut indemnitati suae prospiciant communem respiciunt societatis utilitatem.

DECISIO CCCLIV.

Quo tempore ob insolitam agrorum vitibus consitorum infœcunditatem, maxima Romæ fuit vini penuria, superiori anno 1828, ad diem *nonam* Januarii, icto fœdere, ac privata apocha conscripta Bartholomæus Pergami Pisaurensis, et in Urbe negociator Vincentius Spech societatem insimul inierunt, cujus ope Pergamus in eam immisit, tum totam illam vini quantitatem, quam Pisauri invenditam retinebat constituto pretio sesquinummi argentei sive *scuti unius* et obulorum *quinquaginta* in singulos scuta romanæ mensuræ, tum aliam quamcumque, quam in Pisaurensi territorio aliisque proximis colligere, eodemque circiter pretio coemere po-

tuisset. Ita vicissim Spechius in societatem contulit argenteos nummos *mille quingentum*: prætereaque sese curaturum sumptibus omnino communibus communique lucro, vel damno, spopondit receptionem, custodiam, ac venditionem tam vini, quam frumenti, ad quod pariter societatem protendere contrahentibus placuit, ea adjecta lege ut triticum Romam transvehendum optimæ foret conditionis, et non pluris æstimandum quam scutis *septem cum dimidio* in quemlibet modium. Disiractis demum mercibus, expunctisque rationibus constitutum fuit ut damnum omne, vel lucrum, ex soeictate forte oriturum inter socios æque divideretur.

Rebus ita compositis, cum a socio suo recepisset Pergamus conventam summam scutorum *mille quingentum* Pisaurum profectus est, ibique merces comparavit, ac de naulo convenit transvehendarum mercium cum navarcho quodam Joanne Baptista Damonte, cum eoque oneraria scheda (*Poliza di carico*) conscripta ei tradidisse declaravit = *numero novantanove fusti vine sani, intieri, e pieni a tappo di questa Delegazione, suggellati, numerati, e mereati, contenenti some ottoeento novantadue di questa misura del valore* di seudi *Romani* 1784 =, itemque = *sacchi eentocinque grano del valore di seudi* 525 *Romani* = ac tandem = *due fusti spirito di Vino in peso libbre* 1110 *del valore di scudi* 66: 60. Collecto binc mercium valore, eique addita doliorum æstimatione, integrum socialium rerum pretium evehi ad scuta 2821 60 detectum est: illudque adnotatum fuit in ipsa scheda, cui ita navarchus subscripsit, ut verbis omnino fidens illius, qui merces tradebat, nullum periculum quod illarum qualitatem et quantitatem periclitari voluerit ex assueta formula = *affermo per il numero de' eolli e diee essere per la qualità e quantità* =. Ut vero mercium securitati melius prospiceret Pergamus, e re sua ipse censuit onerariæ navi custodem, et institerem præficere Dominicum Pezzinium, certa mercede cum ea conventa.

Ineunte Majo ejusdem anni 1828 feliciter appulit oneraria navis ad Portum majorum navalium Tyberis. Integra quidem inventa foerunt signa sarcinis apposita ab Ariminensibus vectigalium Præfectis; sed eductis e navi mercibus, ac in teloninm proximum allatis, ubi portorium erat solvendum ipsa præsente Porgamo qui navarchi adventum ad Urbem præcesserat inventum est *centum octoginta* cados vini *supra novem* omnino deficere, deterrimamque esse tritici qualitatem. Cuncta nihilominus custodiæ causa recepit Spechius, qui venditionem curare debebat ex pacto societatis, Vendidit revera vinum: vendidit etiam, habita fide de pretio, frumentum Joanni Baptistæ Beltrami, qui tamen antequam dies solutionis veni et creditoribus suis decoxit, distraxit denique vinum distillatum. Sed ut primum de expungendis rationibus actum est, lis statim inter socios exarsit, qua ad Urbanos Commercii Triumviros deducta, commissum primo fuit alteri ex Judicibus ut rationes a sociis exciperet, deque eis deinde referret. Cum non placuisset inita relatio, ex qua Spechius scutorum circiter *octingentorum* debitor evaserat, examinis prelo obnoxii facti fuerunt testes utrinque adducti. Hinc examine testium absoluto, ipsi Judices apposita sententia Spechium absolvendum a propositis petitionibus duxerunt. Cum vero provocationis ope, controversia conscenderit ad Sacrum Nostrum Ordinem, rescripto quod sequitur, omnis dirempta contentio fuit, scilicet = *esse locum solutioni et ad mentem et extendatur decisio.*

Non inutile erit ab initio cognoscere 1
nullam a partibus quæstionem excitari, nec quoad repertum vini defectum, nec quoad pravam vini qualitatem, nec quoad expensas pro mercibus coemendis, atque Romæ recipiendis, servandis, vendendisque initas, nec quoad quantitatem pretii ex venditione earumdem mercium eliciti, nec demum quoad summas a Spechio, qui socialem retinebat arcam, nomine et jussu Bartholomæi Pergami solutas. His præmissis, quæ veluti fundamentum sunt hujusce definitionis, *quinque* erant controversiæ capita quæ proponebantur dirimenda et

quorum *primum* respicit vini detrimentum, *alterum* venditionem frumenti; *tertium* autem nolum navarcho solutum, etiam pro ea vini quantitate quæ defecit; *quartum* item jacturam in venditione aquæ ardentis factam, *quintum* denique mercedem institori, sive mercium quousque in oneraria navi manserunt, custodi, numeratam. Horum omnium nomine creditorem sese Pergamus exigebat egregiæ summæ argenteorum nummorum *septingentorum viginti octo ac obolorum sexaginta quinque*. Sed Patres, sedulo rem expendentes, probe viderunt, neque vini decrementum, neque frumenti pretium damno Spechii adscribi posse. Nam, ut primo de vini decremento sermo sit, quamvis oneraria scheda cui navarchus subscripsit cadorum 1248 quantitatem exhibeat, et quamvis etiam apochæ onerariæ, tam ex expressa sanctione commercialium nostrarum Legum Art. 273, quam etiam ex auctoritate Doctorum, quos inter *Casareg. de Commerc. Disc.* 4. *num.* 111 *et azzun. Jurisprud. Mercat. Artic. Polizza di Carico*, authenticum præseferant documentum qualitatis et quantitatis mercium in iis descriptarum, id tamen valet quoties oneraria apocha nullam contineat reservationem, prout ea continet, de qua agitur, et cui additionem fecit navarchus in hæc verba = *Affermo per il numero de' colli, e dice essere per la qualità e quantità* =, quæ sane clausula palam ostendit seso quidem obligasse navarchum quoad numerum sarcinarum, non vero quoad mercium qualitatem et quantitatem.

2 Porro notissimum est inter mercatores et in jure Commerciali, formulam illam = *dice essere* =, quam navarchus adhibuit, simplicem exhibere confessionem illius, qui merces tradit, et a quavis obligatione recipientem seu navarchum ipsum eximere; veluti explicant *Casareg. de Commerc. Dis.* 10 *num.* 55, *Azzun. qurisprud. Mercat.*, *Cit. Artic. Polizza di Carico, et Sacer Ordo in Anconitana Assecurationum* 12 *Februarii* 1776 § 7 *coram Ratto*. Jam vero ex testimonio eorum qui vectigalibus præsunt, quique publicam merentur fidem, probe constat, inita vini mensura, quantitatem longe minorem inventam fuisse vinique defectum evehi ad cados usque *centum octuagintanovem*. Non est itaque de defectu vini ambigendum; et defectus ipse culpæ damnoque vertendus est Bartholomæi Pergami, qui simplicem nullique conditioni alligatam exigere a navarcho apocham onerariam debebat. Sibi ergo debet Pergamus imputare, si, ad portum majorum navalium Urbis cymba perventa, non ea reperta est vini quantitas, quam oneraria apocha exhibebat. Discrimen vero istud cum non leve sit, errori tribuendum non est, in quem forte irrepserint publicani, dum ad exigendum vectigal metiti vinum fuerunt: tum quia nunquam error præsumitur, ac minus etiam in eo, qui publico munere fungitur; tum quia revera vini quantitas ea tantummodo esse poterat, quæ Romæ inventa fuit. Cum enim Ariminenses Publicani dolia diligentissime numeraverint descripserint signisque consignaverint, atque hæc dolia Romam pervenerint integris signis, iisdemque statu et numero, facile patet illam tantummodo vini quantitatem Arimini in navim impositam fuisse, quæ postea Romae inventa est. Idque praecipue retinendum, quia Pergamus ipse discrimen agnovit, dum de solvendo naulo inter socios actum fuit, nec tamen ullam querelam excitavit, aut errorem caussatus est publicanorum. Non decet igitur contra tacitam confessionem insurgere, sed damnum imo en vini defectu extortum, et uni culpae adscribendum Bartholomaei Pergami, qui cavere debebat ne apocha oneraria ambiguitatem ullam contineret, ab eo ferendum unice est.

Damnum autem aliud, quod ex venditione frumenti socii pertulerunt inter eos ex æquo dividendum est, nec in unum Specchium vertendum, quasi is auctor fuerit, quod pretium ejusdem frumenti fuerit amissum. Ambigi quidem nequit quin is triticum distraxerit, habita fide de pretio, pastillorum venditori Joanni Baptistæ Beltrami, qui postea decoxit. Sed deterrimæ conditionis erat frumentum, ita ut non 3

adeo facile inveniri potuisset, qui illud emere voluisset. Necessario igitur aliquid de proprio jure remittendum erat, ne invenditum triticum maneret cum evidenti sociorum detrimento. Quo autem tempore Beltramio divenditum fuit, bona is pollebat existimatione apud omnes, nec facili prospici poterat futurum ut inde creditoribus decoqueret suis. Demum omnem conficit quæstionem, tum pactum inter socios expressis verbis conventum, ut Spechius res sociales in Urbe reciperet ac venderet, tum et fortius factum Bartholemæi Pergami, qui punctim videns deterrimam frumenti qualitatem, facultates omnes socio suo tribuit verbis absolutis agendi quidquid sibi magis libuisset quoad frumenti venditionem. Quapropter incivile est amissum frumenti pretium nunc socio exprobrare, in cujus fide, sagacitate, prudentia Pergamus omnino quiescebat. Quemadmodum igitur æquum erat ut divideretur inter socios lucrum quodcumque, quod negociatio frumenti, rebus prosperis, secumtulisset; ita dividi debet damnum, quod nulla quidem sociorum culpa, sed ex inopinato infortunio a venditione frumenti obvenit.

4 Non ita vero de cæteris censendum erat, et præcipue de *scutis septuaginta quinque*, quæ navarcho pre ipsa deficiente vini quantitate soluta ex ea ratione fuerunt, quod oneraria apocha cui navarchus innitebatur, majorem vini quantitatem exhibebat, quam quæ rovera reperta fuit. Ægre ferebat Speckius, præter justum naulum pro vera vini quantitate reperta, et præmium illud quod maritimi negociatores vocant = *Coppa* = seu = *Primaggio* =, de qua videndus laudatus *Azzun. Verb. Coppa* § 1 solutam quoque fuisse summam scutorum *septuaginta quinque* pro quantitate deficiente, ideoque detrectabat hujusce summæ dimidium repræsentare. At quidquid juris fuerit, re adhuc integra, postquam tamen, utroque plaudente Socio, integrum naulum navarchus accepit, nulla ratio subest cur dividenda inter socios non sit ejus impensa, Ab iis enim testibus a Speckio adductis eruebatur, assensum suum eum præstitisse ut integrum naulum navarcho solveretur. Quod igitur, assensu adhuc non præstito, voluntatis erat, ex qua jure obsistere Speckins potuisset, quominus naulum pro deficiente vini quantitate navarcho rependeretur, aut de eo ratio in socialibus computis haberetur, necessitatis evasit post præstitum assensum, et naulum integre solutum, adeout dubitatio nulla oriri valeat quin totius nauli impensa ex æquo ferenda a sociis sit.

Æque demum dividenda est inter socios, tum jactura ex negociatione spiritus vini perpessa, tum impensa alia pro mercede navis instituti soluta. Utcumque enim negociatio socialis ad vinum, et frumentum cohiberetur, ratam tamen habuit Speckius spiritus vini ammissionem, quippe qui illum rendidit, de pretio rationem habuit in socialibus rationibus, et compensationem aliquam per interpositam personam a Pergamo petiit, ut constat in epistola quadam tempore non sospecto conscripta. Si voluisset Speckius negociationem istam repudiare, debebat ab initio protestari, nec aleam ludere, ut socialem diceret negociationem, si datum luisset ex ea lucrum eruere; damno autem obvento, contenderet negociationem non fuisse socialem. Cum igitur damnum fuerit in scutis 23 54, aequum enim ardens valuit sc. 83, et obol. 54 nempe scut. 66 60 pro emptionis prætio, et scut. 16 94 pro vectigali, et expensis, vendita autem fuit pretio scutorum *quinquaginta quinque*; hinc hujusce damni dimidia pars in scutis 14 27 ad Speckium tamquam Socium pertinet. Idem quoque dicendum de mercede institutori soluta, quem vulga dicunt = *Sopraccarico* = Nihil quidem de mercium custode cautum fuerat in apocha sociali; sed hæc expensa institoris, quo sæpe utuntur mercatores ut indemnitati suæ prospiciant, communem respexit utilitatem, et ipsi quoque Speckio, ut deponebant testes, arrisit post conscriptam apocham, nam ei assentitus fuit, et scutata *decem* navarchio restituit, quot hic custodi de

suo persolverat. Non poterat igitur Speckius hanc impensam amplius recusare. Quocirca, deductis vini et frumenti *partitis*, quæ summam conficiunt scutorum *sexcentum viginti duos et obulorum decem*, quæque pro uni Pergamo adscribendæ sunt, reliquæ tres, quæ summam attingunt scutorum 81, et obol. 77 medietatem exhibent a Speckio ferendam juxta mentem Sacri Tribunalis. quae in eo versatur, ut vini, ac frumenti jactura uni cedat Pergamo, reliquæ vero impensæ ex æquo inter Socios dividantur. Initis proinde calculis facile patebit, debitorum supercsse Speckium in scutis 81 77, quam punctim summam conflant tres partitæ, altera scutorum 37 et obol. 50 dimidium nauli deficientis vini, altera scutor. 14 27 dimidia pars jacturæ in negociatione aquæ ardentis factæ, tertia tandem scutorum *triginta* pro Institoris mercede.

Et ita utraque etc.

TYPHERNEN PRIMOGENITURAE

SUPER PROGRESSIVITATE

Lunae 1. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

In causis de successionibus ab intestato ad primogeniturem, attendendae sunt tabulae testamentariae, et argumenta quae ex illis scatent. Non est reiicienda successio cognatorum, si testator illos vocavit in subsidium: Filiorum etinque appellatione plerumque, et nepotes continentur.

SUMMARIUM

1. *In successione fideicommissaria attendenda sunt verba institutionis.*
2. *Ex Theorica Socini in* L. *solemus* 9. *de* cond. *recepta est regula - Conditio non existentia liberorum ex primis institutis, nisi evidenter cohibita comperiatur ad diem quo heres gravatus decesserit, ad casum quoque eorum defectus porrigitur.*
3. *Non sunt excludendae feminae, earumque descendentes, a primogenitura si ex institutione satis clare earum vocatio apparent.*
4. *Juridica libertatis bonorum praesumptio vilescit, quando ex tabulis testamentariis et ex argumentis multis liquet testator primogenituram voluisse et ad eam tam agnatos, quam cognatos in subsidium saltem invitasse.*
5. *Lex quae statuit - sub nomine filiorum nepotes non intelligi - habet locum si non constet de voluntate expressa testatoris, secus dicendum, si constet.*
6. *Quando testator in institutione filios et descendentes, uti synonima vocabula habuit, non est amplius haerendum, quin nepotes sub filiorum nomine contineantur.*
7. *Non officit ad primogeniturae vocationem, quod testator filiabus primi gradus constituta dote prospexerit, aliud est enim dotis legatum aliud fideicommissi compendium.*
8. *Non obstat factum paternum filiis qui non tamquam heredes, sed jure proprio postulant immitti ad bona fideicommissi.*

DECISIO CCCLXVI.

Florebat secolo decimo quinto Typherni apud Umbros, quod Tiberinum dicunt, nobilissima gens de Vitelliis, ex quorum genere fuit Nicolaus senior; qui vixit usque ad annum 1486, et ob rerum gestarum celebritatem *Pater patriæ* vocabatur. Plures ei fuerunt liberi, quos inter Paulus primo natus, a quo ortum duxere Nicolaus junior et Alexander senior. Hic postremus, uxore ducta Angela Rossi, multæ sobolis auctor fuit, ex qua mentionem præcipue merentur Julius Romanæ Curiæ Præsul, et Præses Clericorum Apostolicæ Cameræ, et Vitellotius in Sacrum Cardinalium Collegium adscitus. Ex Julio Præsule geniti sunt Alexander junior, et Clemens senior, qui, cum naturales, non legitimi essent Julii filii, natalium labem facile repararunt per Rescriptum S. M. Clementis VIII. At Præsul Julius testamento suo, quo hæredem sibi fecerat Magnum Hetruriæ Ducem Ferdinandum ex celeberrima Familia de Medicis, occasionem præbuit acerrimæ liti inter ipsum Magnum Ducem, et Pontificium Fiscum, qui plurium bonorum nactus fuerat possessionem. Sed omnis denique disputatio dirempta fuit donatione magnanima, qua uterque competitor in filios

contulit patris hæreditatem. In Clemente autem seniore locuples majorum substantia coaluit, quam locupletiorem efficit acquisitionibus suis, tam in Pontificia Ditione, quam in finitima Hetruria initis. Cum prope ipse esset, ut ad arma proficisceretur in Belgicum, anno 1601 ad exitum Martii de supremis tabulis exarandis cogitavit, ex quibus in asse universo perpetuam primogenituram instituit, ad cujus compendium, si sine filiis moreretur, invitavit primo Julium ex fratre nepotem, et filios primogenitos a Julio descendentes in infinitum, interdicta prorsus qualibet alienatione, ac detractione *Legitimae*, vel *Trebellianicæ*, ut bona jugiter in familia manerent.

Julio sine filiis masculis decendente, aut his aliquando deficientibus, voluit Clemens senior, ut iisdem legibus, et conditionibus fideicommisso fruerentur, tam Alexander, alter ex fratre nepos, et hujus nominis tertius, quam ejus posteri masculi, pariter in infinitum. Si vero agnatio masculorum utriusque nepotis exaresceret, tunc eis substituit filias fæminas Julii, et deinceps filias fæminas Alexandri III. cum eodem ordine, iisdemque legibus, quas successioni masculorum adjecerat, et conditione præterea præscripta, ut fæmina primogenita illustri nuberet adolescenti, vel de ipsa familia de Vitelliis, vel de alia quavis, prout magis, aut Magno Hetruriæ Duci, aut Summo Pontifici pro tempore dominantibus, placuisset. Non tamen immemor agnationis, cujus servandæ studio adeo flagrabat, extranei viris, qui cum fæminis agnatis familiæ de Vitelliis matrimonio conjungerentur, onus sub caduci pæna imposuit ejusdem familiæ insignia, et nomen assumendi. Profectus est postea Clemens senior in Frisiam, ubi bellum fervebat Hollandos inter et Hispanos, ibique in pugna, quam pugnabat, ignivomi tormenti jactu perculsus, tandem immaturo fato præreptus occubuit Trajecti ad Mosam in Brabantia. Quocirca factus est locus primogenitali successioni, ad quam testator vocaverat nepotes ex fratre. Prole caruit Alexander III. Fuit attamen Julio, a quo in Petro Francisco in Clementem, hujus nominis secundum transiit primogenitura. Erant Clementi II. fratres duo natu minores, Alexander IV atque Camillus, qui prole omnino destituti, per publicas tabulas, anno 1697 ad exitum Octobris celebratas, donationis ergo in fratrem primogenitum contulerunt bessem bonorum, quæ habebant, addita lege, ut donatio ipsa, *similitudinarium* præseferens fideicommissum, iis omnibus afficeretur vinculis, et conditionibus, quibus primogenituram suam Clemens senior mancipaverat.

Hoc modo ex donationis additamento ditior evasit primogenitura, quam post obitum Clementis II., seu medii possedit Nicolaus III., eoque elato, Clemens III., postremus ex agnatione, ac masculina Linea familiæ de Vitellis, in quo perstitit primogenitura ipsa usque ad annum 1790. Hoc tempore ipse rem liberatam factam ex eo fuisse ratus, quod filios non haberet, utcumque duxisset uxorem, obsignavit testamentum, ex quo usumfructum hæreditatis uxori Constantiæ ex nobili Familia Gengbis reliquit cum onere suppeditandi mensam, annuamque in pecunia numerata præstationem Jsabellæ sororis suæ filio Commendatario Aloysio ex conspicua gente de Rondinellius Hetrusca, proprietatem vero bonorum in eumdem contulit nepotem cum fideicommissi vinculo, et legibus propemodum ipsis a Clemente seniore de Vitelliis injunctis, si hoc unum excipias, quod, post peremptam prorsus lineam masculorum, et feminarum gentis Rondinelliæ, jussit deferre fideicommissum ad vetustissimam familiam de Cursiis Florentinam, in Constantia familiam aliam ex facultate facta nominasset. Bona omnia post viri sui mortem occupavit Constantia, eaque diu ususfructus nomine retinuit; donec anno 1805 in fata concessit, conditio antea suæ voluntatis elogio, ubi hæredem renunciavit sororis filium, Comitem Octavium Barbolani de Montauto, cujus familiam adeo prædile-

xisset visa est, ut eam prætulerit Marchionibus de Cursiis, si casus eveniret, ut Rondinelliæ gentis prosapia deficeret. Vix obiit Constantia, hæredes ejus Octavius plura excitavit credita adversus Rondinellium, tum ob es alienum, quod Clemens ultimus de Vitelliis super bonis fideicommissariis contraxit, et Constantiae dimisit, tum etiam ob sumptus ab eadem Constantia impensos, ut ædificia fideicommisso subjecta reficeret, quæ ex horribili motu terræ, qui anno 1789 Tiphernum afflixit, solo pene fuerant æquata. Reclamabat e contra Rondinellius æstimationem mensæ, et annuas prestationes a Constantia semper, dum vixit, omissas, et alia quoque credita proferebat.

De his omnibus, et aliis id genus, anno 1812 compromissum est, duobus selectis Florentiæ jurisconsultis, Cajetano Sodi, et Laurentio Cantini, qui creditorem judicarunt Barboranium in nummis argenteis decem, et septem millibus, ad quos solvendos inter alia bona ex amica transactione cessit etiam Rondinellius prædia quedam fideicommissaria Clementis senioris de Vitelliis. E vivis hinc excessit anno 1815 Commendatarius Aloysius, binis relictis filiis Joanne Baptista, atque Andrea, et nova de bonis omnibus instituta primogenitura, de qua nil attinet dicere. At Joannes Baptista, cum novisset veteres majorum de Vitelliis dispositiones, simulque opinaretur, hujusmodi fuisse Clementis senioris primogenituram, ut post exhaustam agnatorum lineam progredi ad cognatos quoque deberet, solemni primum ritu declaravit sese nomen, et stemma gentilitium familiæ de Vitellis assumere velle; vadimonium deinde dixit Comitissæ Isabellæ Tommasi, qua matri, ac tutrici Joannis Burbolanii, defuncti interea temporis Octavii filii, coram Perusino Prætore, ut definiretur sese vocatum, uti Aloysii filium esse ad primogenituram Clementis senioris de Vitelliis. Annuit actoris votis Prætor Perusinus: sed ex Principali Rescripto S. M. Leonis XII. delata omnium controversiarum cognitione ad Sacrum Ordinem, plures pro ratione quæstionum constitutæ rogationes fuerunt, de quibus seorsim agendum est. Hic vero, eum potissimum disquiratur, utrum primogenitura Clementis senioris, eique adjecta donatio Alexandri IV. et Camilli progrediatur ad cognatos, ex agnatis feminis descendentes: dubii formulam exhibui ita conceptam = *An constet de progressivitate primogenituræ Clementis senioris, Alexandri, et Camilli Vitelli favore Aloysii Rondinellii, ejusque familiæ, in casu etc.* = et responsum retuli = Affirmative =.

1 Quisque legerit Clementis senioris tabulas, quibus hæredem sibi nominavit = *Giulio Vitelli mio nepote, proibendogli ogni, e qualunque alienazione, detrazione di Legitima, e Trebellianica, perchè voglio, che detti miei beni perpetuamente si conservino nell' infrascitta Casa, e famiglia di Vitelli, e morendo detto Signor Giulio con figli maschi, voglio che succeda alla mia eredità il primogenito, e vada sempre dal primogenito discendente dal Sig. Giulio* = ac Julio sine filius decedenti substituit nepotem alium = *Alessandro Vitelli colle stesse condizioni di non potere alienare, e che morendo con figliuoli maschi legittimi, e naturali succeda il primogenito del primogenito* = vocavitque demum in subsidium fœminas, et filios ab eis descendentes cum iisdem legibus, eodemque onere nomen, et insignia familiæ suæ gestandi, ita ut = *morendo detta primogenita senza lasciare figliuoli maschi, o femmine, allora instituisco, e sostituisco l' altra figliuola secondogenita, e così in finito coll'ordine soprascritto* =, is quidem in dubium revocare non poterit, quin ea fuerit Clementis senioris voluntas, ut in descendentibus primogenitis prius ex masculina, subinde ex fœminea linea Julii, et Alexandri suorum nepotum semper, et quandocumque primogenitura a se instituta perseveraret. Certius hoc legenti Clementis senioris tabulas suasum esse debet, quia expressis verbis declaravit = *che se per alcun tempo detta mia eredità verrà alle femmine come sopra instituito, o sostituite respettivamente detta mia eredità, dopo la morte della primo-*

genita, vada nel suo primogenito maschio, e sostituiti col medesimo ordine anco nella primogenitura, e succeda successivamente da primogenito in primogenito, come sopra in infinito.

2 Quod itaque, defectis agnatis masculis, primogenituræ transire debeat ex litera expressa testamenti ad cognatos ex fæminis agnatis descendentes, adeo est compertum, ut ipsam propemodum superet evidentiam. At Barbolanius, ut ut verbo tenus simularet, sese invitum quodammodo ad hanc trahi quæstionem, nihilque ejus interesse, utrum perempta in Clamente ultimo primogenitura mansisset, vel progrederetur, eo defuncto, ad cognatos, adeo tamen de libertate bonorum sollicitus erat, ut expirasse primogenituram contenderet in ipso Clemente, qui fuit ultimus hujusce nominis et familiæ de Vitelliis agnatus. Qua de ra duo proponebat: primum scilicet, fæminarum vocationem desiisse ob existentiam filiorum masculorum ex Julio primo instituto, eamque in rem in præjudicium afferebat *vigesimum primum Consilium Oldradi* a Doctoribus passim receptum, ex quo traditum extat, filios in conditione positis, non censeri dispositive vocatos; deinde etiam propugnabat, sub nomine filiorum, non posse nepotes intelligi. Utrumque tamen objectum, quamvis diversum, iisdem refellitur argumentis. Ab *Oldradi* enim *Consilio* facile recedi solet, si tria adsint requisita, quæ in agnationis voto, alienationum interdicto, digressu demum ad plures substitutionum gradus versantur. Hisce extremis probatis, contra regulam Oltradi alia pugnat regula æqua in foro recepta, et daducta ex *Theorica Soccini in leg. solemus* 9. *ff. de condit.* juxta quam conditio non existentiæ liberorum ex primis institutis, nisi evidanter cohibita comperiatur ad diem, quod hæredes gravatus dacesserit ad casum quoqua eorum dafectus porrigitur. Nimirum substitutio non modo vulgaris est, sed etiam fideicommissaria, ita ut substitutioni ultariori locus sit juxta Soccinum tum quoque, cum liberi ex instituto superfuerint, et deinde defecerint. *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 89, *N.* 6., *Polit. eod. tract. quæst.* 18. *N.* 8. *Bonfin. de jur. fideicom. disp.* 45. *N.* 1., *Rot. post constantin. ad statut. Urb. decis.* 203. *N.* 8, *decis.* 822. *N.* 3. *cor. Olivatio*, *in Romana fideicommissi de Maximis quoad bona Petri Senioris* 24. *Martii* 1806. §. 6. *cor. Guardoqui*; *et in Verulana Primogenituræ Sebastiani de Comitibus super II. Dub.* 6. *Maii* 1822. §. 6. *cor. Emo Marco.*

Cuncta haec requisita, quæ Soccino potius quam Oldrado favendum evincunt, mirum concurrunt in modum in elogio Clementis senioris. Impensissimum quippe votum agnationis ostendit testator, nedum in masculis agnatis, et in agnatione naturali, sed etiam in artificiali per faeminas, earumque descendentes instauranda. Agnatiunis rursus sesvandae cupidum se praebult Clemans senior, semelac voluit, ut feminae agnatae nnberent alieni ex familia de Viteliis alterius stipitis, mandavitque praeterea ut descendentes a feminis agnatis nomen, et insignia gentis Vitelliae gestarent. Quod imo magis est, caduci paenam ei interminavit auctor primogeniturae, qui segnem se, et desidem in nomine, et insignibus assumendis praebuisset. Adeo vere lata patet extremum aliud prohibitionis alienationum, ut non modo distrahi bona primogeniturae addicta, sed etiam expungere quidquam sive Legitimae sive Trebellianaa caussa vetulerit testator. Demum ita digressus fuit Clemens senior ad plures gradus substitutionum, ut Julio, ejusque filiis, et descendentibus masculis Alexandrum eum filiis pariter, et descendentibus masculis substituerit; utrique autem faeminas agnatas, earumqua descendentes, eodem ordine suffecerit in parpetuum. Plus ergo voluit, quam dixerit testator, mentemque suam in testamento satis explicavit, ut in subsidium, agnatisque masculis desideratis femioae, earumqua descendentes ad amolumentum primogeniturae vocarentur. 3

Nec satisfacere poterant ea, quæ respondebantur, tria ista requisita co- 4

hiberi tantum intra limites vocationis Julii, et Alexandri, eorumque descendentium masculorum. Passim enim legebantur in testamento clausulae illæ = *in caso, che non vi fossero figliuoli moschi* =, ac præterea = *in infinito per alcun tempo* = *collo stesso ordine* =, quæ votum agnationis, alienationum interdictum, ad plures gradus substitutionum digressum, non coercent in primis institutis, sed ampliant etiam ad ulteriores vocatos; ideoque *ab Oltradi* regula recedendum omnino suadent, etiamsi non de ascendentis, sed collateretis fideicommisso quæratur. *Rot. in Rec. decis.* 35 *num.* 12 *part.* 1 *coram Ottobono decis.* 113 *num.* 14 *coram Molines decis.* 704 *num.* 22 *coram Falconer. decis.* 28 num. 8 *tit. de fideicom.*, *coram Rezzonico decis.* 305 *num.* 3 *et in Placentina Immissionis* 26 *Novembris* 1756 § 10 *coram Frongipane*. Quod si Clemens senior, ut certe constat ex tabulis, Julio et Alexandro absque prole masculina decedentibus onus imposuit restituendae primogeniturae fæminis agnatis, utcumque eos nosceret, nuncuparet, et prædilgero uti proximiores; multo magis eodem onere gravare fæminas erga posteros, et remotiores voluisse dicendum est. Juridica vero præsumptio libertatis bonorum, quam maximopere Barbolanius efferebat, si quo unquam in loco vires exerit suas, vilescit certo in testamento Clementis Senioris, ubi tot argumentis liquet, perpetuam primogenituram eum instituisse, ad eamque, tam agnatos, quam cognatos in subsidium saltem invitasse.

5 Infirmum quoque erat, quod contendebat secundo loco Barbolanius, sub filiorum nomine nepotes minime contineri. Etiamsi namque in stricto grammaticorum sensu sub nomine filiorum nepotes non intelligantur; aliter nihilominus sentiendum est, si juxta interpretationem ex testamenti tabulis apparent, Testatorem adhibuisse filiorum vocabulum, ut filios æque, ac nepotes promiscue significaret. Discrimen imo ipsum, quod intercedit inter gramaticorum sensum, et expressam testatoris voluntatem, quæ una dominatur, ac quandoque exigit inflecti verba, et dictiones, ut voluntati testatoris inserviant; hac punctim efficit, ut concilientur quaedam leges, et responsa jurisconsultorum, quæ invicem pugnare videntur: adeout tunc retinenda sit significatio propria grammatices, si non constet de voluntate expressa testatoris vocabulum liliorum ad nepotes ampliantis; recedendum vero sit a sensu grammatices, si palam sit nepotes quoque ad successiunem una cum filiis esse vocatos. Consulenda hic erit Decisio *in Sabinen. Immissionis* 3 *Junii* 1822 § 4 *coram me*, ubi fusius hac de re disseritur. At nil magis confert ad demonstrandum, sub nomine filiorum nepotes quoque comprehendere testatorem voluisse, quam ea, quæ superius adducta sunt, et expensa, requisita ad removendam *Oldrodi* doctrinam, votum scilicet agnationis, alienationum prohibitio, digressus demum ad plures gradus substitutionum. Idque præcipue quia his adstipulantur clausulae a testatore adhibitæ ad perenne reddendum fideicommissum, quae, cum in subjecta specie sibi in quodcumque etiam remotissimum tempus collatæ, tum magis evincunt sub nomine filiorum justa interpretatione contineri nepotes. *Bonfin. de jure fideicom. tit.* 1 *discept.* 41 *num.* 23 *Card. de Luc. de fideicom. disc.* 71 *num.* 8 *Rot. in Rec. decis.* 393 *num.* 8 *part.* 15 *coram Merlino decis.* 206 *num.* 8 *coram Riminaldo decis.* 340 *num.* 9 *in Tolentina Fideicommissi* 4 *Junii* 1819 § 6 *coram Emo Bussio, et in Auximana Fideicommissi* 22 *Aprilis* 1822 § 3 *cor. bo. me: Martinez.*

Suffragatur autem huic regulae optima ratio, hujusmodi ea est, quod inutile erat projicere clausulas in tempus quodcumque remotissimum collatas, si testator de solis filiis cogitasset. Quando igitur clausulae istae, et dictiones utramqno implent testamenti paginam, et tertio quoque verbo repetitæ fuerunt, idem esset, ac voluntate sna frustare disponentem, si vocabulum filiorum porrigendum ad nepotes non fu- 6

ret. Hic vero, nedum justa interpretatione vocabulum filiorum ad nepotes ampliandum est, sed quia prætcrea nepotes nominatim testator ad primogenituræ compendium accessivit. Juben siquidem, ut fœminæ agnatæ nubere tenerentur alicui de gente Vitellia alterius stipitis, nominavit expressim = *la detta primogenita discendente dal detto Signor Giulio* =, quibus verbis nepotes certo certius intellexit. Nisi enim filiorum nomen latius pateret, et ad nepotes quoque descenderet, inepte usus testator fuisset vocabulo = *discendente* =, ut Julii filiam exprimeret. Si ergo filios, et descendentes habuit Clemens senior uti synonima vocabula, non est amplius hærendum, quin nepotes sub filiorum nomine contineantur, cum vocabulum = *discendenti* = seros quoque nepotes vi sua compiectatur.

7 Potissimum quia Feminam post masculos successuram jussit testator = *che si debba maritare ad uno di Casa Vitellio ed altri Nobili, che più piacerà al Serenissimo Duca di Toscana, o al Sommo Papa che pro tempore saranno* = Ut enim impossibile erat sorores primi Instituti nubere posse in tempus remotissimum, juxta votum testatoris, ex auctoritate Magni Ducis vel Pontificis Maximi, = *che pro tempore saranno* = ; ita necessarium dicendum est non tantum filias immediatas, sed nepotes etiam, proneptes, et abneptes quasque tardissimas fuisse a testatore contemplatas. Nec officit, quod ipse testator filiabus dumtaxat primi gradus constituta dote prospexerit. Aliud enim est dotis legatum, aliud fideicommissi compendium: ac ex eo, quod unis tantum filiabus prioris gradus dos fuerit assignata, perperam arguitur ad eas solum coercitam fuisse primogenituram, quae imo ex demonstratis ad fœminarum quoque filios porrigitur.

8 Quod autem judicium fertur de primogenitura Clamentis Senioris; idem ferendum est de additamento Alexandri IV atque Camilli. Ipsi enim donationam exararunt erga germanum fratrem Clamentem medium, et subjectam eam voluerunt vinculis illis omnibus fideicommissi, quibus substantiam suam subjecerat Clemens Senior. Non tam igitur fideicommissum *similitudinariam* instituisse, quam bona sua aggregasse primogenituræ ejusdem Clementis senioris existimandi sunt, veluti colligi potest ex iis, quae de fideicommisso similitudinario, aggregato, veteres disputationes Decii, et Soccini junioris referens, tradit *Bonfin. de jur. fideicom. tit.* 1 *disput.* 36 *n.* 39 *et seq.* Actori denique non nocet Commendatarii Aloysii silentium, qui nunquam bona fideicommissaria vindicavit. Filiis enim, qui non tamquam hæredes, sed jura proprio postnlant immitti ad bona fideicommissi, non obstare paternum factum juris est non ambigui. *Leg. si duobus* § *sed quia Cod. commun. de legat. Fusar. de substit. quaest.* 532 *num.* 24 *Constantin. vol. decis.* 82 *num.* 53 *Rot. in Rec. decis.* 475 *num.* 13 *part.* 19 *coram Falconerio tit. de donat. decis.* 1 *n.* 1 *et decis.* 210 *n.* 13 *cor. Rezzonico.*

Si constat itaque porrigi utrumque fideicommissum ad cognatos descendentes ex fœminis agnatis familiæ de Vitelliis, denegari ad ea nequit immissio Joanni Baptistæ Rondinellio, qui ex genare est cognatorum familiæ Vitelliæ et inter suos primogenitus.

Atque ita decisum est, una cum meo suffragio ab Ordina univarso, utraque etc.

TYPERNEN PRIMOGENITURAE

SUPER FRUCTIBUS

Veneris 12. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Quantum heredi fideicommissario nefas est, bona fideicommisso supposita distrahere, legemque dicere diversam ab ea, quam dixit auctor fideicommissi; tantum eidem licet, ut libet, de fructibus fideicommissariis disponere, cedere, donare, usque ad vitae suae exitum.

SUMMARIUM

1. Heredi fideicommissario licet tantum de fructibus fideicommissi sasi disponere.

Transactio super fructibus fideicommissi servarii debet - ibid. -

2. Qualitatis hereditariae-ratio ut nocet petenti rescissionem transactionis, ita obest urgenti fructuum restitutionem.

Haeredes h redum non secus judicandi sunt ac primus heres judicaretur - ibid. -

3. Factum heredis usufructuarii ac silentium proprietarii voluntatem testatoris saepius aperire queunt.

Heredi agenti non sufficit inventarium praeferre, sed oportet simul, ut rationum redditionem de rebus hereditariis exhibeat - ibid. -

4. Lex Unum ex familia *§. 8 ampliari potest ad usumfructum universalem*

Petenti fructum restitutionem qualitas hereditaria obstare potest - ibidem. -

5 Bona fides mulierem excusat.

6. Si quis ex usufructu primogeniturae locupletior haud evaserit, frustra ejus heredes vexantur pro fructuum restitutione.

DECISIO CCCLXVII.

Contendens Joannes Baptista Rondilius Primogenituram a Clemento seniore do Vitellis institutam, post obitum Clementis ultimi transire debuisse in parentem suum Commendatarium Aloysium Rondinollium, atque ægre ferens Clementem ultimum de re fideicommissaria disposuisse uti libera, et sua, commixtisque bonis liberis cum illis primogeniturae subjectis usumfructum Uxori, proprietatem vero eidem Commendatario Aloysio, et Sorore nepoti, reliquisse, inter alias idcirco controversias eam quoque excitavit, de fructibus primogeniture a Constantia Genghia, Uxore prædicti Clementis Ultimi jujuriæ perceptis. In hoc judicio Andreas etiam Rondinellius in vim paterni elogii, quo ei legatum adjecto vinculo primogeniali, *quanto nello Stato Pontificio gli fosse pervenuto per causa di diritti e ragioni contro terze persone*, intervenit. Hujusmodi contentio una cæteris commissa fuit Sacro Tribunali ab omnibus Dominis pariter dirimenda. Ut definiretur itaque jure nc, an jnjuria Constantia suos fecerit fructus primogeniturae per annos quindecim, rogatione constituta, quæsitum hodie est = *An quomodo, et a quo tempore sint restituendi fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* datumque responsum = *negative in omnibus.*

1 Quantum profecto hæredi fideicommissario nefas est, bona fideicommisso supposita distrahero, legemque dicere ab ea diversam, quam dixit auctor fideicommissi; tantum eidem licet ut libet, de fructibus fideicommissariis disponere, eosque vendere, cedere, donare, usque ad vitæ suæ exitum. At si Commendatario Aloysio, ad quem post Clementis ultimi funus pertinuissent primogeniture fructus, placuit, inita cum Constantiæ hærede concordia, onus remittere restituendorum fructuum vel compensare cum suis debitis erga ipsius Constantiæ hæreditatem; nemo non intelligit hanc transactionem omnino esse servandam, nec amplius jus ad fructus primogeniturae condicendos petere. Eoque magis religiose custodienda ipsa transactio est quia contrahentes in ea promiserunt, sese numquam illius validitatem in discrimen fore revocaturos; insuperque cuilibet juri valedixerunt, quod experiri adversus ipsam transactionem potuissent = *facendosi ad ogni buon fine* (sunt verba transactionis) *e legale effetto conforme l'uno all' altro scambievolmente si fanno donazione inter vivos di tutto quello che l' uno aresse lucrato più dell'altro indebitamente* = susceptaque præterea per Rondinellium obligatione = *che in qualunque caso di evizione, o molestia di tutti, o parte dei fondi, come sopra ceduti, e dati in pagamento il detto Signor Nitario da Barbolani di Montalto debba intendersi che abbia pieno diritto per conseguire la sua rivelazione da qualunque altro fondo del patrimonio Vitelli* = Non temere igitur sed prudentissime ipsi Joannis Baptistæ Rondinelli defensores fatebantur repetitioni fructum maxime transactionem obstare.

2 Quæ cum ita se habeant, multa, quæ allata sunt ad substinendam transactionem faciunt etiam od rejiciendam fructuum actionem. Atque in primis recurrit qualitatis hæreditariæ ra-

tio, quæ ut nocet petenti rescissionem transactionis, ita obest urgenti fructuum restitutionem. *Leg. Unum ex familia* 67 § *Si rem ff de legat etc.* 2 *Cujac. Op. jur. civ. tom.* 4 *pag.* 538 *Lat. D. edit. Neap. Donell. Comment. de jur. civ. Lib.* 8 *cap.* 11 *num.* 41 *Vinn. in Inst. tit.* 20 *de legat.* § 4 *num.* 1 *Voet. in Paandect. tit. de legat num.* 26 *in fin. Rot. decis.* 316 *num.* 3 *coram Bezzonien.* Quin turbet, non Commendatarius Aloysium, quem Clemens ultimus sibi scripsit hæredem, sed ejus filium Joannem Baptistam judicio sistere vindicaturum fructus primogenituræ. Nam Joannes Baptista, et hæres, et filius est Commendatarii Aloysii, iisdemque propterea tenetur obligationibus, quibus tenebatur ejus parens, qui fuit hæres Clementis ultimi. At hæredes hæredum, licet per multa media defuncto successerint, non secus dijudicandi sunt, ac primis hæres dijudicaretur. Quod si hæc regula, quæ compertissima est *ex leg, Hæredis appellatione* 65 *leg. Sciendum* 70 *ff de verb. signific. et leg. qui per successionem* 155 *ff de reg. jur.* in subjecta specie foret posthabenda, illud sequeretur absurdum, ut Rondinellii testamentum Clementis ultimi in ea parte probarent, in qua consequuti sunt emolumentum in alia vero, in qua onus sentiunt, omnino respuerent; quod sane permitti nequit, cum testamentum individuum sit, nec possit partim rejici, partim acceptum haberi *Rota decis.* 509 *num.* 7 *cor. Riminaldo, et in Ferrarien. Immissionis super exequutione rei judicatæ* 5 *Julii* 1773 § 6 *coram Origo,*

3 Plura contra obstaculum hæreditariæ qualitatis objiciebant, qui Joanni Baptistæ patrocinabantur, ac potissimum dicebant, de rebus tantum suis, et liberis, non vero de bonis fideicommissariis Clementem ultimum disposuisse; utcumque deinde de utrisque disposuerit, non esse Rondinelliis opponendam qualitatem hæreditariam, quia hæreditatem Clementis ultimi adiit Aloysius cum beneficio legis, et Inventarii: demum sanctionem *leg, Unum ex familia* 67 §. *Si rem ff. de legat.* 2 peculiare legatum respicere, nec ad legatum universalis ususfructus esse porrigendam. Ad singula responsio optima. De bonis enim, tam suis, quam fideicommissariis, elogium composuisse Clementem ultimum, etiamsi verbis = *de miei Beni di mia pertinenza e diritto* = usus fuerit, ex eo præcipue, patet, quod omnia bona, nullo facto discrimine, ut facere debuisset, si de suis tantum voluisset testari; in unum veluti follem commiscuit, eorumque usufructum uxori reliquit, nepoti proprietatem. Mælius etiam voluntatem aperit testatoris de bonis omnibus disponentis factum hæredis usufructuariæ, ac silentium proprietarii. Prima siquidem bona cuncta sine delectu occupavit, alter vero voluit, sivit omnium bonorum possessionem capi ab usufructuaria, bona fideicommissaria non vindicavit. Corruit ergo quod tantum de bonis suis testamentum conscripserit agnatus masculus postremus de gente Vitellia. Sed leve etiam est, quod hujus hæreditas accepto habita ab Actoris patre fuerat cum beneficio legis, et inventarii Quadrat enim huic objecto responsio jam data in alia mea *Decisione super transactione* § 7 quod scilicet hæredi agenti non sufficit inventarium proferre, sed necessum præterea est ut rationum redditionem de rebus hæreditariis exhibeat, ut præter adducta *in cit decis.* § 7 monet *Rot. coram Olivatio decis.* 134 *num.* 6 *in Eugubiana Censuum super cauthela Angeli* 10 *Januarii* 1745 § 7 *coram Molino in Romana, seu Spoletana Immissionis* 26 *Junii* 1795 § 4 *coram Bardaxi, in Ferrarien. Transactionis super manutentione* 22 *Januarii* 1796 § 5 *coram De Bayane, et in Montis Falisci Immissionis* 26 *Juni* 1805 § 9 *coram Strasoldo.*

Nedum autem reddita nunquam ratio fuit de bonis hæreditariis, sed ne confectum quidem inventarium, aut repertorium aliquod, et descriptio succinta hæreditatis. Nec movet Commendatarium Aloysium Anno 1821., ex Principali Rescripto in integrum fuisse restitutum, et facultatem obtinuisse conficiendi inventarium antea neglec- 4

tum. Quamvis namque de Rescripto, et rite absoluto post Rescriptum inventario ambigi non posset, qoamvis utrumque fuerit assertum, non autem exhibitum, et tamen adhuc, utrum ipse rationes, nec ne reddiderit Coeterum hujusmodi in integrum restitutio, utut vera post longum triginta, et ultra annorum fugam sospiciosa admodum est, quia multa in tam longa intercapedine distrahi potuerunt, multa oblivisci, adeo ut pene impossibilis fiat perfecta, et exacta rationum redditio, cujusmodi requiritur; ut hæres beneficio legis, et inventarii juvari valeat. Inutiliter demum ajebant, legem *Unum ex familia* §. 8., de peculiari legato loqui, nec ampliandam esse ad usumfructum universalem. Quandoquidem, si ea lex refertur ad rem alienam, de qua disposuerit testator, quæque ab hærede præstanda est, si testatorem non latebat rem hæredis esse, multo magis aptari lex ipsa huic themati debet, in quo cum de onere agatur a testatore imposito super re hæredis, quæstionem omnem scientiæ vel ignorantiæ substulit factum hæredis, qui onus acceplo habuit per aditionem hæreditatis. Obstat igitur petenti fructuum restitutionem qualitas hæreditaria, quam Joannes Baptista exuere, et repudiare non adhuc curavit.

5 Sed obstat etiam bona Constantiæ fides, ex imbecillitate sexus, Viri testamento, jurisperiti consilio, silentio substituti ad primogenituram, et subsequnta transactione ejusque observantia deducta, de qua fusius edisserit *Decis. mea super Transactione* §. 7. 8. 9. Si namque bona fides, quam comitem in percipiendis fructibus Constantiam habuisse compertum est, tanti momenti visa fuit Sacro Nostro Ordini ad substinendam transactionem, eodem jure momentosa, et gravis esse debet ad rejiciendos fructus, quorum restitutioni, si locus pateret, oblique everteretur ipsa transatio. Fuerit erronea, sive in facto, sive in jure bona Constantiæ fides, sufficit non fuisse malam, ut ipsa ab onere fructuum restituendorum excusetur. Tantum vero abest mala fide constitutam fuisse Constantiam ex quibusdam epistolis a magni nominis in Romana Curia Advocati conscriptis de progressu primogenituræ Clementis Senioris ad cognatos, ut missæ illæ fuerint ad Clementem ultimum, non ad Constantiam. Quid de fideicommisso censuerit Clemens ultimus nullius est pensi. Quousque ipse vixit jure bona fideicommissaria possedit. Quæritur de bona fide Constantiæ, eaque multis evincitur argumentis, in quibus non prætereundum est illud, quod, si reapse in mala fide versata, epistolare commercium cum consultoribus Urbis, ex quo argumenta omnia malæ fidei depromebat Joannes Baptista, subtraxisset a tabulario familiæ de Vitellis, et flammis tradidisset, ne horum memoria ullo unquam tempore reviviseeret.

Commentum denique sapiebat, quod 6
pariter oggerebatur, Constantiam ex redditibus primogenituræ factam fuisse locupletiorem, ideoque hoc saltem nomine ad fructuum restitutionem tueri. *Rot. in rec. decis.* 145 *num.* 17 *part.* 18 *cor. Otthobono decis.* 40 *num.* 46 *in Maceratea.*, *seu Firmana Consuccessionis super fructibus* 9 *Martii* 1798 §. 3 *coram Strasoldo*, *et in confirmat.* 19. *Junii ejusdem Anni coram eodem.* Principio siquidem fidendum non erat privatis administrationis indiciis quolibet fulcro destitutis. Etsi vero vivens prædia cumparaverit Constantia, non tamen comparasse cum redditibus prædiorum primogenituræ tuto valet affirmari, semel ac poterat acquirere tum ex reditu bonorum avitorum Genghiæ familiæ, quorum ipsa dominium adepta fuerat, tum ex reditu alio, atque usufructu aliorum bonorum, quæ vir ejus possidebat, sive prorsus libera, sive aliis obnoxia fideicommissis, quæ in ipso Clemente, agnationis Vitelliæ postremo, soluta evaserant. At, quod maxime animadvertendum est, dives erat Constantia ex bonis avitis, quæ partim jacent in ipso feudo, quod nomen cæpit a familia Genghia, partim in agro Spoletino. Nam hæc eadem prædia, quæ Constantia moriens, re-

liquit Barbolaniis, ex sorore nepotibus, ipsa recens vendiderunt S. M. Pontifici LEONI XII. ingenti prætio argenteorum nummorum *quinquaginta millium*. Quapropter, si locupletior haud evasit Constantia ex usufructu primogenituræ, frustra ejus hæredes vexantur pro fructuum restitutione, de quorum quantitate præfinienda inutile est ut quæratur, postquam rejecti omnino fuere.

Atque ita VV. OO. DD., ac me quoque suffragante, jus redditum est. Utraque etc.

TIPHERNEN PRIMOGENITURAE

SUPER

IMMISSIONE IN SPECIE

QUOAD BONA CLEMENTIS

SENIORIS VITELLI

Veneris 12 *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Petenti immissionem in specie onus incumbit praeter existentiam fideicommissi, vocationem suam, ac identitatem bonorum probandi. Probare praeterea debet impetita bona penes illum reperiri, quem ipse in judicium traduxit.

SUMMARIUM

1. *Non datur super bonis immissio cuivis, nisi legum praescripta actionem hujus roborent.*
2. *Frustra petitur quod intus habetur.*
3. *Cum de antiqua agatur primogenitura, rigor probationum remittitur.*

   In antiquis, ad identitatem arguendam, sat est, quod heres gravatus eodem loco possideat, ubi possedit fideicommittens, nisi fuerit medio tempore aliquid a gravatis acquisitum in eadem regione, vel fines bonorum qualitatem excludant – *ibid.*
4. *Optime probatur bonorum identitas, tam ex actibus captae possessionis, quam ex inventario, statim a decessu fideicommittentis obsoluto.*
5. *Ad bonorum identitatem confirmandam nil proficit quod in aliquo ex fundis vocabulum desideretur.*
6. *In immissione in specie de exceptionibus detractionum et meliorationum ratio haberi debet.*

DECISIO CCCLXVIII.

Cum actioni immissionis in genere ad fideicommissum aliquod, vel hæreditatem consectaria sit alia, quæ agit de singulis bonis, vel fideicommissariis, vel hæreditariis, vindicandis; ita vir Nobilis Marchio Joannes Baptista Rondinellius, dclatis ex Rescripto Pontificio S. M. Leonis XII controversiis omnibus, quas cum Comite Joanne Barbolanio experitur, ad Sacram Aulam, adjecta lege ut ab omnibus Dominis dirimantur, notulam quamdam de bonis a Clemente seniore de Vitellis primogenituræ subjectis exaravit, eaque actis publicis tradita; illico concinnandam Dubii formulam curavit quoad immissionem in specie ad bona, quæ in exhibito indice continentur. Suscitanti igitur mihi, ac rogationem exhibenti ita conceptam = *An et super quibus bonis sit danda manutentio, vel immissio in casu ec.* = Sacrum Tribunal Responsum praebuit quod sequitur, scilicet *Affirmative, et manutensionem dandam esse in bonis descriptis in notula in actis producta, demptis numeris* 12. 13. 24. 28., *super quibus coadjuventur probationes.* =

Bifaria sunt bona, quæ adhuc usque comperiuntur obnoxia primogenituræ; cujus auctor fuit Clemens Senior de Vitelliis. Alia sunt ea, quæ Barbolaniis obvenerunt ex transactione inita ab Octavio Barbolanio cum commendatore Aloysio Rondinellio anno 1812 postridie Kalendas Octobris, alia vero sunt bona, quæ ab ipso actore Joanne Baptista Rondinellio retinentur, uti hærede mediato Clementis ultimi de Vitellis, ad prima quidem bona negari omnino debebat immissio, tum quia in notula bonorum, quæ impetit Joannes Baptista, nullum describitur prædium ex illis *quatuordecim*, quae sub transactione ceciderunt, et a Barbolaniis modo possidentur, tum etiam quia gravissimo Sacri Ordinis judicio sarta et incolumis servata fuit prædicta tran- 1

sactio, prout patet ex Decisione mea, quam Kalendis hujusce mensis evulgavi sub titulo *Tipkernen. Transactionis,* Ad alia autem quod attinet, si incuntroversum est ab ipso Joanne Baptista retineri, uti hærede Commendatarii Aloysii patris sui, qui fuit ex asse hæres institutus a Clemente ultimo, in quo coaluerat primogenitura Clementis senioris, facile a judicio removeretur ipse actor Joannes Baptista notissimo juris adagio = *Frustra petis, quod intus habes.* = Hæc porro jure suo quodammodo repescerunt, ut negativo prorsus responso dimittenda esset dubii formula, quæ hodie in disquisitionem venit; cum præcipue petenti immissionem in specie onus incumbat, præter existentiam fideicommissi, vocationem suam ae identitatem bonorum, ad extremam quoque evidentiam probandi impetita bona penes illum reperiri, quem ipse in judicium traduxit *Rot. decis.* 511 *numer.* 6 *cor. Molines, decis.* 579. *numer.* 7 *cor. Olivatioi in Fanen Immissionis in specie* 14 *Junii* 1793 §. 3 *coram Accjaioli, et in Romana Immissionis in specie quoad casale Locembro, et Vineam S. Marcellini* 6 *Maii* 1821 §. 3 *coram Eminentissimo Bussi.*

2 Ex his requisitis, quæ insimul concurrant oportet ad obtinendam immissionem ín specie, deest certe probatio possessionis bonorum penes reum, si bona excipias in transactione comprehensa, de quibus nec quæritur, nec quærere fas est, transactione servata. Multa sunt tamen, quæ in caussa fuerunt, cur rejecta non fuerit Joannis Baptistæ petitio. Urget primum, quod ejus interest bona retinere, veluti fideicommissaria Clementis senioris, non autem uti hæreditaria Clementis ultimi, quin, licet novam primogenituram erga gentem de Rondinelliis Hetruscam instituerit, eam tamen pluribus vinculis, et substitutionibus erga extraneas familias irretivit, quas certe non patitur dispositio Clementis senioris. Urget etiam quod, comprobato in Joanne Baptista jure possidendi bona, uti vocato ad primogenituram Clementis senioris, non uti hærede Clementis ultimi, rite ipse valet vindicare bona, a majoribus familiæ de Vitelliis frustra, et in præjudicium vocatorum ad primogenituram distracta. Urget demum, quod dubii formula, quæ dirimenda proponitur, præter immissionem. manutentionis quoque quæstionem amplectitur, quæ denegari actori non posse Patribus visum est.

Tota itaque quæstio ad identitatem 3 fundorum coercetur, in qua tamen evincienda, cum de antiqua agatur primogenitura ab annis biscentium, et ultra instituta rigor probationum remittitur, qui quantum merito requiritur, dum expenduntur recentis memoriæ negocia, tantum exulat, ubi de antiquis disputatur. *Rot. cor. Ludovisia decis.* 72 *numer.* 4., *cor. Seraphina decis.* 1708 *numer.* 1.; *cor. Cripo decis.* 223. *numer.* 5.; *cor. Olivatia decis.* 406. *numer.* 1., *coram Rinalda dec.* 458. *numer.* 5., *et in Ferrarien. Immissionis in speciε* 11. *Januarii* 1790. §. 3. *cor. Parracciano* Quocirca haud necesse est, *ut latera, fines, regiones, vocabula* simul conveniant. Repudiata siquidem *Bartoli teorica in leg. Demonstratio falsa* 17. *numer.* 2. *in fin de conditio et demonstrat*, *quae exigit* duorum finium concursum, vel, si fines non congruant inter se, notam aliquam peculiarem, quæ sine ambage praedium designet, invaluit in antiquis *Fulgosii doctrina ex cons.* 145. In antiquis scilicet, ad identitatem arguendam, sat est, quod hæres gravatus eodem loco possideat ubi possedit fideicommittens, nisi fuerit medio tempore aliquid a gravatis acquisitum in eadem regione, vel fines excludant omnino bonorum qualitatem, et identitatem *Fierl. in teoric. Fulgosi, cons.* 145., *Rot. in Rec. dec.* 209. *numer.* 38. *part.* 19., *cor. Riminaldo decis.* 376 *numer.* 5., *cor. Rusconi decis.* 43. *Numer.* 4, *in Romana, seu Spoletanr Fideicommisi* 29 *Januarii* 1735. §. 8. *cod. Matthaejo, in Bononien. Primogeniturae de Lucatelliis super immissione in specie* 27 *Aprilis* 1770 §. 3. *cor. Origo et in citat. Ferrarien Immissionis in specie* 11 *Januarii* 1790. §. 5. *cor. Paracciano.*

4 At, quatuor exceptis prædiis, quæ sub numeris arabicicis 12. 13. 24. 28. in notula extant actis tradita, de quibus inferius sermo redibit, cætera prædia, in præfata notula descripta, conveniunt cum inventario, quod post obitum fideicommittentis confecit Julius, et cum actu præterea possessionis bonorum primogenialium, quam Julius ipse nactus fuit. Nihil vero magis exploratum, quam optime probari bonorum identitatem, tam ex actibus captæ possessionis, quam ex inventario statim a decesso fideicommittentis absoluto. *Rot. cor. Crispa decis.* 240. *numer.* 3., *cor. Gavalerio decis.* 337. *numer.* 2.; *cor. Molines. decis.* 256. *numer.* 2., *in Setina Fideicommissi super immissiane in specie* 31. *Januarii* 1716. §. 3. *cor. Lana, et in Romana Immissionis* 2. *Junii* 1755. §. 7. *cor. Stadion.* Prædicta insuper prætia in indice descripta congruunt alii inventario, cui dedit, operam, elato Julio, Petrus Franciscus ejus filius. Respondent rursus novo inventario, quod post mortem Clementis II. seu medii tutores, et Curatores Nicolai III. exararunt. Concordant denique cum nuperrimo inventario, quod ipsa incepit, et ad exitum perduxit Constantia post mortem viri sui, a quo hæres in universo usufructu fuerat nominata. Eoque minus his probationibus resistere valent Barbolanii, quo certius est hæredes eos fuisse ejusdem Constantiæ postremi inventarii auctricis, cujus propterea facto refragari ipsi prohibentur. *Rotae. in Perusina Reintegrationis* super *reservatis* 26. *Februarii* 1755. §. 4. *cor. Molino*; *in confirmat.* 12. *Martio* 1756. §. 4. *cor. Canilliac.*, *in Firmana Immissionis in specie quoad bona Magdalenae Saccaroni* 9. *Junii* 1778. §. 2. *coram Riminaldo*, *et in citat. Ferrarico. Immissionis in specie* 11. *Januarii* 1790. §. 4. *cor. Paracciano.*

5 Nec leve est ad bonorum identitatem confirmandum, quod ultimus de agoatione Vitellia, scilicet Clemens *tertius* præces dederit Summo Pontifici, et, caussam prætexens defectus bonorum liberorum, potestatem imploraverit ex notissima Auth. *Res quae* constituendi sorori suæ dotem ex bonis fideicommissariis Constat ergo de identitate bonorum in notula descriptorum cum illis a Clemente Seniore fideicommisso subjectis. Nec reponendum in numeris, seu Articulis *decimo quarto, decimo quinto, decimo octavo, decimo nona, vigesima* diversum paræciam indigitario in inventario Julii ab ea, quæ innuitur in inventario Constantiæ. Nam ex legitimis monumentis evincebatur, collapso ex vetustate Templo, paræciam alio fuisse translatam, Nullius pariter est mumenti paræciæ diversitas in Articulis *Sexto, decimo sexta, et decima septimo*, quæ corrigitur ab actu possessionis Juliis, ex quo non licet hærere de identitate prædiorum quæ sub prædictis numeris in notula describuntur. Ita demum deducenda non erant prædia, quæ extant sub Articulis *vigesimo nano, et trigesimo*, quæque, licet non possiderentur a Clemente Seniore, nec ideo potuerint primogenituræ supponi, liquet tamen ex legitimis æque monumentis ex fructibus primogenituræ fuisse Julio coempta, eidemque addicta primogenituræ. Nihil autem officit, quod in aliquo ex fundis vocabulum desideraretur. Quando enim congruunt peræcia, et regio, vel alia nota, aut praesumptio identitatis, levissimum est, in antiquis praesertim, quod desit vocabulum, quod saepe pro locorum moribus, diversitate temporum, et hominum ingenio cessare, renasci, ac mutari solet *Rotae in Rec. dec.* 87. *n.* 6. *part.* 5, *et decis.* 51. *n.* 7. *part.* 18, *coram Molines decis.* 757. *numer.* 7, *et decis.* 407. *num.* 24. *cor. Olivatio.*

6 His animadversis, recte censuit Sacer Ordo, ut probationes coadjuventur quoad fundos in notula sub numaris *decimo secundo, decimo tertio, vigesima quarto*, et *vigesimo octavo* descriptos. Non enim quaevis de identitate eorum haesitatio ita dirimebatur ut suspicari non posset eos, quos ex inventario Clementis medii notula ab actoribus proposita descripsit, fuisse distractos, neo ideo ad Clementem ultimum pervenisse. His autem exceptis, in reliquis manutentio erat decernenda, quin ea turbari posse exceptionibus detractionum,

et meliorationum. Quamvis enim de his, quidquid sit in judicio immissionis in genere, ratio haberi debeat, dum agitur de immissione in specie, veluti saepe respondit Rota, *ac praesertim in Nuperrima decis.* 242. *numer.* 1. *tom.* 5. *coram Ansaldo decis.* 21. *numer.* 2. *coram Rezzonico decis.* 15. *numer.* 6. *ad* 8, *et in Forolivien. Immissionis* 9. *Decembris* 1738. §. *fin. cor. Gamaches*; attamen nil erat, cur examen de his foret suscipiendum, semel ac nullam meliorationem, aut detractionem Barbolanii proponebant, nec eis erat proponere permissum, postquam fideicommittens quamlibet detractionem interdixit.

Et ita, tota Aula una mecum judicante definitum est. Utraque etc.

TYPHERNEN PRIMOGENITURAE

SUPER IMMISSIONE IN SPECIE

QUOAD

AUGUMENTUM ALEXANDRI ET CAMILLI VITELLI

Lunae 15. *Junii* 1829.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Manutentio danda est ex besse ad bona comprehensa in augumento cujuspiam, cum hic non integram primogeniturae substantiam addixerit, sed trientem de bonis suis deduxerit. In controversia identitatis bonorum, quae a veteri proveniant fideicommisso, nos nihil de juris rigore remitti oportet – ibid –.*
2. *Manutentio praediorum quae alicujus augmenti partem faciunt concedenda est si pro quo simul congruunt in regionibus, vocabulis, aliisque conactatis, tam tabulae fideicommissariae donationis, quam inventarium confectum.*

DECISIO CCCLXIX.

Ut actionem immissionis in specie instituit Joannes Baptista de Marchionibus Rondinellis Hetruscis ad bona vindicanda usque ab anno 1601 a Clemente Seniores de Vitelliis perpetuae primogeniturae subjecta, ad quam se vocatum esse, maribus defectis agnatis, uti masculum ab agnata foemina descendentem, tum ipse contendebat, tum Sacer Ordo judicavit ex Decisione a me edita kalendis hujusce mensis sub titulo *Typhernen. primogeniturae super progressivitate*; ita quoque immissionem in specie petiit ad alia bona comprehensa in augmento Alexandri IV et Camilli de Vitelliis, qui bona sua fideicommisso Clementis senioris aggregarunt. Factum propterea est, ut peculiaris de his quoque bonis notula actis tradita, constituta fuerit dubii formula in haec verba – *An quomodo, et super quibus bonis sit danda manutentio, vel immissio in casu etc.* quae hodie mane a me proposita Responso dirempta fuit – *Affirmative, et manutentionem dandam esse ex besse in bonis descriptis in notula sub num.* 4, 6, 7, 9, 13, *et quoad reliqua coadjuventur probationes* –.

Merito primum decisum est manutentionem dandam esse ex besse ad bona comprehensa in augmento Alexandri IV et Camilli. Hi enim non integram eorum substantiam primogeniturae Clementis Senioris addixerunt; sed trientem de bonis suis deduxerunt, deque eo aliter disposuerunt, quam in additamentum praedictae primogeniturae. Quo posito, recurrunt hic ea omnia, quae fusius exposita sunt in alia mea Decisione *super immissione in specie ad bona Clementis Senioris in praeteritis* Comitiis publici juris facta. Nimirum animadvertendum est, frustra a Joanne Baptista immissionem reposci ad bona, quae aut jam ipse retinet, aut Barbolaniis servanda sunt in vim initae transactionis, quam validam, et legitimam Sacer Ordo renunciavit. Animadvertendum est, ea praecipue ratione actori favendum esse, quia ejus interest bona praedicta possidere, non uti haereditaria Clementis ultimi, sed uti fideicommissaria Clementis senioris; et quia etiam dubii formula, quae definienda proponitur, non unam tantum respicit immissionem, sed

manutentionem quoque, quæ sane, probato progressu primogenituræ ad cognatos, Joanni Baptistæ non poterat denegari. Animadvertendum denique est in controversia identitatis bonorum, quæ a veteri proveniunt fideicommisso, non nihil de juris vigore remitti oportere, ac ad identitatem ipsam probandam satis esse, ut probetur hæredem gravatum bona possedisse in eo agro, et regione, ubi auctor fideicommissi possidebat.

His animadversi, brevis disputatio est, quaod bona, quæ partem faciunt augmenti quod Alexander IV, et Camillus jusserunt. Nam quoad prædia in notula descripta sub numeris *Quarto*, *Sexto*, *Septimo*, *Nono*, *de Decimotertio* nulla quæstio, quin Joanni Baptistæ manutentio sit concedenda: cum simul congruant in regionibus, vocabulis, aliisque *connotatis*, ut vocant, tam tabulæ fideicommissariæ donationis ab ipsis Alexandro IV et Camillo de Vitelliis in vocatos ad primogenituram Clementis senioris collatæ, quam inventarium a Constantia confectum, quod Barbolanii, nisi errorem in eo evincant, uti illius hæredes in discrimen adducere nequeunt. Non ita vero censendum erat quoad prædia reliqua, pariter in notula descripta. Cum enim non liquido constet de eorum identitate, et nonnihil discrepare tabulæ donationis ab Inventario Constantiæ videantur; propterea demandatum est, ut quoad reliqua prædia coadjuventur probationes. Nec erat audiendus Rondinellius, dum, ad defectum identitatis sanandum, inquiebat ideo tabulas ab inventario discrepare, quia nonnulli ex fundis rusticis, cum unius essent, et alterius jugeri, parvique momenti, aliis fuerunt adjuncti. At hoc ipsum erat probabilius efficiendum: quod cum non præstiterit adhuc usque Rondinellius, idcirco augendæ sunt probationes.

Atque ita, me quoque judicante, universa Aula definivit. Utraque etc.

TYPHERNEN TRASACTIONIS

Lunae 1. Julii 1829.

ARGUMENTUM

Transactio legitime facta debet observari, maxime si nullum vitium in ea inveniatur, nec ex falsa causa aut errore transigentes damnum sentierunt. Si correspectivitas adfuit, et nuncium missum sit ob quemcumque errorem in praeiudicium unius vel alterius partis incursum, transactio suis viribus semper stat.

SUMMARIUM

1. *Transactio legitime facta ad instar rei judicatae, religiose meretur custodiri.*
2. *Maxime cerum, si nullum vitium intrinsecum, vel extrinsecum in tabulis transactionis irrepserit.*
3. *Si in transactione inita de eo tempore quo fideicommissa extincta fuere nihil de primogenitura fuit dictum, non ex hoc dici potest, transactionem nulla et ex falsa causa factam.*
4. *Heres non potest impugnare factum auctoris sui.*
5. *Heres beneficiatus non excipiendo tantum sed agente, tenetur inventarium proferre, et ad rationes quoque reddendas de rebus haereditariis.*

   Fructuum bona fide consumptorum nulla repetitio est – ibidem. –
6. *Ad eximendum possessorem a fructibus restituendis necesse est, ex Doctorum et Tribunalium sententia ut desit mala fides.*
7. *Transactiones bona fide initas sub praetextu novorum instrumentorum temere non rescinduntur.*
8. *Bona distracta sub Imperio Gallorum libera remanserunt, et omni nexu soluta.*
9. *Potest testator non solum de re sua, sed de re quoque heredis disponere, atque hanc alienae rei dispositionem, si in personam conferatur sanguine conjunctam servanda ab herede est, sciverit nec ne testator de re aliena disposuisse.*

DECISIO CCCLXX.

Narratum est in coæva mea Decisione *super Progressivitate Primogenituræ*, bona, a Clemente seniore de Vitelliis relicta, pervenisse tandem in Clementem hujus nominis ultimum, qui ea ad annum usque 1790. retinuit, quo morti proximus de eis, uti liberis, et suis disposuit; reservatoque uxori usufru-

ctu, donec viveret, aliam primogenituram instituit erga Commendatarium Aloysium Rondinellium sororis suæ filium, ejusque posteros, et descendentes in perpetuum. Narratum quoque est, uxorem Clementis ultimi, Costantiam Genghiam, hæredem instituisse Octavium Barbolanium de Montacuto ex sorore nepotem, qui post auctricis suæ obitum multa adversus Rondinellium excitavit credita, tam ob solutum æs alienum Clementis ultimi, quam etiam ob initos sumptus reparationum, quibus indigebant ædificia Tipherni a terræ motibus anni 1789 solo fere disjecta. Rondinellium autem plura etiam objecisse credita adversus Constantiæ hæreditatem, ab eaque postulasse victualium sibi in avunculi testamento legatorum, ac anniversariæ præterea præstationis solutionem, eadem Decisio refert, quæ etiam transactionem meminit, curantibus duobus jurisconsultis Cajetano Sodi, et Laurentio Cantinio, eos inter anno 1812 postridie Kalendas Octobris per publicas tabulas celebratam, cujus hæc summa fuit.

Postquam enim præfati jurisprudentes, ad trutinam quæstiones exortas revocaverant, et credita expenderant invicem objecta, quorum compensationem pro vera quantitate jusserunt, creditorem denique renunciarunt Barbolanium in nummis argenteis plusquam *septem supra decem millibus*, quorum satisfactioni consuluit Rondinellius, partim præsenti pecunia, partim cessione peroris, et aliquot bonorum, quæ inter prædia nonnulla comprehensa fuerunt primogenituræ Clementis senioris obnoxia. Concordia isthæc adeo transigentibus arrisit, ut quisque cuilibet juri, et actioni in posterum experiendæ nuncium miserit, simulque spoponderit, nihil unquam ausurum, quod ad eversionem tenderet transactionis universæ, sive pactionis alicujus, cujus pænitere transigentes deinde potuisset. Ipse vero Rondinellius, si unquam evenisset, ut in prædiorum, quæ ei in solutum celebantur, possessione turbaretur Octavius, disertissimo evictionis pacto voluit, ut indemnis ipse fieret super aliis bonis patrimonii de Vitellis. Quin imo religiose adeo servata transactio ipsa fuit, ut nonnisi post decennii, et plus etiam lapsum prodierit defuncti interea Commendatarii Aloysii filius primo natus Joannes Baptista, et nullitatis casu cæperit insimulare. Post avocatam a Prætore Perusino, et ad Sacrum Nostrum Ordinem delatam ex auctoritate, et venia S. M. Leonis XII. cognitionem controversiarum, quæ prædictus Joannes Baptista in medium protulit adversus Joannem Barbolani, demortui interim Octavii filium, inter constitutas dubiorum formulas, a tota Aula dirimendas, secundum locum ea obtinuit, quæ de transactione agit ita quærens = *An sit sercanda transactio diei* 2. *Octobris anni* 1812. *in casu etc.* = quæ dimissa fuit *affirmativo* responso.

1 Quamquam enim in alia mea hujusce diei Decisione declaratum fuerit, primogenituram a Clemente seniore conditam, post defectum agnatorum, ex fæminis agnatis, quæ stipites constitutæ fuerunt vocationis, et originis, in cognatos transiisse; non inde tamen sequitur delendam esse transactionem anno 1812 postridie Kalendas Octobris initam inter Commendatarium Aloysium Rondinellium, et Octavium Barbolanium, quam imo sartam et incolumem servandam esse censuit Sacer Ordo. Fuit sane ea transactio, quæ sedavit, et sustulit abstrusas, et difficiles controversias inter illus excitatas. Fuit ea transactio, quæ præpedivit, quominus multo sumptu controversiæ ipsæ Tribonalium judicio subjicerentur. Fuit ea transactio, quæ ambages omnes judiciorum ademit, et incertum litis eventum. Fuit ea transactio, cui opera data fuit a duobus primi nominis jurisconsultis Florentiæ, non quidem præcipiti consilio, sed somma maturitate, et postquam omnia credita invicem proposita, perlustratis monumentis aliisque scriptnris, animadversa, expensa, et ad liqoidum perducta fuerunt. Fuit ea transactio, quæ tandem, compensatis pro vera quantitate mutnis nominibus, debitorem fecit Ron-

dinellium in nummis argenteis *decem septem millibus*, qui adeo debitum suum agnovit, ut solemniter declaraverit = *di non potere in alcun tempo o per qualunque titolo impugnare detto suo debito, e tutte, e singole qui sopra espresse convenzioni, le quali generalmente, e ciascuna di esse rattifica* =; ideoque abdicaverit = *qualunque azione, ragione, e diritto, che potesse competergli per ottenere la diminuzione di d. somma di Fr.* 97541 12 *che equivalgono a Sc. Romani* 17418 5

2 Adeo imo transigentibus concordia illa placuit, ut non modo uterque valedixerit juribus omnibus, et actionibus, quæ forte exercere potuisset, simulque promiserit = *di non promuovere in alcun tempo la menoma pretensione contraria a tutte, e singole le convenzioni, riduzioni, stralci, e patti in ciascuno dei precedenti paragrafi enunciati, rinunziando per un abbondante cautela a qualunque errore, che avesse avuto luogo nella presente liquidazione, e transazione, tanto in pregiudizio dell' una, che dell' altra parte* =; verum etiam Rondinellius potissimum adjectum transactioni voluerit pactum = *che in qualunque caso di evizione, o molestia di tutti o parte dei fondi come sopra ceduti, e dati in pagamento, il detto Signor Ottavio de' Borbolani di Montau lo debbo intendersi, che abbia pieno diritto per conseguire la sua rilevazione da qualunque altro fondo del patrimonio Vitelli* = Numeris itaque omnibus absoluta dici debet transactio anno 1812 stipulata, eaque ad instar rei judicatæ, cujus auctoritas maximi ponderis in judicio est, religiose meretur custodiri, nec unquam potest in discrimen adduci. *Leg. Non minorem* 20 *Cod. de transact.*, *Rot. decis.* 1019 *num.* 2 *coram Loncetta*, *decis.* 8 *titul. de pact. coram Falconerio, decis.* 403 *num.* 2 *cor. Riminaldo*, *in Romana Pecuniaria* 5. *Julii* 1751 § 10 *coram Molino*, *et in Romana Alimentorum* 22 *Martii* 1756 §. 4. *coram Caprara*. Cum enim nullum in transactionis tabulis irrepserit vitium *extrinsecum*, *aut intrinsecum*, ac transigentes sui juris essent, vel nulla plane transactio servanda in posterum erit, aut nulla certe dignior transactione ad diem *secundam* Octobris anni 1812 celebrata, quæ maximo, ad infinitam pene litium materiam eliminandam debeat observari. *Leg. Fratris tui* 10, *et leg. Causas* 16 *Cod. de transact.*

Punctum omne, ad obtinendam 3 transactionis nullitatem, tulisse sibi blandiebatur actor Joannes Baptista Rondinellius, errorem, et falsam causam transactionis jactans, et defectum correspectivitatis. Aut namque dicebat, in transactione ratio habita fuit de primogenitura Clementis senioris, aut illius existentia et progressio ad cognatos post peremptam lineam agnatorum fugit omnino transigentes. Si primum læsionis vitio infectam ex eo traducebat transactionem, quod nihil accepit Commendatarius Aloysius in causam primogenituræ, cui valedixit, quando e contra ex indole transactionis requiritur, ut aliquid utrinque remittatur. Sin alterum, irritam pariter ex errore, falsaque causa transactionem proclamabat, cui nunquam assensum suum præstiturus fuisset Aloysius, si fideicommissi existentiam, suamque ad illud vocationem non ignorasset. Hæc vero, quæ in abstracto considerata speciem veritatis præseferre videbantur, in concreto discussa visa sunt levissima ad transactionem infrigendam. Ut ut enim litera transactionis, ubi nec vola, nec verbum occurrit de primogenitura Clementis senioris, evincet de primogenitura ipsa minime cogitasse transigentes, et ipsum præcipue Aloysium Commendatarium nihil de ea secum animo volutasse, etiamsi ab anno 1805 in sua haberet potestate tabularium gentis de Vitelliis: non ideo tamen corruit, ut Rondinellius objurgabat, ex falsa causa, atque errore transactio. Inita quippe fuit hæc transactio anno 1812 eo scilicet tempore, quo per novas leges vincula omnia et nexus fideicommissorum, et primogeniturarum penitus deleti, et abrogati fuerant, et bona eis subjecta in libertatem vindicata. Legibus istis utcumque de medio sublatis, aut nunquam etiam editis, nulla ratio suberat, cur de Primogenitura Clementis senioris transigentes meminisse deberent.

4 Utique Clemens senior primogenituram instituit, ad eamque vocavit, agnatis Julii, et Alexandri III., nepotum deficientibus, cognatos ex fœminis agnatis descendentes in perpetuum ut latius probat contemporanea Decisio, cui titulus *Tiphernen. etc. Primogeniturae super progressivitate*, hic consulenda. At a lege, quam ipse dixit, adeo desciverunt Julii descendentes, adeoque ab eorum memoria excidit primogenitura Clementis senioris, ut omnes pene, quotque fuerunt, de gente Vitellia novis fideicommissorum vinculis bona devinxerint, testibus *decis.* 361. 364. 365. 389. 390. 404. 455. 500. 501. *coram Olivatio*. Nec imo ad tempus initae transactionis in tanta annorum fuga, tanta possessorum incuria, tantis familiæ Vitelliæ vicissitudinibus constabat, an bona a Clemente seniore relicta, et primogenituræ usque ab anno 1601 supposita pervenissent nec ne ad Clementem hujus nominis ultimum. Etiamsi autem bona primogenialia ex parte saltem tunc temporis extarent, non ideo minus valida reputanda est transactio. Nam Clemens ultimus eorumdem bonorum, una cum bonis suis commixtorum, usumfructum uxori reliquit; proprietatem vero contulit in ipsum Commendetarium Aloysium ejusque posteros, et descendentes sub vinculo novæ primogenituræ. At Joannes Baptista, qui rescindi petit transactionem, hæres est, et filius Aloysii. Qualitas itaque hæreditaria, quæ efficit, ut ipse Joannes Baptista habendus sit veluti hæres Clementis postremi, impedimento Rondinellio est, quominus factum improbet auctoris, ut nullitas transactionis declaretur, *Rot. coram Crispo decis.* 22 *num.* 7., *coram Rezzonico decis.* 316 *numer.* 3 *coram Riminaldo decis.* 509 *num.* 7., *et in Ferrarien. Immissionis super exequutione rei judicatæ* 15 *Februarii* 1773 § 8 *cor. Origo.*

5 Nec prodest Rondinellio, quod ejus parens acceptam habuerit hæreditatem Clementis ultimi cum beneficio legis et inventarii. Non constat siquidem, quod revera confectum fuerit inventarium. Quamvis autem inventarium adesset, certa nihilominus est regula, hæredem beneficiatum non excipientem, sed agentem, nedum teneri inventarium proferre, verum ad rationes quoque reddendas de rebus hæreditariis obligatum esse. *Rot. decis.* 101 *num.* 2 *coram Celso*, *decis.* 211 *num.* 7 *cor. Benincasa*, *et decis.* 147 *num.* 11 *cor. Ansaldo*. Nec etiam prodest objicere, quod locus, cognitis juribus primogenituræ, factus fuisset restitutioni fructuum, quos Constantia perceperat, ideoque nullum fortasse Commendatarii Aloysii debitum emersisset. Constantia enim, quæ diem obierat supremum jam inde ab anno 1805., scilicet septem annos, antequam fieret transactio, fructus bona fide consumpserat. Fructuum autem bona fide consumptorum nulla repetitio est. At Constantiæ bonam fidem plura ad satietatem usque revincunt. Dignæ primum excusatione sunt mulieres in iis, quæ ad jus pertinent. Deinde bonam Constantiæ fidem adstruit testamentum Clementis ultimi, in quo hæres in usufructu nominata fuit: urget consilium jurisperiti, qui ad eam scribens ajebat, peremptam mansisse primogenituram post obitum Clementis ultimi, legesque in Hetruria latas maxime favere bonorum libertati, quoad ea saltem, quæ in ea ditione jacebant; confirmat non silentium tantum, sed factum solemne Commendatarii Aloysii, qui assentitus fuit, ut Constantia usumfructus assequeretur bonorum, quæ vir ei reliquerat, eoque per quindecim annorum lapsum frueretur.

6 Nam nec viva, nec mortua ad annum 1805 Contantia, quæstus unquam fuit Aloysius de usufructu, quo ipsa potiebatur. Imo anno 1812 inter ipsum Aloysium, et Octavium Barbolanium, Constantiæ hæredem, ventum est ad concordiam, sedula, et laboriosa opera duorum Florentinæ Curiæ jurisconsultorum adhibita. Tunc iterum probatus,, et laudatus ususfructus omnium bonorum penes Constantiam, eoque tempore præsertim laudatus, quo de mutuis creditis, et debitis ad liquidum perductis agebatur. Id satis superque est, ut Constantiæ hæredes, quibus opitulatur bona auctricis fides ex levi

quoque caussa erroneaque opinione deducta, cogi nequeant ad restitutionem ususfructus. Ad eximendum quippe possessorem a fructibus restituendis, illud dumtaxat necesse est ex communi Doctorum, et Tribunalium sententia, ut desit mala fides. *Constantin. vol. decis.* 370 *num.* 7 *Rot. in Rec.* 320 *num.* 1 *part.* 2 *decis.* 709 *num.* 10 *coram Olivotio, et decis.* 572 *num.* 4 *cor. Riminaldo.* Non levem, non fugacem non ancipitem fuisse Constantiæ bonam fidem, præclarissima insuper ostendunt facta, quæ ejusdem obitum sequuta sunt. Exceptio namque malæ fidei in perceptione fructuum a marito legatorum ignota fuit per aliud septennium ab obitu Constantiæ, nimirum ab anno 1805 ad annum 1812 quod de ortis quæstionibus transigendis actum est. Ab eo tempore juge silentium servatum est usque ad annum 1826 quo sub prætextu monumentorum, quæ ab archivio familiæ de Vitelliis extracta dicuntur, provinciam nullitatis transactionis aggressus est Joannes Baptista Rondinellius.

7 Si calculi proinde ducantur, post sex supra triginta annorum spatium ruptum demum est silentium, ruptumque ex novis monumentis in archivio repertis familiæ de Vitelliis, et de Clementis senioris primogenitura ducentibus: Atqui non patitur juris nostri disciplina,ut transactiones bona fide initæ sunt prætextu novorum instrumentorum temere rescindantur. Potissimum vero servanda transactio per quatuordecim annos numquam impugnata, quia nunc, archivio, libris, scripturis, aliisque documentis familiæ Vitelliæ a Rondinelliis occupatis, impossibile prorsus esset, ut ratio a Barbolanio reddi valeat ususfructus, quem assequuta fuit Constantia per annos quindecim. Imputent ergo sibi Rondinellii, si tamdiu siluerunt, et archivium occuparunt, absentibus, et non vadatis Barbolaniis, qui ceteroquin tanto minus vexari possunt, quo certius est, nuncium in transactione missum fuisse = *a qualunque errore, che avesse avuto luogo nello presente liquidazione, e transazione tanto in pregiudizio dell'una, che dell'altra parte* = Quocirca, si Constantia bona fide usumfructum percepit, ruit omnino, quod transactio non fuerit valida ex defectu correspectivitatis in eo etiam casu, quo de Clementis senioris primogenitura contrahentes meminerint. Bona enim fides, qua Constantia usufructu potita fuit, Barbolanios eximebat ab aliqua re remittenda pro quæstione de vocatione ad fideicommissum Clementis senioris.

Perperam vero Rondinellium dolebat in concordia anni 1812 data fuisse Barbolanio in satisfactionem scutorum *decem septem millium* et ultra prædia quædam primogenituræ vinculo a Clemente seniore subjecta. Redit enim hoc evenisse sub Gallorum imperio, quando omnia soluta fuerant, prorsusque abrogata vincula fideicommissorum: ex quo sequitur rite fuisse distracta, nec amplius posse vindicari, quamvis nova lege Pontificia anni 1816 ad vitam fuerint revocata fideicommissa, quæ aestimationem exhiberent argenteorum nummorum *quindecim millium*. Bona siquidem interim distracta libera remanserunt, ac ab omni nexu soluta, quemadmodum in re simili arguit Sacrum Tribunal *in Spoletona deletionis inscriptionis hypothecariæ* 5 *Aprilis* 1824 § 6 *coram Rmo P. D. meo Spoda, et in confirmat.* 4 *Februarii* 1825 § 9 *coram Eodem.* Duo post hæc accedunt, quae rem omnem conficiunt; primum in transactione conventum fuisse « *che in qualunque caso di evizione o molestia di tutto o parte dei fondi come sopra ceduti, e dati in pagamento, il detto Signor Ottavio dei Barboloni debba intendersi, che abbia pieno diritto per conseguire la sua rilevazione da qualunque altro fondo del patrimonio Vitelli* » Si igitur Joannes Baptista, qui in jura parentis sui successit, evictionem præstare cogitur pro fundis, quibus Barbolanius expoliaretur, inutiliter impetit bona in solutum ei data, quamvis a Clementis senioris fideicommisso proveniant. Obstat enim famigerata juris regula, qua cavetur, ut eumdem, quem de evictione tenet actio, agentem repellat exceptio. 8

Alterum, quod ipse Commendatarius Aloysius haeres proprietarius institutus 9

fuit a Clemente ultimo, non tam super bonis, quae subjecta esse poterant primogeniturae Clementis senioris, verum etiam super ejus bonis liberis. Quod si hanc haereditatem adire minime detrectavit Commendatarius Aloysius, locum contra eum sibi vindicat juris regula, ex qua notum est, posse testatorem non solum de re sua, sed de re quoque haeredis disponere, atque hanc alienae rei dispositionem, si in personam conferatur sanguine conjunctam, servandam ab haerede esse, sciverit nec ne testator de re aliena disposuisse. *Leg.* 10 *Cod. de legat.* Nullo hinc pacto Aloysius, qua Clementis ultimi haeres, prohibere potuisset, quominus Constantia ex bonis quoque Clementis senioris fructus perciperet. Quibus positis, si patet validam esse transactionem, patet etiam non contradictoriam esse praesentem definitionem cum alia, quae primogeniturae progressivitatem constituit. Ex huc usque namque deductis negari nequit adeo diversam esse validitatem transactionis a progressione fideicommissi, ut diversum quoque proferri in utraque judicium valeat.

Et ita, meo accedente suffragio, tota Aula judicavit. Utraque etc.

ANAGNINA JURISPATRONATUS

Lunae 22 *Martii* 1830.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLXII. -

SUMMARIUM

1. *Jurispatronatus dumtaxat hereditarium, in heredes quoscumque, etiam extraneos transit.*
   Jurispatronatus mixtum, descendentes solum ex foeminis, non foeminas agnatas, repellit a jure nominandi - ibidem. -
   Cum plures inter se disputant de jure nominandi, is caeteris praeferendus est, qui proximior est institutori - ibidem. -
2. *Ultima nominatio non afficit, ubi agitur in judicio petitorio.*
3. *Non licet, post perfectam nominationem, eam immutare.*
4. *In paritate, ille est ad Cappellaniam promovendus, qui facilius ad Sacerdotium valet promoveri.*
5. *Non qui est aetate major, sed qui acin Ecclesiae addictus Cappellania pollere debet.*
   In institutione ad Cappellaniam, concurrente etiam Praesbitero, praelatio conceditur Clerico, si Cappellania ei sit pro Sacerdotalis patrimonii supplemento necessaria - ibidem. -

DECISIO CCCLXXI.

Institutionem ad Cappellaniam de jurepatronatus, activo simul et passivo, familiæ de Arquatis, in templo SS. Francisci, et Blasii Oppidi Filectini in Henricis erectam, quam Vicarius Anagninus clerico Alexandro Persia, in vim nominationis hujus favore expletae ab ipsius avia Catharina de Arquatis, tribuerat Sententia lata die 12 Martii 1828, spreta prorsus alia nominatione quam Joachim Pesci, ab Ermenegilda de Arquatis ortus, emiserat primum ergs Ferdinandum nepotem, mox vero, mutato consilio, in Falium Aurelium converterat. confirmavit deinde S. N. Ordo in Comitiis habitis anno superiore 1829 die 14 Decembris. Copia quidem obloquendi adversus Decisionem a me tunc editam Aurelio Pesci, paternam nominationem propugnanti, facta fuit: sed nihil ipsi profuit. Adeo enim firma visa sunt rationum momenta, quibus ea innititur decisio, ut assuetæ rogationi responsum hodie fuerit = *In Decisis* =.

Denuo quippe perspicuum Dominis fuit Clerico Petro Alexandro Persia fa- 1
vere nominationem, ab ejus Avia Catharina de Arquatis emissam; atque etiam ipsum unice esse, qui institui mereretur ad Cappellaniam ex aperta lege eorum, qui hanc constituerunt. Blasius enim, et Franciscus de Arquatis, quibus ex aucta dote Cappellaniæ, et instaurato Sacello, instructis sacris aulaeis, ac ædificata demum sacra turri, apposito ei tintinnabulo, jus patronatus quæsitum fuit illud sibi suisque hæredibus, successoribus in perpetuum rereservarunt, absque ullo prorsus voto masculinitatis et agnationis, nullaque adjecta vocula, ex qua argui, vel minimum, possit a fæminis eos abhorruisse. Hoc posito institutionis tenore plane consequitur, aut rem hic esse de jurepatronatus dumtaxat hæreditario, quale plerumque præsumitur. quod scilicet in heredes quoscumque, etiam extraneos transit; aut saltem existimandum esse juspatronatus mixtum, quod

nimirum hereditario, et familiari, seu gentilitio simul constat, et non unam hæredis, sed sanguinis etiam qualitatem exigit, et descendentes solum ex fæminis, non feminas agnatas, removet ab honorifico jure nominandi, ut probat, adductis auctoritatum exemplis, superior Decisio § 3. Cum autem plures inter se disputent de jure nominandi, et quilibet eorum emissam a se nominationem prtuatur, is cæteris præferendus est, qui proximior sit institutoribus perinde ac si de successore ad intestatam hereditatem ageretur. Non modo si quidem naturæ legibus apprime convenit institutores Cappellaniæ prædilexisse proximiores descendentes, etiam in jure patronatus activo; sed imo in subjecta specie id maxime voluisse Blasium, et Franciscum de Arquatis ex iis colligitur, quæ disposuerunt quoad passivum jus nominandi, ex quo plausibilem haurit interpretationem juspatronatus activum, ut probat præcedens *Decisio* § 4.

2 Quod vero voluerint institutores Cappellaniæ in passivo jure patronatus proximiores præponendos esse remotioribus, aperte constat ex verbis institutorum, in qua expressim prescripserunt = *ut præsentetur sacerdos proximior ipsis Blasio, et Francisco* = sive Masculina, sive a fæminina linea provenient. Cum igitur incontroversum sit Catharinam proximiorem præ cæteris esse ipsis Blasio, et Francisco, Cappellaniæ institutoribus, eamque insuper germanam esse sororem Cappellani postremo defuncti, ambigendum profecto non est, quin uni Catharinæ jus nominandi competret. Nec audiendus est Aurelius, dum contendit habendam præ oculis non esse nominationem anno 1812 expletam, in qua nullam partem habuit Catharina. Non enim res agitur in possessorio judicio, ita ut damnum aliquod ex ultimo statu Catharinæ juribus inferatur, sed in petitorio judicio disquiritur cui competat juspatronatus activum, cui vero passivum. Præterea anno 1812 ex eo evenit quod juris nominandi particeps non fuerit Catharina, quia vivebant adhuc Anselmus ejus pater, et Cajetanus, ejus patruus, qui proximiores erant institutoribus, et ideo ei præferendi in activo nominandi jure. Si itaque Catharina jure nominandi pollebat, et nepotem ex filia, scilicet prædictum Petrum Alexandrum Persia, nominovit nulla subest ratio cur vires suas exercere hæc nominatio non debeat.

3 Idque eo magis quia Clericus Petrus Alexander dignus erat præ ceteris ut nominationem assequeretur. Favet ei namque, nedum lex institutionis, sed hujus etiam institutionis spiritus, et scopus, quem institutores sibi proposuerunt. Jusserunt si quidem, ut nominaretur = *aliquis sacerdos, vel clericus de descendentiæ, sive masculina sive faemina præfati Blasii, ita ut, si sit clericus, possit, et valeat obtinere dictam Cappellaniam pro supplemento patrimonii sacri, cujus titulo promoveri possit ad sacros ordines* = et legem adjecerunt = *ut præsentetur sacerdos proximior ipsis Blasio, et Francisco, et inter proximiores præferatur semper senior, et ætate major, et quatenus concurrant sacerdos, et clericus, qui ambo sint proximiores, prælatio concedar clerico, nondum in sacris ordinato* = At Petrus Alexander ætate, et proximitate erga Cappellaniæ institutores vincit Ferdinandum primum nominatum a Joachimo Pesci; vincit vero, tam eumdem Ferdinandum quam Aurelium secundo a prædicto Joachimo nominatum, inspecta ipsius Petri Alexandri egestate, et propensione ad Sacerdotium. Accedit quoad Ferdinandum actam rem esse, nec ad Cappellaniam ipsum posse aspirare, postquam idem ejus auctor Joachimus probe uosciens juniorem, ac remotiorem, eum esse Petro Alexandro ab institutoribus Cappellaniæ nominationem ejus favore emissam retractovit, et in ejus vicem filium suum Aurelium nominavit. Nec majoris ponderis censenda est hæc altera nominatio ita ut Petro Alexandro sit præferendus Aurelius. Primo siquidem, non licebat Joachimo perfectam nominationem immutare, postquam hinc juris ritu solemni, et discertis verbis in ea peragenda nominatione valedixerat; ut ponderat prior in causa decisio § 6. Deinde vero, non illis pol-

let Aurelius requisitis, quæ præscripta fuere in institutionis tabulis, quoad eos qui passivum jus patronatus assequi cuperet.

4 Ut ut enim clericali tonsura, dum adhuc erat adolescentulus, Aurelius fuerit ad sacra initiatus, postea attmen ab Ecclesiastico instituto recessit, et, laicalibus negociis addictus, clericales vestes abjecit, atque etiam de matrimonio contrahendo nuperrime cogitavit. Cæterum, dum Cappellania non eget Aurelius, qui haud parve dives est censu, plûribus dat operam lucrosis negociationibus, ea quam maxime indiget Petrus Alexander, ob summas, quibus premitur, rei familiaris angustias. Cum imo, nedum primam tonsuram, sed sacros quoque minores ordines susceperit, multo magis opus est ut in eum Cappellania conferatur, ex qua facilius ad Sacerdotium valeat promoveri, veluti jubet lex institutionis. Quapropter nullo in pretio baberi potuerunt monumenta recens adducta ab Aurelio, corteroquin in æstu litis expiscata ut divitias occuleret suas, et parum a domo suo distare Sacellum ostenderet. Si namque institutores Cappellaniae voluerunt, ut Cappellaniam is obtineret, qui præ coeteris ea uti possit, ut ad sacerdotium valeat promoveri, nemo sane, qui perspecta ea habeat, quæ hinc usque deducta sunt, plus Aurelium, quam Petrum Alexandrum ad Sacerdotium suscipiendum idoneum, ac propensum putabit. Quod unum sufficit ut ipsi Petro Alexandro sit danda institutio. Reliqua idcirco, quæ de divitiis Aurelii adiiciuntur, non ad probandum, sed ad confimandum tendunt ejusdem Petri Alexandri jus ad prædictam Cappellaniam.

5 Perperam denique urget Aurelius ei esse passivum juspatronatus addicendum, quia est major ætate, quam sit Petrus Alexander. Quamvis enim ex lege institutionis praescriptum fuerit, ut inter proximiores nominandus is semper praeferatur, qui ætate est major; id tamen eo tantum in casu locum babere debet, in quo nominandi, seu nominati, sint omnes *actu* Ecclesiae, addicti, et pares babeant qualitates in institutione Cappellaniæ designatas. At in subjecta specie Aurelius, licet clericali initiatus fuerit tonsura, optimam tamen sacerdotii viam jam a pluribus annis deseruit omninu. Contra vero Petrus Alexander *actu* est Ecclesiasticus, et ecclesiastico incedit babitu, ac tonsura. Est ideo præferendus Aurelio, qui licet senior, nonnisi tamen quam ad opportunitatem, et pro re nota vacantis Cappellaniæ, clericum se jactat, et pro ea assequenda instat; quod sane ferendum in Ecclesiastica disciplina non est. Idque adeo certum habetur, ut in institutione ad Cappellaniam, concurrento etiam Præsbitero, prælatio cencedenda sit clerico, si Cappellania ei sit pro sacerdotalis patrimonii supplemento necessaria. Finis itaque, et mens institutorum cum fuerit, ut prospiceretur clerico, qui viam ecclesiasticam ingresus sit, et non habeat, unde sibi constituat sacrum patrimonium; et cum haec adamussim sit conditio Petri Alexandri, inani labore indiscrimen adducitur quod ei jure competat Cappellania, de qua agitur.

Et ita, in reliquis habita relatione ad præcedentem Decisionem, cui confirmationis robur adiicitur, judicatum est, utraque etc.

AQUIPEDIEN

COMUNIONIS UNIVERSALIS

Lunae 7. *Martii* 1830.

ARGUMENTUM

Ad decernendam universalem communionem, oportet, ut tria requisita concurrant; communis scilicet habitatio bonorum insupere lucrorum omnium, ac damnorum ex quacumque causa provenientium communicatio, nunquam denique redditae invicem rationes.

SUMMARIUM

1. Facile in jure praesumitur hereditaria, seu generalis inter fratres communio quoad paternum patrimonium.

2. Hereditaria inter fratres communio, non includit universalem communionem.

Tria constituunt universalem communionem; communis scilicet habitatio, lucrorum et damnorum omnium communicatio, rationes nunquam redditae - ibidem -

3, Excluditur semper communio universalis, si deest collatio in unum lucrorum omnium, ac damnorum.

4. Communes contubernium, et communis mensa,

haud sufficiunt ad inducendam universalem communionem

5. *Non illi res acquiritur, cujus pecunia, sed ei, cujus nomine comparatur.*

DECISIO CCCLXXII.

Tenui prædilus censu, plures habuit filios Franciscus Socciarelli ex ameno *Cryptarum* Oppido in Castri Ducatu: quique nempe masculos Antonium, Sylvestrum, Alexandrum, Teodorum, ac Domnicum Mariam, quos omnes hæredes æquis partibus instituit in elogio suo ad diem *decimam* Junii anni 1748 exarato; unam vero fæminam, scilicet Dominicam Angelam, cui dotem in argenteis nummis *sexaginta* constituit. Post patris obitum sibi magis expedire duxerunt filii in hæreditaria bonorum communione manere, quam jugiter sub eodem tecto, eademque mensa retinuerunt, herciscundæ familiæ repudiato consilio. Anno 1769 cum Dominicus uxorem duxisset Angelam Lucidi, cui plura prædia, præter summam scutorum *quadragiata* in numerata pecunia, a patre dotis nomine fuerunt assignata, huiusce matrimonii caussa, ejus germani fratres Antonius, ac Theodorus ei donarant fundum quemdam vulgo nuncupatum = *Coraaglie* =, quem sibi propria industria, ac ære proprio quæsiverant. Mortem hinc obiit ad diem *decimam* Augusti anni 1786 ipse primo natus Antonius, qui scuta *quinquaginta* in postremis suis tabulis Francisco nepoti ex germano fratre Dominice legavit, haeredes autem substantiæ suae fecit, Sylvestro jamdiu præmortuo, tres suos, quos superstites reliquit, fratres Dominicum, Alexandrum, ac Theodorum. Hic postremus pariter in fata deinde concessit, ita ut uni superfuerint Alexander, atque Dominicus, qui solus curam paterni, et adhuc indivisi patrimonii suscepit, illudque administravit, ac plures denique nomine, ac ære proprio fundos comparavit, prout etiamegit ejus filius Franciscus, qui matrimonio se junxit cum Maria Puggi, ac dotem ab ea recepit scutorum *biscentum quinquaginta*.

Vigentibus adhuc legibus, quae a successionibus fæminas arcebant propter masculos, anno 1809 Dominica Angela nupsit Vincentio Brinchi, cui dotem attulit ex fratrum liberalitate scutorum *quinquaginta* supra *centum* Insequenti autem anno 1810 decessit Alexander, testamento condito ad tramites *Cap. Cum esses de testam.*, in quo hæredes usufructuarios nominavit primo Dominicum germanum fratrem, ac deinceps Franciscum nepotem proprietatem vero patrimonii sui contulit in filios masculos tam natos, quam nascituros ex matrimonio prædicti nepotis Francisci cum Maria Puggi. Sed, testamento non jure facto, intestatam fratris hæreditatem Dominicus occupavit. Vigebant tunc temporis Gallorum leges, quæ ad intestatam defuncti fratris haereditatem masculos aeque ac faeminas vocabant, et municipales sanctiones abrogaverant, faeminas a successione repellentes, extantibus masculis. Qua de re censuit Dominica Angala, tum superstitis Dominici, tum de mortui Alexandri suror, et nuptui collocata cum Vincentio Brinchio, consuccessionem postulare ad intestam fratris haereditatem, quam obtinuit per duplicem sententiam, alteram, Gallis adhuc imperantibus, edictam a Tribunali Primarum actionum Viterbii, alteram post restitutum Sacri Principis Imperium ab A. C. Mot. pronunciatam.

Non destitit quidem Dominicus ab utraquo sententia provocationem urgere, sed cum hæc in *devolutivo* tantum admissa fuerit a Patribus Signaturæ suffragantibus, orta ideo Re judicata, bane illico executioni committi petierunt defunctæ interim Mariæ Dominicæ filii coram jusdicente Aulæ, cui bonorum indicem exhibuerunt, quæ ab Alexandro contendebant fuisse possessa. Quoniam vero in hoc indice absque ullo discrimino bona omnia continebantur, quæ patrimonium conflabant familiæ de Socciarelliis, exarsit propterea secundaria contentio, an inter Dominicum, et Alexandrum Socciarelli extiterit nec ne universalis bonorum communio. Nunc abrogatum A. C. Collegium, quo coram discussa primum res fuit, pro communione universali pronunciavit. Idipsum, provocatione interposita, quæsitum fuit in Comitiis habi-

tis anno 1823. die *septima* Martii. At scissis in utramque partem suffragiis, nulloque reddito judicio, *Quintus*, et *Sextus* ex Patribus ad suffragium ferendum fuerunt acciti. Anceps tamen denuo hæsit Sacer Ordo in Comitiis diei *decimæ septimæ* Martii insequentis anni: ex quo, cum tota Aula ad suffragandum fuerit vocata, non eamdem nunc, quam in primo jurium periculo, sed ampliorem Dominis Meis Dubii formulam proposui ita conceptam = *An constet de communione universali, et quorum bonorum sit peragenda divisio in casu etc.*,= cui responsum hodie mane est = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam quoad bona hæreditaria tantum Francisci senioris, et Alexandri.*

1 Facile sane in jure præsumitur hæreditaria, seu generalis inter fratres communio quoad paternum patrimonium, ac reditus ex eo provenientes. Difficillima vero est universalis communio, quæ complectatur bona, et lucra omnia scorsim ab hæreditario, ac indiviso patris patrimonio fratribus quæsita, sive ex propria industria, sive ex fortunæ beneficio sive ex alia demum qualibet caussa. Communio siquidem universalis, et societas, vel questuum, vel cujuscumque generis, res facti est: quæ vero facti sunt probationem exigunt evidentissimam. Imo vero adeo difficilis probationis est hæc ipsa universalis communio, quæ præseferat omnium, et quorumcumque bonorum societatem cum omnimoda lucrorum, damnorumque divisione, adeoque abest eam facile probari inter etiam germanos fratres, aliasque personas arcto sanguinis vinculo conjunctas, ut ejus existentia, quasi prodigium, et miraculum sapere videatur, nec unquam sit recipienda, nisi vel expressa afferatur conventio, vel monumenta adsint exceptione omni majora.

2 Cum deficeret expressa conventio, qui fratrum Brinchi causam orabant, ad tacitam confugiebant; et universalis communionis probationem ex eo deducere putabant, quod Alexander, ac Dominicus germani fratres de Sociarellis, iisdem in ædibus continuo moram traxerint, ac eodem sub triclinio sumpserint alimenta, de communi dividundo nunquam cogitantes. At ex his facile admodum argui potest, ac revera arguenda est hæreditaria inter fratres communio, de qua nulla oritur dubitatio, nunquam vero præsumi potest universalis communio, quæ ex actibus emergat oportet, quæ citra jus, et nomen voræ societatis fieri non possint. Conciliatis enim diversis doctorum sententiis, translatitium in jure est, ad decernendam universalem communionem, oportere, ut tria requisita concurrant; communis scilicet habitatio, bonorum insuper, et lucrorum omnium, ac damnorum ex quacumque causa provenientium communicatio, nunquam denique redditæ invicem rationes Ratio est quia prædicta tria requisita ambiguam, ac diversam pati nequeunt interpretationem, et citra jus, ac nomen societatis confluere non valent. Sed ita necesse est, ut tria ista requisita simul copulenter, ut, altero eorum deficiente, in leves abeat auras universalis communio, sive inter fratres, sive inter extraneas personas agatur *Zanch. de societate part.* 2. *cap.* 4. *num.* 44. *et* 45.

Quidquid sit de mensæ, habitationisque consortio, deque rationibus non redditis, deest sane secundum extremum, seu collatio in unum lucrorum omnium, ac damnorum. Constabat namque ex indubiis monumentis, Dominicum uxorem cum dote non exigua duxisse, eaque occasione donationis nomine a fratrum tunc adhuc viventium liberalitate, a Theodoro nimirum, ac Antonio, amplum, frugiferumque prædium recepisse. Hoc ipsum ad unguem ostendit universalem communione, ne extitisse quidem ante obitum donantium, Secus quippe non potuissent donantes, fratribus aliis inconsultis, eorumque consensu non obtento, praedium illud donare, super quo æque jus cæteri fratres experiebantur. Non extante autem communione universali ante obitum donatium, multo difficilius est, ut ea inducta postea fuerit inter Alexandrum, ac Dominicum. Constabat rursus unum Dominicum ab aliis fratribus prædefunctis hæredem fuisse nuncupatum. Constabat proprio nomine, propriisquo nummis plures fundos hunc, Alexandro 3

nunquam memorato, coemisse. Constabat idipsum a Dominici filio Francisco fuisse peractum, postquam matrimonio se junxerat cum Maria Puggi. Constabat e converso ipsum Alexandrum, dum vixit, pro peculiaribus creditis proprio dumtaxat nomine diem dixisse debitoribus, ac adversus illos curasse, ut judicialia mandata executioni committerentur nomine tantum suo. Constabat eumdem Alexandrum uni, vel alteri pecuniam, inscio fratre, suoque nomine, mutuo, vel foenori dedisse, ac nummos duodecim argenteos de peculio suo Vicario Foraneo numerasse, ut in propriæ animæ expiationem Sacra celebraret. Constabat demum ipsos Brinchios alias fassos fuisse universalem communionem numquam Alexandrum inter ac Dominicum extitisse.

4 His positis, si deficit collatio in unum lucrorum omnium, ac damnorum, deficiat quoque communio universalis necesse est. Nec mirum est, si nunquam redditæ fuerint rationes. Si enim quoad bona haereditaria vigebat inter fratres generalis communio, quoad vero alia bona, utriunque proprio ære, ac solertia quæsita, uterque rem suam administrabat, ac fructus colligebat seorsim ab alio fratre, nulla suberat causa rationum reddendarum, ac ipse illarum scopus, subjectumque deficiebat, Quin obsint testes a Brinchiis adducti ad comprobandam universalem communionem, utut loci decuriones, et Parochi sint. Primum siquidem de communi contubernio, reique familiaris administratione fidem perhibent, quæ hæreditariam tantum, seu generalem, quæ non impugnatur, non vero universalem communionem constituit, quæ longe distat ex demonstratis ab hæreditaria communione. Si commune porro conturbernium, et communis mensa sufficerent ad inducendam univeralem communionem, fratres omnes, qui simul, elato patre, vivunt, jure pollerent substantias dividendi, sive hæreditarias, et paternas, sive unicuique ex alia qualibet causa obventas; quod esset absurdissimum. Hujusmodi enim æqua rerum omnium divisio effectus est, et consequentia universalis dumtaxat communionis, quæ cæteroquin hoc in thematbe rejicienda est, cum ei repugnent tot illi actus hactenus enucleati, et ab unoquoque fratre gesti, tum nomine proprio, tum seorsim ab alio fratre.

Nullius ergo pensi sunt testes a Brin-
chiis adducti, quia præcipue ab aliis 5
testibus conflictantur, æque probis, et fide dignis, qui universalem communionem excludunt. Cæterum communio universalis probari nequit per testes, sive ex vulgi opinione, sed ex publicis, privatisque actis illorum, quos inter communionem universalem intercessisse contenditur, evincatur oportet. Atqui acta ista, tum privata, cum publica, communioni universali refragantur. Ergo velut ægri somnium existimandum est quidquid objicitur de universali communione. Quæ cum ita se habeant, unum superest diluendum, quod pariter a Brinchiis opponebatur. acquisitiones ab utroque fratre, et a nepote Francisco initas fuisse ex fructibus bonorum paterni, et indivisi patrimonii. At si tam Dominicus, quam ejus, filius Franciscus, uxore dotata, non leves habuerunt dotes; si uterque agrorum culturæ vacabat; si unus, et alter negociari solebat; æqui justique ratio suadet, ut quid illi comparaverint, non ex fructibus comparaverint hæreditatis paternæ, quæ ad familiæ sustentationem, et exhibitionem inserviebat, sed ex negociorum, dotium receptarum, propriæque industriæ compendiis. Utcumque autem probaretur hasce acquisitiones ex pecunia paternæ hæreditatis initas fuisse, cum tamen nomine proprio acquirentis, non vero Sociali gestæ fuerint, illarum emolumentum cedat oportet, non pecuniæ dominio, sed acquirenti. Norunt quippe omnes, non illi rem acquiri, cujus pecunia, sed ei, cujus nomine comparatur. Non aliud igitur divisionis subjiciendum est, nisi id solummodo, quod provenit ab hæreditate Francisci Senioris, et Alexandri de Socciarellis, fuitque ab Alexandro, ac Dominico indistincte possessum.

Et ita, una mecum suffragante Universa Aula, decisum est, Utraque etc.

BENEVENTANA NULLITATIS DEPOSITI

Veneris 12 *Februarii* 1830.

ARGUMENTUM

In Constitutione Piana praescribitur, ut denunciatio in retrovenditione census, fiat per duos menses ante creditori; rursus ut citatio ad recipiendum, alias deponi, cui modo suffecta est oblatio realis, per publicum apparitorem explenda sit; demum opus est, ut depositum fiat penes idoneam personam a Judice deputandam.

SUMMARIUM

1. *Censum redimere volenti necesse est, ut integram summam deponat, una cum bimestris interusuriis.*
2. *Interpellatio ad censum redimendum, denunciari debet nedum heredi usufructuario, sed heredi proprietario.* – Et num. 3. –
4. *Realis oblatio, in census retrovenditione, perfici debet, antequam conficiatur depositum.*
   Et ubi agitur de minoribus, et mulieribus, implorare oportet Judicis auctoritatem -*ibid.*-
5. *Depositum confici debet intra bimestre a die initae denunciationis.*
6. *Qui sese obligat de facto alieno, non ad aliud tenetur, quam ad praestandas diligentias.*
7. *Nemo, cui facta non sit denunciatio depositi, assentiri potest liberationi.*

DECISIO CCCLXXIII.

Censum argenteorum *ducatorum bismillium* Neapolitanae monetae, ac cum annuis *septuncibus* interusuriis, per publicas tabulas anno 1817 ad diem *nonam* Februarii initas, imposuerunt Eques Petrus Andreotti, et Raphaela Rotondi conjuges, super praedio quodam in Agro Beneventi posito, illumque sic impositum hoc pacto, quod caeteroquin celeberrimae Bullae Sa. Me. Pii V apprime convenit, Canonico Paulo Annubba vendiderunt, ut debitoribus nempe quocumque tempore liceret, praemissa per duos menses ante denunciatione, censum ipsum, restituto pretio, et fructibus usque ad diem restitutionis solutis, redimere. Elato non multo postea Canonico, eidem ex testamento successit ex fratre nepos Nicolaus Annubba, qui pariter vitam cum morte cito commutavit, scripto tamen ante suae voluntatis elogio, quo haeredem usufructuariam instituit Comitissam Christinam Siciliani Annubba, matrem suam; proprietarios vero haeredes, aequis partibus, fecit, tum germanum fratrem Cajetanum, tum sorores Mariam-Joannam, Mariam-Antoniam, Theresiam, atque Franciscam, quae deinde, partim Neapolis, partim in ipsa Civitate Beneventi nuptui collocatae fuerunt. Anno 1828 ineunte, cum consilium conjuges Andreotti caepissent redimendi censum, in mandatis dederunt filio Joanni Baptistae, ut ea perageret, quae non adeo moris sunt, quam necessitatis, ad tramites Pianae Bullae, ut census rite, ac legitime redimi valeant.

Hinc autem uni Christinae ex eo actu, quem *disdictam* vocant, animum redimendi censum per duos menses ante denunciavit, caeterisque omissi, quae adversus renuentem creditorem adhibenda forent, depositum capitis census una cum fructibus insolutis, jam emenso bimestris tempore, confecit penes tabellionem Episcopalis Curiae Beneventi. Qua de re protestata est Christina ritu solemni de his vitiis, quae necessario efficiebant, ut nullo modo peremptus census reputari deberet, atque adhuc fructus exigi possent. Sed adiit Joannes Baptista, qua parentum suorum procurator, Praetorem Beneventanum; ac, validitatem depositi propugnans, positiones Christinae deferri postulavit, ex quibus probare nitebatur moram in conficiendo deposito ex uno facto, et culpa mulieris processisse, quae promissum filiorum suorum procurationis mandatum, ad approbandam census retrovenditionem exquisitum, nec intra bimestre tempus, nec postea unquam exhibuerat. Positionibus tamen rejectis, irritum nullumque depositum fuisse, fructusque census adhuc deberi, Sententia edita pronunciavit ipse Praetor Beneventanus, a qua cum provocaverit Joannes Baptista Andreotti, factum exinde est ut rogaverim hodie Dominos Meos constituta formula – *An constet de validitate depositi,* ac de *extinctione cen-*

sus in casu etc. =, quæ dirempta est Responso = *Negative in omnibus* =.

1 Vetustissimum enim est in censuali jurisprudantia, cunctisque notissimum, censum redimere volenti necessum esse, ut competentem adeat Judicem, ejusque cum Decreto ad creditoris notitiam deducat sese promptum, ac paratum esse, censum restituere, non repræsentata modo integra illius summa, sed solutis quoque usque ad bimestris temporis exitum interusuriis. Quod si creditor oblatum deserat vadimonium, nec retrovenditioni census assentiatur, tunc juxta veterem praxim oportebat creditorem denuo in judicium vocare, eumque ad recipiendum caput, et fructus census pro certa die, et hora lacessere, simulque petere, ut, eo nondum comparente, liceret prædictæ summae depositum explere penes personam a Judice eligendam. Modo autem ex novissima praxi citationi *ad recipiendum, ut dicebatur*, *alias deponi*, subrogata fuit realis pecuniarum oblatio per publicum apparitorem, ac accedente semper Judicis Decreto, creditori facienda, qui si renuat pecuniam accipere, absolvendum tunc est intra bimestre tempus ejusdem summae depositum, ne secus una cum deposito corruant, ac irrita sint ea omnia, quae ad redimendum censum praemissa fuerunt. *Cenc. de Censib. quaest.* 111 *num.* 2 *usque ad* 24, *et Rot. post dict. Cenc. de Censib. Decis.* 84 *num.* 2, *Decis.* 173 *num.* 4, *et Decis* 297 *num.* 5.

2 Nec ratio deest, cur haec methodus observanda sit, dum de redimendis censibus laboratur. Ut ipsa namque monet Constitutio Piana, ideo invecta est denunciatio per duos menses ante creditori facienda, ut interea temporis ipse novam occasionem inveniat pecuniam faenori collocandi. Citatio rursus *ad recipiendum, alias deponi*, cui modo suffecta est oblatio realis per publicum apparitorem explenda, ea de causa requiritur, ut cognoscatur, an adversetur retrovenditioni census, quia secus nullum sibi locum vindicat pecuniae depositum. Insuper depositum ipsum intra bimestre tempus conficiendum est, ne alias creditor pecunia careat, et fructu, et occasionem amittat eamdem denuo pecuniam faenori utiliter collocandi. Ideo demum opus est, ut depositum fiat penes idoneam personam a Judice deputandam, ne per arbitrium debitoris jacturam pecuniae creditor pati cogatur. Jam vero omnibus istis requisitis destituitur depositum a filio, et procuratore conjugum Andreotti confectum. Et primo quidem irrita fuerit interpellatio ad censum redimendum interposita. Necdum enim irrita ea fuit nullo praeeunte, ut par est, Judicis Decreto; sed uni praeterea Christinae haeredi usufructuariae denunciatum fuit census redimendi propositum, insciis prorsus, et non monitis haeredibus proprietariis, quorum potissimum intererat, ad notitiam sibi deduci mox faciendam census retrovenditionem.

Quamvis autem non desint nonnulli Doctores, qui satis esse putant, ut denunciatio fiat uni usufructuario; satius tamen est, ut judicialiter quoque moneatur haeres proprietarius. Cum enim retrovenditio census non solum respiciat usumfructum haereditatis, verum etiam proprietatem, idcirco voluntas debitoris redimendi census, tum haeredibus usufructuariis, tum proprietariis patefacienda est, qui cavere debent, ut pecunia restituenda iterum faenori collocetur, ne secus in detrimentum, et diminutionem haereditatis pereat, aut ab usufructuario facile disperdi possit. Idque praecipue retinendum, quia, si certum est a debitore censum redimere volente agendum cum usufructuario, sed etiam cum proprietario, uti monent *Foller. de Censibus verb. instrumentum gratiae num.* 31, *Felician. eod. tract. lib.* 4 *cap.* 1 *num.* 7, *et Rota post Cenc. de Censib. decis* 380 *num.* 7, necessario dicendum hanc juris censuram non actum dumtaxat solutionis, sive retrovenditionis census, sed ea quoque percellere, quae solutionem, et retrovenditionem ipsam praeire debent. Alias namque ignorare posset haeres proprietarius futuram census retrovenditionem: nec facile contra ignorantia ista conciliari valet, cum onere, quo premitur 3

census debitor de census retrovenditione agendi non modo cum haerede usufructuario, sed etiam cum proprietario.

4 Frustra vere deponebatur denunciationem factam fuisse Christinae, nedum nomine proprio, sed nomine etiam illorum. Nullo siquidem modo poterat Christina personas filiorum repraesentare. Cum enim fœmine tunc temporis jam nupsissent, non amplius matris, sed virorum potestati subjiciebantur, qui unice erant de census redemptione monendi. Masculos autem etsi in minori versaretur aetate, ob mentis tamen levitatem Curatoris auctoritati erat obnoxius, qui pariter de retrovenditione census monendus fuisset. Irrita igitur est denunciatio per duos menses ante census retroemptionem inita, eaque ita habenda est, perinde ac si numquam fuisset interposita. Sed accedit etiam, omissam fuisse realem oblationem, ante confectionem depositi perficiendam. Nec potest haec omissio ex eo excusari, quod ex qualitate personae usufructuariae opus erat solemnitatibus, quibus deficientibus, solutio haud rite, ac recte fieri potuisset. Id enim magis demonstrat Joannem Baptistam debuisse Judicem adire, ejusque auctoritatem implorare, ut pecunia deponeretur. Certius, quia non sola usufructuaria, sed haeredes quoque proprietarii ad rite contrahendum solemniis indigebant.

5 Demum ipsum depositum non intra bimestre tempus a die initae denunciationis, sed, eo penitus effluxo, locum habuisse constat. Porro adeo erat probatum depositum initum fuisse, postquam jam emensum erat tempus bimestre, ut modici temporis lapsum in pretio habendum non esse contenderent Joannis Baptistae Defensores, qui idcirco ad exempla provocabant, in quibus validum renunciatum fuit depositum utcumque post duos, tres, vel quatuor etiam dies a bimestris temporis exitu confectum, prout videre est ex *Constantin. Vot. decis.* 364 *num.* 2, *Rot. decis.* 1140 *num.* 14 *cor. Emerix Jun.*, *decis.* 1175 *num.* 3 *coram Seraphino*, *decis.* 78 *num.* 4 *ad* 13 *cor. Peutingerio, et decis.* 403 *num.* 13, *et* 13 *cor. Olivatio.* Sed haec regula, quae solum obtinet, quoties praemissa fuerit citatio *ad recipiendum*, aut oblatio realis citationi subrogata, ac nullum ex mora praejudicium creditori obvenerit, prout eruitur *ex leg. Et si post tres* 8 *ff. Si quis cautionibus*, perperam ad casum nostrum traduceretur, in quo deficit oblatio realis, et ex eo quoque deterior facta fuisset creditorum conditio, quod otiosa, et sine ullo fructu pecunia mansisset ex una culpa debitoris, qui cum ea omiserit, quae ante census redemptionem agenda sunt, justam caussam Creditoribus praebuit haud quaerendi novam occasionem, ex qua novo faenori pecunia collocaretur.

Inane autem erat excipere morae in 6
conficiendo deposito interjectae caussam dedisse Christinam, quippe quae promissum filiorum procurationis Mandatum ad approbandam retrovenditionem census necessarium, nec stato tempore, nec dein unquam exhibuit. Neque enim sine solemniis sese poterat mulier obligare: neque rursus aliter asseritur sese obligasse, nisi ex delatis ab ipso Joanne Baptista Andreotti positionibus, quas cæteroquin Prætor Beneventanus rejecit; cujus Decreto hac in parte idem Andreottus acquievisse visus est. Utcumque vero mulieris obligatio de exhibendo filiorum Mandato quoque modo consisteret, nil aliud certe redoleret, nisi obligationem de facto alieno, ex qua is, qui obligatus est, non ad aliud tenetur, quam ad praestandas diligentias, quas posthabitas a muliere fuisse, minime probatur. *Cap. Eleutherius.* 91 *dist.*, *et not. in cap. Ex literis* 2 *de sponsal.*, *Mantic. de tacit. et ambig. lib.* 14 *tit.* 34 *num.* 11, *Rot. in Rec. decis.* 67 *num.* 1 *part.* 4 *tom.* 1, *et decis.* 43 *num.* 36 *part.* 10. Animadvertendum postremo est, non in mensa nummularia, aut penes publicum depositarium juxta censuram *art.* 1051. Codicis praxeos pecuniam fuisse depositam, sed apud scribam Æpiscopalis Curiæ Beneventi, qui nullam habebat jurisdictionem in controversiis laicorum, et, quamvis persona publica sit, in iis

tamen, quæ ad officium suum non pertinebant, habenda erat uti privata.

7 Accedit imo impotem ex eo deposito factam fuisse Christinam, ut illud consequeretur, ac in novum faenus conferret. Semelac siquidem debitorum procurator *ducatos bismille* deposuit una cum fructibus, non monitis haeredibus proprietariis, ac in deponenda pecunia declaravit « *consentire liberari depositium creditoribus census, adhiditis solemnitatibus a jure requisitis illudque remanere risico, et periculo creditorum, et facta per eosdem creditores cessione jurium, et quietantia ad consilium sapientis* » oportebat profecto, ut praefati haeredes proprietarii consensum suum ad depositi liberationem praeberent, et syngrapham de recepto conficerent. Cum autem proprietariis haeredibus denunciatum non fuisset depositum, nec ipsi propterea valerent assentiri liberationi, et acceptilationem exarare, effectu suo vacuum depositum manebat. Nec mulieri incumbebat haeredes proprietarios monere, ut depositum agnoscerent, et sinerent illud amoveri, ut census perimeretur, et cursus usurarum cessaret. Id quippe oneris potius spectabat ad debitoris procuratorem, cujus intererat, perimi censum, fructusque tolli censuales. Omnibus hisce perpensis, quae essentiam actus constituunt, invalidum omnino renunciandum est depositum, simulque judicandum integrum manere censum, suosque adhuc gignere fructus ad tramites conventionis, et publicarum tabularum Anni 1817.

Et ita utraque etc.

BONONIEN CUMULI

Lunae 5. *Julii* 1830.

ARGUMENTUM

Lex VI Thermidori. quae fideicommissis cladem intulit, bona subjecta vindicavit in libertatem penes eum, qui ad tempus editae legis in illorum possessione versabatur' In 'possessore igitur una cum bonis fideicommissariis, cumula quoque libera evaserunt.

SUMMARIUM

1. *Nefas est in appellationis judicio actionem semel constitutam variare.*
2. *Reus conventus vincit per non jus actoris.*
3. *Lex VI Thermidori, bona fideicommisso subjecta in libertatem vindicavit, penes eum, qui ad tempus editae legis, in illorum possessione versabatur.* - Et num. 4. -
5, *Voluntati fideicommittentium, neque Principum placita, neque Gallorum leges derogarunt*
. *Bona districta, antequam heredis fieret institutio, comprehendi in hereditate non possunt.*
7. *Attendi non debet quidquid demonstrationis causa expressum sit.*
8. *Renuncians, vel ejus heres, incolumi manente renunciatione, ad jura renunciata regredi non potest.*

DECISIO CCCLXXIV.

Multo dives censu Petrus Antonius Odoricius civis Bononiensis, cum filios non haberet, gratificari voluit nepotibus ex sorore Antonio, et Josepho. Occasione igitur splendidissimi matrimonii quod initurus erat Antonius, anno 1764 conspicuam erga eum exaravit donationem inter vivos cum vinculo fideicommissi particularis, ad cujus emolumentum primo ipsum Antonium, ejusque nascituram prolem, mox Josephum ejusque liberos arcessivit. Nec una donatione contentus, cum esset morti proximus, anno 1785 eumdem Antonium sibi scripsit hæredem cum onere fideicommissi universalis juxta ordinem, et leges in particulari fideicommisso constitutas, facta tamen ei potestate quamcumque suscipiendi negotiationem, vinculis non obstantibus fideicommissi. Sed adeo immanem bonorum dilapidationem fecit post avunculi obitum Antonius, ut foro cesserit absque ignominia post paucos annos, tantumque contraxit æs alienum, præter illud contractum ex veteri Chirographo, ut ditissimum patrimonium argenteorum nummorum 733651 98 superaretur a debitis in ingenti vi scutorum 207339. 64. Quæstiones tamen omnes, auctoritate accedente Sanæ Mem. Pontificis

Pii VI. brevi cum creditorum coetu compositæ fuerunt anno 1794. Cum enim uterque eorum, Antonius nempe, ac Josephi sobole careret, transactione inita, cautum in primis fuit, ut scuta centum millia ex patrimonio debitoris deducerentur pro indemnitate fideicommissi, et futurorum vocatorum; quidquid vero reliquum erat incommodum cederet Creditorum.

De reditibus autem scutorum centum millium conventum, ut scuta bismille sexcentum Antonio, octingenta ejus uxori Annae Codronchiae, mille biscendum Josepho, elato fratre in duplum augenda in annos singulos, quousque vitæ fruerentur usura, persolverentur alimentorum loco: Si quid vero de iisdem reditibus superesset, id, expunctis anniversariis præstationibus, in cumulum poni, ad augendam fideicommissi substantiam depactum est, datis in id muneris curatoribus. Quod si fideicommissum ex defectu filiorum utriusque fratris sorte perimeretur, ex expressa lege transactionis tunc fideicommissi caput una cum cumulis obvenire creditoris suis facilius satisfierent. His ita compositis, in caussam non minus obtentæ annuæ præstationis quam coeterorum pactorum, quibus concordia referta est, cum Antonius, tum præcipue Joseph amplissime abdicarunt, et tertio quoque verbo valedixerunt juribus cunctis, et actionibus, quas experiri quomodocumque in avunculi patrimonium potuisset.

Obiit hinc Antonius anno 1798, ac testamento condito coram Parocho hæredem instituit Jacobum Zonium remunerandi gratia famulatum. Obiit pariter anno 1818. Josephus, qui Jucundum Nanettum famulum suum, fraterexempli ergo, sibi nuncupavit hæredem. Sed improviso Zonius eodem anno 1818 judicio stetit, causamque prætexens legum Gallicarum, quæ fideicommissorum, cumulorumque nexus, proclamata bonorum libertate, dissolvant, magnis animis contendere cæpit, liberum in Antonio evasisse fideicommissarium caput scutorum centum millium una cum cumulis. sibique propterea, ut ejus hæredi, utrumque deberi. Vicit ille quidem apud judicem primæ jurisdictionis: at, provocantibus demum creditoribus adeo sorte pugnavit inimice, ut utraque fuerit petitio rejecta, uno jure servato, quod erat Chirographo Pontificio plane contestaneum, sed in nihilium omnino recidebat propter molem immanem æris alieni, condicendi quidquid reliquum futurum ex patrimonio Odoricio fuisset, dimissis omnibus creditoribus profligato Zonio, ei successit Nanettus qua hæres Josephi, quem jactaus fuisse intestatum fratris hæredem proptereaque sibi tamquam mediato hæredi caput pariter addicens scutorum *centum millium* una cum cumulis, lacessere hoc nomine voluit, seque infensum præbere Camillo, et Cajetano Pizzardiis, qui bona quædam patrimonii Odoricii a creditoribus coemerant.

Sed ea potissimum de causa Sententia Tribunalis primarum actionum Bononiæ passus repulsum fuit, quod non probavit, se revera mediatum esse Antonii hæredem. Eadem exceptio non probatæ qualitatis hæreditariæ Nanetto nocuit novam actionem apud abrogatum juridicum A. C. Collegium proponenti de bonis reliquis Odoricii patrimonii; ære alieno deducto, vindicandis. Quo ergo facilius propositum obtineret suum, novum judicium instruxit coram A. C. Albergbinio, ac nullitatis insimulavit testamentum ab Antonium conscriptum, ex quo hæredem fecerat Zonium. Adversa Sententia perculsus, provocavit ad Sacrum Auditorium, quo coram eamdem expertus fuit sortem ex tribus Decisionibus dierum 5 Maii, 4 Juli 1826., et 23 Aprilis 1827 coram Eminentissimo Marco Collega emeritissimo, quas omnes deinde excepit Rotalis Sententia. Validitate itaque testamenti vindicata, provocavit Nannettus ab ea Sententia Tribunalis primarum actionum Bononiæ, quæ petitionem reiecerat scutorum *centum millium* una cum cumulis, ex qua de possessione bonorum emptorum fratres Pizzardios ejicere conabatur. Sic commissa est mihi causa, qui rogationem hodie proposui ita conceptam —,

An et in qui summa constet de credito favore Josephi tam pro capite, quam pro cumulis, ita ut sit relaxandum mondatum in casu etc. =, et responsum retuli = *Negative in omnibus* =.

1 Indubium profecto Sacro Ordini visum est nefas esse Jucundo Nannetto in appellationis judicio actionem semel constitutam variare. Ipse enim judicium instituit coram Bononiensibus primum actionum judicibus = *nella quolifico di erede intestoto, mediato di Antonio Odoridi* = Modo autem agit qua ex testamento hæres Josephi, quem non Antonii germani fratris, sed avunculi etiam Petri Antonii intestatum bæredem fuisse contendit. Postulabat coram Bononiæ Tribunali Nanettus ex notissima lege VI. Thermidori anni V integrum caput scutorum *centum millium* una cum cumulis ex Pontificio Chirographo conficiendis, nunc petit dimidiosque cumulos in summa ad aliquidum perducenda ex celebri lege alia VI. Florealis anni VI. Atqui nihil in jure magis exploratum, eam adamussim actionem ad judicem appellationis esse dolerendam; quæ a judice, a quo provocatur, cognita fuit. *Leg. 4 cod. de reparat. Scacc. de oppellat. quæst.* 1 *art.* 3 *num.* 17 *Rot. in recen. dec* 196 *num.* 14 *et dec.* 231 *num.* 12 *recen. et dec.* 230 *num.* 2 *cor. Riminaldo.* Retenta igitur vera indole actionis primum institutæ, et qualitate actoris, qua hæredis scilicet medietati Antonii ex persona ejus germani fratris Josephi, quemadmodum ipse fuit a judicii limine rejectus apud Judices primarum actionum Bononiæ, ita et multo magis rejici hodie debet.

2 Dum res enim agebatur coram Judicibus primae jurisdictionis non probabat quidem Nanettus, sese mediatum esse hæredum Antonii, atque adhuc latebat, an testamentum ab hoc conditum ex præscripto Pontificis in *Cop. cum esses de testomentis*. nec ne sustineretur. Hodie vero, quum certum sit ex solemni rejudicata, cui tres prævierunt inter se concordes Decisiones cor. Eminentissimo Marcó sub titulo *Bononien nullitatis testamenti* validas omnino esse testamentarias Antonii tabulas quibus hæredem nominavit Zonium famulum suum, deficit prorsus fundamentum mediatæ illius qualitatis hæreditariæ cui tota innitebatur actio a Nanettio instituta. Si igitur præjudiciali exceptione repulsus fuit actor a Judicibus primæ jurisdictionis, eamdem actionem cor. Judicibus appellationis multo minus in præsens proponere valet, postquam præjudicium legitimum redditum est ex rejudicata, quæ vetat, ne amplius ille pro hærede intestato, et mediato Antonii jactare se audeat. Qua de re obstat necessario resjudicata, ne quid petere possit a creditoribus, quibus hoc unum est, carere Nanettum qualitate hæreditaria, ex qua una litem contestatus est causam per non jus actoris vincere debeant.

Sed æque actoria intentio corrueret 3
utcumque hæreditariam qualitatem probaret, vel uti hæres mediatus Antonii postulavit. Non ideo enim quia hæres esset mediatus Antonii necessario sequeretur, fideicommissaria bona impetero posse. Perspectissimum utique Dominis Meis visum est fideicommissaria bona, sive centena illa millia nummorum una cum cumulis ex Pontificii Chirographi lege conficiendis libera evasisse in Antonio, sive lex Thermidoriana, sive alia Florealis præ oculis hadeatur. Nam Lex VI Termidori, quæ fideicommissis cladem intulit, et bona subjecta vindicavit in libertatem penes eum, qui ad tempus editæ legis in illorum possessione versabatur, publici juris facta fuit anno 1797, quo adhuc vivebat Antonius. In eo ergo libera bona fideicommissaria una cum cumulis ovaserunt. Idem pariter judicium ferendum est, etiamsi cum lege Florealis quæstio dirimatur, quæ prodiit anno 1798 ad diem vigesimam sextam Aprilis, constituitque *Art.* 1 = *Sono annullata tutte le disposizioni fatte fin qui tanto per atto fra vivi, che di ultima volontà a fovore di persone o certe, o incerte, e future ordinanti cumuli di rendite di beni* = ac in soquenti articulo præscripsit = *I beni sciolti a tenore dell'*

Art. 1 dal vincolo di cumulo diventano liberi nella persona chiamata, se questa è certa, e vivente, aegli eredi intestati dell'institutore del cumulo, avuto riguardo alla morte di lui, se la persona chiamata sia incerta, e non nata ancora =.

4 Jam vero, si tempore editæ legis sospes adhuc erat Antonius quippe qui in fata concessit ad diem *decimamquintam* Maii ejusdem anni, is fuit persona certa, et vivens, io qua libera facta sunt bona fideicommissaria una cum cumulis. Nec officit Pontificium Chirographum, qnasi ex eo fuerit vetus fideicommissi vinculnm sublatum. Chirographum Pontificium, ne Creditores Antonii prorsus eluderentur nil aliud imperavit, nisi ut ingens quantitas bonorum fideicommisso subjectorum ad centena millia scutorum dumtaxat coerceretur, adeoque incolume quoad quantitatem hanc, quoad gradus, qooad personas vocatas fideicommissum ipsum servavit, ut ex ejus redditibus anniversarias præstationes utrique fratri Antonio, et Josepho, nec non uxori Antonii persolvi, reliquos vero fructus in cumulum poni in augumentum fideicommissi, et in vocatorum commodum jusserit converti. Noo spoliavit igitur Antonium fideicommissi compendio, sed illius dumtaxat administratiooe, non statuit eumdem Antonium uti hæredem gravatum habendum amplius non esse, sed voluit solum, ut futuri vocati rem fideicommissariam acciperent ab administratoribus, qui vicem Antonii gerebant, ejusque personam ræpresentabant.

5 Caeterum lex Florealis cumulos respexit ab ipso fideicommittentes præscriptos vel actu inter vivos vel ultima voluntate, veluti patet ex ipsius legis litera, in qua declaratum extat, ut si persona futuri vocati incerta foret, vel non nata, succederent = *gli Eredi intestati dell' institutore del cumulo* = Respexit propterea casum, quo nemo extiterit hæres gravatus aut fideicommissariæ substantiæ possessor. Contra vero cumulum, de quo quæritur, haud imperavit fideicommissi auctor, sed ex transactione a Summo Pontifice probata creditores, et fratres Odorici, conjunctis studiis, constituerunt, atque ita constituerunt, ut caput centum scutatorum millium, defunctis sine prole fratribus Odoriciis, commodo cederet creditorum. Voluntati autem fideicommittentium, non transactionibus privatorum, neque Principium placitis Gallicæ leges, et Italicæ da tollendis fideicommissis editæ derogarunt, veluti arguit S. Ordo in *Romana pecuniaria* 3 *Junii* 1804 § 5 *cor*, *Tassoni*, *et in Camerinen. Immissionis* 4 *Julii* 1823 § 5 *cor*. *Emo Isoard*.

6 Utcumque vero caput scutorom centum millium una cum cumulis liberum evaserit in Antonio, ne tamen de eo libere disponeret, et in hæredes quoscumque transmitteret, obstabat transactio cum ditoribus inita, et Pootificia auctoritate roborata, in qua, disertissime pacto conventum fuit = *che se poi verranno a morte ambedue i fratelli Odorici senza figli, cosicchè venga a purificarsi la spirazione dei mentovati fidecommissi, debba in tal caso cercare immediatamente il multiplico, e restar libero non solamente il capitale stesso di scudi centomila assegnato per li fidecommissi, ed in conseguenza debba ceder tutto a comodo dei creditori del divisato patrimonio* =. Ex quo fit, nt Nannettus, vel uti Aotonii hæres mediatus vel uti hæres immediatus Josephi habeatur, hæc nihilominus hæreditaria qualitas nullo ei modo prodesset ad vindicandum tam caput censum millium scutorum, tam hujus dimidium una cum cumulis. Considerari enim caput ipsum, et cumuli debent tamquam res donata, distracta, obligata antequam hæredis fieret institutio, quæ idcirco comprehendi in hæreditate non potest.

7 Nec regerendum, eo dumtaxat in casu creditores ex transactione experiri jus potuisse ad caput scutorum centum millium una cum cumulis, quo fratres Odoricii absque liberis decessissent, ideoque non esse hoc pactum ad alium casum protrahendum, quo ex nova, et inexpectata lege fideicommissi vincula delerentur. Casus enim obitus fratrum

Odorici sine filiis non *taxative* fuit transigentibus præfinitus, sed demonstrationis tantum gratia neque alia de caussa, quo tempore inter creditores, et fratres Odoricios concordia celebrata fuit, unum casum obitus fratrum Odorici sine prole contrahentes spectarunt, nisi quia nemo futuram fideicommissorum abrogationem suspicatus fuisset. Verumtamen conventionis illius spiritus hoc certe monstrat, hujusmodi fuisse contrahentium mentem, ut quocumque modo sive per legem, sive pér prolis defectum interirent fideicommissa, caput scutorum centum millium una cum cumulis lucrarentur creditores. Nam si et caput, et cumuli in gratiam futurorum vocatorum unice præscripti fuerunt, cessat porro ratio, et caussa, cur caput, deficiente prole amplius existeret, cumulique conficerentur. Attendi demum non debet quidquid demonstrationis caussa expressum sit, sed effectus unus, et spiritus demonstrationis inspiciendus est, sequutoque effectu, non est amplius inquirendum de modo, quo evenerit. *Mantic, de conject. lib.* 11 *tit.* 16 *n.* 4, *Rot. dec.* 589 *n.* 9 *coram Seraphino, in Rec. dec.* 93 *n.* 7, *in Romana, seu Viterbien. fideicommissi* 27 *Febr.* 1764 § 11 *coram Cornelio, et in Romana Fideicommissi* 7 *Dec.* 1767 § 6 *cor. Origo.*

8 Accedunt his omnibus renunciationes, quarum copiam maximam fecit Joseph pluribus instrumentis dierum 11 Junii, 13 Augusti, 11 Decembris 1793; et demum 13 Februarii 1795, ex quibus verbis amplissimis valedixit — *a qualunque azione, e ragione, che per qualsivoglia titolo, e causa presente, e futura, pensata, o impensata potesse competere contro lo stato, ed effetti presenti, e futuri Odorici in ogni miglior modo* —. Vis quippe, et amplitudo clausularum, quibus renuncians usus fuit, cum quemcumque casum complectantur: tum ambigi non sinunt, quin animo suo is casum prospexerit, quo per novam, et inopinam legem fideicommissa abrogarentur. *Gratian. discept. forens. cap.* 586 *num.* 27, *Rocc. disput. juris cap.* 55 *num.* 18, *Galerat. de renunciat. lib.* 4 *cap.* 2 *n.* 32, *Rot. dec.* 603 *n.* 7 *part.* 19 *tom.* 2 *Rec.*, *et dec.* 978 *num.* 4 *et seq. cor. Molines.* Tanto imo magis renunciationes attendi debent, quo certius est, non modo correspectivas, sed utiles quoque plus Josepho, qui, præter ademptam conspicuam annuam præstationem, ab insigni mole æris alieni tum nomine suo, tum in solidum cum fratre contracti sese redemit, quam creditoribus fuisse. Jam vero nihil absurdius, et iniquius in jure, quam ut renuncians, vel ejus hæres, firma, et incolumi manente renunciatione, ad jura renunciata regrediantur: *Rota in Ariminen, Regressus* 26 *Januarii* 1776 § 2 *cor. Soderino, in Pisauren. Bonorum quoad Primogenituram Petri Matthæi* 24 *Januarii* 1777 § 4 *coram De Aayane, in Lucana Immissionis* 7 *Decembris* 1721 § 7 *cor. Rma P. D. Pianetti.*

Et ita etc. Utraque etc.

CIVITATIS CASTELLI

IMMISSIONIS IN SPECIE

Veneris 11. *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Natura judicii familiae erciscundae exigit, ut unicuique heredi tribuenda sit portio sua, et ut eam non ex uno, vel altero praedio praecipiatur, sed ex omnibus bonis, ac generis cujuscumque rebus, quae haereditarium assem constituunt.

SUMMARIUM

1. Curator divisionem bonorum a coheredibus petere potest, ut portionem pupillo debitam assequatur.

2- In divisione hereditatis non potest alter ex heredibus bonorum florem accipere, quaeque deteriora sunt caeteris relinquere heredibus, sed omnia quae divisionem patiuntur dividi debent. Reliqua vero quae dividi nequeunt, uni tantum addicenda, cum onere praestandi congruam in numerata pecunia erga alterum aestimationem.

3. In divisione hereditatis non licet quod magis arridet sibi seligere cum alterius detrimento, et tacita voluntate: aequalitas enim quae ve-

luti regimu in divisione dominari debet omnino exularet.

4. *In judicio familiae erciscundae non quantitatem, sed partem et portionem hereditatis singulis dividentibus tribui oportet.*

4. *Judicium divisionis nil officit judicio redintegrationis, et damnorum sarcitioni.*

DECISIO CCCLXXV.

Testamento suo, cui dedit operam, antequam moreretur, die 7 Maii anni 1764 Julius Chiausini, pannorum sericorum, telarumque mercator Tipherni Tiberini in Umbria, hæredem usufructuariam universalem nominavit uxorem suam Catharinam Belliam, proprietarios aut universales hæredes instituit quatuor, quos habebat, filios masculos, Josephum, Joannem Baptistam, Cæsarem, Floridum, onere eis adjecto argenteorum nummorum *millia* filiabus, Aloysiæ, Veronicæ, ac Mariæ Gratiosæ solvendi, si nuberent; monasticam vero dotem eisdem rependendi, si virgines Deo se voverent. Inventarium hæreditatis defuncti Viri statim confecit hæres usufructuaria, ex quo patuit bona plura infrugifera ac nomina debitorum irritæ spei in patrimonio reperiri. Dum adhuc erant in ephebis, religiosis familiis nomen deinde suum dederunt Caesar, et Joannes Baptista, donatione hæreditariæ portionis in matrem collata: a patriis autem laribus Floridus recessit, multas secum auferens res pretiosas, lintearias, et cælatum argentum unusque Joseph Matris suæ lateri semper adhæsit.

Quæsita hinc alimentorum causa, ipse Floridus fundum hæreditarium non exigui valoris occupavit, in ejusque possessione, per quinquennium versatus fuit, illius fructus sibi injuria addiceos, donec; auctor judice, ab ea dejectus, et debitor ob fructus injuria perceptos declaravit est scutorum *termillium* et *centum*, quæ tamen, transactione cum matre, et fratre ab eo inita, compensare cum alimentis ipsi Florido debitis obtinuit, ac ei, ultra hujus nominis compensationem, scuta *quatuor centum* in transactione ipsa persolvenda esse constitutum fuit. Sed postea, matre adhuc sospite, quæ universo hæreditatis usufructu potiebatur, cum inter cubicularios S. M. Pii VII fuisset adscitus, fratrem provocavit, apud jusdicentem Tipherni, ac erciscundæ familiæ judicium instruxit. Inimica Sententia repulsus, ad Præsulem A. C. Mastai confugit, qui anno 1805, ad diem *vigesimam* Decembris, cum in fata interim Catharina concessisset jus actoris comprobavit ad hæreditarium quadrantem assequendum una cum fructibus, ab anno quidem 1796 restituendis, sed cum pecuniis, et alimentis a Florido perceptis, servata proportione, nihilominus compensandis.

Conscendit deinde quæstio ad N. Sacrum Ordinem, ubi die *secunda* Decembris anni 1807 rescriptum illud editum est, ex quo viro jurisconsulto provincia data fuit, tum expendendi vires hæreditarias Julii Chiausini, redditionemque rationum a Josepho recipiendi, qui patrimonium, nedum viva, sed mortua etiam matre, semper administraverat, tum ad liquidum perducendi portionem Florido debitam, quam ad summam evehi scutorum 7040 75 ab evulgata judiciali relatione deinceps apparuit. Obiit hinc ære obrutus alieno Floridus, cujus hæreditati curator a Judice delectus judicium jam inceptum super traditione hæreditariæ portionis ad exitum perduxit, Sacri Nostri Tribunalis Sententiam obtinens a R̃ño P. D. Patrizj Archiepiscopo Philippensi subscriptam, cujus ope hæreditaria portio, a patrimonii curatore petita, prefinita fuit in scutis 6953 98, una cum fructibus ad trientis usque modum evectis. Sed falso reputans patrimonii curator, Sacri Auditorii Sententiam impune posse pro quantitate præfinita executioni committi, quin antea de immissione in specie disquireretur, nonnulla prædia hæreditaria Julii occupavit, eaque per biennium retinuit, donec tandem, renunciata nullitate possessionis, eam desere coactus fuit, et curatori alteri patrimonio interim defuncti Josephi deputato restituere una cum fructibus ac refectione expensarum, quarum liquidationem, ac

respective taxationem ego ipse Rmo P. D. Patrizj subrogatus, decreto meo confici.

Rebus hoc modo in primævum statum restitutis, et incolumi continuo manente N. Sacri Ordinis Sententia, quæ Floridi portionem constituerat, suas uterque curator partes explevit pro utilitate patrimonii, quod tuetur. Hinc enim is, qui patrimonio Josephi præest, ut ad liquidum perduceretur quadrans hæreditarius Florido debitus primus urgere coepit. Hinc alter, qui Floridi patrimonium regit, de concinnanda rogatione super immissione in specie ad quadrantem hæreditatis Julii sollicitum se præbuit. De illa secundaria quidem controversia, quæ liquidationem respiciebat, eodem tempore nominatim disceptari, quo de immissione in specie quæreretur, jussit Sacer N. Ordo. Sic cum hodie dirimendam universæ Aulæ Dubii formulam proposuissem in hæc verba conceptam = *An, et super quibus bonis sit exequendum mandatum de immittendo in casu etc.* = hujusmodi Responsum accepi, quod tam secundariæ quæstioni super æstimatione hæreditarii quadrantis implicite consuluit, quam controversiæ principi omnino satisfecit, nimirum = *Affirmative*, *et ad D. Ponentem pro deputatione periti juxta instructionem dandam* = quæ in eo, versatur, ut peritus vir quisquis erit, aut Agrimensor, aut ratiocinator, portionem Floridi sumat ex bonis hæreditariis adhuc existentibus, quæ tamen neque de pejoribus sint, neque de melioribus.

1 Postquam certum est, Floridum fuisse una cum coeteris filiis cohæredem a patre scriptum, ejusque patrimonii curatori jus per rem judicatum N. Sacri Ordinis factum fuisse ad quadrantem assequendum hæreditatis Julii Chiausini profecto ex testamento, et Rejudicata descendit, ut ipse patrimonii curator divisionem bonorum urgere valeat, et immissionem in specie ad quadrantem hæreditatis obtinere. *Lex Quoties* 10 *Cod. Famil, ercisc., Voet. in Pandect. lib.* 1 *tit.* 2 *num.* 1 *et* 9. Cum autem nullam in dubitationem adduci divisio possit, tota quæstio cohibetur admodum, quo divisio ipsa peragi debeat. Qui patrimonii defuncti Floridi jura sustinebat, tot bona propugnat judiciario pignore esse devincienda, quot æstimationem æquent portionis, quam eidem patrimonio Floridi adscripti Nostri Sacri Ordinis res judicata. At animadverterunt Domini Floridum non esse habendum uti Creditorem Chiasinicæ hæreditatis, qui prædia seligere possit super quibus mandatum Judicis executioni committat. Est ipse simplex cohæres, qui non pecuniæ creditor dici valet, sed dominus dumtaxat suæ portionis. Hæc vero portio ita est accipienda, ut non sibi alter ex hæredibus bonorum florem accipiat, quæque deteriora sunt cæteris relinquat hæredibus: sed omnia, quæ divisionem patiuntur, dividi debent; reliqua vero, quæ dividi nequeunt, uni tantum addicenda sunt, cum onere præstandi congruam in numerata pecunia erga alterum æstimationem.

Porro ita exigit natura, atque indoles judicii familiæ erciscundæ, in quo nihil vulgatius est, quam ita unicuique hæredi tribuendam esse portionem suam, ut eam non ex uno, vel altero prædio præcipiat, sed ex omnibus bonis, ac generis cujuscumque rebus, quæ hæreditarium assem constituunt, tam scilicet ex melioribus, quam ex pejoribus, tam ex frugiferis, quam ex infrugiferis, tam ex pecunia, quæ forte existat numerata, quam ex debitorum nominibus, tam ex rebus soli, quam ex domestica suppellectile, mobilibus, semoventibus, animalibus. Secus enim, si alteri liceret, quod magis arridet, sibi seligere, etiam cum alterius detrimento, et invita voluntate, res ad iniquitatem vergeret, et æqualitas illa exularet, quæ veluti regina in divisione dominari debet, et accurate servari. *Instit.* § *Si familiæ lib.* 4 *tit.* 17 *de Offic. jud. Vinn. in Comment. ad præd.* § *Si familiæ lib.* 4 *tit.* 17 *Rot. in Nuperrim. decis.* 349 *num.* 12 *tom.* 3 *cor. Falconerio decis.* 49 *num.* 4 *in Miscellan., cor. Olivatio decis.* 88 *num.* 3 *et seqq.*, *et decis.* 188 *num.* 34 *cor. Eodem.* Absurda igitur 2

est postulatio curatoris patrimonii Floridi, dum mandatum super bonis rusticis tantum executioni committendum esse contendebat. Quin imo rectissime a Sacro N. Ordioe demandetum est, ut vir peritos mox eligendus portionem Floridi sumat ex bonis hæreditarii adhuc existentibus, neque de melioribus, neque de pejoribus, ut judicio divisionis maxime congruit.

3 Nec obest in Rejudicata N. Sacri Ordinis portionem Floridi in quantitate scutorum 6954 98 præstitutam fuisse, ideoque in pecunio numerata esse solvendam, sub hasta positis fundis judiciario pignore mancipatis. Res enim Judicata judicium, quod ab initio Familiæ erciscundæ fuit, numquam immutavit, sed iotegrum, et intactum reliquit. At qui si res æstimanda est ex natura Judicii familiæ erciscundæ, exploratum in hoc judicio est, non quantitatem, sed partem, et portionem hæreditatis singulis dividentibus tribui oportere. Quo circa, dum res Judicata summam designavit, non ideo quantitatem innuere voluit, ac jus Floridi curatori tribuere assequendi symbolam hæreditariam in numerata pecunia: et significavit tantum, quæ foret illius portionis æstimatio, divisione super asso hæreditario inter cohæredes instituta. Quot vero, et quæ bona in eam causam tredi debuissent, quum res Judicata non dixerit, ita relictum existimandum est sub dispositione juris communis, quæ imperat, ut ex *qualibet bonorum classe*, ex qualibet gleba portio cujusque hæredis statui debeat, perinde ac si de portione legitima ageretur, quæ cæteroquin, ut docti sciunt, indoctique, nil aliod est, quam portio hæreditaria.

4 Quod ootem nedum spiritus, sed verba quoque rei Judicatæ revincuot, id fortius confirmat rescriptum N. Sacri Tribunalis ad diem *septimam* Maii anni 1828 editum, ex quo irritam, et nullam renunciavit captam a curatore patrimonii Floridi possessionem trium prædiorum in vim mandati, quod resjudicata concesserat in scutis 6903 98. Si enim mens Sacri Ordinis fuisset, ut mandatum in rejudicata concessum impune executioni committeretur super bonis hæreditariis, nec ex summa præfinita, et mandato tributo significare voluisset, quousque pertingeret hæreditaria portio Florido debita, exequutionem utique a Floridi curatore patratam coercuisset N. Sacrum Tribunal, quia forte excederet justam quantitatem, nunquam tamen eam penitus revocasset, et ad nihilum redegisset, veluti fecit memorato desuper rescripto. Plus ergo, quam fando exprimi valeat, ex natura judicii, ex rejudicata ipsa, ex subsequutis S. Nostri Ordinis Rescriptis manifestum est, ex præstituta summa scut. 6953 98 non quantitatem sed hæreditariæ portionis æstimationem fuisse a rejudicata præfinitam, nec ideo licere curatori hæreditatis Floridi, ad instar creditoris, hæreditario bona sine delectu impetere, sed ex unaquaque re, ex singulis bonis, portionem Florido adscriptam in scutis 6953 98 esse deducendam, bonis attamen, nominibusque hæreditarii tanti æstimatis, quanti reapse æstimata fuere quum quota illa Floridi præfinita fuit.

Quo cum res perducta sit, perperam 5
de male gesta per Catharinam, et Josephum bonorum administratione, dequa fundis hæreditariis distractis curator patrimonii Floridi querebatur, quasi exinde in compensationem accepti ex alienationibus detrimenti fas esset a regulis erciscundæ familiæ deciscere, et mandatum exequi super bonis rusticis tantum, et quidem melioribus. Principio oamque fertur booa omnia, et res hæreditarias, quod distractæ fuerunt. Florido consentiente, atque probante fuisse alienatos. Utcumque vero Floridi consensus alienationes non confirmaverit, in hoc tamen judicio, in quo solum agitur de bonorum, quæ adhuc extant, divisione, querela distractorum bonorum sibi vindicare nequit juris est curatorii patrimonii Floridi adversus hæreditatem Josephi, qui hæres quoque fuit Catharinæ matris, poterit illud experiri in separato judicio redintegratiooum, et damnorum sarcitionis: cui nil officit, nullumque detrimentum affert quidquid nunc de divi-

sione disceptatur; quæ longe distat a reintegrationibus, damnique refectione. Quod si post editam periti viri relationem constabit, nil aliud adesse in hæreditate Julii, nisi tria illa prædia, quæ executioni jam frustra subjecit, et nunc denuo subjicere vellet patrimonii Floridi curator; quod tamen in præsens nullo modo revincebatur: quin imo secus ex inventario a Catharina exarato patebat: tunc sane partes erunt Sacri N. Ordinis providendi, ne ullius ex dividentibus, et cohæredibus conditio deterior fiat.

Et ita, collectis universæ Aulæ suffragiis, meoque adjecto, decisum est, utraque etc.

CIVITATIS CASTELLI

IMMISSIONIS IN SPECIE SUPER FRUCTIBUS

Veneris 11 *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Heres dum accipit portionem sibi debitam jure hereditario, potest repetere tantum fructus de iis rebus quae natura sua frugiferae in hereditate fuerunt; non autem fructus super totum asse patrimoniale nulla facta distinctione de rebus infrugiferis.

SUMMARIUM

1. *Res-judicata, quae nulla nec nullitatis, nec injustitiae vitio laboret, servari debet.*
2. *Fructus peti possunt ex iis rebus hereditariis, quae fructus gignere suopte natura queunt.*

   Ad fructus ex mora condicendos, requisita Pauli De Castro necessario sunt – ibidem –
3. *Unicuique fas est liberum apud se explorare, an datum consilium sit nec ne profuturum*
4. *Invecta in foro est taxatio legalis non ad compensandam majorem vel minorem fructuum, quantitatem in natura, sed ad tollendas difficultates, dirimendas lites, ac longas eorumdem fructuum supputationes effugiendas.*

DECISIO CCCLXXVI.

Latius narratum est in alia mea hujusce pariter diei Decisione super immissione in specie, Floridum Chiausinium, immortalis memoriæ PII VII. cubicularium, judicio stetisse coram Jusdicente Tipherni, paternæque hæreditatis divisionem adversus germanum Fratrem Josephum postulasse; quam Judex ille denegavit, sospite adhuc matre, quæ universæ ejusdem hæreditatis usufructu potiebatur; mox indulsit primum Præsul Mastai etiam sospite matre, deinceps Sacer Noster Ordo in Causae progressu a die tantum obitus matris ex Sententia, cui subscripsit Reverendissimus Dominus Patrizj Archiepiscopus Philippensis. Cum autem in prædicta Sententia, quæ Rei judicatæ vires postea nacta est, jus factum fuerit interim defuncti Floridi patrimonii curatori quartam non minus partem paternæ hæreditatis vindicandi, quæ in scutis 6953 98 præfinita fuit, quam fructus ad rationem trientis in singula centum, et annos condicendi; binc quoad hanc alteram partem, quæ fructus respicit in genere, querelas extulit suas curator alter, qui demortui pariter Josephi patrimonio præest, eo quod, tum ex inventario, tum ex peritorum, et judiciali etiam cognitoris, qui hæreditatis statum efformaverat, relationibus innotuerat rei hæreditariæ valorem universum ex bonis confici, quorum vix triens dici posset natura sua frugiferum, obtinuitque, Rescripto N. Sacri Ordinis in Comitiis edito diei decimæ Martii anni 1828. restitutio fructuum coercita esset ad bona tantum frugifera, rejectis prorsus iis, quæ nullos pariunt fructus. At læsum reputans jus suum curator patrimonii Floridi semel, iterumque apud Sacrum Ordinem Nostrum de præfata limitatione quoad fructuum perceptionem conquæstus est, quod quum in irritum cidem cessisset, quod Sanctissimi Auditorem ideo nullum dixit Rotale Decretum, quia ex Rejudicata, tum A. C. Mastai, tum Sacri Ordinis, de integra hæreditaria simhola fructus sibi addictos indiscriminatim autumabat. Rejecit sed constanti animo Judex ille circumductionis quærelam; ac postremo iterari disceptationem concessit sit tantummodo cum clausula

» *de causis* », ideoque in caussa fuit, ut hodie, rogatione proposita, quærerem = *An constet de Rejudicata*, *seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = cui Responsum hodie in hac verba datum est. = *Constare de Rejudicata*.

1 Album enim calculum adjicendum esse Rei judicatæ illi, quæ nullo nec nullitatis nec injustitiæ vitio laboret, tralatitium est. Jam vero, seposita nullitate, de qua ulterius disputari nefas erat, postquam Decretis R. P. D. Auditoris Sanctissimi rejecta fuerat, et de qua idcirco ipse silebat patrimonii Floridi curator, quippe qui validissimam eam novit, nihil erat quod in Rejudicata ipsa foret censoria virga quoad ejus justitiam notandum, dum restitutionem fructuum voluit incohari a die obitus Catharinæ, simulque jussit, ut restitutio fructuum locum non haberet, quoad bona, et res infrugiferas. Utrumque juri, et justitiae consentaneum. Nam, si ex testamento Julii Chiausini universo hæreditatis usufructu, quousque in humanis versaretur, Catharina ipsa communis in humanis versaretur, Floridi, ac Josephi mater frui debebat; necessario sequitur, ut restituendi sint fructus a die obitus matris. De hoc tamen nullam amplius obmovebat quæstionem patrimonii Floridi curator, postquam die 17 Januarii 1808 solemni forma accepto habuerat Sacri Nostri Ordinis Decisionem, qua fructus ante obitum matris denegati eidem fuerant. Eum tamen unice dolebat restitutionem fructuum ad bona dumtaxat frugifera fuisse cohibitam. Nihil vero æquius, et justius decerni poterat. Nam nedum ex inventario, quod post obitum viri Catharina exaravit; verum etiam ex judiciali relatione constat, non solum prædia rustica, et urbana, sed nomina quoque debitorum, aliasque res mobiles in hæreditate reperiri. Cum itaque Floridi *portio ex qualibet bonorum classe sumenda sit*; tum illud maxime decet, ut restitutio fructuum quoad ea tantum bona, quæ frugifera sunt, decernatur.

Absonum quippe foret, et absurdum, ut fructus peti possent ex iis rebus hæreditariis, quæ fructus gignere suapte natura nequeunt. *Rot. in Rec. decis.* 250 *num.* 27 *Part.* 4 *tom.* 1., *Decis.* 259 *num.* 32 *Part.* 5 *tom.* 1.; *cor. Priolo Dec.* 415 *num.* 14., *Decis.* 519 *num.* 1. *et* 2. *coram Molines*, *et Decis.* 323 *num.* 8. *coram Riminaldo.* Falsum autem est huic definitioni adversari N. Sacri Ordinis rem Judicatam, quæ portionem Floridi in scut. 6953 98 præfiniens, ejus quoque fructuum solutionem in genere demandavit ad rationem trientis. Non enim jussit Res Judicata, condicendos esse fructus ex integra Floridi portione, sed fructus deberi declaravit juxta æstimationem a perito viro conficiendam, ut natura scilicet judicii, et res ipsa postulasset. Quo circa intelligendum est, Rem Judicatam fructus actori concessisse ad tramites juris, nempe quoad bona comprehensa in portione scutorum 6953 98 quæ frugifera essent. Quod si deinde apparuit in ea portione bona multa infrugifera contineri, merito fructuum restitutio sana interpretatione Reijudicatæ, subsequuto N. Sacri Auditorii cohibita fuit, ne res ad iniquitatem vergeret, ad bona tantum frugifera. Neque objiciendum erat, fructus etiam ex mora deberi. Et si namque dici velit in mora incidisse curatorem patrimonii Josephi, requisita tamen Pauli de Castro, quæ necessaria omnino sunt ad fructus ex mora condicendos, numquam interpellavit patrimonii Floridi curator, qui propterea quolibet jure nunc destituitur ad usuras ex mora petendas. 2

Quin hæreditaria bona frugifera dici possint ex eo quod Julius Chiausinius in suo testamento quoad bona tantummodo in mercatoria taberna existentia non præcepti, sed consilii tantum caussa hæredi usufructuariæ suasit ut ad foenus, et negocia exercenda bonis suis infrugiferis uteretur. Satis hoc non est, ut ex non impleto consilio fructus debeantur, veluti ac si, consilio impleto, bona infrugifera insumpta in lucrosa negocia, et foenora fuissent, quia 3

ex simplici consilio nemo obligatur, etiamsi non expediat ei, cui datur, spernere consilium. Unicuique enim fas est, et liberum apud se explorare, an datum consilium sit nec ne profuturum. *Leg.* 2 §. *fin. ff. Mandatis, Instit.* §. *Tua eod. tit.*, *Rot. in Rec. Decis.* 662 *num.* 7 *et* 8 *Part.* 4 *tom.* 3. Accedit, bona infrugifera Catharinam erogasse in æs alienum luendum, quæ hæreditas defuncti viri præmebatur. Utcumque vero per dolum, aut culpam præceptum testatoris Catharina violasset, non in præsenti, sed in separato, diversoque damnorum judicio de fructibus ex omisso, ut inquiunt *investimento* solvendis foret disquirendum.

4 Abs re demum erat excipere, ideo restitutionem fructuum non in natura, aut secundum eorum æstimationem, sed juxta taxationem legalem trientis N. Sacrum Ordinem demandasse, ut ex minori quantitate fructuum super integra portione solvendum vitium compensaret eorum bonorum, quæ infrugifera sunt. Res quippe Judicata in genere fructus ad trientis mensuram constituit, nec ullam assignavit rationem cur taxationem potius legalem, quamrestitutionem fructuumin naturam decerneret. Contra vero invecta in foro est taxatio legalis non ad compensandam majorem vel minorem fructuum quantitatem in natura, sed ad tollendas difficultates, dirimendas lites, ac longas eorumdem fructuum supputationes effugiendas. Si autem modernis temporibus a ratione trientis, quæ antea adhibebatur, ad quincuncem evecta fuit taxatio legalis, id evenit ob auctum calamitate temporum pecuniæ foenus, quod multam habet cum prædiorum urbanorum, et rusticorum fructibus analogiam. Nihil ergo proponitur, cur a Rejudicata N. Sacri Ordinis, ne per latum quidem unguem, recedendum sit.

Et ita, universo Ordine una mecum judicante, definitum est, Utraque ec.

FERRARIEN ASSIGNAMENTI

Lunae 21. *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Patri haud licet, legatis, aut praelegatis, aut alio quocumque modo legitimam portionem filio debitam imminuere, quae persolvenda est, uno excepto aere alieno, et funeris impensa, antequam legata, et praelegata deducantur, utcumque in piam causam fuerint a testatore demandata.

SUMMARIUM

1. Portio legitima, super qualibet gleba hereditaria, et super universa patris substantia filio debetur.

2. In portione legitima, omne cessat patris arbitrium, qui eam imminuere, aut quolibet alio onere gravare non potest.

3. Qui commoda sentit alicujus rei, et incommoda sentire debet.

4. Portio legitima persolvenda est, antequam legata, et praelegata deducantur, utcumque in piam causam fuerint a testatore demandata.

5. Haeredes scripti, non pro modo emolumenti, sed pro portionibus haereditariis ad onera haereditaria ferenda tenentur.

6. Jus ignorare licet illi, qui in minori versatur aetate.

Non obest juris ignorantia, ubi agitur de damno vitando - ibidem -

7. Transactio obligationem non parit, nisi in iis, de quibus transactum est.

DECISIO CCCLXXVII.

Duplex patrimonium, unum liberum, alterum fideicommissarium, quod ex familia Milesia sibi obvenerat, et liberum pariter evaserat ex Gallicis Legibus, nexibus fideicommissorum adversis, possidebat Comes Alphunsus de Patricia gente Nasellia Ferrariensi, cui unigenitus erat Petrus, ac quatuor ex eodem unigenito Nepotes, Antonius, Nicolaus, Joseph, et Aloysius. Cum prope esset, ut de vita decederet, quod accidit anno 1801 die 10 Aprilis, condendo postremæ suæ voluntatis elogio operam dedit, ex quo prælegati nomine universam substantiam ex fideicommisso Milesio profectam Antonio reliquit; hærede vero quoad patrimo-

nium suum æquis partibus instituit hac lege adjecta Nepotes omnes, ut nimirum anniversariam præstationem, partim in numerata pecunia, partim in prædiorum fructibus solvere alimentorum loco parenti tenerentur, cui huic dispositioni refraganti portionem legitimam, ex patrimonio suo dumtaxat expungendam, a filiis tradi præcepit. Sed facile viderunt Nepotes Avi testamentum non posse in ea parte consistere, in qua filio portionem legitimam super patrimonio suo tantum reliquerat si paternae voluntati restitisset.

Conjunctis hinc studiis, concordiaque inita anno 1803 ad diem 22 Martii, cum annuam præstationem patri debitam filii auxissent, tum pater ipse in hujusce auctionis caussam juribus omnibus valedixit, quæ exercere adversus Alphonsi hæreditatem potuisset. Post aliquot a concordia annos elapsos in fata concesserunt Nicolaus, et Josephus ex fratribus Naselliis, totumque Patrimonium in Antonio, et Aloysio coaluit, qui postremus transactionem anni 1803 jugiter servavit, quousque in minori versatus fuit ætate. Sed major factus, planeque animadvertens injuria sese onere teneri integrum semissem annuæ præstationis parenti persolvendi, quamvis dimidium tantum aviti patrimonii possideret, nihilque de fructibus alterius patrimonii Milesii perciperet; ea de re quæstionem movit apud Judices primæ jurisdictionis Ferrariæ. Petiit autem decerni, ut anniversaria præstatio ab unoquoque fratre rependeretur, ratione habita ad æstimationem bonorum, quæ unicuique obvenerant ex avi hæreditate. Petiit etiam, ut sibi redderetur quidquid antea præter modum, et ultra debitam quantitatem pensitaverat.

Inimica sententia perculsus ad judices provocavit, qui de Appellationibus Bononiæ jus dicunt. Hi vero utrique petitioni provocantis assentiti fuerunt, æditaque Sententia, ab utroque fratre persolvi parenti mandarunt annuam præstationem = *in proporzione della quota de' beni da essi goduti, e che godono, tanto di provenienza dell' Asse Millesi, quanto di particolare derivazione della Casa Naselli* =; ideoque post calculos ad liquidum a ratiocinatore perductos eidem provocanti concedi voluerunt = *ogni opportuno mandato per quella somma, che risulterà avere l' attore pagata di più si in generi, che in contanti della quota a lui competente sull' ammontare liquidato dei due Stati*. = Interea temporis mortem obiit Aloysius, eique juris ministerio successit ejus parens Petrus, qui litem a filio inceptam cum ad exitum cuperet perduci, Causam detulit ad Sacrum Ordinem, dubiique formulam conciliandam curavit, ita quærentem = *An, et in qua rata sit locus præstationi Assignamenti ex bonis patrimonii Millesi in casu etc.* = cui bodie mane, Antonio certamen refugiente responsum est = *Pro Informante* = nempe = *Affirmative pro viribus patrimonii Millesi, proportione habita ad vires patrimonii Noselli.*

Extra controversiam est, nedum pa- 1
trimonium Alphonsi proprium, sed patrimonium præterea Milesium ad diem obitus ejusdem Alphonsi liberum omnino fuisse, et ab omni fideicommissi vinculo solutum ex Gallicis Legibus, quæ fideicommissi nexus abrogarunt, et bona eis obnoxia in libertatem vindicarunt. Necessario hinc sequitur, ut omnes hujus nepotes, si intestatus obiisset Alphonsus, filio haud relicto, concurrere æquis partibus potuissent ad Avi hæreditatem, et successionem inhiare ad patrimonium quoque Milesium. Si tamen testamentum scribere voluit Alphonsum, institutisque hæredibus nepotibus suis, portionem legitimam filio relinquere, hæc quidem portio legitima non solum ex patrimonio proprio defuncti, sed etiam ex patrimonio Milesio, quod proprium ejus evaserat, deducenda est. Absoluti namque juris est, portionem legitimam super qualibet gleba, in singula prorsus corpora hæreditaria, super universa demum patris substantia filio deberi *Cad. Rainutius, et Cap. Raynaldus de testam., leg. Quoniam in prioribus Cod. de inoff. testam., leg. Papinianus §.*

quarta autem ff. de inoffic. testam., Surd. cons. 198 *num.* 34., *Merlin. de legitima lib:* 2 *tit.* 1 *quæst.* 1 *num.* 1 *Perez in Cod. libr.* 3. *tit.* 28 *num.* 37 *Rot. decis.* 609 *num.* 6 *coram Seraphino decis.* 194 *num.* 13 *coram Coccino*, *in Recen. decis.* 116 *part.* 3 *num.* 5 *in Romana Legitimæ super statu activo, et passivo Olympiæ Senioris* 13 *Januarii* 1755 §. 2 *coram Vicecomite*, *et in Romana Legitimæ* 10 *Martii ejusdem anni* §. 2 *coram Canillac.*

2 Apertissimæ vero juris dispositioni non obest paternum Alphunsi præceptum, qui in testamento suo jussit, ut legitima portio super patrimonio proprio tantum Petro tribueretur, nisi acceptam haberet annuam præstationem in eodem testamento relictam. Maximum enim est paternum in liberos arbitrium, quos a successione extorres facere potest patris auctoritas, aut una relicta legitima portione, aut in re certa institutis cum famigerata *Soccini* cautela, sive cum lege, ut unam legitimam portionem petere valeant, si rem certam abjiciant, ac recipere recusent. Sed in portione legitima imperanda, in qua filii, quasi patris creditores censentur, quippe qui jus exercent potius a nativitate quæsitum, quam a patris obitu quærendum, omne cessat patris arbitrium, qui neque præjudicium ullum quoad legitimam portionem inferre filio valet, nec eam imminuere, aut alio quolibet onere gravare. *Leg. quoniam novella*, *et leg. quoniam in prioribus Cod. de in off. testam. Mang. de imput. quæst.* 13 *num.* 7 *Rota dec.* 587 *num.* 4, *et* 5 *part.* 5 *et dec.* 254 *num.* 2 *part.* 14 *Rec.* Idque adeo verum est, ut post Avi obitum illico Nepotes intellexerint, viribus suis consistere in ea parte non posse Avi testamentum, in qua deteriorem fecerat filii conditionem quoad legittimam portionem, ideoque quæstiones omnes orituras componere cum Patre voluerunt, aucta anniversaria præstatione, in cujus Caussam hic nuncium misit cuilibet actioni in paternam hæreditatem excitandæ.

3 Si igitur jus consequendæ legitimæ portionis, nedum proprium Alphunsi Patrimonium, sed Milesiam quoque substantiam vi sua complectebatur, onus quoque annuæ præstationis, quod in caussam hujusce legitimæ ab hæredibus susceptum fuit, utrumque Patrimonium percellere debet. Si imo renunciatio a Comite Petro emissa, commodum quoque, et utilitatem Patrimonii Milesi respexit, juri congruit, ut Patrimonium ipsum in solutionem contribuat annuæ præstationis a renunciante in renunciationis caussam sibi stipulatæ. Est enim a juris disciplina maxime devium, ut quis commoda sentiat alieus rei, onera vero, et incommoda in alium rejiciat, licet ipsi rei, cujus commodo fruitur, inhæreant. *Leg. Plautus ff. ad leg. Falcid., leg.* 10 *ff. de reg. jur. Cujac. ad leg. deducta* 58 §. *Qui potest, ff. ad Sacram Congr. Trebell.*, *Rosental. de feud. cap.* 5 *conclus.* 74 *num.* 2 *Rota decis.* 892 *num.* 34 *coram Crispo, decis.* 791 *num.* 12. *coram Ansaldo*, *in Romana transactionis* 29 *Januarii* 1758 §. 19 *coram Molino*, *in Sabinen. annuæ præstationis* 27 *Junii* 1755 §. 6 *coram Vicecomite*, *et in confirmatoria* 13 *Februarii* 1758 §. 2 *coram Ratta* –. Nihil hinc magis injustum, quam ut totum annuæ præstationis onus in unum Patrimonium Nasellium reijceretur; Patrimonium vero aliud, a gente Milesia profectum, liberum omnino servaretur Antonio, qui non aliter symbolam aliquam annuæ præstationis de suo conferre deret, nisi pro commodo tantum, quod percipit a Patrimonio Nasellio.

Ludicrum autem fuisset Alphunsi factum objicere, qui Patrimonium Milesium uni Antonio prælegavit. Redit enim primo, quod jam ponderatum est, haud licere Patri aut legatis, aut prælegatis, aut alio quocumque modo legitimam portionem filio debitam imminuere, quæ pessolvenda est, uno excepto ære alieno, et funeris impensa, anteqnam legata, et prælegata deducantur, utcumque in piam caussam fuerint a testatore demandata, eujus favore ipsa prævalet portio legitima – *Leg. Funeris sumptus ff. de* 4

relig., et sumpt. funer., Zacch. de Salar. quæst. 33 *num.* 2 *et* 3 *Cyriac. Controv.* 304 *num.* 16 *Merlin. de legit. lib.* 2 *tit.* 1 *quæst.* 10 *num.* 2 *Mans. Consult. forens.* 16 *num.* 20; *Rota decis.* 539 *num.* 5 *coram Gregor. decis.* 96 *num.* 3 *cor. Priolo , et decis.* 10. *num.* 42. *coram Ansaldo* =. Præterea vero non de ea annua præstatione agitur, quam in testamento Comes Alphunsus filio præstituit, sed de alia, quam post Alphunsi obitum, concordia inita, in stipulatum deducta fuit inter Patrem, et filios anno 1803 Si itaque, non ex tastamento, sed ex transactione agit Comes Petrus, postulatque ad libramentum constitui annuam præstationem, eamque rependi, proportione habita ad valorem bonorum utriusque Patrimonii, nemo profecto non intelligit nullum Actori obstaculum a tesamento paterno parari, a quo tam Petrus, quam ejus filii sponte recesserunt.

5 Inscite vero in præsidium vocaretur censura *leg.* 3. *Cod. si certum pet.*, in qua cautum extat, ut scripti hæredes, non pro modo emolumenti, sed pro portionibus hæreditariis ad onera hæreditaria ferenda teneantur. Non enim hic agitur de ære alieno defuncti luendo, aut de oneribus hæreditariis inter hæredes distribuendis, sed de exequenda transactione, deque annua præstatione solvenda, quam in eadam transactione Comes Petrus in renunciationis caussam sibi pepigit. Cum autem in eadem transactione nil aliud egerint contrahentes nisi augera annuam præstationem Patri debitam sub ea lege, ut jura omnia abdicaret, quemadmodum revera abdicavit, in Alphunsi hæreditatem exercenda, nihilque fuerit conventum quoad modum hujusce oneris annuæ præstationis inter fratres distribuendi, plane arguendum est, id relictum fuisse sub dispositiona juris, in quo, ne res ad iniquitatem vergat, exploratum est, ita onus illud esse dividendum, ut unusquisque symbolam ferat suam, ratione habita ad æstimationem bonorum, quæ possidit in vim

6 renunciationis.

His demum ita se habentibus, institutæ actioni non nocet, nec factum Aloysii, qui ab inita transactione anni 1805, usque ad motam anno 1819 litem siloit semger, sustinuitque absque ulla querela dimidium annuæ præstationis; nec subsequuta transactio anni 1818. Non factum Aloysii, quia ius ignorare ipsi permissum erat, quousque in minori versatus fuit ætate. Major autem factus, etsi scire debuisset quid ex jure esset quoad modum ferendæ annuæ præstationis, satis nihilominus excusatus ex eo dicendus est ejus hæres, quod non agit de lucro captando, sed de damno vitando laborat, quod plane pateretur, si patrimonium Milesium immune ab annuæ præstationis onere renuncietur. Atque exploratissimum est ei nullatenus obesse juris ignorantiem, qui agit da damno vitando =. *Leg.* 7 *ff de jur., et fact. ignor., leg.* 8 *ff de eodem* =. Non rursus transactio anno 1818. Petrum inter, ejusque filios Antonium, et Aloysium celebrata, quia, licet in ea cessa precario fuerit administratio, et usufructus Patrimonii Nasellii cuidam Josepho Franchio, ut de quibusdam creditis satisfieret, quæ adversus eos experiebatur, simulque cautum fuerit, ut Franchius ipse teneretur menstrua scuta octodecim Aloysio persolvere, donec administratio pergeret, et ususfructus bonorum; nulla tamen in eadem transactione mentio excidit de modo distribuendi inter fratres anniversariam præstationem, ad quam ex præcedenti transactione assequendam jus Petrus habebat.

Scitum porro est transactiones obligationem non parere, nisi in iis, de 7 quibus transactum est = *Leg.* 9 *ff de transact.*, *Rota decis.* 308 *numer.* 3 *coram Molines* =. Trahi ergo eo usque non potest, ut quasi ratum contrahentes habuerint modum distribuendæ annuæ præstationis hactenus servatum. Nec ex eo, quod Aloysius menstrua scuta octodecim ex secunda transactione lucratus fuit, idcirco concludendum ejus hæredem quodammodo prohiberi, quominus indumnis de eo nunc fiat, quod in annuæ præstationis caussam plus-

quam deberet, ejus Auctor erogavit. Quidquid enim emolumenti accepit Aloysius pro transactione anni 1818 non aliter accepit, quam ex liberalitate non solum Patris, ac præterea = *per la cooperazione, che darà al Signor Franchi nell'azienda de domestici affari communi* =, verum etiam sub expressa lege quod = *il detto Signor Conte Luigi non potrà mai essere addebitato in faccia agli altri suoi fratelli* = de menstrua illa præstatione scutorum octodecim, ad quam assequendam jus ei quæsitum fuit ex prædicta transactione anni 1818. Integra ergo adhuc, perinde ac si transactio anni 1818 nunquam intercessisset, jura manent Petro ad obtinendam justam annuæ præstationis distributionem, et ad id condicendum, quod præter modum ab Aloysio solutum fuisse patebit.

Et ita etc. altera tantum etc.

FERRARIEN

NULLITATIS CONTRACTUS

Lunae 8 *Martii* 1830.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLXX. -

SUMMARIUM

1. *Repugnat Societati, ut caput integrum, exeunte societate, restituendum sit.*
   Repugnat itidem Societati ut vectigalium onus in unum socium reijciatur.
2. *Nulla consuetudo licitum reddit contractum usurarium.*
3. *Contractus ad caput salvum, ut validus renunacietur, necesse est, quod taxatio fructuum, adeo sit modica, ut aleam compenset, cui sese socius alter exposuit restituendi capitis, si male cesserit negocium.*
4. *Parcitas fructuum, unum est ex illis extremis, quae mercatorium contractum a labe faenoris eusant.*
5. *In cambiis obliquis, praeter proxenetarum testimonio, designare etiam argentariam oportet.*
6. *Modus usurarum in cambiis spectat ad accidentalia contractus, in contracto mercatorio pertinet ad substantiam.*
7. *Fructuum tenuitate deficiente, ipse deficit contractus mercatorius.*

DECISIO CCCLXXVIII.

Quod jam bis definitum fuit, nullitatis vitio laborare contractum ab Antonio Florario, et Jacobo Gulinellio initum anno 1816 ad diem *vigesimam* Septembris, cujus ope Gulinellius argenteos nummos *quatuor mille* Vindelicæ monetæ sub hac lege Florario subministravit ut per *septem* annos in bubulam negociationem impenderentur, absque ullo periculo creditoris, qui integri capitis restitutionem ad exitum contractus, intereaque temporis fructus *dextantes* sibi depactus fuit; id tertio ab universa Aula, post exquisitum in Comitiis habitis Kalendis hujusce mensis Martii omnium Patrum suffragium, confirmatum est. Cum enim iterum obloquendi copia facta fuerit Gulinellio adversus binas meas Decisiones diebus *sexta* Junii, ac *duodecima* Decembris anni 1728 evulgatas, quæsitum hodie est, an foret, nec ne, a Decisis recedendum; ac strenue quidem pugnavit Gulinellius, nihil tamen profecit, quippe qui responsum audivit = *In Decisis* =.

In hoc sine Gulinellius cum Florario in hodierno jurium experimento conveniebat, quod neque de societate, neque de trino contractu (ut ut licitus foret extimandus) actum fuisset publicis in tabulis, quibus prædicto anno 1816 ad diem *vigesimam* Septembris ipsi operam dederunt. Repugnat 1 namque societati cujus essentia in communione, ac divisione lucrorum omnium, damnorumque, versatur, ut caput integrum, sive bene, sive male sese res habuerit, exeunte societate, restituendum esset. Repugnat item societati præfinita illa, et certa fructuum æstimatio, quam sibi Gulinellius addixit, sive minus ex bubula negociatione compendium eliceretur. Repugnat denique societatis legibus, tum pactam illud, ut vectigalium quorumcumque

onus, quæ indici super ipsa negociatione a Supremo Principe potuissent, in unum Floranium rejiceretur; tum pactum aliud, ut transire, obeunte aliquo ex sociis, socialis contractus in hæredes deberet. Multo autem minus convenit trino contractui quidquid gestum est præfatis tabulis Gulinellium inter, et Florentium stipulatis anno 1816. Ipsi siquidem trini contractus propugnatores affirmant, ad validitatem hujusce contractus renunciandam, et ad sustinendam immissi capitis integram restitutionem oportere ut taxatio fructuum, quæ socio obtigit nolenti periculi incertum contractus eventum, adeo sit modica, et tenuis ut æquet, ac compenset discrimen, cui socius alter subjicitur restituendi caput, certumque lucrum quotannis solvendi, etiamsi improspero negocium succederet. Jam vero, post habitis etiam cæteris partiunibus, quæ iniquitatem stipulationis evincunt, adeo immodica fuit æstimatio fructuum, ut ea excedat quodcumque lucrum, quod sperare, rebus etiam prosperis, ad hujusmodi negoriatione liceret, a qua ob plures, quibus obnoxia est, vices, non alias, compensata annorum, ac tempestatum diversitate, quam besses fructus erui posse, testimonio negociatorum Ferrariensium comprobatur. Consulatur prima *Decis.* § 2 *ad* 8, et altera § 2 *ad* 6.

2 Supererat igitur inquirendum, an id probari posset, quod totis viribus a Gulinellio, ejusque defensoribus, reponebatur, hujusmodi contractus, qui mercatorii vulgo nuncupantur, admodum frequentes Ferrariæ fuisse usque a temporibus Atestinorum Ducum, et celebrari non minus a laicis, et mercatoribus, quam a clericis consuevisse. Sed principio animadverteruot Domini contractum mercatorium nullo modo initum fuisse, nec pecuniam erogatam fuisse in bubulam negociationem, semel ac Floranius initio ipso stipulationis professus fuit sese pecunia indigere ad æs alienum luendum, quo paterna premebatur hæreditas, et pecuniam a Gulinellio receptam idem Florianius, non in bubulam negociationem, sed in alias causas erogavit. Quidquid ergo narratum fuit in tabulis de mercatorio contractu, deque bubula negociatione, non alio consilio factum apparet, nisi ad palliandum mutuum, ac ad cohonestandum, si fieri potuisset, pactum restitutionis integri capitis, et solutionis usurarum, quas ad *decuncem* usque modum Gulinellius evexit. Utcumque vero direretur, contractum mercatorium initum fuisse, prout passim iniri Ferrariæ solebat; adhuc tamen, cum contractus ipse sit dubio procul usurarius, usuræque omni jure improbentur, nulla quidem consuetudo licitas eas reddere valet. Si quæ igitur existeret consuetudo, despici plane oporteret, quia, tamquam contra jus, et veluti morum corruptela, non excusat nummo exercentes improbum foenus usurarum. *Cap. Quia in omnibus, ibique gloss. in verb. Multi de usur., Clement.* 1 *eod. tit.*; *Cravet. var. resol. lib.* 3. *Cap.* 1 *n.* 8; *Rot. dec.* 193 *numer.* 1 *part.* 1. *Divers.*; *dec.* 409 *n.* 22 *cor. Merlino*; *et in Ferrarien. Pecuniaria* 21 *Februarii* 1825 § *fin. cor. R. P. D. Meo Bofondi.*

Quod autem Ferrariæ inoleverit consuetudo ejusmodi mercatorios contractus ineundi, nil mirum est, si animadvertatur consuetudinis initium, atque originem spectare tempus multo anterius, quam Civitas illa in Sacri Principatus imperium migraret. At notum est in Regnis Principum laicorum, et ante Pontifices, Pium V et Xistum V., multa prava circa vetitas a Sacris Canonibus usuras inolevisse, quæ penitus reprobata ab utroque Supremo Ecclesiæ Antistite fuerunt. Deterius hinc objiciebatur, nonnullorum fructuum solutione Floranium quodammodo probasse contractum. Nil enim est, quod satis sit ad probandum, confirmandumque foenus, quod per se nullum est intrinsecus, cum leges in solvente usuras merito suspicientur coactam, et non liberam voluntatem; ut monet Sacer Ordo *in cit. Dec.* 409 *n.* 26 *cor. Merlino.* Cæterum etiamsi ab antiquissimis temporibus rite, ac recte cele- 3

brari Ferrariæ contractus hujusmodi consueverit, cum nihilominus nil aliud reapse redoleat, nisi contractum, ut inquiunt, *ad caput salvum*, ad eum proinde validum renunciandum necessum est, veluti in trino contractu, ut taxatio fructuum, quos sibi is addicit, qui periculum refugit, adeo sit modica, ut aleam compenset, cui sese, socius alter obnoxium fecit restituendi capitis, solvendique fructus, etiam in casu, quo male cesserit negocium. At ex deductis, tum in superioribus Decisionibus, tum in hac præsertim § 2, adeo sunt immodici fructus, quos sibi pepigit Gulinellius, ut nullo modo valeat validitas, et justitia contractus sustineri.

4 Quapropter ruit id omne, quod ex Motu Proprio S. M. Pii VI., ineunte Januario anni 1777 publicis juris facto, proponebatur, quo facilius demonstraretur, contractum ipsum mercatorium auctoritate Pontificia fuisse probatum. Non aliter siquidem probatum saltem fuisse dicendum est, quam adjecta conditione parcitatis, et inopiæ fructuum a socio periculum respuente percipiendorum. Parcitatis quippe, et inopia fructuum unum est ex illis extremis, quæ mercatorium contractum a labe foenoris, ei usurarum excusant, prout arguunt *Malucellius*, *et Fantagutius* in præteritis Decisionibus laudati, qui multa de contractu mercatorio literis tradiderunt. Sed adeo abest contractum mercatorium apprubatum ex Motu Proprio fuisse, ut nil aliud prescripserit, nisi ut cambia *obliqua*, *et limitata* certæ intributioni subbessent. quemadmodum antea subjiciebantur mercatorii contractus. Quocirca finalis caussa Pontificiæ hujusce legis in eo potissimum versatur, ne ex introducto cambiorum usu publicum Ærarium antiquo vectigali fraudaretur. Quin imo, si ex ipso Motu Proprio constat tunc temporis in desuetudinem abiisse hujusmodi contractus, multo minus argui licet, Pontificem id voluisse probare, quod jam penitus obsoleverat. Idque magis dicendum est, inspecta Constitutione *Sixti V.*, quæ contractus omnes damnavit pravitatis usurariæ suspectos. Ea enim Constitutione, de qua mentio fit in prima, et altera Decisione utrobique § 3, non revocata, sed plenam imo vim obtinente, neutiquam dici potest, validos, et legitimos Pium VI mercatorios contractus ex præfato Motu Proprio declarasse.

Quo re producta, qui a partibus 5
Gulinelli erant, ad adstruendam contractus mercatorii justitiam frustra regerebant illum æquiparari, similemque esse contractibus cambii obliqui, eademque preseferre juris fictionem, quæ in mercatorio contractu reprobari non debet, ut in cambiis obliquis non reprobatur. Perperam etiam addebant, ipsum Pontificem Pium VI in laudatu Motu Proprio mercatorium contractum collybisticis contractibus comparasse, dum diserte declaravit, quod = *il cambio obliquo nella maniera che si costuma, non è un contratto semplice, come non lo era l'antica mercanzia, ma l'uno, e l'altro sono composti di tre contratti, mutuo, permutazione, e vendita* =. Etsi namque similes inter se sint hujusmodi contractus, et quamdam pariter contineant fictionem; non tamen iidem sunt, nec ea in ipsis locum habet forma fictionis, quam jura, et Constitutiones Pontificiæ, vel probant, vel tolerant in cambiis obliquis, quemadmodum itaque cambia obliqua expressa indiguerunt sanctione, quæ ea confirmaret, ita eadem confirmatione egent mercatorii contractus, quæ tamen hactenus desideratur. In hac vero vetita foenoris materia, non adeo facile extensio facienda est de casu ad casum, ubi identitas rei non adamussim conveniat. Ista porro non adest inter collybisticum, et mercatorium contractum identitas. Quandoquidem in cambiis obliquis, præter proxenetarum testimonium de prompta occasione pecuniam foenoris collocandi, designare etiam argentarium oportet, qui pecuniam ipsam per emporia, et nundinas curet negotiandam.

Nihil hujusmodi requiritur in con- 6
tractu, ut nuncupant = *di mercanzia* =.

Constat saoe uterque contractus mutuo permutatione, venditione: mutuum quippo consistit in datione pecuniæ; permutatio in emendis, vendendisque mercibus data pecunia; venditio demum in cessione lucrorum mercaturæ. At venditio ista lucrorum, sive modus usurarum, quas sibi creditor addicit, in cambiis quidem obliquis juxta morem regionis constituitur, idemque major, aut mioor esse solet pro temporum vicibus pecuniæ copia, rerum venalium pretio; in mercatorio autem contractu per constantem regulam adeo modicus sit oportet, ut septies saltem inferior sit sperato lucro institutæ negociationis. Verum est igitur, quod secunda statuit Decisio, modum usurarum in Cambiis spectare ad *accidentalia* contractus; in contractu vero mercatorio pertinere *ad substantiam*. Ex quo fit, ut contractui mercatorio convenire non possit, quod usuvenit io cambiis obliquis, aliisque hujus generis contractibus, ut arbitio Judicis, si immodica forte sint ioterusuria coooventa, ad justam mensuram coerceantur. Uno verbo in cambiis obliquis immoderata usurarum conventio vitiatur quidem, sed oon vitiat contractum. Non idem autem accidit in contractibus mercatoriis, quorum potissimum requisitum cum in tenuitate fructuum versetur, fit proinde, ut causam nullitati contractus præbeat fructuum excessus.

7 Quemadmudum hiuc, deficiente rei substantia, res ipsa deficit; ita, fructuum tenuitate deficiente, ipse deficit contractus mercatorius, veluti corruunt contractus mioorum, et mulierum sine solemniis, testamenta sine septem testium interventu, censuales contractus absque numerata pecunia stipulati. Hæc enim omnia pertinent, non ad formam, sed ad rei substantiam. Non poterat itaque probari, quod Gulinellii defensores ajebant, unos dumtaxat fructus ad justum modum esse cohibendos; contractum autem servari omnino oportere. Hæc enim præcipue est eorum poena, qui illicitis dant operam contractibus, ut, si quid de eorum substantia desideretur, id satis sit ad illorum nullitatem renunciandam. Cum vero essentia mercatorii contractus in tenuitate fructuum consistat, tum illud certum est, eum, qui fructus immodicos fatetur, nullitatem contractus insimul fateri, et poenæ nullitatis sese sponte subjicere. Non poterat igitur ullo modo sustineri contractus Floranium inter, ac Gulinellium gestus, quem usurarium, et nullum, re mature discussa, Patres denuo noverunt, habita in cæteris ad præcedentes meas Decisiones relatione.

Et ita, accedente meo quoque suffragio; Universa Aula judicavit, utraque parte informante.

FOROLIVIEN CONSUCCESSIONIS

Veneris 14 *Maii* 1830.

ARGUMENTUM

Etsi renunciatio, cui in nuptialibus tabulis assentita fuit mulier, latissimis verbis concepta sit, ea tamen eo ferri nequit, ut complectatur etiam jura illa successionis, quae de tempore factae renunciationis neutiquam mente concipi poterant, quaeque ex nova penitus lege cuique incognita, et in futurum edenda, renuncianti quaeri potuissent.

SUMMARIUM

1. *Non potest revocari mandatum, ubi res non sit amplius integra.*
2. *Non est concedenda restitutio in integrum adversus Rem-judicatam, quam quis acceptam habuit.*
3. *Metus ex mandato judicis incussus, nullam justam praebet causam ad rescindendum contractum ob vim.*
4. *Renunciatio, quamvis latissimis verbis concepta, eo tamen ferri nequit, ut complectatur etiam jura quae de tempore factae renunciationis mente concipi non poterant.*
5. *Utcumque renunciatio futura quaevis successionis jura comprehenderet, irrita nihilominus est, si deest correspectivum.*
6. *Nullus est contractus, in quo Judex decretum interposuit, absque causae cognitione.*
7. *Filias dotare officium est patris, vel avi.*

Nullius momenti est renunciatio illa, quae nubentem puellam juribus suis privat, absque ullo emolumento - ibidem. -

8. *Dotis congruentia, non est ab antiquo tempore existimanda, si intermedio tempore, accidit fortunarum ampliatio.*
9. *Renunciatio, quae nullitatis vitio inficitur, perinde habenda est, ac si nunquam inita fuisset.*

DECISIO CCCLXXIX.

Renuente Cosma, ex Marchionibus Paulucciis Forolivii, dotem constituere Nepti Mariæ Guerrieræ nubenti patricio ejusdem Civitatis viro Marchioni Francisco Merlinio, necessum fuit Fabritio ejusdem Cosmæ Filio, paternæ potestati subjecto, S. M. Pontificem Clementem XIV. adire, ab eoque impetrare, ut ex ejus auctoritate, et imperio dos congrua novæ nuptæ rependeretur, quam summus ille Ecclesiæ Antistes rescripto suo in *scutis septem millibus* præter mundum muliebrem, aliis nummis argenteis *millibus* æstimatum, persolvendum esse jussit. Data binc opera fuit anno 1772 die 6 Februarii stipulationi solemni publicarum tabularum nuptialium, in quibus nuncium verbis amplissimis misit Maria Guerriera juribus omnibus = *che in qualsivoglia modo le competono, e possano, o potranno mai competere ex causa de præterito de præsenti, et de futuro sopra tutti, e singoli beni paterni, materni, degli Avi, Avie, e di qualsia altro ascendente, degli Zii Zie, e di qualsivoglia altro agnato, cognato, e transversale di prossimo, o remotissimo grado* = uno excepto casu, quo linea masculorum de gente Pauluccio prorsus exarescet, quibus defectis, sarta tecta sibi reservavit jura successionis.

Post obitum tamen parentis, qui decessit exeunte Junio anni 1810 facile reputans Maria Guerriera, sibi nec renunciationem obesse, nec statutarias leges a Gallis tunc temporis summam rerum obtinentibus abrogatas, consuccessionem contra tabulas ad hæreditatem Patris, a quo fuerat legato tantum honorata, adversus germanum fratrem Franciscum postulavit, et per rem judicatam Tribunalium Gallorum consecuta est, quæ prope erat, ut executioni committeretur, quum Franciscus, qui nobilis matronæ actionem potissimum oppugnabat, rem omnem per privatam apocham anno 1814 ad exitum Julii initam datis in solutum fundis conciliandam cum sorore curavit. Sed extemplo, Gallis exactis, evenit, ut instauratum fuerit feliciter in Emiliæ Provincia Sacri Principatus imperium, cujus leges ad vitam revocatæ fuerunt. Tunc Franciscus ad supremum confugit Signaturæ Justitiæ Tribunal, a quo potestatem obtinuit restitutionem in integrum a Sac. Ordine implorandi, quæ concessa fuit in Comitiis habitis anno 1817 ad diem quartam Julii, dilationem perperam urgente Maria Guerriera, prout patet ex Decisione edita a cl. mem. Card. Serlupi. De viribus hujusce Decisionis quæsitum fuit anno 1819 in audientia diei 21 Junii, sed nulla, scissis in æquas partes suffragiis, prodiit definitio. Interim vero, defuncta Maria Guerriera, cum ejus filiis Philippus, Paulus, aliique de illustri familia Merlinia decisionem ipsam summis viribus impugnaverint, docilitatem, et sapientiam Dominorum Patruum experti maxime sunt, qui hodie usque ad *sextum* rogati a *decisis* recesserunt.

Neque enim firmo, et recto statu in 1
decisio illa Sac. Auditorii a clar. mem. Card. Serlupi, jam ejusdem Sacri Nostri Auditorii Decano evulgata, dum rem judicatam ex duabus conformibus sententiis ortam Tribunalium Regni Italici retractavit, atque convulsit, quæ imo digna erat, ut albus ei calculus adjiceretur, tum quia res non erat amplius integra, tum etiam quia juri, et justitiæ maxime congruebat. Et primo quidem res non erat amplius integra, postquam, edita rejudicata, cujus ope consuccessionis jus ad quadrantem paternæ hæreditatis Mariæ Guerrieræ concessum fuit, tam ipsi Mariæ Guerrieræ, quam Francisco ejus fratri placuit procuratores eligere, ut ad liquidum perduceretur, procul ab judiciorum ambagibus, hæreditas a communi genitore relicta, ex eaque expungeretur quota Mariæ Guerrieræ debita ad tramites rei judicatæ. Procuratores autem munus sibi commissum suscepe-

runt, et absolvendum curarunt, exarata, et subscripta anno 1814 pridie Kalendas Augusti singrapha in plures articulos dispertita, ex qua prædia nonnulla Maria Guerriera in solutum accepit, quorum æstimatio cum quadrantem hæreditatis, ad quem illa jus habebat, in scutis millibus excederet, sese mulier obligavit intra certum tempus hanc pecuniæ summam fratri restituere, cui jus in apoca fecit inscribendi super bonis suis hypothæcam, ne quid interea Francisci res detrimenti caperet.

1 Jam vero in eligendis procuratoribus, et mandatariis Franciscus, et Maria verbis conceptissimis promiserunt = *di aver sempre rato, grato, valido, e fermo tuttociò, che verrà fatto stabilito dall'anzidetto mio procuratore* (ita quisque separatim spopondit) *come sopra constituito, nè di mai contradirlo, o impugnarlo nè in giudizio nè fuori, rinunciando a qualunque eccezione, e contradizione* = Id ipsum juxta acceptam a mandantibus legem in apocha conventum fuit ubi, procuratores voluerunt, ut post apocham ipsam subscriptam unusquisque ex constitutis articulis esset = *irrevocabile, ed obbligatoria per ciascuna delle parti, perchè così per patto, e special condizione.* = Post hæc igitur, quæ plane probatam Rem judicatam demonstrant, prorsusque mutatam ostendunt controversiæ conditionem, res non est amplius integra, nec locus esse potest in integrum restitutioni, quæ res tanta maturitate: et consilio compositas non ictu prusterneret = *Leg. ad solutionem* 5 *Cod. de re judic.*, *leg. cum antea* 5 *Cod. de recept. arbitr.*, *Rota in recen. decis.* 268 *num.* 3 *part.* 16 *coram Lancetta decis.* 665 *num.* 5, *coram Caprara decis.* 80 *num.* 3 *decis.* 18 *num.* 20 *coram Crescen.*, *decis.* 481 *num.* 3 *coram Riminald.*, *et in decis.* 70 *num.* 4 *coram Roverella.* Hinc autem re perducta, perperam reponebant defuncti, fervente lite Marchionis Francisci defensores, nihil faciendam esse conventionem anni 1814 post rescriptum, quod a Patribus Signaturæ suffragantibus Pauluccius impetravit, ut de injustitia rei judicatæ disceptare posset apud Sac. Auditorium. Non enim per rescriptum illud concessa fuit in integrum restitutio adversus rem judicatam, sed facultatem dumtaxat Pauluccius obtinuit petendæ in integrum restitutionis apud Ordinem nostrum, qui de meritis reijudicatæ cognitionem assumeret.

At vero data hujusmodi facultas fuit, 3 rebus in eodem statu manentibus in quo reperiebantur, antequam rescriptum prodiret Signaturæ, et integris omnino servatis pactis, et conditionibus, quæ inter partes intercesserant. Si itaque hæc pacta, et conditiones, quas nec obliteravit, nec obliterare poterat Signaturæ Tribunal, potissimum obstant, quominus in discrimen res judicata revocetur, plane consequitur, rejiciendum esse petitum restitutionis in integrum beneficium. Animadvertendum porro est, conventionem initam anno 1814 exeunte Julio, ut ut transactionis nomen ei non fuerit appictum, in transactionem resolvi semel ac compertum est ad plures evitandas controversias, et judiciorum ambages de viribus paternæ hæreditatis, datam ei operam fuisse, ex eaque agnovisse Mariam Guerrieram = *valide le disposizioni fatte da Fabrizio coll'ultimo suo Testamento unitamente ai fogli intitolati stato attivo, e passivo ritenute ferme, ed in pieno vigore le stime, ed i prezzi attribuiti dal Testatore tanto per li stabili, che per li caseggiati appartenenti alla di lui eredità* = Eo igitur minus, interveniente transactione, revocari potest res judicata, sed utraque obicem firmissimum parat, quominus dubitari amplius valeat de jure Mariæ Guerrieræ succedendi ad hæreditatis paternæ quadrantem. Quin ullum facesset negotium, Franciscum non ultro, nec sponte, sed metu coactum imminentis executionis conciliationi manus admovisse. Neminem quippe latet, metum ex mandato judicis, et ex imminenti exequutione incussum, nullam justam præbere causam, ex qua ab initio contractu recedendum sit. *Leg. continet* 3 § *sed vim ff de eo, quod met. caus.*, *Voet. in Pandect. lib.* 4 *tit.* 2 *num.* 10, *Rot. post Duard. de cens. dec.* 390 *num.* 4, *dec.*

106 *num.* 2. *et seq. cor. Merlino*, *et dec.* 19 *num.* 11 *de Offic. Ordin. cor. Falconerio.*

4 Juri autem, et justitiæ (quod est secundo loco demonstrandum) maxime congruit resjudicata, quæ consuccessionem cum fratre, et sorore dedit Mariæ Gucrieræ ad quadrantem paternæ hæreditatis. Etsi namque renunciatio, cui in nuptialibus tabulis assentita fuit Maria Gnerriera, latissimis verbis concepta sit: ea tamen eo ferri nequit, ut complectatur etiam jura illa successionis neutiquam mente concipi poterant, quæque ex nova penitus lege cuique incognita, et in futurum edenda renuncianti quæri potuissent. Nemo siquidem, ut prudens, et rectus rerum æstimator, prospicere valebat animo suo tempus aliquando extiturum, quo municipales leges delerentur, et, exequata masculorum fæminarum conditione, utriusque aditus pateret ad paternam, maternamque successionem. Receptissimum porro est, voluntatem non trahi ad incognita, et renunciationes quamvis generale, et amplissimas, cum stricti juri sint, cohiberi semper ad suam causam, eamque semper faciendam esse interpretationem, quæ renuncianti minus sit nocitura *Cyriac. controv.* 139 *num.* 4 *Hodier. ad Surd. dec.* 176 *n.* 30 *Thomat. dec.* 40 *num.* 70 *Rot. dec.* 346 *num.* 10 *et seq. cor. Danozet. Jun. dec.* 7 *n.* 17 *cor. Bichio, et dec.* 465 *n.* 7 *cor. Molines.*

5 Eoque magis de renunciatione Mariæ Guerrieræ ita sentiendum est, quia una exceptio, quam renuncianti placuit adjcere, compertissimum efficit nobis, eam nihil de futuris probabilibus successionis juribus, sublatis statutariis legibus, remittere voluisse. Si enim renuncians apertis verbis salva sibi voluit successionis jura in eo unico casu, quo deficeret agnatio masculorum de Gente Paoluccia, non inepte ex analogiæ argumento collibi exinde potest, eam renunciantis mentem fuisse, ut nullam vim habere renunciationem intelligeret eo quoque in casu, quo ob statorum abrogationem, novaeque legis promulgationem, succedendi sibi fieret potestas. Utcumque autem tum verba renunciationis, tum etiam renunciantis voluntas ea fuisset, ut renunciatio futura quævis successionis jura comprehenderet; irrita nihilominus facta fuit renciatio ex Thermidoriana Gallorum lege anno 1797 evulgata, quam jugiter retinuit in hisce quæstionibus dirimendis Sacrum Auditorium, nec umquam delevit subsequens civilis eorumdem Gallorum Codex, qui nihil prorsus sancivit de renunciationibus ante Gallicarum legum promulgationem emissis, prout testantur *decis.* 175 *et* 176 *coram Emo Isoard.* Ex ea quippe lege non aliter renunciationes istæ sustinentur, quam si viribus consistant suis contractus ultro, citroque obligatorii, ac correspectivi.

Re itaque inspecta juxta regulas contractus ultro citroque obligatori, ac correspectivi, corruit omnine renunciatio, quia defuit causa renunciandi, defuitque *correspectivitas*, ac utilitas seruncianti, quorum omnium defectus si contractum quemlibet infirmat, a fortiori mulieris, et minoris obligationem irritam facit, animadversis Constitutionis Benedictinæ sanctionibus. Utique non desideratur in nuptialibus tabulis neque proximiorum interventus, neque judicis decretum. Sed in eo peccatum est contra tam providam legem S. M. Benedicti Pontificis XIV. quod judex ipse renunciationis causa non cognita, decretum interposuit, et renunciationem probavit. Si enim avus dotem nepti constituens, obligationi suæ satisfecit, proprium debitum solvit. ac imperio denique Pontificis Climentis XIV. obtemperavit; nulla certe adfuit renunciandi causa: tum quia valedicebat Maria Guerriera illis juribus; quæ numquam, sospite statuaria patriæ lege, potuisset exercere: tum quia in precibus; quas Pontifici exhibuit Fabritius, nullam mentionem fecerat de renunciatione, sed constitutionem Dotis in scutis *octomillibus*, quam vix congruam præ conditione, et statu familiæ profitebatur, dumtaxat imploravit: tum quia denique Pontifex Dotis constitutionem præceperat absque ullo onere 6

renunciandi. Excidit itaque montio renunciationis, quemvis ampla et diffusa, ex loquacitate incpta Tabellionis, qui forte, ut consuetudini regionis inserviret, refragatus est clausulis suis voluntati contrahentium, apertæque legi Pontificii Rescripti.

7 Præter causam renunciandi defuit etiam *correspectivitas* renunciationis. Si namque congruam dotem a Pontifice constitutam excipias, nihil pro juribus renunciantis Maria Guerriera assequuta fuit. At filias dotare officium est Patris, vel Avi: nequo dos, quæ, congruontiæ motam non excedit, idonea et sufficiens existimatur caussa, cur filia jura abdicet; si quae babet, ac babere potest, ad paternam aliasque hæreditates. Nullius quippe momenti est renunciatio illa, quæ nubentem puellam juribus suis absque ullo privat emolumento. *Rot. Dec.* 14 *num.* 14 *num.* st 17 *cor. Emo Gamberini, dec.* 175 *st* 176 *num.* 4 *et* 6 *cor. Emo Isoard, et in Romana seu Aquilana Consuccessionis* 17 *Martii* 1819 § 5 *coram Rmo P. D. Tiberi Episcopo Athenarum.* Nec ea refragantur, quæ a patrimonii Paulucci patronis proponebantur, ut congruas fæminarum familiæ Pauluccíæ dotes in scutis *quatuor mille* revincerent, qualem nimirum Luciana Cosmæ filia, et Fabritii soror recepit. Non refragatur pariter patrimonii vires impares fuisse majoribus dotibus substinendis quia multis fideicommissorum vinculis mancipabatur, multisque suberat oneribus. Ex his enim perperam arguebatur, in correspectivitatem renunciationis Mariæ Guerrioræ datam fuisse, quidqnid ipsa consequuta fuit præter scuta *quatuor millia.*

8 Posset in primis animadverti non in scutis *quatuor millibus,* sed ne in *octomillibus* quidem, quot Mariæ Guerrieræ numerata fuerunt, congruam dotem familiæ Paulucci consistere. Præsto est Fabritii confessio, qui in supplici libello Pontifici porrecto in scutis non minus quam *decem* vel *duodecim millibus* congruam familiæ dotem ingenue professus fuit. Hanc vero confessionem nt repudiare non poterat Franciscus quippe qui Fabritii filius atquo bæres fuit, ita respuere nequeunt, qui nunc defucti jura vindicare conantur; Missis tamen his non est prætereundum, dotem Lucianao anno 1743 fuisse constitutam, quo temporo in Cosma parente nec Cardinalis Camilli hæreditas, nec aliæ devinitæ coaluerunt, quæ ei obvonerunt anno 1763 ex alia Card. Fabritii hæreditate. Si igitur tempore intermedio tanta accidit fortunarum ampliatio, nemo quidem ab antiquo illo tempore congruentiæ rationem ducendam existimabit.

Accedit vero, eumdem Cosmam, anctis patrimonii sui viribus, incongruam agnovisse Lucianæ dotem, eique in supremis tabulis auctarium constituisse scutorum *triummillium*, ut ita dotem neptis plus minus æquaret. In iisdem imo tabulis congruam dotem fæminarum descendentium statuere voluit. Quamvis autem tunc temporis, nnonimirum 1776 propter ingentso bono rum alienationes, et effrænem legatorum molem, quibus familiam suam operavit, minus baberet in bonis, quam babuisset anno 1772 quo Maria Guerriera in sacra transiit familiæ Merliniæ, dotem tamen fæminarum descendentium evexit ad scuta *sexmillia.* Quidquid accepit Maria Guerriera in nuptialibus tabulis in causam congruae dotis accepit, nec per latum quidem unguem ferri potest ad emolumentum quod percipere debuisset in causam renunciationis, quae nullitatis vitio inficiatur, ac ita habonda est, perinde ac si nunquam inita fuisset. 9

Et ita etc. Videntibus 5 et 6 Utraque etc.

FULGINATEN SOCIETATIS

IN RE COMMERCIALI

Veneris 4 Junii 1830.

ARGUMENTUM

In societate uno suppetit actio ad implementum, at quanti interest, et nunquam ob violata pacta fit

locus rescissioni, nec socius potest expelli, nisi post causam a Judice cognitam, id nominatim fuerit conventum.

SUMMARIUM

1. *Non amplius licet de nullitate Sententiae excipere, postquam de controversiae meritis judicium latum est.*
2. *In quavis citatione, triduum reo conventa tribui debet ad vadimonium obeundum.*
3. *In causis mercatoriis, Tribunal appellationis, postquam circumscripsit actus, potest merita quaestionis expendere.*
4. *Societas prorogata censetur, si tempore praefinito, nulla denunciatio interponatur.*
5. *Ob violata pacta societas non rescinditur, sed actio competit ad implementum, vel quanti interest.*
6. *Non licet uni socio improbare methodum in libris conscribendis adhibitam, quam socius alter semel adhibuit.*
7. *Socius pauperior opera supplet, quantum ei per comparationem patrimonii deest.*
8. *Apud Judices appellationis non potest disputari nisi de iis, quae continentur in libello primi gradus.*

DECISIO CCCLXXX.

Conscripta Apocha ad exitum Aprilis anni 1820 his pactis, et conditionibus Angelus Trasciatti in Socium, et institorem Officinae cerariae, ac mercatoriae aromatum, aliarumque rerum venalium tabernae, quam Fulginiae retinet instructam, Claudium Grampinium ad quinquennium accivit, ut ipse, nimirum Trasciattus, argenteos nummos *quindecim mille* in societatem immitteret, praetereaque = *la firma* = ac capsae socialis custodiam habere, ita ut = *in ogni settimana sarà depositato nella casso del Sig. Trasciatti tutto l'introito del Negozio, di cui dovrà rilasciar noto al Sig. Grampini* =; hic vero, Grampinius scilicet operam, ac industriam conferret = *con tenere esatta Scrittura, e corrispondenza, e fare tutt' altro, che sarà necessorio* =. De quaestibus vero, lucrisque socialibus conventum ita inter socios fuit, ut quidquid, deductis antea *dextantibus* fructibus in singula centum uni Trasciatto tribuendis, expunctoque pariter stipendio annorum scutorum *centum quadroginta*, quod Grampinio concessum est, reliquum esset, ex aequo foret diribendum. Cautum denique, ut ad aliud quinquennium prorogata societas intelligeretur, nisi ante sex postremos menses voluntas a Socio prorogationem respuente patefieret a societate resiliendi. Rebus hoc modo compositis, paullo post facultatem quoque subscribendi, idest = *la firmo* = Grampinio dedit Trasciattus, ac in bona, quam fortasse fuerat expertus, ipsius fide conquiescens, potestatem ei fecit amplissimo procurationis mandato negocia cuncta societatis tractandi, et absolvendi.

Auspiciis adeo bonis incepit, ac progressa societas fuit, ut ad exitum prioris anni, summa rationum subducta, lucrum ingens extiterit in scutis 3854., quorum quotam ex inita divisione sibi obventam una cum alia pecunia, et mercibus ad summam usque scutorum in totum *quinque millium*, Trasciattus in societatis caput immisit, ut illud ampliaret, et majora lucra consequeretur. Quam ampliationem deinceps ad scuta usque *tresdecim millia* evexit, ita ut caput ab ipso in societatem immissum adscendit ad scuta *viginti octo millia*. Sed ob commercii difficultates, ac praesertim ob praedictam capitis ampliationem, minus lucrum exhibuerunt rationes annorum subsequentium. Desiit nihilominus quinquennium, quin neuter ex sociis voluntatem suam a societate recedendi manifestasset. Actum vero eos inter fuit de capite sociali iterum augendo, et de novis legibus, et conditionibus constituendis, quin Trasciattus ex sua oscitantia de recessu a societate indicendo, si hi tractatus male cederent, cogitaret. Re tamen infecta, ortisque, ut solet, dissidiis, improviso Trasciattus judicio sistit, Sociumque suum die sexta Augusti piacularis anni 1825 provocavit apud Judices, qui de mercatorum, et commercii negociis Fulginei cognoscunt, duplici proposito libello, quorum primo petiit, ut Grampinius libros sociales proferret, gestionisque suae redderet rationes; altero vero postulavit, ut repraesentare cogeretur, ac in socialem arcam conferre

nummos argenteos *quingentum quinquaginta tres*, ac obulos *sex* supra *viginti*, quot injuria sibi ipsum addixisse contendebat. Ad Arbitros quæstionibus bisce ex legis præscripto delatis, insurrexit Grampinius, ac ab iisdem commercii judicibus, ne quid res sua detrimenti caperet, statim imploravit, ut tabernæ, et promptuariis duæ claves apponerentur, non ab uno dumtaxat Trasciatto, prout antea evenerat, sed ab utroque Socio retinendæ. Judices attamen commercii tabernæ, ac officinæ cereariæ præponendum Administratorem existimarunt, æstimatione mercium, earumque descriptione præeuntibus.

Tunc vero Trasciattus ad eosdem judices rediit, novoque die 11 Augusti prædicti proposito libello nedum levari petiit ab onere præstandi Grampinio salarium, sed revocari quoque generale procurationis mandatum, quod ad agendas negocia socialia ipsi tribuerat. Utrique petitioni annuit, sententia lata die 16 ejusdem Augusti, mercatorium Fulginiæ Tribunal; a qua perculsus Grampinius a taberna recessit, reique detulit cognitionem ad Sacrum Ordinem, excitatis quoque de actorum nullitate querelis. Sic factum est, ut in Comitiis habitis anno 1826 ad diem *nonam* supra *decimam* Junii rescriptum prodierit in hæc verba = *Circumscripta citatione diei* 16 *Augusti* 1825 *per viam nullitatis, esse locum continuationi societatis, et emendationi damnorum in summa liquidanda*, *et ad Dominum Ponentem pro deputatione Periti mercatoris, et extendatur Decisio* = veluti etiam constat ex Decisione evulgata ab emerito Collega Rmo P. D. Pianetti nunc Episcopo Viterbiensi, quam Sacrum Auditorium die 2 Augusti ejusdem anni probavit, ac deinde Sententia Rotalis excepit. Ab hoc judicio cum Trasciattus appellasset, in caussa is fuit, ut controversia mihi committeretur, qui eam denuo dirimendam Sacro Ordini proposui in audientia diei 15 insequentis Decembris, in qua Peritus ratiocinator deputatus fuit = *ad effectum referendi super legalitate librorum socialium*, *ac super rationibus accepti, et impensi ab instituta societate* = Id munus Decreto meo datum est Vincentio Titoli, cujus relationem in lucem edita, revocata ad trutinam bodie mane fuit Sacri Auditorii Sententia, et digna comperta est, quæ rescripto confirmaretur, quod sequitur = *Sententiam Rotalem esse confirmandam juxta modum, et extendatur Decisio.*

1 Tria constituit Sacri Ordinis Sententia, quæ novam modo trutinam experitur: circumscriptionis gladio delendum primo esse libellum, quam Trasciattus ad diem 21 Augusti 1825 judicibus commercii Fulginiæ proposuit: prorogandam rursus esse societatem ad aliud quinquennium: reficienda denique Grampinio esse damna, et quidquid ejus interest ab administratione tabernæ, et jure societatis perperam fuisse exturbatum. Quod autem de nullitate libelli definitum tunc fuit non poterat in præsens non confirmari, si extrinsecus consideretur controversiæ summa, sive etiam intrinsecus. Extrinsecus quidem, quia planum est non amplius licere nullitatem in discriminis aleam revocare, postquam Sacrum Tribunal servari mandavit assuetas litteras a Rmo P. D. Pianetti subscripta[5], quarum ope, avulsa quæstione a judicibus Fulginiæ eidem Sacro Tribunali delata fuit, ut ibi de objecta nullitate, ac de jure actoris in sede provocationis institueretur disquisitio, postquam item de controversiæ meritis judicium latum est, de quo Trasciattus querelas multas excitavit, repositoque extraordinario remedio circumscriptionis, ordinariam arripuit viam appellationis, ac judiciarium obtinuit eligi cognitorem, qui libros, et codices sociales expenderet; postquam demum ex juribus ab utroque litigatore exhibitis judiciarius logographus relationem suam evulgavit.

2 Efficiunt hæc omnia ut prohibitum sit, quominus hæreri amplius debeat quoad nullitatem propositi illius libelli, utcumque sustineri quoque modo posset quiquid ipso libello Trasciattus postulavit, et judices Fulginiæ ea de re decreverunt. Nullitas vero actorum, re intrinsecus animadversa, in oculos prope insilit, semel ac constat pragmati-

corum, et forensium instituta impune fuisse posthabita. Si enim actio a Trasciatto instituta contendebat, ut Grampinio interdiceretur contrectactio mercium, et munus institoris, eique jus adimeretur depactum assequendi salarium, sive id petitum fuerit per protestationis speciem, sive per modum actionis, nil aliud redolebat, nisi ageatis, vel protestationis propositum de rescindenda societate. Hujusmodi itaque non erat judicium, ut concipi citatio posset in unam diem, et procuratori inscribi, quemadmodum ex *art.* 55, judiciariæ praxis fit de citationibus in judicii progressu mittendis; sed omnino oportebat rei conventi personam lacessere, eique triduum præstituere ad vadimonium obeundum, explicatis per summa capita rationum momentis, quibus innititur actoris intentio, veluti sub pœna nullitatis incurrendæ de citationibus, et libellis initio judicii adhibendis *art.* 64 ejusdem praxis judiciariæ præscriptum extat.

3 Idque certius, inspecta parte altera libelli, in qua verbis absolutis petiit præterea Trasciattus, revocari procurationis mandatum post menses aliquot ab instituta societate Grampinio datum ad litteras collybisticas, et acceptilationes charactere suo firmandas, et contractus omnes. Socio prorsus inconsulto, celebrandos. Tanto minus binc recedere ne latum quidem unguem Trasciatto fas erat a methodo in prædicto *art.* 64 disciplinæ judiciariæ præstituta, et in judiciis instruendis observanda. Nec erat quasi in recriminationem objicendum falcem extra sementem posuisse Sacrum Ordinem, dum non obliteravit dumtaxat citationem diei 11 Augusti anni 1826 cum omnibus inde sequutis, sed de controversiæ meritis quoque judicavit, demandata continuatione societatis, ac refectione damnorum. Fecit enim id, ac jure fecit quoad societatis continuationem ex auctoritate legis pro rebus mercatoriis dictæ, ubi art. 24 sancitum legitur in hæc verba: = *Annullando il giudicato può il Tribunale di appello pronunziare sul merito, se lo trovi in istato di decisione.* = Non negabat porro Trasciattus hac facultate pollere judices appellationis; eam tamen coercebat ad casum, quo circumductum simul fuerit judicatum. Cum igitur Sacer Ordo circumduxerit citationem diei 11 Augusti 1825 cum omnibus inde sequutis; ex confessis necessario sequitur potuisse etiam merita quæstionis expendere, nec ultra petita progressam fuisse Sententiam Sacri Auditorii continuationem societatis decernentem.

4 Jure autem merito Sacer Ordo imperavit continuationem societatis ad aliud quinquennium. Pacto siquidem conventum fuit, ut prorogata ad prædictum tempus intelligeretur societas, nisi per sex menses ante, quam primum elaberetur quinquennium, voluntas a Socio continuationem renuente patefieret de societate dissolvenda. Si igitur tempus præfinitum ex oscitantia Trasciatti præteriit, quin ulla denunciatio interponeretur, natura ipsa, et indoles initæ stipulationis ferebat, ut societas ad aliud quinquennium prorogata censeatur. *Zanch. de Societate part.* 1 *cap.* 12 *num.* 44., *coram Emerix sen. decis.* 16 *num.* 1., *in Romana Societatis nundinarum* 18 *Februarii* 1754 § 5 *cor. Rot. Elephantutio, et in Prænestina affectus* 22 *Junii* 1821 § 2 *coram Eminentissimo Isoard.* Excusare propriam culpam, et fidei non bonæ Grampinium insimulare satagebat Trasciattus, quod jactet omissam fuisse denunciationem, et ex illius defectu prorogatam contendebat societatem, de qua cæteroquin dissolvenda Socii laborabant eo ipso tempore, quo fuisset explenda denunciatio. Sed querelæ istæ nullius pensi visæ sunt, statim ac compertum erat de dissolvenda societate contrahentes non cogitasse, cum ipsi tantum eam moderari, variare, et ei novas conditiones constituere sibi proposuerint. Huc spectabant nova capitula, quibus ad societatis incrementum debet operam Grampinius, ut obsecundaret Trasciatto, quem dolebat, lucra societatis in-

sperato fuisse imminuta, utut sociale caput augeodum, et novas aggrediendas negociationes curasset.

5 Si itaque, re adhuc integra, non rescindere, et destruere societatem, sed eam sub novis legibus, et conditionibus istaurare animo suo socii volutabant, tanto magis opus erat Trasciatto, die faciendæ denunciationi advента, poenitentiam prodere suam, ut socius alter posset interim indemnitati propriæ consulere; At si sciens prudens tempus elabi sivit ad denunciationem trasmittendum, non debet ejus inconsiderantia Grampinio nocere, qui in fide boua versabatur, et jure suo nunc utitur, si ex stipulatu prorogationem urget societatis. At rumpitur (sic inquiebant oratores Angeli Trasciatti) sociale fædus, si aliter ex Sociis violaverit pacta societatis, quemadmodum omnino violavit, ac pessumdedit Grampinius, quippe qui libros, et codices sociales incuriose admodum conscripsit, quamvis oncre præmeretur conficiendi = *una esatta scrittura* =. Nec in jure tamen, nec in facto consistit objectum. Non in jure quia in societate, quemadmodum in cæteris contractibus nominatis, quidquid puteut *Ansaldus de commerc. et mercat. disc.* 53 *num.* 20. *Duardus de sociel. lib.* 1 *cap.* 2 *quæst.* 2 *num.* 7 *et Zanck. de societate part.* 4 *cap.* 6 *n.* 33., quo tamen loci de socio loquitur rixoso, et magis recepta sententia una suppetit actio ad implementum, et quanti interest, et nunquam ob violata pacta fit locus rescissioni, nec socius potest expelli, nisi post caussam a Judice cognitam id nominatim fuerit conventum, aut illius dolus, et frans probatur, qui pacta violavit. *Menoch. de adipisc. possess. remed.* 5 *num.* 47., *Gratian. discept. forens. cap.* 633 *num.* 1., *Rot. decis.* 15 *num.* 5 *coram Celso, decis.* 329 *num.* 3 *coram Coccino, decis.* 782 *n.* 20 *coram Ansaldo, decis.* 643 *num.* 8 *coram Molines, in Verulana societatis* 6 *Maii* 1785 § 4 *coram Soderino, in Spoletana redditionis rationis* 13 *Januarii* 1817 § 3 *coram Serlupi, in Romana pecuniaria* 4 *Junii* 1821 § 6 *coram Zinanni, et in Bononien. participationis utilium* 15 *Junii* 1821 § 5 *coram Reverendissimo P. D. Tiberi.*

Uti oxulat conventio de recidenda 6
societate, si ejus pacta pessumdata fuissent, ita dolus exulat, quo uno probato, judicis auctoritas implorari potuisset, ut a jure societatis Grampinius extruderetur. Quamvis enim cognitor judiciarius, codicibus socialibus inspectis, agnoverit, ex legis præscripto non fuisse confectos, et præcipue deficere librum accepti, et impensi, seu = *di cassa* =, quem in usum invexit recens Edictum de commercii rebus evulgatum; hanc tamen legis censuram præ oculis habere Grampinius non poterat, qui nomen contractui dedit sub priscis institutis, ex quibus librum hujusmodi retinere. et conscribere minime necessum erat. Duo præterea accedunt, quæ prorsus inciviles ostendunt querelas de libris oscitantur a Grampinio conscriptis. Primum est, methodum codicum ita conscribendorum, antequam in socium arcessere Grampinium cogitaret, ipsum Trasciattum retinuisse, qui præterea, factis quæ potentiora sunt verbis, codicea ipsos saepe probavit. Is namque in taberna non infrequens erat, annisque singulis accepti, et expensi tabulas recipiebat, et quandoque etiam in codicibus quamplurima nomina manu sua adnotabat. Non licet igitur uni socio improbare methodum in libris conscribendis adhibitam; quam socius alter semel adhibuit, nec unquam per integrum societatis tempus repudiavit, aut de ea quæstus fuit. *Felic. de sociel. cap.* 38 *num.* 19., *Escobar. de ratiocin. administr. cap.* 12 *num.* 1., *Genua de script. priv. lib.* 4 *tit. de fid. et probat. lib. ration. sociel. numer.* 1., *Rot. in Tyburtina societatis, et redditionis rationum* 5 *Junii* 1572 § 11 *coram Canilliac.* Alterum est, quod, nedum Trasciatto sciente, et consentiente, methodum illam Grampinius servavit, sed ex judiciarii cognitoris relatione constat, reddendarum rationum clementa commode erui posse ex compendiariis quibusdam notulis a Grampinio redactis; qui cæteroquin nullius doli, fraudisque redargui potest. Si quæ autem abrasiones, lituræ, lacera-

tiones, superinductiones in libris socialibus apparent, quis reapse fuerit earum auctor haud probatur. Postquam imo Grampinius a taberna recessit, aut ab ea fuit expulsus, libros, codices, chartasque omnes ex judicium imperio invisit perlustravitque administrator, et nihil invenit, de quo culpandum Grampinium censeret. Idipsum egit rationarius Caperrius a Trasciatto arcessitus suis sumptibus Fulginium, ut libros sociales ponderaret, in quibus tamen nil ipse vidit, quod foret Grampinii vitio vertendum.

7 Quod si cujuslibet doli, et Fraudis expers est Grampinius; si ex methodo conficiendi, conscribendique libros sociales, utut non legali, nullum nihilominus damnum pertulit Trasciattus; si ipse potissimum probavit hanc sociales libros exarandi methodum; perperam Trasciattus sub prætextu codicum socialium non bene conscriptorum rescissionem petit societatis. Si res cum debitoribus, aut creditoribus societatis foret, tunc alicujus pensi esset exceptio librorum non diligenter excriptorum. Atqui quæstio est inter Socios, quos inter, cum unam bonam fidem societas exigat, et jus fraternitatis contineat, non repugnat, ut rationes quandoque distrahantur per libros etiam rudes, et alias notulas ab uno socio, alio non dissentiente conscriptas. *Zanch. de societ. part.* 4 *cap.* 9 *num.* 104 *et seq. Rot; in nuperrim. decis.* 125 *num.* 5 *tom.* 7., *et in cit. Tyburtina societatis, et redditionis rationis* 5 *Junii* 1752 §. *fin. coram Canilliac.* Deterius imo contra Grampinium rescissio postulatur, cujus opera, honestas, industria adeo utilis Trasciatto fuit, ut ingens, et forte etiam non speratum ad exitum quinquennii ex societate lucrum redierit scutorum *quindecim millium*, ut ipse agnovit administrator Pizzonius, dum ex judicum mandato mercium descriptionem, et æstimationem confecit. *Plerumque* enim = *Socius pauperior opera supplet, quantum ei per comparationem patrimonii deesse*, ut ait *Ulpianus in leg. societas.* 5. §. *Societas autem ff. pro Socio*.

Nunc esset quærendum de emendatione damnorum, quæ Grampinio pariter tribuit sententia Sacri Ordinis. 8
Cum vero hæc disputatio contineri in hoc judicio non possit, quod ad tramites prioris libelli, et litterarum Rotalium ad nullitatem, et ipsam societatis continuationem unice cohibetur; idcirco Patres Domini una mecum suffragantes, ne limites propriæ jurisdictionis excederent, adjecto *modo* voluerunt, ut in peculiari, et separato judicio de emendatione damnorum agatur,

Et ita, utraque etc.

PERUSINA IMMISSIONIS

ET FRUCTUUM

Veneris 12 *Februarii* 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. In judicio immissionis ut actor victoriam obtineat duo probanda; jus petentis, et ut pars adversa possideat, aut dolo possidere desiit.

2. In judiciis fides potius publicis tabulis, quam testibus habenda est.

3. Non probat esse, quod ab hoc contigit abesse.

4. In judiciis non quid petitum, sed quid fuerit concessum inspiciendum est.

Quando in aliquo judicio immissionis denegatur actio, per consequens deneganda est fructuum restitutio - ibidem. -

DECISIO CCCLXXXI.

Inter bona fideicommissaria Joannis Simonis Cassomanni, ad quorum possessionem, post obitum Jacobi Aurelii Diamanti, petiit immitti Pacificus Petrucci, prædium quoque recensentur, quod audit = *il Tribio di Malandrugi* =, ac in agro Perusino jacet probe bona *Cœnobii S. Jacobi, Beneficium S. Laurentii, ac publicum* demum *viam.* Plausum huic actioni fecit Sententia sua Præsul A. C. Riganti quæ adeo litigantibus arrisit, ut accepto habita ab eis fuerit,

ultroque siverit Franciscus Ciofius, fiduciarius hæres Jacobi Aurelii Diamanti, ut illius possessionem novus Fideicommissarius hæres adipisceretur. Cum naturæ deinde concesserit Petruccius, ac fideicommissi compendium in Philippum Jacobutium transierit, refricavit hic quæstionem de immissione ad prædictum prædium =*il Tribio di Malandrugi*=, reique cognitionem ab A. C. Pelagallo, coram quo contestatus est litem, obtinuit deferri ad virum jurisperitum, ab eo electum, ut in scriptis de redintegrationibus fideicommissi referret: Re postea deducta ad Judices A. C. Triumviros, censuerunt isti petitam immissionem ad præfatum Prædium approbare. Sed eorum Sententiam non placuit S. Ord., qui in Comitiis babitis an. 1818 ad diem *sextam* Junii, in hæc verba rogatus = *An sit danda immissio ad Prædium Tribio di Malandrugi, et a quo tempore, et in qua summa sint restituendi fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum reddidit *negativum*, teste Decisione edita coram Piccolomini, cujus rationum momenta adeo juri, et justitiæ congrua visa sunt, ut, re iterum expensa, assueto proposito dubio Patres hodie responderint = *In decisis* =

1 Redeunt enim ea omnia, quæ in superiori prædicta Decisione late animadversa fuere. In judicio siquidem immissionis, ut actor victoriam obtineat, nedum vocationem suam ad fideicommissum ostendere tenetur, verum etiam planum facere debet bona illa, quæ impetit, ab adversa parte possideri, vel eam dolo hæc possidere desiisse. Atqui id Jacobutius minime præstat. Non ambigitur quidem prædium, vulgo dictum = *Tribio di Malandrugi* = fideicommisso fuisse subjectum, a Cassomannio antiquitus instituto. At æque certum est prædium illud a Francisco Ciofio hærede fiduciario Jacobi Aurelii Diamanti, restitutum fuisse hæredi Fideicommissario Joannis Simonis Cassomannii, ita imperante Sententia A. C. Riganti, reijudicatæ vires nacta, cujus justitiam adeo idem Ciofiius agnovit, ut sponte, provocatione posthabita, apud acta professus fuerit, sese dimittere possessionem omnium, et singulorum bonorum, quæ ad prædictum fideicommissum Casomannii spectabant. Jam vero credibile haud est, fideicommissarium hæredem, Pacificum Petruccium, bonorum, quæ in rejudicata A. C. Riganti continebantur, possessionem non accepisse. Secus enim præsumendum non est ipsum silentium servare voluisse, quod servavit per spatium undecim annorum, nimirum usque ad annum 1799. quo diem obiit extremum.

Irrito igitur conatu id Jacobutius postulabat, quod jam auctor suus una cum cæteris fundis fideicommissariis assequutus fuerat, nemine prorsus obsistente. Obstat ei proinde notissimum juris adagium *frustra petis, quod intus habes*, veluti superior etiam arguit *Decisio* § 4, hic recensenda. Quod si Jacobutio, possessionem nanciscenti bonorum fideicommissariorum, datum non fuit reperire prædium, de quo agitur, tribuendum fortasse id est facto, et culpæ prædicti Pacifici Petrucci, quem constat a dissipanda fideicommissi substantia, democratica præsertim imperii larva vigente, minime alienum fuisse. Reque vera Jacobutius ipse non negabat a Laurentio Magnanio, qui Ciofio successit, prædium controversum haud quaquam possideri; allatis attamen testimoniis contendebat distractum illud prædium ab eo fuisse erga quosdam fratres Baldios. Sed neminem latet, fidem potius publicis tabulis, quam testibus habendam esse, ut monet S. Ordo *in rec. dec.* 293 *num.* 3 *par.* 14, *Dec.* 31 *num.* 7 *cor. Ottobono, decis.* 253 *num.* 2 *coram Ludovisio, et decis.* 466 *num.* 38 *cor. Ansaldo*, quibus accedit superior *decisio* § 5. Refellebatur autem objectio ex iisdem testibus, qui aliunde, ut testimonii veritatem evincerent, ad publicas sese referebant tabulas anno 1810 conscriptas. Ope namque istarum tabularum, nulla facta mentione de prædio nuncupato =*Tribio di Malandrugi*=, vendidit Magnanius fratribus Baldiis aliud dumtaxat Prædium = *in vocabolo Malandrugi, presso i beni da un lato degli eredi del fu Giuseppe Crispolti, dall'altro*

lato dei Signori Bianconi, da piedi dei RR. PP. di S. Crispoldo, da capo la strada =.

3 Quocirca, nedum vocabuli diversitas, sed ipsa quoque confinium collatio aperte demonstrat, nihil communis habere prædium unum cum alio, ac prædium = *il Tribio di Malandrugi* =, longe diversum esse a prædio alio nuncupato tantum = *Malandrugi* =. Primum quippe prædium *bonis Monasterii S. Jacobi, Beneficio S. Laurentii, et viæ publicæ* finitimum esse ipsa docet resjudicata A. C. Riganti. Aliud vero prædium diversis omnino circumcludi finibus patet ex tabulis emptionis venditionis anni 1810, ubi jacere dicitur = *presso i beni da un lato degli Eredi del fù Signor Giuseppe Crispolti, dall'altro lato dei Sig. Bianconi, da piedi dei RR. PP. di S. Crispoldo, da capo la strada*; = Si itaque tabulæ ipsæ, quas in præsidium vocat Jacobutius, manifeste probant, prædium a Magnanio divenditum fratribus Baldiis; longe distare ab alio, ad quod immissionem obtinuit Petruccius, nemo non intelligit actori nocere obvium aliud juris principium = *non probat esse, quod ab hoc contigit abesse* =, *Gloss. in leg. non hoc 4 verb. quærendum Cod. unde legitt. et unde cognat.; et Rot. decis.* 451 *n.* 20 *cor. Ansaldo.*

4 Nec officit ad utriusque prædii possessionem se immitti postulasse Petruccium, diem immissionis judicium inchoavit coram A. C. Riganti, Non enim quid petitum, sed quid fuerit concessum inspiciendum est. At vero, non ad utrumque prædium, ut postulabat Petruccius, sed ad alterum tantum = *il Tribo di Malandrugi* = in missionem probavit Sententia sua A. C. Riganti. Ex ipsa igitur Sententia, quæ reijudicatæ vires nacta fuit, et accepto a litigantibus fuit habita, patet apertissime prædium quidem = *il Tribio di Malandrugi* = fuisse fideicommissarium; non item vero aliud, in vocabulo tantum = *Malandrugi* = quod liberum resjudicata renunciavit, ideoque, uti recte alienatum fuit a Magnanio, ita injusta illius inhiat possessionem Jacobutius, asserendo fideicommissariam illius qualitatem, nullo modo probatam. Si autem ex his, quæ hactenus expensa sunt, merito denegatur Jacobutio ad præfatum Prædium immissio, deneganda ei per consequens est fructuum restitutio. Quod enim de capite, idem de fructibus debet esse judicium, ut optime statuit superior *Decis.* § 6 7, ad quam in cæteris omnibus sese Patres retulere.

Et ita etc., utraque etc.

ROMANA DONATIONIS

Veneris 25 Junii 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Donatio universalis, jura etiam incorporalia, seu debitorum nomina complectitur.*
2. *Jura incorporalia, neque corpore constant, neque ullo continentur in loco.*
3. *Si testator expressit quod voluit, quod non expressit, noluisse censeri debet.*
4. *Expressum dicitur, quod ab expresso necessario consequitur.*
5. *Post perfectam inter vivos donationem, non licet amplius donanti, aut nova donatione, aut testamento præjudicium donatario inferre.*

DECISIO CCCLXXXII.

Ut perpetuum grati animi monumentum præberet Joseph Bartolucci erga Patruelem carissimum, deque se optime meritum, Romanæ Curiæ Præsulem Vincentium Bartolucci, qui ingenio, et jurisprudentia maxime floruit, et Fisci advocationem fecit celebritate multa, universalem suorum bonorum donationem in eum conferre deliberavit. Vicaria itaque opera adhibita Ferdinandi Cimarelli, procurationis mandatum hanc in rem ei dedit, fecitque potestatem a donatione, tam usumfructum donanti quousque viveret, reservandi, quam vigesimam præterea, ut testamenti factionem haberet, eorumdem bonorum partem excipiendi; quam tamen voluit in donatione comprehensam, nisi moriens erga alios,

quam donatarium, de ea disposuisset. Quocirca, exeunte Martio anni 1820 irrevocabilis hujusmodi donatio ritu solemni celebrata, publicoquo Instrumento tradita fuit, quae complexa est non modo = *tutti*, *e singoli i beni stobili*, *e fondi tanto rustici*, *che urbani, come ancora la caso coi mobili abitata dal Signor donante* = verum etiam = *tutti*, *e singoli altri beni*, *ed averi del medesimo Sig. costituente*; *e donante*, *e ad esso in qualunque modo*; *e forma spettanti*, *di qualsivoglio specie*, *quolità*, *e quantità*, *ovunque posti*, *ed esistenti*, *e si presenti*, *che futuri*, *comprensivamente a tutti i crediti*, *diritti*, *azioni*, *e ragioni*, *nullo affatto eccettuato*, *ed escluso*, *meno le infradicende riserve* =, quoad nimirum usumfructum, et vigesimam bonorum partem donanti ex pacto reservatam.

Vita functis primum Vincentio viro jurisconsulto, mox Josepho, plures ortæ annt controversie Aloysium inter donatarii filium, et hæredem, et Catharinam Paoloniam in secundis nuptiis Josephi viduam, illiusque filios, et germanos fratres Rinaldios, quos idem Joseph suos scripserat hæredes. Cum enim hi omnes jactarent, in donatione, quam fecerat Joseph erga consobrinum, non contineri nomina debitorum, et jura incorporalia, noluit hisce diffamationibus subesso Eques Aloysius, deque re sua amplius periclitari, ideoque in *vim Leg. diffamari Cod. de ingenuis monumissis* judicium instituit adversus Rinaldios, eorumque matrem Paoloniam coram A. C. Alberghinio, qui tres pronunciavit Sententias, quarum una definivit, incorporalia jura; actiones, et nomina debitorum in donatione universali contineri; alia constituit præcipiendam ex donatione esse vigesimam omnium bonorum partem, de qua ceteroquin nullam obmovebat quæstionem Eques Aloysius, Rinaldiis tradendam, quibus etiam jus factum est exigendi partem nominis, qnod Bartolucci adversus Fiscum Pontificium experiebantur; postrema eisdem Rinaldiis terminum præstituit ad tradendas Equiti Aloysio donatarii universalis hæredi chartas omnes, libros, et documenta in hæreditate Josephi reperta, illis unis exceptis, quæ ad creditum cum Reverenda Camera pertinebant. Prout provocavit Eques Aloysius ab ea Sententia, quæ creditum respicit Fiscale, improvocarunt Rinaldii ab aliis, quæ spectant ad donationem, et documentorum traditionem. Sic tres constitutæ fuerunt rogationes, quas inter ea præcipue de universali donatione ad nomina quoque, et jura protrahenda, de qua cum quæsitum fuerit = *An constet de comprehensione bonorum incorporalium in donatione, ita ut, et cujus favore sit locus manutentioni, seu reintegrationi, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum redditum est = *Affirmative in omnibus favore Aloysii* =.

1 Adeo perspicua sunt donationis verba, ut nullum dubitationi locum penitus relinquant. Scatet namque ex solemnibus tabulis Josephum Bartolucci per procuratorem suum Ferdinandum Cimarellium clarissimo Jurisconsulto Vincentio Bartoluccio patrueli suo, = *a titolo di vera*, *perfetta*, ed *irrevocabile donazione* =, concessisse = *tutti*, *e singoli di lui beni stabili*, *e fondi*, *tanto rustici*, *che urbani* = nec non = *tutti*, *e singoli altri beni*, *ed averi del medesimo Sig. Costituente*, *e Donante*, *di qualsivoglio specie*, *quolità*, *e quantità*, *ovunque posti*, *ed esistenti*, *si presenti*, *che futuri*, *comprensivamente a tutti i crediti*, *dritti*, *azzioni*, *e ragioni*, *nulla affatto eccettuato*, *ed esecluso*, *meno le infradicende riserve* =. Jam vero ne dum quia agitur de donatione universali omnium bonorum, quæ vi sua nil excipit, et cuncta comprehendit ex deductis per *Rot. decis.* 390 *num.* 1., *et seq. part.* 9., *et decis.* 303 *num.* 4 *part.* 19 *Recentiorum*; verum etiam quia non implicita tantum, sed explicita quoque mentio in donationis tabulis fit de juribus incorporalibus, credita in donatione contineri dici debet. Neque vera verbis illis, = *donozione universale di tutti*, o *singoli beni* =, adjecta alia fuerunt = *di qualunque specie*, *qualità*, *e quantità* = quæ indole sua jura incor-

poralia, seu debitorum nomina certe complectuntur.

2 Neminem quippe latet tres esse bonorum species, quarum altera res soli, altera mobilia, tertia denique jura amplectitur incorporalia, quæ neque corpore constant, neque ullo continentur in loco. *Leg.* I *Cod. de præt. pign.*, *Leg. a Divo Pio* 15 §. 2 *de re judic.* Cum itaque donatio species omnes bonorum percellat, eo ipso percellit quoque incorporalia jura, et nomina debitorum. Accedit insuper, quod non implicita tantum, sed explicita quoque mentio in tabulis donationis habetur de juribus incorporalibus, et debitorum nominibus, adeo ut, tanto minus ambigi potest, quin ad ea etiam donatio ipsa producenda sit. Nec interest post verba = *tutti, e singoli beni di qualunque specie, qualità, e quantità* = occurrere alia = *ovunque posti*, *ed esistenti* =, perinde ac si hoc modo designata tantum fuerint bona, quæ corpore constant, et loco continentur, et generi per speciem fuerit derogatum. Tunc enim valeret argumentum, si nihil donationis tabulæ meminissent vel implicite, vel explicite de juribus incorporalibus, prout erat casus *decis.* 141 *num.* 4, *et seq. cor. Figuer.*, quam in præsidium perperam Rinaldii vocabant. Nam in casu illius Decisionis donator cohibuit donationem ad sola bona mobilia, et immobilia, nimirum ad duas tantum, non vero tres bonorum species. Ideo mirum non est, si censitum fuit eo in casu comprehensa haud fuisse jure, sive bona incorporalia; ideo vero ab omni nullitatis labe donatio, de qua agebatur, vindicata fuit, quia licet vigesimam bonorum partem sibi donator *ad effectum testandi* non reservasset, satis tamen huic vigesimæ parti consultum existimatum est ex juribus incorporalibus, quæ silentio suo in donatione noluisse comprehendere donator visus fuit.

3 Uno igitur verbo in themate decisionis *coram Figuer.* non res erat de donatione universali, ideoque rectissime, nulla facta de juribus incorporalibus mentione, decisum fuit, verba illa, = *ovunque posti*, *ed esistenti* =, coercere donationem ad res soli, et mobilia dumtaxat, uti revera secumferebant donationis verba. At quando, præter res soli, et mobilia, de juribus quoque incorporalibus, aut implicite, aut explicite fit mentio, tunc verba illa = *ovunque posti, ed esistenti* = veluti ad abundantiam censentur apposita, nec apta sunt ad imminuendum donationis emolumentum, quod ea cuncta complectitur, quæ in donationis tabulis fuerunt nominatim expressa. Crescit argumenti vis, si animadvertatur, Donatorem explicite, dilucideque declarasse, quid a donatione exclusum, reservatumque vellet, usumfructum scilicet bonorum, quoad viveret, et vigesimam portionem ad effectum testandi: quam tamen in donatione quoque comprehensam intelligendam esse declaravit, nisi de ea postea disposuisset. Atqui, si expressit quod voluit, quod non expressit noluisse censendus est, argumento ducto a *discretivo* modo loquendi, quod interpretandis ultimis voluntatibus, et donationibus plurimum inservit. *Cap. ad audientiam in fin. de decim.*, *leg. unica* §. *sin autem ad deficientis Cod. de caduc. tollen. Card. de Luc. de regal. disc.* 172. *num.* 10. *Ansald. de commerc. disc.* 55. *num.* 32., *et Rot. decis.* 10. *num.* 22. *coram Ansaldo.*

Injuria tamen Rei conventi contendebant procuratorem mandati finès excessisse, et donationem ad res soli, et mobilia dumtaxat porrigendam, ad jura incorporalia etiam ampliasse. In mandatis siquidem Ferdinando Cimarellio datum fuerat = *di effettuare a favor di Monsignor Vincenzo Bortolucci l'atto di donazione universale tra vivi di tutti, e singoli beni ad esso Signor costituente spettanti di qualunque specie, qualità, e quantità, ovunque posti, ed esistenti, si presenti, che futuri* = Ergo redeunt omnia, quæ supra edduximus, et necessario concludendum est voluisse etiam mandantem, ut jura incorporalia donarentur, quæ sub generali illa verborum formula = *di tutti, e singoli be-* 4

ni, di qualunque specie, quantità, e qualità = omnino contineri probatum est superiori § 4. Expressum enim dicitur, quod ab expresso necessario consequitur *Leg. ei ita scriptum ff de liber. et posthum.* Quin imo si in procurationis mandato nil aliud a donatione deducere Joseph voluit quam usumfructum, et vigesimam, ex hoc ipso manifeste patet cætera omnia in eadem donatione comprehendere voluisse. Eoque certius; quia pluribus litteris, tum ante, tum post donationem scriptis, Josephus voluntatem suam tertio quoque verbo manifestavit bona sua omnia, absque ullo discrimine, patrueli relinquendi, quem unice rogabat, ut prospiceret, ne iis, qui in ejus erant famulatu, scilicet Rinaldii, necessariis carerent alimentis. Et addebat insuper = *lascio in pienissima libertà* (ita scribebat donator patrueli suo Præsuli Vincentio) *di disporre a di lei arbitrio, e soltanto la prego sopra quel tanto, che lei crederà assegnare* (nempe Rinaldiis) *non debbono aver questioni* =. Idque non solum Joseph profitebatur, antequam matrimonium contraheret cum Paolonia, sed ea quoque in uxorem ducta, cui se sacro hoc vinculo junxisse declaravit, ut conscientiæ suæ consuleret.

5 Nec rem turbat Josephum, morti proximum, testamentum erga Rinaldios exarasse, in eoque evertendam curasse donationem antea initam erga patruelem. Fecit enim id suggestionibus motus fratrum Rinaldi, et Paoloniæ potissimum, cui facile fuit blanditiis conjugalibus virum suum in vetita trahere. Utcumque autem serio animo, nec alieno consilio instigatus id fecisset, non erat tamen amplius pœnitentiæ locus, postquam irrevocabili donatione bona omnia in patruelem transtulerat, nec de donatione ipsa querelas unquam excitaverat. Post perfectam quippe donationem non licet amplius donanti, aut nova donatione, aut testamento donatario præjudicium ullum inferre, eique ius tollere ad bona donata quæsitum. *Leg. Perfecto Cod. de donat. quæ sub mod.*, *Rot. in Perusina donationis* 1 *Februarii* § 14 *coram Eminentissimo Cæsarei in Perusina, seu Nucerina Immissionis* 31 *Januarii* 1791 § 5 *coram Malvasia*, *et in Ariminen. Fideicommiss.* 24 *Martii* 1828 § 5 *cor. R. P. D. Meo Ruspoli.* Nil igitur clarius, quam quod in donatione, quam Joseph Bartolucci erga Præsulem patruelem exaravit, ne dum bona immobilia, et mobilia, sed res etiam incorporales contineantur.

Et ita, utraque etc.

ROMANA DONATIONIS

SUPER TRADITIONE LIBRORUM

Veneris 25. *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Ut legitime actio ad exhibendum proponatur, ab actore est probandum, quod documenta, quae petit revera existant, quod ejus intersit, ut proferantur.*
2. *Heres, qui documentorum existentiam penes se impugnat, jurare debet, ipsum documenta non habere, neque dolo desiisse habere.*

DECISIO CCCLXXXIII.

Facile reputans Comes Aloysius, Vincentii Bartolucci, patruelis Josephi donatarii universalis filius, documenta hæreditaria penes fratres Rinaldios Josephi hæredes existere, inter alia judicia, de quibus agunt coævæ nieæ decisiones super donatione, et credito contra Reverendam Cameram, judicium quoque aliud instituit de traditione documentorum, quæ possunt bona incorporalia respicere. Annuit huic petitioni Sententia sua Judex A.C. Verum, interposita a Rinaldiis appellatione, tertiam hodie proposui Dubii formulam ita conceptam = *An sit locus præfixioni termini pro traditione documentorum respicientium bona incorporalia, ita ut sit relaxandum mandatum de*

re gravando in casu =, et responsum accepi = *Affirmative in omnibus* =.

1 Duo siquidem, ut legitima actio ad exhibendum proponatur, ab actore probanda sunt; quod scilicet documenta, quæ petit proferri, sibique tradi, revera existant penes eum, a quo petuntur; quod rursus ejus revera intersit, ut proferantur, ac tradantur. His vero probatis extremis, petita documentorum traditio nullo denegari modo valet. *Leg. In hae act.* §. *Sciendum ff ad exhibendum*, *Ridolphin. in praxi part.* 2. *Cap.* 3 *num.* 29, *Rot. decis.* 531 *numer.* 1 *coram Donizzett*, *decis.* 111 *numer.* 28 *coram Ansaldo*, *decis.* 407 *num.* 1 *coram Riminald.*, *in Romana exhibitionis receputarum* 13 *Februarii* 1824 § 4 *coram Me*, *et in Ravennaten. exhibitionis scripturæ* 9 *Maii* 1828 *num.* 2 *coram Eminentissimo Marco*. Jam vero quod Equitem Aloysium intersit proferri documenta ad Josephi hæreditatem spectantia, iisque non carere, nemo in discrimen revocabit, qui notum habeat, perspectumque, eum esse filium, et hæredem Præsulis Vincentii, qui donatarius fuit universalis patruelis Josephi. Necessaria ergo ei sunt documenta illa, non solum, ut jura, resque hæreditarias in donatione comprehensas noscere valeat, sed etiam ut exigere possit creditum adversus Rev. Cameram, quod pariter in donatione contineri probat contemporanea Decisio super credito contra Rev. Cameram.

2 Aeque constat de existentia documentorum penes Rinaldios, quippe qui hæredes Josephi fuerunt. Atqui inverisimile prorsus est, ut Josephi hæredes nulla penes se habeant documenta, quæ jura incorporalia respiciant. Porro qui post obitum Josephi cuncta occuparunt, occupasse quoque documenta præsumendi sunt. Facto suo autem ostendunt fratres Rinaldii sese habere controversa documenta, semel ac judicio acriter huic petitioni resistunt, nihilque exhibere hactenus voluerunt. Eoque magis documenta ipsa penes Rinaldios existere dicendum est, quia ipsi nunquam, ut oportuisset, jurarunt sese neque habere, neque dolo desiisse habere documenta, de quibus agitur. Si revera documenta penes eos non esse in integrum adhuc eis esset, apud acta id jure jurando declarare, atque ita condemnationis effectum declinare. Donec tandem juratam non proferant declarationem, in mala fide, et dolo versantur, cogendique sunt ad documenta exhibenda, quæ actoris interest habere, et ab eis certe retinentur.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA

LAESIONIS AENORMISSIMAE

Lunae 17 *Maii* 1830.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLX I. -

SUMMARIUM

1. Ut alia vere lusa dicatur, atque exulet quaerela laesionis, necesse est utrumque contrahentem bonam, aut malam rei emptae venditae conditionem latere.

2. Praesumptionibus potentiora sunt facta.

3. Dolum semper in enormissima laesione, dicitur intercessisse.

Tunc dumtaxat pactis condonationis minoris, vel majoris pretii proponenti laesionem obest, quum de parvo momento res sit -ibid.-

4. Deferendum semper est judiciario cognitori, maxime si sit praestans in arte sua.

5- Probari testibus id nequit, quod exhibitione scripturarum facile potest evinci.

DECISIO CCCLXXXIV.

Emptionis venditionis contractum, ex quo, per privatam apocham, exeunte Januario anni 1827 conscriptam, Causidicus Alexander Gentilius musivum opus lapicidæ Josepho Collio argenteorum nummorum *mille quingentum* pretio distraxit, enormissima læsione infectum renunciavit, tum sententia sua A. C. Grimaldus, tum etiam, identitate

vermiculatæ tabulæ comprobata, ac exquisito de illius æstimatione peritorum virorum judicio, Sacrum Auditorium, edita ad diem *septimam* Decembris superioris anni Decisione, ubi rei gestæ aeries latius exposita nosci facile potest. Adversus hanc Decisionem obloquendi copia Gentilio facta, nullum non movit ipse lapidem, ut illius monumenta convelleret, effecitque quidem ut bis anceps hæreret Sacri Ordinis judicium; non hunc tamen dimoveri ab edita sententia obtinuit, quin imo, omnibus Dominis ad suffragia ferenda vocatis, assuetæ rogationi hodie respondit = *In Decisis* =.

1 Identitate tesselati emblematis ab ipsomet Gentilio ritu judiciario agnita, atque probata, hoc unice observandum est, quibus pactis, et conditionibus in dominium Collii transierit. Qua in re non est quidem ambigendum, quin nihil fuerit a venditore promissum de musivi operis vetustate, at excellentia, illudque emerit Collius, prout erat revera, sive vetus, aut recens, sive graphice fuisset, ant incuriose a triviali artifice elaboratum. Non tamen exinde sequitur aleatorium contractum initum fuisse, in quo læsionis quærela non datur. Ut namque alea vere lusa dicatur, atque exulet querela læsionis, necessum est utrumque contrahentem bona in fide versari, eosque reapse bonam, aut malam rei emptæ venditæ conditionem latere. Si enim alteruter sciat rei vitium, aut optimam ejus qualitatem, ludi amplius alea nequit, læsoque contrahenti beneficium competit notissime *leg.* 2 *Cod. de rescind. vendit.*; aut ad rescindendum omnino contractum, aut ad pretii auctarium, vel decrementum assequendum. Atqui non ignorasse Gentilium, dum contractui dedit operam, neque vetus haud esse musivum opus, neque baud accurate lucubratum, conjecturæ multæ suadent, facta vero revincunt.

2 Ad conjecturarum, et præsumptionum classem referendum est, quod ipse silentio inter stipulandum præterierit a quo, et quo pretio, emerit vermiculatam, quam nunc incredibili testimonio ignoti hominis, et post obitum ementiti venditoris pro re nata, et ad incitas redactus in æstu litis coemptam fingit nummis argenteis circiter millibus: quod rursus ipse tanto studio curaverit, ut nihil promitteretur, nec quoad vetustatem rei venditæ, nec quoad ejus excellentiam: quod demum diserta pactione statutum fuerit, ut condonatum, atque invicem remissum censendum esset, si quid justæ deesset æstimationi, aut eam excederet. Non enim tot uti subtilitatibus is præsumi debet, qui poterat, ab initio, et peolusione vel ipsa contractus, tam personam, a qua rem sibi comparavit, quam pretium, quod solvit, fide bona profiteri. Præsumptionibus autem potentiora sunt facta, ex quibus constat musivum opus, recens a vulgari artifice labrefactum, ut narrat prima *Decis.* § 6, pluries dividendum Gentilium curasse, ideoque se nonnullis ab hinc annis Labronem contulisse, ut facilius emptorem inveniret: re dein infecta, Romam reversum, non tam venum, quam irridendum illud exposuisse in quadam pulchrarum artium officina, ubi per biennium fere extitit invisendum, donec tandem tabernæ dominus obtrectationum, et irrisionum pertæsus, quas ab eis patiebatur, qui spectatum ibant vermiculatum emblema, noluit amplius illud in officina sua retinere, ac Gentilio restituit.

Hæc omnia, quæ ex testibus omni 3
exceptione majoribus, et de facto proprio fidem perhibentibus eruebantur, cum præsumptionibus, et conjecturis conjuncta superius animadversis, aperto ponunt in loco, et ad ultimum evidentiæ gradum ostendunt scientiam venditoris, quæ dolum quoque secumfert, qualis semper in enormissima læsione dicitur intercessisse. His positis, actio læsionis impune valet exerceri, quin ne hilum quidem obsit pactum apochæ contractus adjectum, ex quo convenit, ut, si quid minus, vel plus solutum pretii nomine costaret, donatum, invicemque remissum intelligeretur. Postquam enim Sacer Ordo peritos cognitores deputavit, actionemque læsionis

mplicite probavit, non est amplius de pactis, et conditionibus quærendum, quibuscum data opera est stipulationi, perinde ac si res adhuc integra ageretur. Quocumque modo placuerit Gentilio musivum opus distrahere, et pactis in ea re, quæ fide bona agitur prorsus suspectis periculum redhibitionis, et læsionis amovere, hoc utique certum est, postquam peritorum hominum deputationi is acquievit, cæteris sepositis quæstionibns, unice esse de æstimatione disputandum. Cæterum, ut etiam arguit prima *Decis.* § 7, tunc dumtaxat pactis condonationis minoris, vel majoris pretii proponenti læsionem obest, quum de parvi momenti læsione res est; non vero si maximum, et enormissimum discrimen inter verum pretium revera solutum intercedat.

4 Hujusmodi punctim discrimen adest in re nostra. Nam periti viri, quos insignis elegit S. Lucæ Academia, cui hoc æstimationis negocium Decreto meo commissum fuit, musivum opus ne centum nummis argenteis æstimarunt. Nec eis succensendum, et veluti rei musivæ ignari, et imperiti traducendi sunt, quod pretium nimis exile segmentato operi præstituerint reiquæ musivæ artifices proprie non sit. Quamvis namque non calleant rem musivam, nemo attamen dixerit judiciarios cognitores, Vincentium Camuccini, albertum Thorvaldsem, ac Clementem Folchi, quorum præstantia in pictura, sculptura, reque Architectonica cuique notissima est, tanti non fuisse, ut probe noscere possent essetne recens, au vetus, bene elaboratum, an male, multi demum pretii, an infimi, musivnm opns, de cnjns æstimatione rogabantur. Jam vero duo sunt exploratissima: Collium primo pretii nomine solvisse nummos argenteos *mille quingentum*: musivum deinde opus ne *centum* quidem argenteorum nummorum valorem ex relatione peritorum virorum attingere: Utcumque igitur geminare, ac triplicare hunc valorem a judiciariis cognitoribus præfinitum alicui libitum esset, illumque constituere in scutis tercentis, quanti musivum opus vendere sibi pollicebatur archeologus Laurentius Rè, qui primum de elaboranda re musiva, deque exprimendo et confingendo veterum Ægyptiorum stylo cogitavit, et ad fidem ementito stylo, et vetustati conciliandam musivum opus scriptis illnstravit, numquam datum erit abstergere vitium enormissimæ læsionis, quo contractus inquinatur.

5 Sat hoc erat, ne procrastinari amplius deberet judicium, noviqne deberent cognitores exquiri, qui inutiles visi sunt donec certum est summum musivi operis pretium, auctore machinationis fatente, ultra scuta tercentum evehi non posse. Nulla autem fides præstanda erat Gentilio, dum pretium a se solutum ad millia nummorum argenteorum extollebat. Tota quippe dicti fides unico testi innitebatur, sero nimis adducto: eoque magis spernendo, qnod inverosimilia deponit, seque ad eos refert, qui audiri amplius, cum ad plures transierint, non possunt. Cum vero præsumendum non sit Causidicum, qualis est Gentilius, ingentem summam numerare sine acceptilationo valuisse; tum ille obstat allato testimonio juris canon, quo non vulgatior alter, ut probari testibus id nequeat, quod exhibitione scripturarum facile potest evinci. Etiamsi tandem scutis millibus vermiculatam tabulam emerit Gentilius, postquam tamen se deceptum novit, detegitque musivi operis abjectionem, non ei licebat alternm decipere, et ipsam emptori abjectionem reticere, ut majus ab eo pretium extorqueret, spe fretus se facile posse a molestiis emptoris liberari cum circumlocutione illa, et aucupio verborum, quo irrito labore declaravit, nihil sese spondere de operis vetustate, et excellentia velle, condonatnmque censori quodcumqne pretii discrimen, qnod forte dein appareret.

6 Res itaqne, restitnto invicem emblemate, et pretio, in enm statnm revocanda est, veluti ac si nnlla unqnam emptio venditio celebrata fnisset. Nec loco partis pretii Gentilio permittendnm, nt reddat monumenta qnædam, atqne opera pulchrsrum artium, qnæ a Collio in pretii partem accepit. Cum

enim ipsum musivi operis, non in illis marmoreis signis, de quorum æstimatione perperam Gentilius, ut nimis sero absque ullo probationis fulcro querebatur, sed in certa, ac determinata pecuniæ quantitate fuerit præfinitum, proinde fit, a permutatione ineunda longe abfuisse contrahentes, deque emptione venditione stipulanda actum unice fuisse. Non marmorea ergo signa, sed pretium, quod partim revera fuit repræsentatum, partim marmoreis signis tributum, restitui oportet a Gentilio. Cætera, quæ proponebantur ad sustinendum contractum, ociosum est persequi, quia visa sunt indigna responsionis honore, et satis jam in superiori Decisioni profligata fuere, ad quam relatio in reliquis haberi debet.

Et ita, collectis omnium Patrum una mecum judicantium suffragiis, iterum decisum est, utraque etc.

ROMANA

LIBERATIONIS BONORUM

Lunae 21 *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Heres institutus, absque ulla cohibitione ad usumfructum, est heres etiam in proprietate.*
2. *Lex nunquam habere potest effectum retroactivum.*
3. *Lex Gallica delevit tam substitutiones perpetuas, quam alias ad unum tantum gradum cohibitas.*
   Ubi lex non distinguit, neque Judici distinguere licet - ibidem. -
4. *Non sunt in exemplum afferenda S. Ordinis Oracula, cum de diversa re agant.*
5. *Ex Gallicis legibus, de bonis fideicommissariis factis liberis, parentes disponere poterant favore cujuscumque ex filiis.*
6. *Dignae sunt excusatione mulieres in iis, quae juris sunt.*

DECISIO CCCLXXXV.

Mutuum testamentum anno 1789 ad diem vigesimam Augusti condiderunt conjuges Joannis Baptista Pereyra Lusitanus, ac Theresia Rodriquez Hispana, ex quo pluribus sub legibus hæredem universalem sibi nominarunt filiam Annam cum medico Josepho Torrio nuptui collocatam. Prima lex fuit, ut integro hæreditatis usufructu post mortem alterius is potiretur ex testantibus, qui alteri superstes fuisset. Altera, ut vetitum foret hæredi ne quidquam de rebus hæreditariis distraheret etiam post adeptum, et cum proprietate conjunctum usumfructum. Tertia ut Annæ decedenti substituti intelligerentur ejus filii, tam nati, quam nascituri, tam mares, quam etiam fæminæ. Cum demum nihil detrahi voluerint ab hæreditaria substantia, tum maxime adhibita Soccini cauthela, jusserunt, ut non aliter permissum Annæ foret legitimam expungere portionem, nisi eo tantum in casu, quo parentum dispositioni refragaretur. Quoad filios vero natos, vel nascituros, quos illico ad fruendum hæreditatis emolumentum testatores invitarunt, si eorum mater, repudiato ejusdem hæreditatis compendio, portionem legitimam duxisset deducendam, hoc præcipue cautum fuit in testamentariis tabulis, ut nihil, quousque vigesimum quintum ætatis annum non attigissent, de fructibus hæreditariis percipere possent, quos in cumulum poni, fænorique eorum commodo collocari præscriptum fuit.

Nec æqualem, paremque testatores fecerunt omnium nepotum hæredumque conditionem, quippe qui quoad fæminas mandarunt, ut portio eis debita cum vinculo dotis traderetur: ut prætereа de portione ipsa non aliter disponere valerent, quam testamento, aut mortis causa donatione; ut demum si omnes, aut quædam ex neptibus, dotibus aliunde quæsitis, virgines Deo se voverent, vel integra portio hæreditaria eis obventa, vel quidquid, dempta dote monastica, ex ea superesset

fratribus accresceret. Romæ testatores mortem obierunt longe ante publicarum rerum perturbationem, et democraticum furorem in Provincias nostras per Gallos invectum; quorum notissimis legibus fideicommissorum nexus, et substitutiones abrogatæ fuerunt, et bona eis subjecta in libertatem vindicata. Parentum voluntati obsequentissima fuit Anna hæres primo nominata, adeoque abfuit resistere eam voluisse eorum elogio, ut hæreditatis nacta fuerit possessionem, eoque diù vixerit errore, ut reputaverit, se simplicem hæredem in usufructu tantum institutam fuisse, ac proprietatem ad liberos pertinere.

Sic facile fuit, ut filii sese in rebus, et negociis bæreditariis immiscerent, sic etiam factum est, ut nomina quædam collybistica, quin libere a debitoribus Annæ restituerentur, deposita fuerint in Æde Sacra, ad commodum quidem Annæ quoad usumfructum, sed quoad proprietatem ad commodum filiorum, maris nimirum Dominici, ac quatuor fœminarum, Ceciliæ scilicet, Angelæ, Ursulæ, et Theresiæ. Sic demum evenit, ut caput scutorum *bismillium* in Æde Sacra relictum pluribus obnoxium fieret detractionibus tam erga Dominicum, atque Cæciliam, quam etiam erga Theresiam, dum nupsit civi Neapolitano nostrorumque militum Duci Raphaeli Pepe. Sed immatura mors ejusdem Theresiæ cum causam præbuerit, ut ad examen denuo revocarentur testamentariæ tabulæ conjugum Pereyra; tum utilis in primis fuit Annæ, quæ videns se usufructuariam, et proprictariam simul hæredem a parentibus scriptam fuisse, dominium sibi vindicavit depositæ summæ, quæ adhuc reliqua erat in scutis *sexceatis*, eaque de re contra filiam Cæciliam ejusque virum Nicolaum Martinazzi, judicium movit coram A. C., ubi tamen Causa cecidit. Secus vero Sacro Ordini visum est, qui propositæ in hæc verba dubii formulæ *An*, *et quomodo*, *et supra quibus bonis*, *et cujus favore sit locus successioni* ad *bona hæreditaria Rodriguez*, *et Pereyra in casu etc.* = hodie respondit = *Affirmative fabore Annæ super omnibus bonis etiam quoad proprietatem.*

Quod denegari ex testamenti litera non poterat Annam usufructuariam simul, et proprietariam hæredem fuisse nominatam, tum quia hæres universalis instituta fuit = *In tutti e singoli beni* = absque ulla cobibitione ad usufructum, tum etiam quia testatores quamcumque alienationem eidem Annæ prohibuerunt = *anche quando l'usufrutto gli sarà consolidato in suo farore colla proprietà* = Quod certe demonstrat proprietatem cum usufructu cumulasse disponentes; id quidem nec ipsa inficiabatur Cæcilia aut ejus socius litis, ac ejusdem Annæ gener Nicolaus Martinazzi. Hoc unum satis ergo erat, ne petitio ab Anna proposita rejiceretur. Quamquam enim Anna ex testatorum placito hæreditatis in eam collatæ proprietatem restituere teneretur filiis natis et nascituris, cum ex Gallica nihilominus lege in Urbem nostram lata die 13 Junii 1809 prorsus intercisa fuerint fideicommissorum, et substitutionum vincula, quæ *ex Motu proprio S. M. Pii VII.* diei 6. Junii 1816 ad vitam, et observantiam non fuerunt revocato, nisi eorum substantiæ ab oneribus, et hypothecis immunes ad scuta adscenderent 15000 quod intbemate haud subsistit; consequens omnino est tum ex Gallico, tum ex Pontificio jure eadem bona libera evasisse in Anna quocumque prorsus sublato oneru restitutionis. 1

Non negabat Cæcilia una cum assecla suo in patrocinium Pii Cætus S. Jvonis recepta, eadem die, qua lex Napoleonis in vulgus prodiit, in Urbem latas fuisse leges anni 1792, quæ substitutiones omnes fideicommissarias deleverant, sed in vim *Art.* 1048 ejusdem Codicis, qui eas substitutiones servavit incolumes, quæ non ultra primum gradum protrahantur, totis viribus contendebant, teneri Annam ad restitutionem hæreditatis erga filios suos At quamvis prædicto Articulo sancitum fuerit quod = *i beni, de' quali il Padre e la Madre hanno la facoltà di di-* 2

sporre, potranno essere da essi donati o *in tutto* o *in parte ad uno* o *più de'loro figli con atti tra vivi*, o *di ultima volontà coll' obligo di restituire questi beni ai figli nati e da nascere nel primo grado soltanto di essi donatarj* =, apertissimis attamen verbis initio ac prolusione ipsa Gallici Codicis scriptum est = *la legge non dispone*, *che per l' avvenire*, *essa non può avere effetto retroattivo* = Quapropter, cum substitutio fideicommissaria a conjugibus Pereyra in eorum testamento præscripta, abrogata jam antea fuisset, absurdum est contendere et contra dispositionem ipsius Gallici Codicis asserere, substitutionem illam per leges anteriores deletam, denuo ex Codicis censura viguisse, veluti in re simili monet Sacer Ordo *in Tyburtina immissionis* 9. *Januarii* 1824. §. 6. *et* 7. *cor. Emo Marco.*

3 Errabant autem Cæciliæ Defensores, dum leges fideicommissis et substitutionibus inimicas, quæ Romæ die 13 Junii anni 1809 promulgatæ fuerunt, ad substitutionum et fideicommissorum abrogationem pertinere dicebant, quæ vel perpetua essent, vel in plures personas et familias ordinata, perinde ac si unica substitutio substitutionem et fideicommissum non secumferret. Pugnat enim exceptio cum ipsis legibus a Gallis anno 1792 editis, et Romae vulgatis anno 1809, quæ generatim omnes et quascumque deleverunt substitutiones, quin ullum vel minimum discrimen fecerint inter substitutiones perpetuas, atque ad plures personarum gradus ampliatas, et alias ad unum tantum gradum cohibitas. Jam vero, ut notum est, ubi lex non distinguit, neque Judici distinguere licet. Strictim igitur leges de omnibus sine discrimine substitutionibus intelligendæ sunt. Pugnat insuper cum tota jurisprudentia, ex qua substitutio fideicommissaria, tam ea censetur, quæ ad infinitum, aut saltem ad pluras personas, quam alia, quæ ad unam substitutorum sedem excurrat. *Instit.* § 2 *tit.* 23 *lib.* 2 *de fideicom. Peregrin de fideicom. in summa num.* 8 *Valent. de de ult. volunt. vol.* 34 *n.* 49 *par.* 1. *Rot. in Verulana fideicommissi* 3 *Junii* 1822 § 3 *cor. Emo Bussi.*

4 Nec rem turbat, quæ a Cæciliæ oratoribus objiciebatur, Sacri Trubunalis Decisio *in Romana Pecuniaria* 26 *Martii* 1827 *cor. Rmo P. D. Tiberi Archiepiscopo Atinarum.* In primis namque animadvertendum occurrit, revocatam Decisionem illam fuisse in Comitiis habitis ad diem 21 Aprilis insequentis anni coram *R. P. D. Meo Ruspoli.* Deinde vero, etiamsi in ea Decisione ageretur de substitutione anno 1807 præscripta, priusquam in Urbem Gallicæ leges fuissent invectæ, potissima tamen quæstio ad quoddam creditum vacabilium coercebatur. Si igitur in Decisione excidit, quod minus congruat Gallorum jurisprudentiæ, cum de exceptione ageretur obiter, et perfunctorio tractata, nullum poterat super ea fundamentum constitui. At non sunt in exemplum afferenda Sacri Ordinis Oracula, cum de diversa re agant, nec subjectæ materiæ conveniant. Etiamsi autem ex dispositione Codicis Gallici substitutio sustineretur; ea nihilominus viribus suis consistere non potuisset, nisi usque ad annum 1814 quo legibus Pontificiis confirmata fuit abrogatio fideicommissorum, ac substitutionum, nisi ad *quindecim millium* nummorum argenteorum earum æstimatio perveniat, quam certe non attingit hæreditas conjugum Pereyra.

Cæterum Gallicus quidem Codex parentibus potestatem indulsit donandi quadrantem hæreditatis = *in tutto, e in parte ad uno, e più dei loro figli con atti tra'vivi*, o *di ultima volontà, coll' obbligo di restituire questi beni ai figli nati e da nascere nel primo grado soltanto di essi donatari* = Verum eodem contextu jussit, quod = *le disposizioni premesse nei due precedenti Articoli non saranno valide, se non quando l'obbligo di restituzione sarà a vantaggio di tutti i figli del gravato nati*, *e da nascere*, *senza eccezione* o *preferenza di età* o *di sesso* = At vero adeo non convenit huic legis sanctioni testamentum conjugum Pereyra, ut non de quadranti tanti tantum, de quo ex Gallicis legi- 4

bus unice disponere pro arbitrio poterant parente favore cujuscumque ex filiis. sed de integra hæreditate substitutionem conjuges Pereyra condiderint. Præterea qnoad masculos jusserunt, ut fructus præcipue non possent percipere, nisi postquam vigesimum quintum ætatis annum attigerint. Quoad fæminas vero voluernut, ut portio hæreditaria eis obveniret eum vinculo dotis de qua non aliter legem dicere fas esset, nisi per testamentum, vel mortis caussa donationem. Quin imo mandarunt, ut si fæminæ Deo se voverent, portio hæreditaria, deducta monastica dote fratribus accresceret.

5 Non ergo exæquarunt testatores omnium filiorum conditionem, sed habita sexus ætatisque differentia, masculis potius, quam fæminis gratificari visi sunt. Quocirca eorum postrema dispositio eum legis dispositione non modo non convenit, sed adeo imo ei repugnat, ut dispositio ipsa aliarum legum Gallicarum, quæ anno 1809. Romæ prodierunt, censuræ prorsus fiat obnoxia, quemadmodum statuit Sacer Ordo *in Romana Pecuniaria* 21 *Aprilis* 1828 § 2 *cor. R. P. D. Meo Raspoli* ubi revocata fuit præcedens *citata Decisio coram Rmo P. D. Tiberi.* Neque obstat ultro sivisse mulierem, ut caput scutorum *bismillium* depositi loco relietom arbitrariis detractionibus imminoeretur ad filias suas dotandas Dignæ quippe sunt excusatione mulieres in iis, quæ juris sunt. Idque magis locum obtinet in re præcedenti, quia non de lucro captando. *Leg.* 7 *et leg.* 8 *ff de jur. et fact. ignor. Voet. in pandect. lib.* 22 *in tit.* 6 *num.* 5. Accedit vero numqnam interfuisse Annam stipulationi tabularum nuptialium, in quibus de dotibus ex peculiari patrimonio Annæ a parentibus quæstio constituendis aetum est. Non potuit igitur ex illis ullo modo obligari. *Leg.* 2 *et* 3 *cod. Ne uxor pro marit. et leg.* 38 § 17 *ff de verb. obligat.* Tamquam immo res inter alios acta tertio non præsenti, nec consentienti nocere stipulationes illæ non potuere.

Et ita utraque etc.

ROMANA PECUNIARIA

SUPER FRUCTIBUS

Lunae 21 *Junii* 1830

ARGUMENTUM

Cum repugnet eum, qui civiliter mortuus est, negotiari, et pecunias per emporia, et nundinas trajicere, ut fructus pecuniae lucretur, hinc exploratum est, in universali creditorum concursu, sistere cursum usurarium, et sterile prorsus quodcumque, sive census, sive collybi, nomen evadere.

SUMMARIUM

1. *Post convocatum generalem concursum super patrimonio debitoris, usurarum civilium cursum cessat omnino.*
2. *Nequit disceptari de graduatoria sententia, absente creditorum coetu.*
3. *Sententia graduatoria, nequit obiter revocari.*
   Etiam in contractu individuo, rescissa, aut inefficaci reddita, quoad unum ex debendi correis obligatione, tota obligatio in alium vel debendi correum, vel fidejussorem refunditur - ibidem. -
4. *Non est in potestatem quorundam creditorum quidquam decernere, quod sententiam graduatoriam convellat.*
5. *Mors civilis efficit, ut debitor decoctus, qui fructus non debet, nec damna debeat.*
   Ad condicendos fructus loco damnorum, interpellatione opus est creditoris, et mora debitoris - ibidem. -
6. *Fructus in concursu creditorum, coerceri debent, ad diem convocationis.*

DECISIO CCCLXXXVI.

Collybisticum nomen scutorum *termillium* in ænea moneta, qnod postea, reductione inita, cohibitum fuit ad nummos argenteos *mille nongentos*, anno 1802 germani fratres Franciscus, et Joannes Mazio in solidum contraxerunt erga virum Principem Antonium Ludovisium Boncompagnum, semissibus conventis interusuriis in singula centum, et annos. Anno insequenti foro, bonisque cessit, deindeque etiam mortem obiit alter ex fratribus Joannes. Coacto igitur creditorum coetu, ventum est eos inter ad judicium protopraxiæ,

in quo, cum Judex, in id negocii peculiariter electus, suam unicuique creditori sedem assignaverit ; tum *quarto* in gradu posuit virum Principem Ludovisium pro collybistico capite una cum fructibus usque ad diem proclamatæ defectionis debitoris insolutis; in *quinto* vero constituit Marchionem Petrum a Farnea , qui pariter non leve creditum adversus communis debitoris patrimonium experiebatur. Sed judicium protopraxiæ deserendum, et judicis editam sententiam, a qua provocavit quidem aliquis ex creditoribus, non tamen appellationem deinceps prosequutus fuit, posthabendam censuit vir Princeps Ludovisius, et satius duxit molestias vertere suas in alium fratrem, debendique correum Franciscum, cum quo concordiam iniit, auctisque fructibus, facile sivit, ut ad aliud triennium collybi restitutio protraheretur.

At creditores, quibus nunciandam curaverat Franciscus initam cum viro Principe Ludovisio transactionem, ut facilius dein ab eis obtineret dimidium fructuum, jam coacto creditorum coetu solvendorum, principio non obstiterunt, et assentiri visi sunt horum fructuum solutioni. Deinde tamen, tum transactioni, tum præsertim obligationi rependendi dimidium ususarum adeo refragati sont, ut summam scutorum *quatuor centum quinquaginta* illico Francisco tradidorint, ut partem dimitterent dimidii nominis collybistici, qoo Joannis patrimonium premebatur, salvis utrinque juribus quoad fructus post convocationem concursus creditorum pensitandos. Interea in unum coacti creditores in solutum sibi addicere communis debitoris bona deliberarunt; ex quo factum est, ut ædes quædam prope forum positæ S. Mariæ supra Minervam obvenerint Marchioni Potro a Farnea, qui eas in solutum accepit, nedum onere adjecto restituendi prioribus, et potioribus, sed pacto etiam interposito, ex quo cautum, ut Marchio ipse tenceretur creditum Francisci, prout de jure fuisset, ære suo dimittere, si hic viri Principis Ludovisii, hujus credito soluto, jura acquisivisset.

Probo tamen videns Franciscus sese rem componere non posse cum creditoribus, apud quos urgebat continuo sui crediti solutionem, triplex judicium instituit coram A. C. quorum altero dimidium fructuum postulavit, quos sese usque ad diem *decimam octavam* Martii anni 1808 viro Principi solvisse clamabat, eoquo nomino scuta 347. 71 a creditoribus condicebat; altero liberari in genere petiit a molestiis, quas a creditore viro Principe Ludovisio patiebatur: postremo denique de ipsa liberatione a molestiis in specie agens, non modo reliquam summam, quæ dimidium collybistici nominis æquaret, sed semissem quoque fructuum usque ad ipsius collybistici nominis exctinctionem reposcendum existimavit. Vadimonio a creditorum procuratore fere deserto, in omnibus petitionibus voti compos evasit. Sed a tribus hisce sententiis appellationem interjecit Marchio Petrus a Farnea, eamque quoad scuta 517. 75 quæ reliqua erant ex dimidio collybistici nominis a creditoribus adhuc solvendo, et quoad fructus usque ad convocationem concursus insolutos *in devolutivo* tantum obtinuit; quoad fructus vero alios post convocatum creditorum concursum solvendos *in suspensivo.*

Orta hinc rejudicata quoad reliquam summam dimidii capitis collybistici nominis, ejusque fructus usque ad diem convocationis concursus, quamvis abrogati A. C. Triumviri ejusdem rei-judicatæ exequtionem demandaverint, eamque in rem peritos architectos elegerint, qui partem ædium secernerent valori crediti respondentem; omnis tamen controversia ex bono, et æquo composita fuit inter ipsum Franciscum Mazio, et Marchionem a Furnea, quippe qui quadrantem eorumdem ædium una cum pensionibus in posterum exigendis eidem Francisco in solutum cessit. Quoad autem fructus dimidii collybi post concursus convocationem solvendos, revocarunt A. C. Triumviri præcedentem A. C. Sententiam, atque ab eorum onere creditores immunes omnino renunciarunt. In hoc sententiarum conflictu res conscendit ad Sacrum Or-

dinem, nbi quoque disputari inceptum est de pensionibus quartæ partis ædium a Francisco Mazio in solutum acceptæ, quarum restitutionem in summa scutorum 356 06 a die 13 Junii 1808 ipse reposcit. De restitutione pensionnm agit coeva Decisio. Hic de fructibus disquiritur, de quibus cum quæsitum fuerit = *An et quomodo, et in qua summo sit locus solutioni fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum datum est = *Negotive in omnibus* =.

1 Obstat enim petitioni fructuum, tum juris dispositio, tum ipsum protopraxiæ judicinm, ex qno suus nnicuique gradus creditori, et sedes constituta est ad proprii crediti satisfactionem assequendam. Quoad juris dispositionem, cum repugnet eum, qui civiliter mortuus est, negotiari, et pecunias per emporia, et nundinas traiicere, ut fructus pecuniæ lucretur, hinc exploratum est, in dicto nniversali creditorum concursu, sistere cursum usurarum, et sterile prorsus quodcumque, sive census, sive collybi, nomen evadere, et quamvis *Card. de Luca disc.* 140 *de credit., et debit.* contrarium affirmaverit, et Sacer Ordo sese abstinuerit antiquitus ab hac dirimenda quæstione, hodie usu, et consuetudine receptum est post convocatum generalem concursum super patrimonio debitoris, usurarum civilium cursum omnino cessare, nec nllam creditori præsto esse actionem adversus patrimonium debitoris ad fructus post convocationem concursus condicendos. *Salgad. Labyr. credit. part.* 1 *cap.* 18 *num.* 7, *Rot. decis.* 254 *num.* 6 *corom Molines, in Romano litterarum Combii* 16 *Aprilis* 1735 § *et si coram Merlino, in Romano Cumbii super reservotis* 3 *Julii* 1750 § *Sublatis coram Migozzi, in Romano reportationis pecuniarum* 8 *Maii* 1752 § 6 *coram Amadeo, in Romano Cambii super decoctione* 9 *Junii* 1752 § 4 *corom Molino, et in Rom. Pecuniaria* 4 *Mortii* 1793 § 5 *cor. Strasoldo.* Quod si obtinet etiam in eo casu, quo in patrimonio debitoris tot bona reperiantur, quot omni æri alieno luendo paria sint; multo magis obtinere debet in casu alio, in quo multi ex creditoribus manibus vacuis abire coguntur, veluti ipse opinatur. *Card. de Luc. dict. disc.* 143 *numer.* 13. Quo loci, licet in generc patet cursum usurarum non sistere in universali creditorum concursus; id nihilominus locum non habere concludit, si impar sit patrimonium debitoris cunctis creditoribus dimittendis, ne posteriorum conditio ab anterioribus deterior fiat.

Jam vero collybisticum nomen cum viro Principe Ludovisio contractum, cum pro medietate ad Joannem pertineret, idcirco ex indicto super patrimonio Joannis creditorum concursu medietas illa sterilis evasit. Hinc, quemadmodum patrimoninm Joannis nihil in fructuum causam rependere viro Principi Ludovisio teneretur; ita pariter nihil Francisco Persolvere debet, qui modo viri Principis jura et actiones exercet. Obstat insuper petitioni fructunm *groduatoria* sententia Judicis concursus, dc qua confirmanda, vel revocanda neque disceptatur modo, naque disceptari potest, absente præsertim ab hoc judicio creditorum coetu. Quin imo hujusmodi sententiæ, tamquam actionis suæ fundamento Franciscus innititur. Ipse namque adversus Marchionem a Farnea hodiernam actionem instituere non posset, nisi ex eadem *groduotoria* sententia constaret Francisco in jure Principis Ludovisi successo *guortum*, Marchioni vero a Farnea *quintum* locum fuisse assignatum. Atqui, si præ ocnlis unice in præsens habenda est *groduatoria* ejusmodi sententia, nullo modo actori fructus post coactum concursum sibi asserere licet. Quando quidem *quarto* loco collocatus est vir Princeps Ludovisius, quem Franciscus repræsentat = *pro scutis termillibus pro restitutione cambii contracti a bo. me. Joanne Mazio, oc Dom. Francisco Mazlo ejus Fratre, nec non pro illius fructibus decursis, et non solutis od totam diem convocati concursus in summa liquidanda.* 2

Donec igitur in implicito manet validitatis statu sententia graduatoria, quæ cæteroquin obiter revocari nequit; nec revocari unquam posset, utpote quæ nitidissimis innititur juris principiis, rejici omnino debet actio Franci- 3

sci, ad obtinendos a decreto patrimonio fructus, post convocationem concursus solvendos, instituta. Nec Franciscus recte obtrudebat, sese integros fructus post convocationem concursus pensitandos viro Principi Ludovisio repræsentare coactum fuisse, proindeque jure dimidium ipsorum fructuum a patrimonio condicendi pellere. Si enim collybisticum nomen, postquam etiam alter ex debendi correis fortunis cecidit, frugiferum permansit, id certe evenit, non ex persona decocti, qui eo ipso, quod bonis cedit quibuscumque cambiorum; censuumque fructibus liberatur; sed accidit ex qualitate, et veste correi debendi, et in solidum una cum fratre obligati, qua induebatur Franciscus, et cujus vi portionem ab altero correo repræsentandam ipse unus tenebatur numerare. Non enim novum est, ut in individuo quoque contractu, rescissa, aut inefficaci reddita, quoad unum ex debendi correis obligatione, tota obligatio in alium vel debendi correum, vel fidejussorem refundatur. *Leg. si Titius* 48 *ff de fidejus., Voet. in pandect., lib.* 16 *tit.* 1 *num.* 7. *Rot. in Verulana Pecuniaria* 5 *Julii* 1822 § 5 *cor. Emo Isoard*. Ita fit, ut nomen collybisticum frugiferum remaneat, verum quod peculiari jure contra fidejussorem, debendique correum inductum est, id certe retorqueri in perniciem creditorum decocti non debet, qui ad usuras collybisticas post convocationem concursus pensitandas minime tenentur.

4 Nihil autem opitulatur Francisco factum quorundam creditorum, qui in unum coacti in conventu diei 19 Februarii 1807 sese ad dimidios fructus post convocationem concursus solvendos obligari cognoverunt. Non enim in potestate erat creditorum quidquam decernere, quod sententiam graduotoriam convelleret, quæ non aliter jus fecit viro Principi Ludovisio collybistici nominis fructus assequendi, nisi usque ad diem convocationis concursus dumtaxat, idque certius statuendum est, quia non omnes creditores ita deliberarunt, sed nonnulli tantum, qui quolibet cæterorum procurationis mandato carebant, quique, cum in ultimas sedes rejecti a graduatoria sententia fuissent, parvi pendebant, parvique eorum intererat in maxima patrimonii inopia, an Fraciscus condicere, nec ne, posset ab ipso patrimonio fructus post convocationem concursus rependendos. Quod vero a nonnullis creditoribus inconsultu constitutum fuit, revocatum deinde est ab omnibus in posteriori conventu, in quo, salvis utrinque juribus quoad eosdem fructus, partem dimidii capitis collybistici nominis in scutis *quatuor centum quinquaginta* Francisco persolvi creditores ipsi decreverunt, quæ Franciscus cum eadem quoad fructus reservatione, et cauthela recepit.

Postremo loco haud licet Francisco fructus collybisticos exigere sub specie 5 et titulo *damnorum*, veluti inquiunt, et *interesse*. Manet siquidem eadem ratio civilis mortis, quæ effecit, ut debitor decoctus, qui fructus non debet, nec damna debeat. Factus enim est incapax hujus generis damnorum, quæ loco fructuum sunt, et hoc in casu fructibus æquiparantur. Ad condicendos rursus fructus loco damnorum, et interesse interpellatione opus est creditoris, et mora debitoris. *Leg.* 1. §. *ult. ff. de eo, quod cert. loc. leg. Virum ff. si cert. petat. leg. Nummis ff. de in lit. juram, Rot. decis.* 175 *numer.* 3 *coram Molines, decis.* 463 *numer.* 28 *coram Ansaldo*. At nec interpellavit Franciscus Marchionem a Farnea, nec Machio a Farnea in moram lapsus est, quippe qui ad fructus post convocationem concursus solvendos teneri non poterat, nec aliam cum creditorum coetu contraxit obligationem, nisi Francisci creditum, prout de jure, dimittendi, intra tamen vires et limites bonorum in solutum acceptorum. Utcumque tandem Francisco jus suppeteret condicendi hosce fructus loco *damnorum, et interesse*; jus tamen ipsum desumere non posset ab instrumento collybistico anni 1802 sed a die, quo eosdem fructu viro Principi Ludovisio persolvisse probaret: quo in casu vincitur a Marchione a Farnea, cujus creditum anterius est tempore,

quo idem Franciscus fructus integros collybi creditori repræsentavit.

6 Aut igit ex jure dimissi creditoris; aut agit jure proprio. Si jure agit creditoris, nihil proficit, qnia sententia gradnatoria jua fecit creditori, repetendi fructus collybiaticos usque ad diem convocationis tantum. Si agit jure proprio, æque laterem lavat, quia non modo vincitur a Marchione a Farnea, sed nullum adhuc pro credito isto locum, et gradum obtinuit in graduatoria sententia. Quidquid vero oneris et obligstionis suscepit Marchio a Farnea cum creditorum coetu, refertur dumtaxat ad creditum viri Principia Luduvisii = *per il credito di sorte, e frutti del cambio di cui va creditore il Sig. Principe di Piombino* = Atqui creditum viri Principis contra decocti patrimonium coercere tantum ad dimidium collybi, ejusque fructus usque ad diem convocationis concursus. Ergo non aliud, nisi dimidium capitis una cum fructibus usque ad concursus convocationem ex suscepta a Marchione a Farnea cum coetu creditorum obbligatione exigere ab eodem Marchione valet Franciscus, qui hoc nomine jam fuit plenissime satisfactus, Qua re nil condicere potest in causam fructunm post convocationem concursus solvendorum. Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA

RESTITUTIONUM PENSIONUM

Lunae 21. *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

SUMMARIUM

1. *Creditores posteriores tenentur rem restituere creditoribus anterioribus una cum fructibus.*
2. *Nemini licet a facto suo resilire.*
3. *Res-judicata, in judicio graduationis, retrahitur ad diem petitionis.*
4. *Creditores in inferiori gradu constituti indemnes facere debent creditores anteriores, quoties ab aliis magis privilegiatis molestias patiuntur.*

DECISIO CCCLXXXVII.

Coacto creditorum concursu super bonis Joannis Mazio, ferbuit protopraxiæ judicium inter decertantes creditores coram Præsule Bottiglia, qui *graduatoriam* anno 1803 edidit sententiam, qua in quartam sedem viro principi Ludovisio pro collybistico nomine scutorum *millium nongentorum triginta quinque et obul.* 48, assignavit, *quintum* vero locum attribuit marchioni Petro a Farnea pro credito scutorum circiter *termillium*. At vir princeps Ludovisius ambages deserens judicii concursus universalis, satius censuit tela convertere sua adversus Franciscum Mazio defuncti Joannis fratrem germanum, et solidali obligatione sibi devinctum, cum quo transegit, auctisque fructibus collybistici nominis a semissi ad bessem usque modum, facile convenit, ut restitutio collybi ad aliud triennium foret distinenda. Interim vero Franciscus, qui totam hujusce debiti sarcinam ægre ferebat, maxime elaborabat, ut creditorum cogeret Cætum ad semissem capitis, fructunm collybi persolvendum. Sed nihil aliud ab eis recepit, nisi nummos argenteos *quatuorcentum quinquaginta*, qui cesserunt in partem solutionis dimidii nominis collybistici, reservatione adhibita quoad fructns post convocationem concursus debitos, do quibus sarcta tecta jura sua contrahentes sibi servarunt.

Postea cum divisa fuerint inter creditores, ad sententiæ graduatoriæ præscriptum, bona Patrimonij; tum potissimum marchioni a Farnea obvenerunt, atque hoc pacto ædes quædam prope forum S. Mariæ supra Minervam adjudicatæ sunt, ut ipse teneretur Francisco Mazio de suo credito satisfacere, tum ad tramites juris, tum intra vires bonoram in solutum acceptorum. Sed videns Franciscus cum creditoribus quæstionem do fructibus post con-

vocationem concursus solvendis non posse facile componi, tria judicia instituit coram A. C., totidemque votis consonas sententias obtinuit. In prima siquidem declaratum fuit, teneri creditorum Cætum ad reprehæsentandos dimidios collybi fructus, quorum solvendorum dies cesserat, et venerat, ante concursus convocationem. Altera eumdem creditorum Cætum coegit ad liberandum in genere Franciscum a molestiis, quæ ei a viro principe Ludovisio inferebantur. Tertia demum de illatis molestiis in specie agens, ipsum creditorum Cætum damnavit, tam ad reliquam partem dimidii capitis collybistici rependendam, quam ad dimidios fructus numerandos, qui post convocationem concursus usque ad collybistici nominis extinctionem solvendi fuissent.

Ab his sententiis appellatio suspensiva concessa fuit in ea tantum parte, quæ respicit solutionem fructuum post coactum creditorum concursum. Debuit itaque marchio a Farnea reliquum debitum capitis, et fructuum ante diem convocationis concursus solvendorum dimittere, proindeque anno 1819 ad diem *quartam* supra *decimam* Junii quartam partem illarum ædium, quæ ei fuerant adjudicatæ, Francisco cessit una cum pensionibus in futurum repræhesentandis. Sed hæc cessio causam præbuit altori quæstioni, quam idem Franciscus, postquam inimicam passus fuit sententiam ab abrogatis A. C. Triumviris quoad fructus post convocationem concursus debitos, statim excitavit de pensionibus partis ædium, quas a tempore adjudicationis usque ad diem cessionis marchio a Farnea perceperat. Sic binæ quæstiones ad Sacrum Ordinem conscenderunt: altera de his pensionibus; de fructibus altera post convocationem concursus solvendis, de quibus agit coæva Decisio, cui titulus *Romana Pecuniaria super fructibus*. Hic quæritur de pensionibus; de quibus cum dubii formulam proposuerim in hæc verba = *An et in qua summa sit locus restitutioni pensionum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, responsum accepi = *Affirmative, et mandatum esse relaxandum in summa liquidanda* =.

1 Porro si marchio a Farnea necessario debuit quadrantem ædium sibi adjudicatarum Francisco Mazio cedere, ut is satisfieret de dimidio capite collybi et de fructibus usque ad convocationem concursus decursis; æque tenetur ad restituendas pensiones, quas pro quadrante earumdem ædium a die obtentæ a Cætu creditorum adjudicationis percepit. Pensiones namque istæ tamquam accessiones restituendarum ædium censendæ sunt, ideoque cum ipsa re veniunt. *Leg. Si servum § fin. ff de empt.* Adigendus præterea est marchio Petrus a Farnea ad pensiones ædium anteriori creditori reddendas non minus ex dispositione juris, ex qua docemur, posteriores creditores teneri ad rem restituendam una cum fructibus creditoribus anterioribus, et potioribus, qui jus habent bona, et pecunias ab eis avocandi, ut firmat Sacer Ordo in *Romana Graduationis* 21 *Aprilis* 1820 § 7 *coram Eminentissimo Odescalchi, in Senogallien. Reportationis Scut.* 2633 65 10 *Maii* 1822 § 4 *cor. Emo Gamberini, et in Cæsenaten. Graduationis* 18 *Aprilis* 1828 § 5 *cor. R. P. D. meo Ruspoli*; quam ex pacto, tum generico de restituendo prioribus et potioribus, tum alio peculiari et disertissimo in adjudicationis actu apposito, cujus ope marchio a Farnea sese obstrinxit hoc modo = *Quante volte il Signor Francesco Mazio ottenesse di esser preferito per il credito di sorte, e frutti del cambio, in tal caso dovrà essere a carico del Sig. Marchese della Fargna il debito sudetto, dovendo però rivalersene sopra altri beni del patrimonio.*

2 Dispositioni autem juris, et pactis luculentissimis actus adjudicationis accedunt res judicata Triumvirorum A. C., et factum ipsius marchionis a Farnea. Nam Triumviri A. C., dum Sententiarum, quas Franciscus Mazio obtinuerat, executionem demandarunt in ea parte, quæ reliquam summam collybistici capitis, et fructus usque ad convocationem concursus debitos re-

spiciebat, ideoque peritos architectos elegerunt, qui partem ædium secernerent credito scutorum 590 90 respondentem, insimul jusserunt, ut restituerentur = *le pigioni relative a detta rata di scudi* 590 90, *e capitale di case, decorse dal giorno* 13 *Giugno* 1808 *in poi* =. Ipse rursus Marchio a Farnea, nedum cessit pensiones post contractum persolvendas, sed alias etiam a Kalendis Januarii anni 1818 decursas, quamvis cessio stipulata fuerit multo postea, nimirum die 14 Junii ejusdem anni. Quemadmodum itaque facto suo, a quo resilire amplius nequit, cessit pensiones a Kalendis Januariis, ita cedere quoque debebat pensiones alias a die adjudicationis solutas. Ab eo enim tempore jus ex graduatoria sententia quæsitum est Francisco, tamquam cessionario viri principis Ludovisii, sui crediti satisfactionem pro medietate a Cætu creditorum assequendi.

3 Uti vero vir princeps Ludovisius, si persequi Cætum creditorum voluisset, præ Marchione a Farnea, obtinuisset a die 14 Junii 1808 sibi ædes adjudicari, ita hoc ipsum jus rite hodie experitur Franciscus Mazio ex cessione viri principis Ludovisii tum juris ministerio, tum ex voluntate creditorum inducta. Certius, quia res judicata, quam executioni mandarunt A.C. Triumviri, retrahitur ad diem petitionis. *Leg. Certum Cod. de rei vindicat., Rota in Rec. Decis.* 690 *n.* 10 *par.* 4 *tom.* 3, *Decis.* 360 *num.* 9 *cor. Durano, Decis.* 287 *n.* 8 *cor. Benincasa, et Decis.* 14 *n.* 7 *et* 8 *cor. Olivatio.* Jam vero Franciscus Mazio petitionem suam de solutione crediti, quod dimidiam capitis collybistici una cum fructibus usque ad convocationem concursus solutis spectabat, eodem quidem anno 1808, sed nonnullos menses ante sequutam adjudicationem excitavit. Ergo potiori jure reposcit, ut a die adjudicationis, nimirum a die 14 Junii 1808, pensiones quadrantis ædium, tamquam rei frugiferæ fructus, sibi restituantur. Neque eggerendum creditum Francisci non esse frugiferum, Hac siquidem indagine penitus seposita, sat est animadvertere pensiones ædium non ideo condici quia frugiferum sit creditum Francisci, sed quia frugiferæ sunt ædes, ad quas usque ab Anno 1808 jus ex graduatoria sententia, et ex ipsa adjudicatione, marchioni a Farnea facta, Franciscus habebat.

Si igitur perperam tradita Marchioni a Farnea ea bona fuerunt, quæ eidem Francisco, utpote anteriori creditori, tribuenda fuissent, jus et justitia exigit, ut fructus, quos percepit, Marchio restituat, ne cum aliena jactura locupletetur. Tanto minus imo restitutioni pensionum obsistere potest, quo magis est exploratum indemnitatem consequi eum posse contra alios creditores minus privilegiarios, tam ex jure, quam ex pacto. Ex jure, quia receptum est ut creditores in inferiori gradu constituti indemnes facere debeant creditores anteriores, quoties ab aliis magis privilegiariis molestias patiantur. *Rota Decis.* 312 *n.* 3 *et* 4 *cor. Molines, Decis.* 109 *n.* 2 *cor. Herzan, et in Senogallien. Liberationis a Molestiis* 22 *Januarii* 1821 § 3 *cor. Rmo P. D. Meo Spada Decano.* Pacto præterea sibi cavit Marchio a Farnea, ut si teneretur, aut in totum, aut in parte ædium possessionem erga Franciscum dimittere = *dovrà in tal caso rivalersene su gli altri beni del patrimonio, come intende, e dichiara di voler fare* =. Adeo itaque evidens res est et expedita, ut nullum dubitandi locum relinquat, quin pensiones quadrantis ædium sint Francisco restituendæ a die adjudicationis in summa ad liquidum perducenda. 4

Et ita etc.; Utraque etc.

SENOGALLIEN

DELETIONIS HYPOTHECARIAE

Lunae 21 *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Venditor tenetur tradere rem liberam, et efficere, ut re quaesita emptor pacifice fruatur.*
2. *Solatione ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio.*
3. *Qui promisit factum suum, si non adimpleat quod promisit, tenetur ad id quod interest.*
4. *Qui vendidit fundum uti liberum, tenetur ad hypothecas delendas.*

DECISIO CCCLXXXVIII.

Cum debitor summæ non levis esset Joseph Sanzi de Mon Bodio prope Senogalliam in Piceno Vincentii Carotti, simulque impar solvendo foret privets anno 1822 die 30 Junii conscripta syngrapha, quæ ad publicarum tabularum solemnia insequenti anno ad diem quartam supra vigesimam Februerii erecta fnit, cessit hanc in causam in solutum vendiditque creditori suo prædia quatuor in Agro Senogalliæ posita, quorum is, absoluta stipulatione, nactus fuit possessionem. Quoniam vero prædis iste generalis, et peculiaris, hypotbecæ nexui mancipabantur, primo erga Gallicum deinde, Gallis exactis, erga fiscum Pontificiuni, ob qusmdam fidejussionem a Sanctio præstitam pro quibusdsm prædiorum fiscalium conductoribus, disertissimo proinde pacto obligationem venditor suscepit prædia vendita purgandi quo citius fieri potuisset, ab injectis vinculis hypothecarum.

Pluribus eutem usque ad numerum septenarium effluxis mensibus ab inito contractu videns Carottus, nihil Sanctium se præbere sollicitum de hypothecis ex stipuletu delendis, diem ei dixit coram ebrogato juridico primæ jurisditionis Anconæ Collegio, a quo sententiam votis consonam obtinnit, cujus ope quatuor mensium interstitium præstitutum fuit Sanctio ad hypothecas tollendes quo perperam emenso, reum conventum judices illi mnltarunt *quinque* nummis argenteis in singulos dies solvendis, donec suscepto oneri satisfaceret Præteriant non menses quatuor, sed anni plures, cum prope erat Carottus, ut mandatum mnltarum executioni committeret; cujus vim remorari cupiens Ssnctius, provocstionem a Sententia Anconitana interpositam prosequtus fuit, causamque mihi præbnit, ut rogationem hodie proponerem in hæc verba conceptam = *An sit locus præfixioni termini ad delendas hypothecas, et sit relaxandum mandatum de gravando in casu etc.* cui » responsum est » *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione Exprimendum* » qui in eo punctim versatur, ut induciæ annsles venditori præficiantur ad delendas hypothecas, quibus inntiliter absolutis, mandatum concedatnr actori pro hypothecarum æstimatione.

Quod enim petebat Corottus, jari 1
consonum erat et pacto. Ex jure nihil magis exploratum, quam quod tenestur venditorem tradere liberam, et omnino efficere, ut re quæsita quoad se emptor pacifice fruatur. *Leg. Ex iis prædiis Cod. de evict. leg. Post perfectam cod, eod. leg. Ex venditione* 42 *ff de contrahen. empt. et leg. Neratius ff de act. empt.* Cum autem onns hypothecarum, quo prædia devinciebantur erga Cameram Apostolicam inter stipulandum venditor patefecerit; idcirco pacto luculentissimo conventum fecit, quod = *il Sig. Sanzi sarà obligato di liberare gli stessi predj venduti da siffatte ipoteche al più presto possibile* = Nihil igitur magis fidei congruit bumsnæ quam ut ee, quæ placuerunt, religiose custodiantur. *Leg. Non minorem Cod. de transact. et leg. juris gentium ff Prætor ait ff de pactis.* Idque præcipue, quia jam multa temporis jactura facta est ea in re, quæ sane, quo citius fieri potuisset, erat executioni committenda.

Erent vero plus contemnenda, qusm 2
refntanda, quæ proponebatur a defensoribus Josephi Ssnzi, in eo toti erant, ut ostenderent factum alienum cum spopondisse, dum ad delectionem hypothecarum sese obligavit, promissorem, facti alieni non ad aliud teneri, quam ad diligentias adhibendas, ut alienum factum impleatur diligentiis demum istis Sanctium satisfecisse, dum rem componere cum Fisci procuratoribus sategit. Adhibuerit enim, aut

prorsus omiserit Sanctius eas quas, jactat, o cumulatis epistolis probare nititur, diligentias, id parvi refert. Non enim factum alienum, sed factum omnino suum promisit Sanctius, dum ad delendas ipothecas, tum in apoca et prolusione contractus, tum præssius in publicis tabulis sese devinxit. At huic oneri nunquam satisfecisse censendus erit Sanctius, nisi ære alieno dimisso erga Rev. Cameram, cui expromissor accessit in gratiam conductorum bonorum fiscalium. Nam solutione ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio Non sufficit hinc se se promptum exhibere rei componendæ, et bona dare verba, quæ nihil extricant. Oportet æs luere alienum: quod sane in tot annorum fuga numquam Sanctius fecit: Postquam autem debitum fiscale dimissum sit tunc invita etiam cogi potest Rev. Camera ad tollendas hypothecas, quæ semper fundis inherebunt
3 si pecunia non solvatur.

Quod si proprium, non alienum factum Sanctius promisit, discrimine inter promissorem facti alieni, qui unice revera tenetur ad adhibendas diligentias *ex leg. Quoties* 81 *ff de verb. obligat quam sequuntur Mantic de tacit. et ambig. lib.* 14 *tit.* 33 *n.* 11 *Card. de Luc. de cred. et debit disc.* 124 *n.* 26 *Rot. dec.* 64 *n.* 2 *cor. Buratto et in Spoletana transactionis* 12 *Martii* 1821 *§ coram Rmo P. D. meo Spada Decano*, et promissorem facti sui, qui nisi adimpleat, quod promisit ad id tenetur; quod interfuit factum nnn accedisse *ex cit. leg. quoties* 81 *ff de verb. obligat. leg.* 13 *ff de rejudic. Rot· post Marchesan. de commis. tom.* 2 *fol.* 588 *n.* 1 *dec.* 284 *part.* 9 *n.* 31 *Rec. et dec.* 241 *n.* 1 *cor. Ludovisio*: dicendum omnino est recte ab juridico coetu Anconæ terminum ei fuisse præstitutum ad tollendas hypothecas, eoque perperam elapso multatum fuisse mandato, ut forenses dicunt tædiali, quod ita cepit nuncupari, quod pertæsus forte debitor cum annis multis ad debitum solvendum, præstandamque obligationem iuducitur. Quadam autem æequitate ductus censuit Sacer Ordo inducias quadrimestres ad annum ampliare, et loco multarum decernere ut termino inutiliter decurso mandatum actori tribuatur pro valore hypothecarum.

Nec reponendum nihil detrimenti ce- 4
pere Carottum ex omissa hypothecarum deletione, quia satis consultum ejus indemnitati est ope hypothecæ super aliis venditoris bonis susceptæ. Si enim valeret argumentum, inutile fuisset pacto convenire, ut quam citius delere hypothecas venditor teneretur. Ex hoc pacto majorem sibi parare securitatem emptor visus est. Sed omnem tollit quæstionem animadversio, quod non decet dominium prædiorum diutius in incerto manere, emptorisque præteres interest libera prædia possidere, et ad meliorem convertat culturam, at facile valeat ea in alios sive venditionis nomine, sive alio quocomque titulo transferre. Nihil igitur hæredum erat, quin foret petitioni actoris annuendum.

Et ita etc. Utraquo etc.

SUTRINA PECUNIARIA

Veneris 25. *Junii* 1830.

ARGUMENTUM

Temporis lapsus, utcumque diuturnus, et silentium creditoris, qui sciens jus suum incolume manere, silendo non praejudicat, cum obligationem non tollant, ita nec praesumptionem inducunt factae solutionis, si potissimum non alia concurrant praesumptae solutionis argumenta,

SUMMARIUM

1. *Ubi adfuit societas, non potest existere neque debitum, neque creditum, nisi prius rationes dispungentur.*
2. *Peritorum virorum relationes contemni nequeunt, nisi prius errores, in quos inciderint, doceantur,*
   Qui compensationem npponit, debitum eo ipso fatetur – ibidem. –
3. *Jusjurandum, licet in supplementum probationis delatum sit, plenissime saepe probat.*
4. *Nemo prohibetur quominus ea proferat ad jus*

suum obtinendum, documenta, quamvis ex alio titulo praevniant.

5. *Solus temporis lapsus, praesumptionem non inducit solutionis, si alia non concurrunt argumenta.*
6. *In interpretandis testium dictis, congrua congruis semper referri debeat.*
7. *Socii, utut in solidum erga creditores societatis teneantur, pro virili nihilominus obligantur inter se.*
8. *Locatio fundi socialis, habetur tamquam pars socialis negocii.*

DECISIO CCCLXXXIX.

Judicio egit piaculari anno 1825 Joachim Braminius, diemque apud defunctum Præsulem A. C. Colapietro dixit Annæ Porta, eamque ad solutionem scutorum 2887 50 condemnari postulavit, quæ sibi deberi contendebat a Dominico, reæ conventæ fratre, ob insolutas trium annorum pensiones, quibus is latifundium = *la Macchia grossa di Vino* = ad Braminium jure emphiteutico pertinens, subconduxerat. Mox libellum suum correxit, et summam primum petitam cohibuit ad scuta 1325 29. At index A. C. Colapietro, antequam judicium ederet suum, rationum expunctionem perito ratiocinatori commisit, qua demum evulgata, die Septima Junii superioris anni sententiam tulit, ex qua coacta fuit Anna Porta ad prædictam summam scutorum 1325. 29. Braminio solvendam, dummodo hic intra mensem juramentum suppletorium præstaret super existentia, et veritate crediti, quod condicebat. Judicis imperio satisfecit Braminius, creditique existentiam, et veritatem juratus affirmavit. Attamen, provocatione ab Anna Porta interposita prosequendam eam curavit Camillus Cataldi, qui cessionem hujus nominis adversus Annam Porta interea temporis a Braminio stipulatus fuit. Hinc, cum in Comitiis diei 14 Decembris 1829 quæsitum fuerit = *An, et in qua summa constet de Credito, ita ut sit locus subhastationi, et deliberationi in casu etc.* =, rescriptum prodiit = *Dilata et ad D. Ponentem pro deputatione periti ratiocinatoris, qui referat super computis hinc inde productis, et producendis* = Absoluta autem judiciali relatione, quæ ex decreto meo concredita fuit logographo Michæli Bellonio, iterum delimendum supra memoratam Dubii formulam Dominis Meis proposui, qui responderunt = *Affirmative in omnibus pro summa scutorum* 299 95 ½.

1 Res facti erat, an solutæ, nec ne, fuerint pensiones trium annorum locationis conductionis Latifundii, de quibus in præsens quæstio movebatur. Quamvis autem nullæ ab Anna exhiberentur acceptilationes, quæ unæ potissimum solutum ostendunt æs alienum. Cum tamen negociationes plures intercesserint inter Dominicum, ac Hyeronimum Porta (non ulla cognatione devinctos, sed tantum cognomento pares) Joachim Braminium, et Hyeronimum Camillum Marianum, non inepta dubitari poterat creditum pensionum commixtum fuisse cum aliis computis negociationum socialium vini, frumenti, oryzæ, aliarumque rerum, ex cisque fuisse satisfactum. Atque hæc ratio fuit, cur tam A. C. juridicus, quam Sacrum Nostrum Auditorium deputandum censuit peritum rationarium, qui rationes sociales expungeret, computisque socialibus ad examen revocatis, referret, an existeret, nec ne, pensionum creditum: an potius de eo ratio habita in iisdem computis socialibus fuisset. Atqui uterque logographus, re mature perpensa, vigero adhuc pensionum debitum declaravit. Neque id ipsi temere constituerunt sed auctoritate freti veteris cujusdam computi, quod alius ratiocinator Draggius exaravit, utraque parte consentiente, quodque non modo rationarius præcipue ab Ordine Nostro delectus, libris, et documentis ab utraque parte eidem Draggio exhibitis cohærens, et consonum invenit, sed ipsa præterea Anna, utut pluries excitata, et monita, numquam valuit impugnare.

2 Ex his autem constat, non unum dumtaxat, sed tres imo ratiocinatores, quorum duo judiciarii, alter vero communi placito a Braminio, et Dominico Porta accersitus ad rationes expungendas, in hoc consentientes fuisse, quod debitum pensionum, quo modo tenetur

Anna, veluti mediata hæres Dominici, verum, et legittimum renunciaverint, nec ullo modo cum rationibus negociorum socialium solidatum. Neminem vero latet, quanta auctoritate in judicio præstent peritorum virorum relationes, quæ neque impune contemni, neque facile valent convelli, nisi errores, in quos inciderint, clare doceantur. *Rot. decis.* 2203 *num.* 4 *coram Coccino, dec.* 49 *num.* 5 *cor. Emerix, decis.* 312 *num.* 10 *cor. Rezzonico, et decis.* 714 *num.* 2 *coram Riminaldo.* Sed tantum abest posse demonstrari judiciarios cognitores errasse, ut nec Anna, defuncti Dominici soror, quidquam attulerit ad auctoritatem convellendam veteris illius computi a Draggio confecti, nec ipse, quod magis est, Dominicus inficiatus est, dum in bumanis versabatur, et Draggium alloquebatur, pensionum nomen, cui tentum objiciebat nonnulla compensationum capita summa forte majoris, sed omnino futilia, nulliusque momento quæ idem Draggius in computo suo profligavit, atque rejecit. Nil enim in jure magis receptum, et omnium sermone vulgatum, quam debitum ab eo fateri, qui compensationem opponit = *Bald. in Leg. Cum Papinian.* 8 *Cod. de sentent.*, *Surd. decis.* 24 *num.* 5 *et* 6 *Rot. decis.* 926 *num.* 7 *et* 8 *part.* 1 *divers., et decis.* 33 *num.* 2 *part.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

3 His omnibus fastigium imponit juramentum, quod a Braminio fuit emissum in vim Sententiæ, qua delatum illud ei fuit. Hoc siquidem modo jusjurandum, licet in supplementum plenæ probationis a judice delatum, plenissimam præsefert probationem. Præ his autem, quæ nullo modo ambigi sinebant de crediti veritate nullius pensi erant, quæ Anna Porte, acceptilationum præsidio destituta, proferebat ad ipsum pensionum debitum negandum tum ex incompetentia actionis, tum etiam ex censis præsumptæ solutionis. Non enim proponere has exceptiones amplius licebet, postquam Sacer Ordo in Comitiis habitis anno superiore ad diem *decimam quartam* Decembris rei cognitionem perito ratiocinatori rescripto suo censuit committendam, a quo numquam rea conventa provocavit, quemadmodum nec provocaret ab alio, quod eadem de re pronunciavit judex A. C. Colapietro. Ex quo fit acceptem habuisse ream Conventam periti hominis deputationem, ejusque judicio sese subjecisse, quod nequit modo in discrimine adducere, nisi ad evidentiam probatis ejusdem periti hominis erroribus.

Etiamsi vero res adhuc integra foret, ineptum erat, quod dicebatur, actionem primo ex locato constitutam mutasse Braminium, seu ejus cessionarium Cataldium ac in socialem ideo convertisse, quia locatio quoque conductio inter negocia socialia continebatur. Nam illud semper redit animadvertendum, ex non interposita provocatione essentitam quasi fuisse ream conventam, ut ab actione locati pene recederetur, et in hoc quoque locati judicio de negociis socialibus inquireretur. Quam vis autem certum sit latifundii conductionem inter socialia negocia fuisse compræhensam, adhuc tamen ex ejusdem cognitoris relatione constat de pensionibus insolutis nullam socios rationem in computis socialibus habuisse. Necessario hinc sequitur eemdem in præsens manere locati causam, ex eaque tantum creditum pensionum exposci. Quod si ad intentionem suam probandam, evincendamque crediti veritatem, utitur actor computo illo, quod in societatis causam patet fuisse confectum, non idcirco concludendum repudiato locati titulo, ex societate agere Cataldium. Nemo enim prohibetur quominus ea proferat, ad jus suum obtinendum, monumenta, quæ ex alia causa, titulo, ac negocio prorsus diverso proveniunt. 4

Neque secus censendum de præsumpta solutione ex temporis lapsu, et silentio creditoris (qui usque ad obitum debitoris, ejusque parentis continuo tacuit), aliisque factis, et testimoniis elicita, quæ parvi pendenda sunt præ probationibus usque adhuc rimatis, et confessione, præsertim si non explicita, implicita saltem debitoris ad compensationem confugientis. Temporis enim 5

lapsus, utcumque diuturnus, et silentium creditoris, qui sciens jus suum incolume manere, silendo non præjudicat, cum obligationem non tollant, ita nec præsumptionem inducunt fectæ solutionis, si potissimum non alia concurrant præsumptæ solutionis argumenta = *Leg. Obligationem* § *Clare ff de act. et obligat.*, *Odd. de restit. in int. part.* 2 *quæst.* 90 *n.* 10 *Cyriac. controv.* 129 *n.* 70 *Rot. decis.* 250 *n.* 11 *cor. Riminaldo, Decis.* 474 *n.* 2 *ad* 6 *cor. Eodem, in Albanen. dotis, et fructuum* 23 *Februarii* 1752 § 12 *cor. Elephantutio, et in confirmatoria* 23 *Januarii* 1753 § *fin. cor. Eodem* =. Certius quia accedunt litteræ penes Draggium repertæ, ex quibus manifestum est, pensionum nomen numquam fuisse dimissum.

6 Quæ cum ita se habeant, non obstant, nec computum aliud, quo sese Braminius debitorem asserit Dominici Porta in scutis *quadraginta*, nec testimonium Presbyteri Vincentii Scagliosi, qui Dominicum ipsum, morti proximum audivisse profitetur declarantem, sese nihil, nullaque prorsus de causa Braminio debere, quamvis reliqua sua nomina ea occasione palam ille fecisset. Computum namque illud, quod cæteroquin anterius est alie, cui innituntur, tum Draggius, tum judiciarii cognitores, ad alia negocia coercetur, nec ulla in eo fit mentio de pensionibus insolutis. Congrua igitur congrua ut decet, referendo nullum exinde obstaculum, paratur ad condicendum pensionum nomen, quod diversum est a negociis, de quibus objectum computum agit. Quin vero quidquam probitati, et honestati spectatissimi Viri detrahatur, nullius est momenti Presbyteri Vincentii Scagliosi testimonium. Fieri enim potest, ut in eo vitæ discrimine hujus nominis obitus fuerit Dominicus, aut in ea probabili credulitate versaretur fuisse ex aliis causis pensionum debitum compensatum, veluti totis viribus coram ratiocinatore Draggio contendebat, dum vitæ fruebatur usura.

Placuit autem Dominis Meis in eam sententiam concedere, ut Annæ debitum erga Cataldium in quarta dumtaxat parte integri nominis coerceretur, quia in computo illo, quod hujusce Decisionis fundamentum est, duo debitores, duoque creditores a ratiocinatore Draggio merito fuerunt constituti, cujus opinionem sequitur logographus ab Ordine Nostro deputatus. Cataldius siquidem, qua Braminii cessionarius, unius tantum creditoris gerit personam; Anna vero, quæ hæres unius Dominici fuit, obligationem præstare non debet alterius debitoris Hyeronimi. Socii enim, utut in solidum erga creditores societatis teneantur, pro virili nihilominus obligantur inter se, nisi expressis verbis de obligatione solidali inter se quoque servanda convenerint § 5 *plures*, *ibique gloss. Instit. de fidejussor*, *Menoch. de tacit. et ambig. lib.* 6 *tit.* 22 *n.* 7, *Gratian. discept. forens.* 967 *num.* 35, *Rot. decis.* 272 *num.* 18 *part.* 9 *tom.* 1 *Rec.* = Quocirca in quatuor partes dividendum est insolutarum pensionem nomen, ac quadrans tantum Annæ debito tribuendus, deducta medietate crediti, quod ex oryzæ negociatione eadem Anna pollet adversus Braminium. Constat igitur cessionarii creditum in solis scutis 299 95 $\frac{1}{2}$ ad tramites relationis a judiciario cognitore confectæ, quam Sacer Ordo omnino probavit.

Neque audiendus erat Cataldius, dum 7
locationem conductionem latifundii communem non fuisse cum Hyeronimo Mariano contendebat. Contrarium quippe patet ex computis socialibus, quibus pro coronide accedit ipsa syngrapha locationis conductionis a Mariano subscripta, non suo tantum, sed Braminii etiam nomine. Ambigi ergo nequit, quin locatio conductio latifundii fuerit quoque socialis, et inter cætera socialia negocia recensenda sit. Quo posito, nec illud ambigendum ex hactenus deductis, quin ad quadrantem dumtaxat debiti solvendum ses conventa damnanda sit, ac pro eodem quadrante tantum sinendum, ut bona, pignori mancipata, diræ voci præconis obnoxia fiant, ut creditor ex illorum pretio, quod suum est, assequatur.

Et ita etc. utraque etc.

TYBURTINA

NULLITATIS TRANSACTIONIS

Veneris 5 *Martii* 1830.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Lis jam introducta, justam praebet transigendi causam.*
2. *Non alius suppetit exequendae transactionis modus, nisi ille, qui in transactione ipsa praefinitur.*
3. *Non temere, nec sine causa rescindendae sunt transactiones.*

DECISIO CCCXC.

Prout refert alia mea hujusce diei Decisio super aperitione oris, ubi latius rerum gestarum series exponitur, postquam ex Rescripto Pontificio delata fuerat ad Sacrum Auditorium contentio de nullitate contractuum emptionum venditionum inter incolas Civitellæ, et Seraphinum Marcotulli o proximo Oppido Montis Percilis initorum, placuit litigantibus controversiam omnem amica transactione componere. Hujus autem transactionis summa in eo potissimum versata est, ut teneretur emptor prædiorum possessionem dimittere, eaque Civitellensibus restituere, quibus facultas concessa fuit pretium ratis portionibus restituendi, solvendique fructus *quincunces* usque ad integram ejusdem pretii satisfactionem. Sed initam concordiam post aliquot annos ipsi violarunt Civitellenses, qui, cum Sententiam ab Antistite Tyburtino impetraverint de nullitate contractuum, et subsequutæ transactionis, caussam quoque hæredibus Seraphini præbuerunt iterum ad Pontificem confugiendi, ut jura sua eis expiri liceret ad primævi Rescripti tramites. Facultate facta, reique denuo cognitione ad Sacrum Tribunal deducta, peculiaris dubii formula quoad otramque quæstionem aperitionis oris, et transactionis constituta fuit. De prima agit coaeva Decisio sub eodem titulo aperitionis oris; quæritur hic de altera, ominum de validitate transactionis, de qua, constitota hodie rogatione in hæc verba = *An constet de nullitate transactionis in casu etc.* =, et vadimonium deserentibus incolis Civitellæ, qui in eo toti erant, ut dubii formula partibus plaudentibus jam concinnata corrigeretur, responsum prodiit = *Pro informantibus* = scilicet = *Negative*.

Quamvis enim sub ea ratione corrigendi dubii formulam, quam imo Patres jugiter servandam esse voluerunt, quia actioni convenit a Civitellensibus institutæ, et præstito eorum consensui, defensionem suam neglexerint iidem Civitellenses quoad objectam transactionis nullitatem; ea tamen ad examen revocata, digna visa est, ut omnino exequutioni foret committenda. Justam porro transigendi caussam, et titulum præbuit Lis a Civitellae incolis jam introducta super nullitatae contractuum, quos vitio antichresis, et foenoris infectos objurgabant. Res autem in ea conditione reperiebantur, ut melius componi nequirent, quam factum est per concordiam, quae nunc in discrimen adducitur. Obtinuerant incolae Civitellae a San. Mem. Pio VII. Rescriptum, ex quo contractus emptionis venditionis in tot census convertebantur. Contra vero, qui bona emerant, suosque tuebantur contractus veluti ab omni sorde foenis immunes, facultatem adepti fuerant obloquendi adversus ipsum Pontificis rescriptum. Quae cum ita se haberent, transactio intercessit, quao rem in integrum, ac primaevum statum paene restituit. Recuperarunt enim Civitellenses bona sua, seque obligarunt ad reddendum pretium intra non modicum tempus, quincuncibus interim *fructibus* compensationis gratia repensis.

Tantum vero aberat, ut contractus ea essent indole, qua sunt illi, qui nuncupantur = *fitti franchi* = aut *stagli* =, ut potius verae, legitimaeque emptiones venditiones, se posito coactivo redimendi pacto, caeterisque de- 2

fficientibos argumentis, initae dici debeant. Caeterum ad validitatem transaetionis hoe satis est, rem quoquo modo dubiam extitisse, atque aliquid, ut non ambigitur, utrinque datum, atque remissum fuisse, veluti alias monuit Sacer Ordo, et præsertim *decis. 45 poene per tot. cor. De Veri.* Civitellenses demum ipsi transactionem manere debere ultro, labenterque eoncedunt, ae dumtaxat de modo ejus exequendæ sollieiti sunt. Non alius tamen suppetit exequendæ transactionis modus, nisi ille, qui in transactione ipsa præfinitur, ut fundos scilicet retineant Civitellenses, prout ex transactione receperunt, et fructus pensitent quineunces, donec pretium integrum fuerit restitutum, quod particulatim quoque rependi ex pacto potest. Quidquid secus suadebant Civitellenses, transactionem non servat, sed evertit: quod est ex haetenus deductis absurdissimum. Reposcebant enim, ut id omne, quod ab eis fructuum compensativorum nomino solutum fuit, non quidem in numerata pecunia, sed musto imo, atque uvis, quodque justum modum, et verum debitum longe superasse eontendunt, in eaussam restituendi capitis imputaretur.

2 Exeeptio attamen ista, in hypothesi etiam quod esset ad extremam usque evidentiam probata, ostendit sane non impugnare Civitellenses transactionem, sed nullius pensi est in hac sede judicii, in qua de validitate tantum transactionis disquiritur, habita ratione ad tempus, quo data ei fuit opera, et ad rerum eonditionem, que tunc temporis obtinebat. Si Civitellenses loco peconiæ interusuria compensativa in transactione eonventa solverunt eum musto, atque uvis, quæ, aut ob quantitatem, aut ob æstimationem, aut ob non rectam eongii mensuram, justum modum, et debitum forte ipsum superarunt, superest ipsis remedium indemnitatis ad juris tramites consequendæ in separato judicio eondictionis indebiti, cum præsenti transactionis judicio minime eonfundendo. Non temere enim, nec sine causa reseindendæ sunt transactiones, quæ eum litibus finem imponant, ad instar rerum judicatarum religiose servandae ab omnibus sunt; *Leg. Causas 16 Cod. de transact.*, *leg.* non *minorem Cod. eod. tit.*

Et ita, eolleetis totios Aulæ suffragiis, et meo qooquo addito decisum est, altera tantum etc.

TYBURTINA

NULLITATIS TRANSACTIONIS

Veneris 14. *Maii* 1830.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXC. -

SUMMARIUM

1. *Unus futurae litis timor, idoneam suppeditat ad transigendum rationem.*
2. *Exceptiones, quae directe non respiciunt transactionem, ejus executionem remorari nequeunt.*

DECISIO CCCXCI.

Delata, post editam ab Episcopo Tyburtino Sententiam, ad Saerum Auditorium eontroversia super aperitione oris adversus Pontifieium Rescriptum, ex quo contractus emptionum venditionum inter defunctum Seraphim Marcotullium, ac nonnullos incolas Civitellæ eelebratos in tot eensus eonsignativos converti demandatum fuit, de transactione etiam, eui post ipsum Pontificium Rescriptum opera data fuit, cepit disputari: Uti autem visum est Sacro Ordini in Comitiis habitis ad diem *quintam* nuper elasi mensis Martii aperitionis oris veniam hæredibus elargiri Seraphini Marcotulli; ita quoque placuit observantiam decernere transaetionis, propositamque formulam sic conceptam « *An constet de nullitate transactionis in casu etc.* » negativo Responso dirimere, veluti liquet ex Decisione, quam tunc temporis publici juris feci. Hæc vero Decisio ad trutinam hodie, ad

Pontificiæ delegationis tramites, revocata, digna reperta est, cui albus calculus adiiceretur ex eo quod accepi a Dominis Meis, Responso *in Decisis*.

Non decet namque lites concordia finitas iterum excitare, ut semper incerta sint rerum dominia. Multominus decebat hanc, de qua quæritur, transactionem convellere, cui justam ab initio præbuit caussam, tum ipse rumor a Civitellensibus factus de nullitate contractuum, et subsequutum præcipue S. M. Pii VII. Rescriptum, ex quo contractus emptionis venditionis in census consignativos redigi jussit; tum venia adversus prædictum Rescriptum obloqnendi, quam Seraphim Marcotullius obtinuerat. Quod si unus futuræ litis timor idoneam suppeditat ad transigendum rationem; potiori jure de conciliatione laborarunt cum Marcotullio Civitellenses ob incertum litis eventum, et ad effugiendas ambages, et sumptus, quos judicia secumferunt. Nihil vero magis utile poterant sperare Civitellenses, quam quod ex inita transactione retulerunt. Ita enim composita res fuit, perinde ac si de distrahendis prædiis nunquam actum antea fuisset. Civitellenses siquidem prædiorum venditorum dominium, ac possessionem recuperarunt, ac facultatem impetrarunt pretium acceptum intra decennium minutis solutionibus restituendi dompensativis interim quin cuncibus usuris emptori solutis.

2 Neque ipsi præterea Civitellenses de transactione querebantur, cujus utilitatem noscere visi sunt. Hoc unum urgebant, rationem fructuum compensativorum sese plus in uvis, et musto solvisse, quam ferret eurumdem fructuum æstimatio. Querela tamen ista, nec legitimis fulciebatur monumentis, nec erat, utcumque ad evidentiam probata, cum hodierno transactionis judicio commiscenda, de qua reddendum jus est, circumstantiis, et rerum adjunctis animadversis, quæ obtinebant, quum celebrata fuit. Si ideo, dum mustum, atque uvas pecuniæ numeratæ loco Civitellenses dederunt, ut fructuum compensativorum nomen satisfacerent, sive valoris, sive mensuræ ratione, læsi fuerunt, præsto eis est via indemnitatem consequendi in separato, distinctoque judicio condictionis indebiti. Sed interea exceptione ista, nec in discrimen adducere transactionem, nec ejus executionem remorari licet, ut probat superior Causæ Decisio § 3, ad quam Patres in cæteris relationem haberi voluerunt.

Et ita, VV. OO. DD., altera tantum etc.

ALATRINA

NULLITATIS TRANSACTIONIS

Veneris 2 *Decembris* 1831.

ARGUMENTUM

Quamvis transactiones quandoquidem irritae declarentur, id tamen non aliter solet evenire, quam si alter ex transigentibus fuerit enormissime laesus, aut dolo malo, falsaque causa ad transigendum inductus. At laesionis, fraudis, et falsae causae probatio hujusmodi sit oportet, ut nullum reliquat vestigium ambiguitatis.

SUMMARIUM

1. *A transactionibus bona fide initis recedendum non est; nisi alter ex transigentibus enormissimam laesionem sit passus*, – Et num. 2. –
2. *Nemini, qui alienas res et substantias administravit, permissum est creditum ullum in administratum proferre, nisi post expunctas et probatas rationes.*
4. *Fructus dotis quantitativae nullimode ab eo qui dotem promissam non tradidit, repetendi sunt, nisi praecedat requisitoram Castrensiam interpellatio.*
5. *Justa oritur transigendi causa ex sola litis timore dubiosoque ejus eventu.*
6. *Si onerosa est donatio, effectum utique obtinet, utcumque donanti filio superaccedant post initam donationem.*
7. *Inventarium fundamentum est cujuscumque generis administrationis; quo reficiente rationes reddi non possunt, utcumque redditae vitio non careant.*
8. *Deficientibus libris susceptae administrationis, non aliter judicium redditionis rationum expediri potest quam juramento in litem deferendo.*

DECISIO CCCXCII.

Geminos ex Flaminia conjuge filios habuerat Antonius Vinciguerra Alatriensis, Pacificum, scilicet, et Joannem Franciscum. Hunc postremum parens opificio pannorum praeposuit, quod ille cætera inter bona, quibus ditabatur, optime instructum Aletrii retinebat. quodque etiam eidem Joanni Francisco postea donavit. Alter autem, stationariæ militiæ addictus, cum signifer esset in ipsa Aletrii Civitate, bonorum administrationi vacare non poterat. Sed ipse potissimum, elato jam patre, lanificii tabernae praeesse, pannorum negocia ab eo primum tempore eurare caepit, quo frater suus Joannes Franciscus anno 1794 in publicos Phrusinonis carceres conjectus fuit. Hic immo vinculis mancipatus, cum nihil agere posset, curam omnem rei familiaris abjecit per universalem donationem, quam solemnibus tabulis de bonis suis omnibus exaravit erga Pacificum, reservata sibi ad testandum vigesima bonorum parte; prætereaque conventis una cum habitatione alimentis, si vellet cum fratre vivere; anniversaria vero argenteorum nummorum *biscentum* pensione depacta, si ei placeret a convictu recedere. Pacto insuper constitutum in donationis, instrumento fuit, ut teneretur Joannes Franciscus præsentiam sui facere, et operam suam in administratione lanificii præstare, si e custodia publica aductus simul cum fratre vixisset.

In libertatem tandem vindicatus Joannes Franciscus, non modo ex pacto restitutus fuit administrationi lanificii, cujus exercitium usque ad annum 1805 perdurasse constat; verum etiam alia negocia fratris, qui iterum militia, et peregrinationibus quandoque deliciabatur, per multos annos gessit. Sed videns Pacificus incuriose adeo, ot indiligenter in lanificii administratione versari Joannem Franciscum, ut ullos numquam accepti et impensi libros conscripserit, ex quibus lanificii lucra, aut damna deducerentur, prudentia sua prosuexit, ut in posterum sa item magis recta foret administratio. Idcirco anno 1796., ad exitum vergente Junio, privatæ apochæ frater uterque subscripsit, in qua cum fuerit declaratum immissam vicissim in lanificii tabernam fuisse pecuniam, tum maxime Joannes Franciscum obligationem suscepit describendi merces, et conficiendi tabernae codices, in quibus acceptum impensumque recenseretur. Ita sese res habuerunt usque ad annum 1826., quo demum tempore Pacificus de pactorum, quae in apocha anni 1796 conventa fuerunt, implemento sollicitus, diem Joanni Francisco dixit coram defuncto Praesule A. C. Colapietro, ut sese pactis in præfata apocha præstitutis satisfecisse probaret. At Judex ille, dum actioni restitit a Pacifico instructae, aliam probavit per Joannem Franciscum institutam de solutione scutorum *septem mille quingentum*, quam hic a fratre reposcebat, partim ex causa dotis, et fructuum uxoris suae, quam Pacificum accepisse contendebat; partim vero ex annuis pensionibus in donationis instrumento conventis, quarum solutionem donatarium intermisisse dicebatur.

Ut larvas hujusce aeris alieni dispelleret Pacificus, fratrem suum provocavit ad exibendas gestae administrationis rationes, et votis suis consentaneam ab eodem A. C. Colapietro Sententiam obtinuit, quam Sacer Ordo in Comitiis habitis ad diem *quintam* supra *decimam* Junii 1827 plenissime confirmavit, præstituto termino duorum mensium ad rationes exponendas, ut videre est ex Decisione, cui titulus *Alatrien. redditionis rationis* a R. P. D. Meo Ruspoli die, mense, annoque prædictis edita. Facultatem quidem obloquendi adversus prædictam Decisionem impetraverat Joannes Franciscus: at probe sentiens nihil sibi fore prefuturam, interpositis amicorum officiis, rem omnem ex bono, et æquo componendam curavit. Quocirca eodem anno 1827 pridie Kalendas Novembris publicis concordiæ tabulis data fuit opera: ex eaque valedixit primum Pacificus juribus omnibus, quae in fratrem experiri, tam ex apocha anni 1796., quam pro red-

ditione rationum gestae administrationis potuisset. Joannes Franciscus vero nuncium, et ipse misit inceptis litibus Sententiaeque ab A. C. Colapietro obtentae de dote, fructibus, et pensionibus anniversariis: simulque sese nummos argenteos *bismille* statis mutuo consensu temporibus Pacifico solutorum spopondit, obligatione interim suscepta rependendi quotannis, quoad scuta *millia* tantum, et usque ad illorum solutionem certam, quantitatem tritici, et indici frumenti vinculoque hypothecae insuper subjectis rusticis quibusdam fundis ad magis confirmandam transactionis observantiam.

Promissis attamen non stetit Joannes Franciscus, quippe qui eum vix scuta *centum septuaginta* una cum modiis quinque frumenti, modioque altero Indici tritici ægre admodum pensitaverit, deindeque pactorum implementum omnino contempserit, opus idcirco fuit Pacifico adversus eum auctoritatem Judicis implorare, ut in officio suo contineretur. Sed hoc judicium coram Prætore Frusinonis introductum adeo transversum egit Joannem Franciscum, ut nihil haerent, quin nullitatis insimularent transactionem cum fratre conclusam. Utroque autem cumulato judicio Praetor Frusinonis, nedum repulit actionem Pacifici, sed objectæ nullitati transactionis assentitus Sententia sua fuit, a qua provocationem illico Pacificus interposuit. Ita rei cognitio conscendit ad Sacrum Auditorium a quo partibus inter se dissidentibus, disputari præscriptum est Dubii formulam ita conceptam — *An constet de nullitate transactionis, seu potius sit locus illius rescissioni, et quae mandata sint relaxanda in casu etc.* — Haec vero rogatio cum in disquisitionem hodie venerit, digna visa est, quæ dirimeretur Responso — *Negative in omnibus.* —

1 Ea quippe concordia, quae sumptuosis implexisque litibus finem, et modum imposuit; quae non praecipiti levique consilio, sed maturitate maxima, fide bona, ac, interjectis amicorum, et consanguineorum officiis, absoluta fuit; quæ demum ad mutuam gratiam, et benevolentiam, germanos fratres revocavit, nunnisi gravissimis de causis convellenda est. Neque enim ullus erit litium finis, nec dominia rerum unquam certe manebunt, si a transactionibus bona fide initis facile recedatur. Ideo semper apud omnes gentes, et apud Graecos potissimum, ut graphice narrat *Sacer Orda in Romana Transactionis* 13 *Maii* 1803 § 5 *cor. Tassoni*, summo in honore, et obsequio fuerunt: ita ut jure optimo constitutum sit lites concordia peremptas, nec ipsis quidem Supremi Principis Rescriptis excitari amplius posse, cum religiose firmiterque servandas esse transactiones, adagium sit sermone tritissimum, de quo post *Text. in Leg. Fratris tui* 10 *et leg. Causar. vel lites* 16 *Cod. de Transact.*, *late disserit Rot. in Romana Transactionis* 23 *Junii* 1738 §. 6 *cor. Canilliac.*, *in Eugubina Immissionis* 2 *Aprilis* 1760 §. 3 *cor. Paracciano, et in Bononien. Nullitatis Transactionis* 5 *Julii* 1776 § 2 *cor. Muto.*

Neminem profecto latet, ipsas etiam transactionis quandoque irritas declarari, ac impune convelli. Id tamen non aliter solet evenire, quam si alter ex transigentibus fuerit enormissime laesus, aut dolo malo, falsaque caussa ad transigendum inductus. Hisce porro in casibus viribus suis consistere transactio nequit: at laesiones, fraudis, et falsae caussae probatio hujusmodi sit oportet ut ipsam fore superet evidentiam, nullumque relinquat vestigium ambiguitatis. *Rot. Decis.* 94 *num.* 10 *cor. Caprara, Decis.* 89 *num.* 25 *cor. Molines, in Interamnen. Liberationis a molestiis* 7 *Maii* 1760 § 7 *cor. Canilliac. in Pisauren. Pecuniaria* 4 *Julii* 1796 § 3 *cor. Acciajuoli, et in Romana Nullitatis, seu Rescissionis transactionis* 4 *Martii* 1816 § *cor. Emo Bussio*. Quod si aliqua, ut levissima, dubitatio occurrat, et anceps haereat Judicio consilium, omnis aequi bonique ratio suggerit sustinendam esse concordiam, et rejiciendam querelam nullitatis. *Valeran. de Transact. in proaem. num.* 38., *Averan. Interpr. Jur. lib.* 3 *cap.* 8 *Rot. in Romana, seu Mediolanen. Transactionis* 7 *Junii* 1744 § 23 *cor. Vicecomi-* 2

te, in Romana Immissionis 12 *Aprilis* 1756 § 10 *cor. Molino*; *et in cit. Bononien. Nullitatis transactionis* 5 *Julii* 1776 § 4. *cor. Muto*. Ut transactio sustineatur, qui a partibus erant Joannis Francisci, oportere inquiebant, ut tria requisita adsint: res nimirum dubia: datum aliquid ac invicem remissum: bona demum fides. Quibus positis, quoad credita Joannis Francisci contendebant nullam ambiguitatem occurrere; cum fuissent Innocentiani Judicis Sententia probata; creditum e converso Pacifici dubium admodum fuisse, quippe quod a redditione rationum pendebat gestæ per fratrem administrationis. Cuncta per Joannem Franciscum, nihil vero a Pacifico remissum addebant: idque satis ex eo probatum authumabant, quod ille credita certa; et ad liquidum perducta, hic vero incerta nomina, nec unquam in specie æstimata condonavit. Duobus autem, hisce extremis deficientibus, et ipsam desiderari bonam fidem, quæ ab eorum veritate descendit, demum concludebant.

3 Tutam hanc tamen ratiocinationem, quæ multo verborum apparatu a Joanne Francisco proponebatur plumeo ramento leviorem, omnique fulcro destitutam evincere expeditum negocium est. Cum enim ex jure, ex pactu, ex Sententia A. C, ex Decisione S. Ordinis teneretur Joannes Franciscus gestæ administrationis lanificii, aliorumque patrimonii bonorum rationes exponere, hoc ipsum sat erat, ne ipse posset, rationibus non exhibitis, sese in fratris creditorem erigere, eoque nomine judicio, et litibus eumdem vexare; quia nemini, qui alienas res, et substantias administravit, permissum est creditum ullum in administratum proferre, nisi post expunctas, et probatas rationes. *Marescott. Var. resol.* 121 *num.* 68., *Urceol. Consult. forens. cap.* 29 *num.* 14., *Mascard. de Probat. Conclus.* 1319 *num.* 19. *Rot. cor. Emerix jun. Decis.* 835 *n.* 3 *Decis.* 200 *num.* 8 *cor. Caprara, Decis.* 286 *num.* 12 *cor. Ansaldo, Decis.* 1292 *num.* 5 *cor. Molines, et in Recineten. Dotis., et Lucri* 25 *Junii* 1792 § 4 *cor. Priolo*. Ex ipso imo gesta administratione oritur præsumptio juris, ex quâ conficitur administratorem voluisse sibi primum de suis in administratum creditis satisfacere. Abest ergo longissime, quod Joannes Franciscus, omissa rationum redditione, sese fratris creditorem jactare posset, eumque in judicium hac de caussa traducere. Nec Joannis Francisci creditis major accedit auctoritas ex Sententia Judicis Innocentiani, quæ credita ipsa probavit ad vim usque scutorum *septemmille quingentum*. Nam primo adversus editam hanc Sententiam, urgente Pacifico, Patres Signaturæ Suffragatores, appellationem decreverunt. Deinde vero Sententia ipsa non admodum juri et justitiae congruebat, dum ingens creditum scuturum *septemmille quingentum* ex maxima parte ex dotis fructibus, annuisque pensionibus, conflatum admisit.

Annuæ siquidem præstationes ex diuturna bonorum, et lanificii gestione satisfactæ dicendæ erant; fructus autem dotis, cum de dote ageretur *quantitativa*, deque matrimonio per obitum uxoris soluto, nullo modo ab eo, qui dotem promissam sive constitutam adhuc non tradiderat, ex juris censura rependendi erant, nisi præcessisset, quæ hic tamen desideratur omnino, requisitorum Castrensium interpellatio, quemadmodum exploratum est ex saniorum jurisconsultorum auctoritate, ac constanti Sacri Ordinis sententia, de qua consulantur *Gratian. discept. Forens. cap.* 427 *num.* 1 *Boss. de Dot. cap.* 20 *num.* 77., *Card. de Luc. de dot. discept.* 161 *num.* 59., *Constantin. ad Stat. Urb. ad. not.* 34 *Art.* 2 *num.* 176 *Rot. in Caesenaten. Dotis super restitutione in integram* 27 *Februarii* 1758 § 4 *coram Ratta, in Anconitana, seu Senogallien. Fructuum dotis* 12 *Junii* 1797 § 3 *coram Acciajuoli, in Confirmat.* 7 *Maii* 1802 § 4 *cor. cl. mem. Card. Cesarei, et in Montis Alti, seu Firmana dotis super fructibus* 29 *Januarii* 1821 § 5 6 *coram Me*. Contra vero quantum implexum erat atque difficile creditum Joannis Francisci in ingenti ea summa scutorum *septemmille quingentum*, tantum certum erat jus Paci- 4

fici ad exigendam a fratre redditionem rationum, quas hic exhibere debebat ex pacto, ex jure, ex Sententia A. C. ac ex Decisione Sacri Auditorii, adversus quam obtinueral utique Joannes Franciscus novæ audientiae beneficium; sed nihil hoc ei erat profuturum, semelac ex multis Joannis Francisci factis, dictis, epistolis, ex contractibus, acceptilationibus, testimoniis denique constabat per multos revera annos, tam cuncta patrimonii bona, quam præsertim lanificii tabernam eum administrasse.

5 Quod si etiam dubium incertumque fuisset Pacifici creditum ex rationum redditione promanans; adhuc tamen, cum cuncta vicissim dubia essent, et incerta, litesque, et judicia adhuc vigerent, nec facile prænosci posset qualis futurus esset eorum exitus, haec ipsa profecto dubietas justam idoneamque præbebat transigendi causam. Quamvis enim transigi super jure claro non possit, non modo nihilominus ex lite vigente, quæ non sit attamen manifeste calumniosa, sed ex solo quoque litis timore, dubioque ejus eventu; justa exoritur transigendi caussa, et transactio exinde inita optime in jure sustinetur *Cujac. Controv. forens.* 128 *num.* 90., *Urceol. de Transact. quaest.* 5 *num.* 14. *Rot. in Romana, seu Mediolanen. Transactionis* 7 *Junii* 1754 § 16 *coram Vicecomite, in Romana Fructuum Locorum Montium* 11 *Januarii* 1782 § 5 *coram Sentmanat, et in Ravennaten. Immissionis super transactione* 26 *Junii* 1793 § 2 *cor. Soderino.* Male ergo, et perperam subducebantur calculi, dum cuncta Joannem Franciscum, nihil Pacificum condonasse obiiciebatur. Porro, si uni nomini scutorum *septemmille quingentum*, quod ex hactenus deductis, vel corruebat omnino, vel ad levem summum coercebatur, valedixit Joannes Franciscus; contra vero si ingens nomen, quod certo erat ex redditione rationum oriturum, reservatis dumtaxat argenteis bismille, Pacificus abdicavit, retorquetur imo in Joannem Franciscum argumentum, eumque nihil, cuncta e converso Pacificum remisisse dicendum est. Eoque magis quælibet rejicienda est querela laesionis, quia cuncta ad Pacificum, nihil vero, excepta pensione annua scutorum *biscentum*, ad Joannem Franciscum pertinebat.

Maternum quippe patrimonium ad 6 Pacificum spectabat ex donatione, quam Flaminia Petronia, communis mater; ac dives in primis foemina, erga ipsum Pacificum exaravit. Patrimonium insuper paternum una cum fructuosissima lanificii taberna ejusdem Pacifici proprium fuisse contractus cessionis, sive donationis testatur, quam anno 1794 Joannem Franciscum erga fratrem scripsisse, publicæ solemnesque tabulæ revincunt. Nec recte reponebatur hanc donationem ex superventa ex secundo matrimonio prole nullius roboris, et efficaciæ ob notissimam *leg. Si unquam Cod. de revocan. donat.* evasisse. Quandoquidem non agebatur de donatione gratuita, et mere lucrativa, sed de donatione onerosa, et correspectiva, ex qua non aliter substantias suas fratri cessit Joannes Franciscus, nisi sub certis legibus, et conditionibus, ac facto sibi in primis jure percipiendi a fratre annuam præstationem scutorum *biscentum*, quæ profecto contractum exhibet ultro citroque obligatorium. At neminem latet, quod, si onerosa sit donatio, et non a liberali causa profecta, valeat utique, ac vim effectumque suum obtineat, utcumque donanti filii superaccesserint post initam donationem. *Connan. in Comment. jur. civ. lib.* 5 *cap.* 10 *num.* 5., *Torr. de Pact. futur. success. lib.* 2 *cap.* 29 *num.* 24., *Card. de Luc. de Donat. disc.* 21 *num.* 8., *Rot. Decis.* 320 *num.* 4 *et Decis.* 323 *num.* 92 *part.* 6 *cor. Olivatio Decis.* 641 *num.* 8, *et in Cœsenaten Donationis et Successionum* 3 *Martii* 1758 § 6 *et* 7 *cor. Ratta.*

Quanti autem æstimaretur creditum, 7 quod in fratrem experiri ex redditione rationum Pacificus potuisset, ostendebant apodictici calculi, cum necessariis monumentis ab ipso Pacifico in medium adducti ex quibus constabat ejus creditum ex caussa administrationis a Joanne Francisco retentæ summam at-

tingere argenteorum nummorum *triginta sex millium*. Nec hæc quantitas, veluti immodica potest repudiari, postquam exploratum est, nedum lanificii descriptionem, et inventarium omissum ab initio fuisse, sed libros quoque, et codices mercatoriæ tabernæ, ubi acceptum, et impensum describeretur, administratorem nunquam confecisse. Inventarium enim basis est, et fundamentum cujuscumque generis administrationis, et reddendarum rationum, quibus nunquam dicitur satisfactum, nisi pateat quid foret in re administrata initio administrationis; quid sit, et quantum, de quo ratio reddi debeat; quid acceptum; quid impensum; quid restituendum sit. Absque imo inventario, vel descriptione saltem aliqua, ac sine libris, non modo reddi non possunt rationes, sed, utcumque redditæ, vitio non carent, ac ipso Administrator doli suspicione non vacat. *Leg. Si quis rationem Cod. de eden.*, *leg.* 2. *Cod. de Administr. tutor.*, *Gorzio de Expen. cap.* 21 *num.* 22; *Guttierez de Tutor. cap.* 114 *per tot. Escobar. de ratiocin. cap.* 9 *num.* 1., *Rot. in Rec. Decis.* 586 *num.* 4 *part.* 1., *Decis.* 480 *num.* 5 *et* 6 *coràm Ansaldo*, *in Spoletana Divisionis super III dubio* 4 *Martii* 1815 § *fin. cor. cl. mem. Card. Cesarei*, *et in Romana redditionis rationum* 26 *Aprilis* 1830 § 7 *cor. Me.*

8 Deficientibus ergo libris una cum descriptione lanificii initio susceptæ administrationis, non aliter absolvi, ac expediri judicium redditionis rationum potuisset, quam juramento in litem Pacifico deferendo juxta regulam, de qua disserunt *Escobar. de ratiocin. administr. cap.* 10 *num.* 3 *Zanch. de Societat. part.* 2 *cap.* 10 *num.* 40., *Rot. cor. Arguelles Decis.* 59 *num.* 17 *cor. Lancetta decis.* 484 *num.* 1 *et in Camerinen.* 5 *Julii* 1747 § 7 *coram Lana.* Si autem ex calculis apodicticis, et ex monumentis, quibus ipsi apodictici calculi nituntur, plane liquet creditum Pacifici, ex caussa administrationis a fratre gestæ, ad vim usque evehi scutorum *triginta sex millium*, jure recteque hic potuisset juramento in litem creditum suum probare, et ita omnem quæstionem absolvere. Totum proinde transactionis emolumentum unum affecit Joannem Franciscum, qui sane non transegit super facto alterius, verum super administratione per se gestæ, proindeque plenissime noscere potuit in ineunda transactione quid reapse ex administrationis caussa debebat fratri suo quid hic rursus remittebat. Quod si transactioni volens, et lubens dedit operam, eamque servari maxime curavit, onere suscepto argenteos nummos *bismille* intra certum tempus Fratri solvendi; hoc ipso digito plane demonstravit ingens omnino fuisse debitum suum, erga fratrem ex administrationis caussa contractum. Probata autem veritate utriusque extremi, de re scilicet dubia, deque condonatione aliqua hinc inde facta, initæ transactioni bona etiam fides adstipulatur. Præclara igitur res Joanni-Francisco cessit, dum debitum adeo enorme, et quæstiones adeo implexas potuit amica transactione componere, quæ ideo religiose servanda est.

Et ita, Me quoque ex novissimis Sacratissimi Principis jussionibus suffragium ferente, jus redditum est; utraque eic.

ANCONITANA

NULLITATIS ADJUDICATIONIS

Veneris 25 *Novembris* 1831.

ARGUMENTUM

Adjudicatio nullitatis vitio infecta reputatur, cum ad eam patrandam praescripta legis violata sint. Et quid ad recte explendam adjudicationem observari debeat, recensetur.

SUMMARIUM

1. *In patrandis exequutionibus super bonis, quae a debitore communiter cum aliis personis possidentur, creditori nefas est subhastationem urgere, nisi prius absoluta inter compossessores, divisione.* — Et num. 2. —

3. *Qui subhastationem provocare cupit, tam debitorem principalem, quam ipsum condominum vadare coram eodem judice debet.*

Ex legis violatione actus quilibet infirmatur - ibidem. -

4. *Falsa credulitas haud excusat nullitatem actus.*

Ad judicem pertinet de veritate et justitia tituli cognoscere - ibidem. -

5. *Quoties agitur de pluribus personis, quarum aeque interest, haud sufficit uni vel alteri vadimonium constituere, sed omnes aeque sunt coram judice vocandae, ne secus velit actor in vitium nullitatis incidere.*

Creditor potest de subhastatione facienda sese sollicitum praebere, quum in bona fide versetur - ibidem. -

6. *Lex, quae indemnitati creditorum consulens, prospicit illis qui jus aliquod super re per creditorem impetita experiuntur, religiose observanda.*

7. *Nullitati resistendum non est si lucidentiae illius probationes afferuntur.*

DECISIO CCCXCIII.

Hæreditatem intestatam Dominici Fanelli, de patricia Anconæ Familia, pro semisse deferendam Josepho, Gabrieli, et Carolo Fanelliis, defuncti ex fratre Octavio nepotibus, pro alio vero semisse addicendam esse Donato, ac Mariæ Fuselliis, tamquam descendentibus a Julio Caesare Fanellio germano altero Fratre ejusdem Dominici, contra votum fratrum de Fanellis constituit solemni Rejudicata Sacrum Auditorium, a quo etiam imperata fuit restitutio fructuum a die motæ litis per Fanellios ineunda, qui universum patrui patrimonium occupaverant. Ita latius constat ex Decisionibus *in Anconitana Immissionis*, et in eadem *super fructibus* dierum 2 Decembris 1822 et 12 Martii 1823 cor. Rmo P. D. Pianetti Antistitu Viterbiensi. Dum vero Garbiel Dominicus, qui subripuerat cessionem suorum jurium a Fuselliis, sub larvato nomine remorari, ac confundere satagebat actionem Canonici Cyriaci fratris sui, per quam, uti alter ex filiis Octavii, jam ab anno 1814 postulaverat, atque a Judicibus secundarum actionum Anconæ obtinuerat immissionem ad quartam ejusdem Dominici hæreditatis partem, Sententia tunc lata rejudicatæ vires, ex juris dispositione acquirebat. At paulo post, restituto Pontificio imperio, causa ad Signaturæ Tribunal a Fanelliis delata fuit, a qua appellationem impetrarunt: sed una simul demandata fuit subministratio in in scutis quigentis favore Canonici Cyriaci. Quum vero Fanelii eamdem subministrationem persolvere detrectaverint, ope mandati fuit sub executione posita domus Anconæ in regione = *le Scuole Pie* =, et tandem ipsius Canonici favore adjudicata. Interea Fanellii appellationis beneficio per quadriennium haud usi sunt, ex quo factum, juxta censuram Codicis judiciarii, ut Canonico Cyriaco licuerit possessionem nancisci quadrantis hæreditarii, prout fuerat in Anconitana Sententia constitutum.

Tanquam attentatam, et nullam captam hanc possessionem insimularunt Fratres Fanellii apud Supremum Signaturæ Justitiæ Tribunal. Sed querela attentatorum, et circumscriptionis profligata, firmaque ex Signaturæ judicio manente possessione, satius duxerunt Fanellii de jure consuccessionis a Canonico Cyriaco petito denuo cognoscere, dequo eo disputare coram Sacro Ordine, ad quem rei definitio in provocationis gradu conscendit. At non posse Canonico Cyriaco denegari consuccessionem pro virili quoad stirpem Octavii, id est quadrantem alterius semissis hæreditarii, una cum fructibus a die apertæ successionis, sapientissima statuit Sacrum Tribunal duabus Decisionibus in *Anconitana Successionis* dierum 5 Maii 1823 et 23 Junii 1826 *coram R. P. D. Meo Spada*, quas dein excepit Rescriptum = *Expediatur* =; et alter ex Fratribus Fanellis, Gabriel scilicet primum, postremo fere omnes Fanellii, præ manifesta justitia acceptas habuere, ac ritu judiciario probarunt. Nil aliud ergo manebat, nisi semissem hæreditarium in quatuor partes, quot erant condividentes, herciscere. Sed ipse Gabriel, qui cæteroquin liti valedixerat, ut Canonicum Cyriacum ab obtinenda sua quota hæreditaria in ævum propulsaret, abutens jurium cessione, quam a Donato, et Maria Fus-

selliis assecutus fuerat, primum semissis Octavii stirpi attributi divisionem cum filiis Josephi, et Caroli composuit inaudito prorsus, ac excluso Canonico, et deinde fratrem, ac fratrum filios vadavit, ut Fuselliorum nomine, et juribus, fructus alterius semissis attributi filiis Julii Cæsaris, male perceptos, ab eis vindicaret. Quoniam vero Canonicus Cyriacus ne frustulum ex Dominici hæreditate perceperat, haud poterat ipse pro condicendis fructibus pulsari. Verumtamen Gabriel, dum executioni subjecit bona in illa divisione attributa filiis Josephi, et Caroli, pariter executioni subjecit, ac prætorio pignori mancipavit eam bonorum partem, quorum possessionem jamdiu Canonicus nactus fuerat, confirmatam per Signaturæ Tribunalis Rescriptum, cui album deinde calculum adjecerant Sac. Ordinis Decisiones.

Id vero, ut primum ad notitiam pervenit Canonici Cyriaci, is subito, ut actus subhastationis, et deliberationis præpediret, ad Prætorem Anconæ convolavit, et præsidio arrepto ex dispositione *artic.* 749, et 925 Codicis judiciarii, quæ negat in re communi pergi ad acta subhastationis, et deliberationis posse, nisi inita prius inter compossessores divisione, eadem acta intermitti in subjecta specie petiit, quousque divisio bonorum inter fratres absolveretur. Ut imo magis consultum indemnitati suæ foret, non modo procuratorem in Urbe constituit, qui sese venditioni bonorum prætorio pignori subjectorum objiceret; verum etiam constituti procuratoris nuncium ei dandum curavit, qui Romæ juridica Gabrielis negotia gerebat. Sed condominium, et possessionem in actore, in Judice vero jurisdictionem de bis exceptionibus cognoscendi negavit Gabriel, qui ideo haud intercepit acta subhastationis, et deliberationis, ac nemine pretium ad hastam offerente, bona executioni obnoxia sibi adjudicari facile admodum obtinuit. De nullitate hujusce adjudicationis querelas suas confestim Canonicus Cyriacus excitavit. Quæstione hinc ad Sacrum Ordinem delata, cum in Comitiis habitis ad diem *quartam* Julii mox elapsi, in disquisitionem venisset rogatio ita concepta = *An constet de nullitate adjudicationis, ita ut sit locus circumscriptioni, reintegrationi, et emendationi damnorum, et expensarum, et sint relaxanda respectiva mandata* =, anceps hæsit Patrum judicium. Ex quo factum est, ut hodie, accitis ad suffragium *quinto, et sexto*, neque pariter ex nuperrimis legibus suffragium ferente, eadem instaurata fuerit controversia nullitatis adjudicationis, dubiique formulæ responsum = *Affirmative in omnibus* =.

1 Nullo eget interpetre, et explicatissima est sanctio codicis judiciarii, in quo cavetur, ut in patrandis exequutionibus super bonis, quæ a debitore communiter cum aliis personis possidentur, creditori nefas sit subhastationem urgere, nisi prius absoluta inter compossessores, divisione. Ipse primum *tit. XIV* ejusdem judiciarii codicis ita inscribitur = *Della esecuzione sopra i beni del debitore posseduti in commune con altri* = Mox *art.* 925 sancitum legitur = *Facendosi l'esecuzione sopra mobili, o stabili posseduti dal debitore indivisamente, ed in communione con un terzo, subitochè una tal communione verrà dedotta giudizialmente a notizia del creditore, rimarranno sospesi gli atti di subasta, e delibera, ed il compossessore, o condomino dovrà costituire il procuratore avanti il Giudice del mandato* = Communio enim, et condominium bonorum acta subhastationis, et deliberationis remorantur, usque dum inter condominos fiat communium bonorum divisio, ut explicat *tit. IV art.* 749 ipse codex judiciarius = *Questa comunione impedisce soltanto gli atti di subasta, la quale non potrà mai farsi senza la previa divisione* = His animadversis, de condominio, et possessione Canonici Cyriaci ambigi nullo pacto potest. Extat enim actus solemnis possessionis ab eo captæ in vim, et executionem sententiæ a Judicibus appellationis, qui jus Anconæ sub Gallorum imperio dicebant, quæ per Signaturæ Tribunal meruit plenissime confirmari.

2 Captæ insuper possessionis monumentum nedum ex actis publicis erui-

tur, sed ipsi præterea Fanellii facto, et confessione sua luculenter admiserunt, dum querelam nullitatis excitarunt coram Supremo Signaturæ Justitiæ Tribunali, a quo tamen repulsam passi fuerunt merito Rescripto, cujus ope possessio fuit incolumis servata, et ab objectis nullitatis vitiis omnino vindicata. Quamobrem quidquid a Gabriele Fanellio, aliisque litis consortibus opponebatur, ut nullum umquam dominium, nullamque possessionem adeptum Canonicum Cyriacum ex eo fuisse revincerent, quod nulla umquam Sacri Ordinis sententia prodierit, post negatam adversus binas Decisiones novæ Audientiæ veniam, adeo infirmum est, ut si etiam incivilis objectio, postquam certum est, et in facto constat, deductam ad Sacrum Ordinem quæstionem fuisse post captam a Canonico Cyriaco possessionem. Condominio autem, et possessione probata, quid agere debuisset Canonicus Cyriacus, ut acta subhastationis interciperentur, ex iisdem verbis *art.* 925 manifeste patet. Debebat nimirum condominii titulum ad notitiam deducere creditoris, simulque procuratorem constituere coram Judice mandati = *Subito che una tal comunione verrà dedotta o notizia del creditore, rimarranno sospesi gli atti di subasta, e delibero*; *ed il compossessore, o condomino dovrà costituire il procuratore ovanti il Giudice del mandato*= Atqui uni, et alteri extremo Canonicus Cyriacus satisfecit, quippe qui nedum de condominio suo docuit coram Anconæ Prætore, sed procuratorem quoque coram Judice mandati, nimirum coram Sacro Ordine, constituit: deque Procuratore constituto præter necessitatem eum monuit, qui pro Gabriele causam dixerat coram Sacro Auditorio, quippe unus erat, utut oportuisset, omnino citandus, quia personam Gabrielis gerebat, ejusque mandato procurationis potiebatur.

3 Quæ partes erant Canonici Cyriaci hic ad unguem complevit; non ita vero se gessit Gabriel Fanelli coram Anconæ Prætore, post acceptam condominii notitiam. Tenebatur ille statim moram in judicio facere, et ab actis subhastationis abstinere. Quod si cupiebat acta prosequi, et subhastationem provocare, tam debitorem principalem, quam ipsum condominum vadare coram eodem judice debebat, ut tradit sequens *Art.* 926. Judiciarii codicis = *Il creditore dopo ciò, volendo procedere agli atti di subasto, dovrà citare, tanto il debitore, quanto il preteso condomino, e compossessore, e se il Giudice conoscerà bastantemente giustificato il compossesso, o condominio, ordinerà che si proceda alla divisione dell'oggetto esecutato.* = Contra vero Fanellius non modo passus non est, ut a judice mandati de objecto condominio cognosceretur, verum, condomino haud quaquam citato, ad acta subhastationis properavit, ac, autione constituta, cum nemo ad licitandum accessisset, bona prætorio pignori subjecta sibi addixit. Violavit ergo legis censuram, esque impune violata, infirmum irritumque fuit quidquid, post receptam condominii scientiam a creditore gestum fuisse probatur. Uti siquidem cautum extat *art.* 106, præfati codicis judiciarii=*qualunque contravenzione si commette alle disposizioni dello presente procedura, induce nullità dell'atto non fatto secondo il prescritto della legge.*

Nec apertissimum vitium nullitatis excusatur falsa credulitate, qua se versari Fanellius dicebat, turbidum existimans, pluribusque exceptionibus obnoxium titulum condominii, et possessionis. Ad judicem quippe pertinebat de veritate, et justitiæ tituli cognoscere: et quousque dirempta quæstio condominii fuisset, vetitum erat, marte proprio, inscio condomino, et Prætore inconsulto, subhastationem urgere, sibique bona, deficientibus oblatoribus addicere. Cæterum proposita exceptio, nec in facto, nec in jure consistit. Non in facto, quia res facti est, post secundum Gallorum sententiam, profectum in bonorum possessionem fuisse Canonicum Cyriacum, a qua nemo adhuc eum exturbavit, eum imo resjudicata fuerit duabus Sacri Ordinis Decisionibus confirmata. Si nu- 4

tem, capta possessione, suos ob litium æstum, facere bonorum fructus non potuit, non ideo sequitur titulum deficere materialis possessionis. Non item in jure, quia ad intercipienda subhastationis, et deliberationis acta procul etiam a materiali possessione, sat est solum condominium, quod civilis possessionis titulum suppeditat. De condominio siquidem, et compossessione *disjunctive* loquitur prædicto *art.* 926 codex judiciarius; ac utrumque titulum, intermittendis subhastationis actis, parem esse, verba legis, et bona ipsius legis interpretatio suadent.

5 Multo minus obstat mandatum a Gabriele Fanellio, qua cessionario Donati, et Mariæ de Fuselliis, pro restitutione fructuum obtentum, affecisse quoque Canonicum Cyriacum. Nam, si neque in patranda exequutione, nec in aliis actis subhastationis absolvendis, citatus unquam fuit Canonicus Cyriacus, nulla quidem in eum ferri poterat condemnatio. Vadati utique fuerunt coeteri fratres Fanellii: at vadari omnes oportebat, quorum intererat judicium a Gabriele instructum cognoscere. Quoties enim agitur de pluribus personis, quarum æque interest, haud sufficit uni vel alteri vadimonium constituere, sed omnes æquæ sunt coram Judice vocandæ, ne secus velit actor in vitium nullitatis incidere =. *Cap. susceptis* 1 *de caus. possess. et propriet. leg. de unoquoque ff de re judic. Card. de Luca in summ. de judic. numer.* 30 *Rota in Recent. Decis.* 224 *num.* 10 *part.*10 *cor. Cavalerio*, *Decis.* 366 *num,* 1 *et in Romana Theatri de Capranica super redditione rationis* 22 *Junii* 1750 § 3 *cor. Vicecomite* = Sive tamen fuerit, sive non fuerit Canonicus Cyriacus in eo judicio restitutionis fructuum comprehensus, semelæ hic, post patratam exequutionem, legitimum condominii, et possessionis titulum protulit, illumque actori judiciario ritu denunciavit, non poterat sine piaculo Fanellius exhibitum titulum posthabere, et actis subhastationis insistere. Tunc solum creditor potest de subhastatione facienda sese sollicitum præbere, quum in bona fide versatur, nemine condominii titulum super re prætorio pignori subjecta denunciante, ut scriptum est in sequenti *art.* 927 judiciarii Codicis =*Se il Condominio*, o *compossesso non sarà stato*, *come sopra dedotto a notizia del creditore*, *e con buona fede avrà proceduto alla delibera dell' oggetto esecutato*, *potrà essere rescissa la subasta*, *e delibera nel suo congruo giudizio*; *ma in questo caso il creditore non sarà tenuto a veruna rifazzione di danni*, *e spese*.

Summa autem levitate laborabant coetera, quæ a Gabriele proponebantur, argumenta ad sustinendam adjudicationem. Jactabat hic primo regulam in jure notissimam, in qua alienatio a condomino, et coherede ante initam divisionem facta servetur, quia censetur alienantem elegisse rem distractam in portionem suam, compensatione, ac indemnitate coeteris condominis manente super aliis bonis hæreditariis. Vide *Decis.* 92. *num.* 10. *tit. de dote*, *cor. Emo Isoard.* Hinc, regulam ipsam cum subjecta specie comparando concludebat, idcirco firmam adjudicationem esse renunciandam, quia tantum, ea servata, superest in hæreditario patrimonio quantum sufficit Canonico Cyriaco de quadrante suo satisfaciendo. At regulæ hujusce præsidium, quæ in unum favorem emptorum bonæ fidei, qui aliena jura, et actiones ignorant, in forum invecta fuit, perperam implorabat emptor pessimæ fidei, cujusmodi dicendus est Gabriel post acceptam condominii scientiam, cui ideo refragabatur, tum aperta legis dispositio, tum expressa condomini voluntas, ne quid innovaretur, divisione antea non facta. Si vero sub fuco regulæ firmam decernentis alienationem a coherede patratam, ne emptori bonæ fidei detrimentum inferatur sine bono cohæredum; a manifesta nullitatis labe vindicari posset adjudicatio, ociosa jam, et inutilis maneret Lex judiciaria, quæ certas regulas servari jubet in exequutionibus initis super bonis a debitore comuniter cum alio possessis: simul- 6

que vetat, nu post objectum condominii titulum, divisione non factu, subbastationis acta peragantur. Lex autem admodum provida, quæ indemnitati creditorum consulons, prospicit etiam illis qui jus aliquod super re per creditorem impetita experiuntur, nedum per cuniculos, aliquorum malitia perverti non debut, sed imo religiose meretur observari.

7 Deterius erat objicere nullo jure potiri Canonicum Cyriacum ad hæreditatem patrui, aut illud saltem satis compensatum, et dimissum existimandum esse, ex causa subministrationum, quas Sacer Ordo in æstu litis ejus favore demandavit. Nam primo jus ad quadrantem dimidiæ hæreditatis assequendum Canonico Cyriaco fecerunt, omissa etiam rejudicata Gallorum, ipsæ S. Ordinis Decisionus a Rmo P. D. Meo Spada in lucem editæ, a quibus dunegatum est novæ Audientiæ beneficium. Incivile deinde est, ut exceptio compensationis subministrationum, du quibus ratio de moru habebitur in refectione expensarum, rationibus hæreditariis nondum dispunctis, in hoc judicio proponatur, in quo unice quæritur de nullitate adjudicationis, ad quam sustinendam, utut omnis cupiunda sit magis benigna interpretatio, vuluti inquit Rota *Decis.* 258 *num.* 2 *part.* 16 *Rec. Decis.* 1 *num.* 1 *tit. de subhast. cor. Falconerio*, *et dec.* 1049 *num.* 10 *cor. Molines* =, non est attamen nullitati resistendum si luculentæ illius probationes afferantur. Hisce vero probationibus plena manu in præsens collectis, rite nullam, et irritam S. Tribunal renunciavit adjudicationem bonorum a Gabrielu obtentam, et in hanc sententiam pronius etiam ivit, quia æmulationem, et collusionem redolet, ut is, qui liti super consuccessione valedixit, cessionem jurium dein a coheredibus assequeretur, ut alio nomine actorem vexaret, initoque foedere cum conjugibus Alexandro, et Clementina Scalamontiis, qui a Carolo Fanullio descendunt, ut quorum ideo interesse dubuut, irritam fieri adjudicationem, ex condicto insimul agant, et separatis defensionibus sese coram Sacro Auditorio tueantur, ut validitatem adjudicationis vindicarent.

Et ita videntibus Quinto, et Sexto, ac Me quoque juxta novissimæ legis præscriptum, suffragante decisum est. Utraque etc.

ANCONITANA PECUNIARIA

Lunae 21 *Martii* 1831.

ARGUMENTUM

Intributiones, quae efficiunt pascua, percellunt conductorem, aeque ac locatorem; proinde ab utroque ferri debeat. Ac in quolibet dubio, pactum ambiguum interpretatur contra locatorem.

SUMMARIUM

1. *Pro admittenda compensatione in genere, satis est, ut pars adversa non contradicat., Aut contraditio sit talis ut nullius momenti existimanda sit.*
2. *Pactum a conductore initum solutionis intributionum* - delle fazioni militari - *intelligendum quod industriam conductoris respiceret non autem quod praedia simul et hominum industriam percellit.*
3. *Cum pascuorum intributio non industriam afficiat conductoris,, sed herbas sponte enascentes in Agro, ex aequo oritur ut a conductore simul, et locatore ferri debeat.*
4. *Publicae tabulae testibus praevalent.*
5. *Exceptio de jure tertii non liberat ab obligatione sua, qui tali utitur exceptione.*
6. *Si testis mendax in uno detegatur, in caeteris quoque vera non dixisse praesumitur.*
7. *Non potest in discrimen revocari, quidquid juratus asseruit propiorum negociorum gestor.*
8. *Quando de re exile tractatur, pro tenuitate sua potest posthaberi, de minimis enim non curat Praetor.*
9. *Si Cognitor conventionalis adsit standum est ipsius judicio.*
10. *Qui praedia sata, et culta accepit ex eodem modo relinquere debet.*

DECISIO CCCXCIV.

Bis, semul et tertio quæsitum est in hoc Sacro Auditorio de credito pensionum, quod augusta Familia Leuc-

tembergensis experitur adversus Pompilium Scolartum, uti conductorem quorundam prædiorum, quæ in agro jacent Oppidi *Camerani* in Piceno. Cum enim conductor, utut nomen ipsum fateretur acriter tamen contenderet compensandum esse cum vectigalibus, et intributionibus, a se quidem repræsentatis, sed cum locatrice ex æquo dividendis, accidit hinc, ut in primo jurium periculo, quod habitum est anno 1826 ad diem *tertiam* Julii, Sacer Ordo censuerit rei cognitionem, ac singulorum, quæ proponebantur, nominum examen ad periti jurisconsulti judicium amandare. Absoluta in scriptis relatione; quæ fuerat exquisita, anno 1829 ad diem *nonam* supra *vigesimam* Aprilis, instauratum experimentum fuit, in quo idem Sacer Ordo *tria* nomina excepit, jussitque compensari; *tria* vero repudiavit. Excepit nimirum nomen pro bobus in agros conductos imperio militari depastum immissos: tum aliud pro intributionibus extra ordinem solutis; tum tertium pro æstimatione bovis, quem Teutonicæ copiæ illuc transeuntes abstulerant. Repudiavit autem alia nomina pro augmento restituti pecoris; pro curribus ad res conductoris, asportandas adhibitis: pro pretio demum alterius bovis licentia militum Neapolitanorum interfecti. Verum in Comitiis habitis die *tertia* Aprilis 1830 cum ad trutinam revocata Decisio fuisset, adjecto modo, Domini Mei, usque ad *sextum* suffragantes, unum dumtaxat nomen de bobus pabulationis caussa in prædia propulsis probarunt, cætera vero omnia prorsus rejecerunt: adeo, ut, hoc unico nomine scutorum 81. 70 a pensionibus majoris summæ scutorum 952 90 deducto, creditum locatricis constiterit in scutis 871 20. Ita videre est ex alia mea decisione tunc temporis edita, quæ adeo solidis innixa rationibus visa est, ut promeruerit omnino hodie confirmari responso = *In decisis* =.

1 Non oportebat ut multa iterum de compensatione admittenda, disputarentur, postquam defensores Familiæ de Leuchtemberg, aut non ita, ut antea, solicitos sese in hoc jurium experimento præbuerunt, e compensationis exceptio rejiceretur; aut eadem ad ultimam impugnandam refricabant argumenta, quæ jam axplosa et penitus profligata fuerunt in præteritis Decisionibus ad quas relatio habenda est, ne actum agatur. Nam ea solum animadversio, quod post deputationem judiciarii cognitoris non modo non appellarunt Augustæ Familiæ procuratores, sed imo coram ipso cognitore judiciario sese stiternnt, ut allatis documentis everterent nomina illa, quæ cum pensionum debito compensanda proponabant; satis omnino est ut nulla audientia præbeatur omnibus illis rationum momentis, quæ ex jure, et ex stipulatu deducebantur ad compensationem impugnandam. Consulantur præteritæ Decisiones, prima § 4 et 5. *Altera* § 2.

Quocirca. compensatione in genere comprobata quid revera compensandum sit, inquirendum est. Qua in re unum nomen de bobus depastum immissos in agros conductos dignum erat, ut a credito pensionum expungeretur. Reque vera longe aberat, quod procuratores Familiæ Leucbtembergensis inficiarentur, imperante magistratu in usum militaris Anconæ præsidii boves plures coemptos fuisse, ac in finitimorum pagorum, quos inter Oppidum quoque *Camerani* recensebatur, agros distributos, ut inibi pabularentur atque crassescerent. Pactum attamen jactantes tabularum locationis conductionis, ex quo cautum fuit, ut intributiones illæ militares, quæ rem ipsam, seu prædia percellerent, ex æquo locatricem inter ac conductorem dividerentur, reliquæ vero, quæ unius conductoris industriam respicerent, ab eo unice sustineretur, in hanc postremam classem rejiciendum pascuorum onus anthumabant. At quamvis hujusce pabulationis tributum a militari oriretur necessitate, bovesque in agris bene saginati deinde mactarentur ad alendos milites stationarios Anconæ, hujusmodi tamen onus pascuorum præbendorum, non ex iis erat, quæ ad solam industriam referri possent condu- 2

ctoris: sed saltus hibernos, et æstivos afficiebat, sive herbas quæ absque hominis industria in Agris sponte virescunt. Appellarunt utique contrahentes = *fazioni militari* = quo nomine violenta quælibet exactio, et coactio militum intelligeretur, intributiones quoque illas, quæ industriam respicerent conductoris, quæque ab eo ferendæ omnino erant. Sed non omnes intributiones militares, quas inter illæ sæpe continentur, quæ aut prædia ipsa procul ab ulla hominis industria, aut prædia simul, et hominis industriam percellunt, oneri conductoris impositæ fuere: verum ad illarum dumtaxat solutionem sese conductor obligavit, quæ respicerent industriam.

3 Cum igitur pascuorum præbendorum intributio ex demonstratis non industriam afficiat conductoris, sed herbas sponte enascentes in agro; hinc fit ut ex ipsa vi conventionis, et contrahentium mente non in unum rejicienda sit conductorem, sed imo ex æquo ferri a conductore simul, et locatrice debeat: veluti arguit prima *Decisio* § 6 *et alia* § 5. Ea vero argumenta, quæ contra locatricem evincunt pascuorum intributionem non esse nisi ad intributiones referendam, quæ prædia ipsa feriunt, probant etiam contra conductorem intributionem illam ex æquo partiri locatricem inter et conductorem oportere. Semper enim obstat pactum, ut hujus generis onera inter utrumque contrahentem æquis partibus dividerentur: quin, ne hilum quidem, officiat animalium pabulum per æs, et libram fere fuisse distributum inter agrorum possessores, perinde ac si de oneribus *realibus* ageretur, quæ omnia locatrix ex alia prorsusque diversa pactione sibi suscepit, utut Fisco prænumeranda a conductore fuissent in computum pensionum. Pro modo quippe census oportebat intributionem distribuere, ne alter præ altero onere majori premeretur. Numquam tamen ea mente inductum fuisse pascuorum onus, ut realis vectigalis vice fungeretur res ipsa demonstrat; quia revera pro re nata, et occasione bellici tumultus, qui timebatur invectum fuit, non diu forte duraturum, veluti diu non perstitit. Vide secundam *Decisio* § 7.

Quoad tempus sane, quo boves in agris conductis pabulati sunt, spretis eorum testimoniis, qui pro re nata, et lite fervente expiscati fuere, quique tempus ipsum ad anni spatium augebant, id unum spectari decet, quod libri municipales demonstrant. Major attamen contentio erat de eorum numero, et pretio pascuorum. Scolartus enim, adductis colonorum testimoniis, pabulum præbuisse *septem, et decem* bobus contendebant: itemque plus pretii repetebat, quam quod municipales præsides Oppidi *Camerani* persolvi hoc nomine jussisse probaretur. Contra vero *septem* solum fuisse, boves depastum immissos in agros conductos, et pretium esse retinendum, quod præsides illi constituerunt, merito respondebant oratores inclitæ Gentis de - Leuchtemberg. Ex publicis namque monumentis, quæ prævalent testibus, cæteroquin suspectis, constat septem tantum boves obtigisse conductori: idque confirmat indubiæ fidei testis ab ipsis militibus præpositus distributioni animalium: adeo ut non sit ambigendum, quin reapse septem dumtaxat boves pabulum in conductis agris acceperint. Augendum autem non esse pretium, quod Oppidi municipes præfinierunt *in centesimis nonaginta* pro qualibet die, et belluarum capite, hujusce taxationis justitia revincit, cui cæteri omnes acquieverant, qui parem pascuorum intributionem pertulerunt. 4

Neque movet quod coloni a procuratoribus celsissimæ Familiæ inducti deponebant, sese nihil hactenus a Scolarto recepisse pro incommodo pascuorum, quæ animalibus præbere debuerunt. Si certum enim est creditum conductoris, quod ei proinde est cum pensionum credito compensandum, nil interest, an colonis satisfecerit, nec ne conductor, qui, si pretio pascuorum adhuc fraudantur, habent quidem expeditam adversus conductorem ipsum actionem, non vero vexare ullo modo 5

locatricem possunt, quæ nunquam cum eis contraxit. Nil aliud proinde sapit objectum, ad evitandam oneris pascuorum divisionam propositum, nisi axcaptionem de jure tertii, quæ tanti non est, ut libaret ab obligatione sua, qui tali utitur exceptiona quemadmodum animadvertit secunda *Decis.* § 8. Unum itaqna nomen pascuorum ex credito pensionum expungendum est reliqua vero rejicienda sunt. Nam ipse Scolartus in se reversus præ injuria manifesta valedixit credito altari quod ex valores bovis a Neapolitanus militibus interfecti deducebat. Sad non minus ab injuria distabant quator nomina de quibus modo superest disserendum.

6 Quod pertinet enim ad frumentum triticum indicium, fabam, paleam, at alia id genus, quæ suppeditasse ob extraordinariam caussam jactabat, et idcirco compensationam urgebat, proferebantur ab eo quidem invitationes; sed acceptilationes, quæ rem traditam unice probant, quæque fiari tunc temporis consueverant, lucem semper odisse palam est, quia vere deficiunt, Earum autem defectum non supplet dictum unius testis, qui eas rerum venalium intributionas præstitas a Scolarto fuisse deponebat. Obstat siquidem talia deponanti tritum juris adagium = *dictum unius dictum nullius* = Obsiat etiam alia regula, quæ prohibet, ne testibus fides adhibeatur ea in re, quae ex publicis aut privatis scripturis constare debet. Obstut itidem, quod testis ipse sese carcalibus illis perqnirendis præpositum asseruerit, etsi id muneris a publico Magistratu concreditum fuisse diversæ personæ compertum sit. Ex quo fit, ut multo minus fidem in judicio sibi vindicare valeat testis pro conductore deponens, quippe qui si mendax in uno detegitur. in caeteris quoque vera non dixisse præsumitur, ut ponderat secunda *Decis.* § 9. Idque firmius retinendum, quia tam ex municipalibus Oppidi Camerani tabellis quam ex testimonio decurionis patet, nil aliud Scolartum dedissa, nisi paleas tantum, et fænum, prætiumque recapisse imputationo facta in intributiones reales. quarum solutioni ipse ex pacto Scolartus prospiciabat, illarum æstimationem detrahens ex debito pensionum, ut ponderat *Decis. dict.* § 9.

Est quoqua rejiceendum nomen aliud 7
pro pretio alterius bovis, quem Garmanorum copiæ a fundis conductis abstulerunt. Nam primo pretium ipsum cum summam scutorum 32 47 non excederet, quid propterea fundi colono præter aam quantitatem solutum dicitur, aliis de caussis solutum fuissa consequitur. Neque enim debebat, aut voluisse præsumendus est Scolartus cum aliena crumena ei gratificari, at plus solvere, quam par esset in praejudicium locatricis. Ex positionibus praeterea, quas idam Scolartus dadit inclitæ Familiæ Leuchtembergensi negociorum gestori in Civitata Anconitana, manifestum fit compensationem arepti bovis ax conditio cum ipso negociorum gestore Scolartum a Fisco postulasse, et obtinuisse per nummariam schadam negociorum gestori solutam, qui pluries Scolartum excitavit, licet incassum ad pecuniam recipiandam. Quod si in discrimen revocare nequit quidquid juratus asseruit negociorum gestor, frustra pecuniam ab hoc accipere racusat Scolartus, ut injuste se molestum præbaat locatrici. Obest ei imo dicterium juris notissimum = *frustra petis, quod intus habes* =, veluti animadvertit prima *Decis.* § 13 et altera § 10.

Nec melior conditio conductoris fuit 8
in condicendo augmento pecoris, quod exeunte locatione condnctione, restituit. Quamvis namqua discriman initum fuerit a contrahentibus inter pecus fundos instruens, aliudque pecus promarcale, et primum quidem juxta extimationem factam ad diem traditionis; alind vero juxta valorem qui obtineret ad diem restitutionis raddandum foret attamen certum est, quoad pecus fondos instruens nullum valoris auctarium inventum fuisse, quoad pecus autem promercale adeo exile augumantum fnisse, ut post baberi præ tenuitate sua debaat: siquidem de mi-

nimis non curat Praetor ut scriptum extat *in leg. Scio ff de restit. in integ. et leg. 4 edict.*

9 Cæterum augumentum istud non a perito, in quem contrahentes convenerunt, et cujus judicio dun alii homines in re agraria periti postea vucati assentiti sunt, sed statutum fuit ab alia persona, data opera a conductore ad retardaodam solutionem adhibita, quæ ideo cognitori conventionali refragatur, quia invita pactionis litera. nun pretium ad diem traditionis obtinens, sed aliud ad diem vigens restitutionis sequutus est. Quod autem dicebatur conveotionslem cogoitorem ex condicto egisse cum novo fundorum conductore, ideoque prætium imminuisse augmenti pecoris, quia socius sit novi conductoris, id quidem falsum pluribus monumentis appsrebat.

10 Quoad tandem curruum prætium ab ipso Scolarto rejectum in secunda causæ disputatione contra conductorem maxime facit pactum locationis conductionis tabulis appositum ne animalia postremo contractus anno a fundis amoveret, quos satos, et cultos relinquere tenebatur, prout receperat. Ex hoc quippe sequitur sumptibus suis prospicere ipsum debuisse pretio curruum, quos ad res suas in exitu contractus asportandas conduxit. Inciviliter vero apocha quædam nunc primum post tot iteratas disputationes proferebatur, ex qua snadere sibi proposnerat Scolartus prædia culta, ct sata sese quidem initio recepisse, sed sementem prioris anni separsta stipulationis ope coemisse prætio italicarum libellarum *quindecim millium*, et ultra. Apocha enim illa non sementem respexit prioris anni condnctionis novennalis sed conductionem diversa, et omnino distinctam unius anni, quæ ioita fuit ante cooductionem novennalem. Firmum ergo manet prædiam sata, et culta relinquere eum debuisse, ideoque non potuisse animalia a fundis amovere, ut suo consuleret commodo, et culturam fundorum desereret. Quidquid hinc pecuniæ expendi necessum crat ad res asportandas ooeri erat unius conductoris. Io reliquis relatio habenda est, tum ad primam, tum potissimum ad secundam Decisionem, quam Domioi mei omnino coofirmarunt.

Et ita cum suffragio *Quinti et sexti* decisum est utraque etc.

CAMERINEN

NULLITATIS CONTRACTUS

Lunae 20. *Junii* 1831

ARGUMENTUM

Nullitate inficitur contractus, cum legum formae baud observetur. Contrarium vero judicandum, si omue quod in lege praescribitur prae oculis babeatur, licet contrahendo quisque sua culpa damnum se ntiat.

SUMMARIUM

1. Quaestiones quoad contractus, juxta leges absolnendae, quae ad tempus initi contractus obtinebant.

2. Legibus Gallicis fas erat viro fundum dotalem alienare, si id in nuptialibus tabulis fuerat conventum.

Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

3. Si conditiones nuptialibue tabulis adjectae quoad fundum dotalem distrahendum verificentur, fundus distrahi potest.

4. Non pure et simpliciter ab ineundis contractibus nuptae faeminae arcentur, sed solummodo in quibusdam casibus in lege expressis.

5 In iis casibus quaedam forma servare debet: uti est viri consensus pro alienatione facienda etc.

6. Simulatio quae in alterius vergit praejudicium, non adeo facile praesumitur.

7. Quod ex sua quisque culpa damnum sentit non intelligitur damnum sentire.

Leges deceptis non decipientibus suffragantur mulieribus – Ibidem. –

DECISIO CCCXCV.

Ex geminis sororibus, de humili apud Camertes pago, Vinceotia et Aloysia Nebbia, quæ paternum patrimonium, defooctis parentibus, pro indiviso possidebaot, nubens, altera oempe Vin-

centia, ad diem 17 Noverbris 1806. Felici Pierluigio, dimidium paterni ejusdem patrimonii, rusticos, nimirum urbanosque fundos debitorum nomina, census argentea, pecus, et alia idgenus, nulla præeunte æstimatione, in dotem sibi constituit. In publicis autem, quæ occasione nuptiarum initæ tabulæ fuerunt, expressis verbis conventum fuit. ut non aliter vira suo liceret fundum aliquem dotalem distrahere, nisi consensu uxoris accedente. Actum huic est inter germanas sorores de familia herciscunda. Divisione communis patrimonii absoluta, constitit integrum patrimanium scutis 21383 05 æstimari, ideoque dimidium Vincentiæ obventum, et in dotem assignatum cvebi ad summam scutorum 1061 52. Sed anno 1811 quo tempore Italia universa Gallorum legibus adhuc regebstur, ipsa Vincentia cum auctoritate, assensu viri prædium in regione = *Spindoli* = vendidit Thomæ Lactantio pro pretio argenteorum *millium* inter stipulandum soluto quod vel foenori ponere, vel in emptionem bonorum frugiferorum intra biennium erogare vir et uxor sese devinxcrunt, adjecta lege, ut de pecunia ex venditione dotalis prædii hausta, quæcumque demum fieret acquisitio, mentio in acquisitionis haberetur.

Neque hic restitit conjugum obligatio, qui præterea distracti erga Lactantium fundi libertatem et evictionem promiserunt, simulque, ad indemnem reddendam de implemento pactorum ementis conditionem, vir potissimum facile sivit, ut fundus suum majoris æstimationis hypothecæ subjiceretur, quam revera non modo Lactantius, sed etiam Vincentia, ut invicem de evictione, deque pretio in emptionem prædiarum insumendo sibi caverent, in hujusmodi fundum inscripserunt. Quin imo Vincentia, ut magis suæ faret indemnitati consultum, omne viri patrimonium in caussam scutorum *millium*, quæ ex venditione dotalis prædii redierant, sibi voluit hypothecæ nexui mancipatum. Mox Lactantius judicio egit adxersus utrumque conjugem, ut sibi de pactorum implemento doceretur, et a Judicibus Primæ Jurisdictionis Camertinis Sententiam hanc in rem obtinuit, cui plausum fecit ipsa Vincentia, cujus dotale cruditum ex implemento pactorum tutiori poneretur io loco. At versatilis ingenii foemina, post servatum per aliquot annos silentium, diem demum Lactantio dixit coram Camertino Vicario, irritamque renunciari emptionem venditionem dotalis fundi postulavit. Vicarius in foeminæ vota concessit. Hinc appellatum est ad Sacrum Ordinem, ubi rogatio in hæc verba concepta = *An constet de nullitate contractus emptianis venditionis. ita ut sit locus reintegrationi, et restitutioni fructuum, et quæ mandata sint relaxanda in casu etc.* = dimissa hodie fuit responso = *Negative in amnibus* =.

1 Scribentes pro validitate contractus omnem fere operam, et defensionem in eo reponebant, ut evincerent, non *qualitativam*, sed imo *quantitativam* fuisse dotem quam Vincentia prope nuptura sibi constituit. Ex quo concludebant, nihil foeminæ, quæ pecuniæ creditrix est quoad virum, ideoque totum viri patrimonium habet obligatum prorsus interesse, validn ne, an irrita fuerit emptio venditio fundi dotalis, qui in plenum transit viri dominium, a quo uno posset emptionis venditianis validitas impugnari. Prætermittendam vero Domini Mei duxerunt hanc indaginem, num in præsens de quantitativa, seu potius qualitativa dote res sit et ab unis Gallorum legibus, quæ ad tempus initi contractus obtinebant, quæque ormam huic judicio præbebent necessum est, quæstionem omnem a bsolvendam existimarunt.

2 Legibus quippe Gallicis fas erat viro fundum dotalem alienare, si id in nuptialibus tabulis fuerat conventum = *La Legge nan regola (art. 1587 Civ. Coc.) la società conjugale relativamente ai beni, se nan in mancanza di speciali convenzioni, le quali gli spasi possono fare, come giudicano più conveniente* = Neque secus art. 1557 ejusdem Civilis Codicis = *L'immobile dotale può es-*

sere alienato, allorchè nel contratto del matrimonio è permessa l' alienazione =. Quidquid enim prioribus cavetur articulis, ex quibus non eliter alienatio permittitur, nisi quoties agatur de natis collocandis, de uxore aut viro a carceribus liberandis, de subministrandis, familiæ alimentis, de ære alieno uxoris, vel dotantium luendo, de fundo demum dotali reparando, valet utique sed valet in eo cesu, quo licita ex nuptialibus tabulis non sit fundi dotalis alienatio. At, si constet de facultate vendendi in nuptialibus tabulis facta, ambigi nequit, quin patrari alienatio potuerit, quamvis nulla adsit ex caussis supra præscriptis. Tota igitur judicii summa in hoc vertitur, ut inquiratur, num alienandi facultatem matrimoniales tabulæ permiserint. Jam vero quamvis contrahentes luculenter in themate pepigerint, distrahi dotales fundos, non posse = *senza l' espressa approvazione e consenso di essa Signora Vincenza, e contestuale rinvestimento del prezzo dei beni alienati* = nemo tamen ceptu suo non intelligit, ex notissima regula, ex qua docemur, quod exceptio firmat regulam in casibus non exceptis *ex leg. Ex eo* 18 *Cod. de testibus, leg. Quæsitum* 12 § *Denique ff de fund. instruct. Rot. in Rec. Decis.* 329 *num.* 6 *part.* 4 *tom.* 2 *Cecis.* 240 *numer.* 2 *coram Ansaldo, et Decis.* 130 *n.* 13 *cor. Herzan.* tributum in unu casu censendum esse, quod sub contrario negatum apparet.

3 Rite ergo poterat ad alienationem deveniri, licet nulla urgeret caussa ex illis, quas lex Gallica præstituit, quoties aut nihil dispositum de alienandi facultate, aut ea imo vetita in nuptiali fuerit instrumento. Ex pacto itaque nuptialibus tabulis adjecto duo comprobari ad fundum dotalem distrahendum debebant: ut scilicet uxoris consensus accederet: ut rursus pecunia ex dotalis fundi venditione deducta aut in emptionem prædiorum frugi ferorum impenderetur, aut foenori collocaretur. Atqui ambo in subjecta specie comprobantur extrema. Adest siquidem mulieris consensus, quippe quæ non facultate virum donavit alienand praedium, sed ipsa potissimum indiguit, ut fidem perhibent publicæ tabulæ, consensu viri ad alienandum: ipsa personam induit venditoris, ipsa de evictione teneri voluit in solidum una cum viro: ipsa demum pretium recepit, utut illud postea tradiderit viro, prout facile conjici potest ex subsequuta conventione uxorem inter, ac virum, cujus ope hic postremus, pro ejusdem pretii securitate, totum suum patrimonium hypothecæ vinculo uxori devinxit.

Leve autem erat objicere mulierem proprio marte non potuisse contractum inire. Nam ex jure Gallico = *qualunque persona può contrattare, se non è dichiarata incapace dalla Legge. Incapaci a contrattare sono i minori, e gl' interdetti, le donne maritate nei casi espressi dalla Legge, e generalmente tutti quelli, cui la legge proibisce certi determinati contratti* =, prout scriptum erat art. 1123 et 1124, Civilis Codicis. Quapropter nuptæ foeminæ non pure et simpliciter, non generaliter ab ineundis contractibus arcebantur, sed solummodo in quibusdam casibus in lege proscriptis, ut imo ipsa lex contractus validitati succurret, quoties ex hactenus deductis demonstratum est, fundium dotalem rite distrahi potuisse, si distrahendi copia in nuptiali legatur instrumento. Cum igitur nulla lex proferatur, quæ ab hujusmodi contractu uxorem jubeat abstinere sed imo lex ipsa sinat de rebus dotalibus fuerit adjectum; inde sequitur, ut omnino capax et idonee fuerit mulier ad ineundum contractum alienationis. 4

In iis quoque casibus a lege permissis quædam utique forma servari debebat. Oportebat scilicet, ut vir assentiretur alienationi, vel præsentiam sui faciens in stipulatione contractus, vel consensum præbens in scriptis = *La donna, ancorchè non sia in comunione* (*Art.* 217) *e sia separata di beni, non può donare, alienare, ipotecare, acquistare a titolo gratuito, o oneroso, senza che il marito concorra all' atto*, o *presti il suo consenso in iscritto* =. At de con- 5

sensu viri adeo constat, ut is stipulationi interfuit, et una cum uxore correus promittendi, et stipulandi extiterit. Ergo rite potuisse dotalem fundum ab uxore divendi, nemo prudens inficiabitur. Adest igitur primum ex extremis in nuptiali instrumento praescriptis, ut liceret dotalem fundum alienare. Sed neque ambigendum de alio est, nimirum de pecunia foenori collocata. Nam maritus speciali hypothecæ subjecit alterum ex patrimonii sui prædiis, super quo non omisit Mulier conventam hypothecam inscribere. Ipse rursus vir, ut magis tutam redderet uxoris conditionem, facile sivit, ut integrum patrimonium suum hypothecæ nexui manciparentur. Demum ipsevir *investimenti* pactum religioso adimplevit.

6 Quandoquidem constat, paulo post initam dotalis fundi venditionem, argentea *mille*, pro pretio recepta, Felicem Pierluigium foenori dedisse fratri suo cum adjecta disertissima demonstratione, quod ea pecunia ex dotalis fundi venditione proveniebat. Nec reponere prodest, investimentum hujusmodi fuisse simulatum, et deinceps in auras abiisse ob pecuniæ restitutionem a debitore peractam. Primo si quidem nulla subest simulandi caussa. Simulatio insuper, quæ in alterius vergit præjudicium, quum dolum crimenque sapiat, non adeo facile præsumitur. Donec autem viribus suis consistat instrumentum mutui cum Felicis fratre stipulatum, de cujus nullitate in separato inquirendum erit judicio, perperam semper simulationis exceptio proponitur. Neque interest, restitutis pecuniis, rediisse in nihilum investimentum. Restitutio enim contracti cum usura mutui, ut Leges Gallorum ferebant, veritatem ostendit. Deinde vero, si pecuniæ fuerant pro securitate dotis foenori collocatæ, haud poterant viro libere persolvi, sed deponendæ erant cum vinculo dotis, aut saltem monenda erat de restitutione mulier, ut juribus suis prospiceret. Agat itaque mulier adversus eos, qui operam restitutioni pecuniæ dederunt: agat contra virum: agat adversus levirum; non tamen de defectu investimenti queratur, cui religiose stato tempore satisfactum est.

Dilemmate tandem quæstio omnis de investimento conficitur. Aut enim foenori collocata pecunia fuit ex prædii dotalis venditione profecta: aut contra pactum nuptialium tabularum prætermissum fuit investimentum. Si de pecunia foenori posita dubitari nequit, nihil est, quod mulierum doleat, et nullitatem venditionis objurget. Si vero violatum est pactum investimentum, non in damnum innocui emptoris, qui implementum quantum in se erat, sedulo curavit, dum de evictione ob prætermissum investimentum teneri voluit venditores, retorquenda est omissio, sed unius mulieris damno vertenda, quippe quæ peculiariter emptioni venditioni dedit operam, pretium recepit, et ad pretium in utiles contractus erogandum præcipue tenebatur. Quod autem ex sua quisque culpa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire. Leges imo nostræ deceptis, non vero decipientibus, suffragantur mulieribus. Quibus perpensis, bona fides, et æquitas pati haud posse videntur, ut mulier contractum tanta circumspectione et prudentia celebratum ex serotina poenitentia rescindat.

Et ita etc. Utraque etc,

CIVITATIS PLEBIS

ASSOCIATIONIS

Veneris 10. *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Associationis remedium pro fructibus insolutis census creditori competit, ut idem creditor in fundi possessionem immittatur, eamque tamdiu retineat, quamdiu de fructibus insolutis haud fuerit redintegratus. Nec associationis remedio quidquam detraxerunt nuperrimae leges de hypothecis inscribendis.

SUMMARIUM

1. Associationis remedium pro fructibus insolutis census creditori competit ex ei ipsa clau-

sarum constituti et precarii, quae praestant ut idem creditor in fundi possessionem immittatur, eamque tamdiu retineat, quamdiu de fructibus insolutis haud fuerit redintegratus.

2. *Census onus reale praebet, quod ipsi rei inhaeret, ut cum re ipsa ad quoscumque successores, sive universales, sive singulares, transit.*
In associatione debitor constituit sese pro creditore possidere – ibidem. –

3. *Remedium associationis efficit, ut, quandocumque debitor census in fructuum solutione deficiat, permissum sit creditori esse, ministerio tabellionis et apparitoris, immittere in fundi possessionem, eamque jugiter retinere, usque dum redintegrari de fructibus insolutis valeat.*

4. *Quod ex Pontificio Rescripto canatur exceptionem amplius haud incurrit.*

5. *Nil refert, an rei certitudo ex designatione materiali confiniam, vel ex aliis loci demonstrationibus, descendat.*

6. *Aeris alieni quantitas et convocatio concursus cum implicatam reddant et non profuturam excussionem, ita etiam creditorem eximant ab obligatione eam praemittendi, antequam et in tertium possessorem convertatur.*

7. *Res-judicata nil detrahit creditoris juribus census, nec fundum a census onere liberat.*

8. *Vitium quod in confiniis designandis occurrat, nullam parit nullitatem, nisi adeo sit luculentum, et personas, fundos, quantitatem, omno reddat incertas.*

DECISIO CCCXCVI.

Creditor erat Venerabile Seminarium Episcopale Civitatis Plebis in Umbria ingentis quantitatis fructuum census; anno 1798 cum Anastasio Fratinio initi in scutis *mille quadringentis* papyraceae pecuniae, et postea anno 1803, ob factam reductionem, imminuti ad scuta dumtaxat *septingenta quinquaginta sex* argenteae tamen aureaeque monetae. Ut igitur de hisce fructibus per longum tempus insolutis, et ad rationem scutorum quatuor cum dimidio in singula centena conventis satisfieret, lapsis jam debitoris facultatibus, pluribusque in ejus patrimonium creditoribus irruentibus, satius duxit Canonicus Andreas Orlandi, qui sedulam modo operam navat Administrationi Seminarii, tertium persequi censiti fundi possessorem Aloysium Dininm, sive filios ejus haeredesque, Franciscum aliosque de Perusina Diniorum familia. Ex lege autem Pontificiae delegationis cum controversiae definitio fuerit universae Aulae judicio commissa, oportuit idcirco, ut a me, qua causae Ponente, Dubii formula proponeretur ita concepta – *An sit locus associationi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* –, cui responsum, judicii aleam Diniis refugientibus, de more est – *Pro Informante* – hoc est – *Affirmative, et mandatum esse relaxandum*, veluti testatur edita Decisio diei 18 superioris Aprilis, quam hodie, instaurata ad implendam Pontificiae jussionis legem disceptatione, iterumque vadimonium deserentibus Diniis, Domini Mei confirmarunt responso alio – *In Decisis* –.

Vulgare siquidem est, et cuique in 1
hac censuum *consignativorum* materia perspectum, associationis remedium pro fructibus insolutis census creditori competere ex vi ipsa clausularum *constituti, et precarii*, quae hujusmodi contractibus adjici solent, quaeque hoc maxime praestant, ut idem creditor in fundi possessionem immittatur, eamque tamdiu retineat, quamdiu de fructibus insolutis haud fuerit redintegratus. Per *constitutum* enim civilis quodammodo censiti fundi possessio creditoris quaeritur, pro quo ipse fundi dominus, seu debitor, tamquam procurator videtur possidere: per *precarium* autem naturalis fundi possessio creditori permittitur, ut de fructibus insolutis satis fiat. Quibus positis, cum neque de fructuum credito, quod ipsa graduatoria Sententia, de bonis communis debitoris inter concreditores dividendis lata, probavit ambigi possit, neque in discrimen revocari valeat quin revera utraque clausula *constituti, et precarii*, publicis census tabulis adjecta, creditori succurrat, necessario sequitur mandatum de associando Seminarii curatori tribuendum esse, ex quo nancisci valeat censiti fundi possessionem, eaque frui usque ad integram insolutorum fructuum satisfactionem, prout ex auctoritate Doctorum, Sacrique Nostri Auditorii admonet prima Decis. § 3.

2 Quin obsit rem modo non esse cum debitore principe, sed cum tertiis censiti fundi possessoribus, quos iniquum sit fraudare. Cum enim census in jure consistat anniversariam percipiendi ex certo determinatoque fundo responsionem, hinc onus reale præbet, quod ipsi rei inhæret, et cum re ipsa ad quoscumque successores, sive universales, sive singulares, transit. Quapropter sssociationis remedium, pro consequendis fructibus a debitore non solutis invectum, nedum adversus debitorem, sed adversus etiam ipsum competit censiti fundi possessorem, qui sibi debet imputare, si rem non liberam, et oneri census obnoxiam sibi comparavit. Nec associationis remedio quidquam detrexerunt nuperrimæ leges de hypothecis inscribendis, ex quibus de foro sublatum prorsusque extitit abrogatum utile *Salvianum Interdictum*, cujus vicea ipsa supplere videtur inscriptio hypothecaria. Plurimum quippe a Salviano Interdicto differt remedium associationis. Primum adipiscendæ possessionis gratia indnctnm a legibus fuerat; in altere e converso ab ipso initio impositionis census, ope clausularum *constituti, et precarii*, possessio fundi creditori quæritur. Primum ex hypothece oriebatur, quam forenses Salvieni matrem appellahant; elterum e contra non ex hypotheca proficiscitur, sed a possessione provenit creditori quæsita ab initio contractus. In Salviano creditor possidet pro debitore; in essocietione verodebitor constituit sese pro creditore possidere, ut nisi stato tempore fructus census a se persolvantur, ipse creditor possessionem fundi nanciscatur, reditusque percipiat.

Cæterum in eo quoque differt a Sal-
3 viano remedium associationis, quod in Salviano Interdicto ad extremum illud sæpe deveniebatur, ut fundus, basta posita, distraheretur; idque in censibus neque debitori prodest, neque crediturí. Primo siquidem expedit fundum perpetuo non ammittere, eoque ad tempus carere, quousque fuerit de fructibus census insolutis ex naturalibus fundi fructibus creditori satisfactum. Quin imo adversus Constitutionem S. Pii V. Foret rem eo deducere, ut morosus debitor fundum censui subjectum, vel ejus partem amittat; elteri antem, creditori nimirum, non raro nocet fundi, cui census inest, elienatio. Nam facile evenire potest, ut fundus deficiat, nec ei valeat ob debitoris inopiam aliunde suppleri. Remedium itaque associationis efficit, ut, quandocnmque debitor census in fructuum solutione deficiat, permissum sit creditori sese ministerio tabellionis, et apparitoris immittere in fundi possessionem, eamque jugiter retinere, usquedum redintegrar; de fructibus insolutis valeat. Mirum propterea non est, si post introductum hypothecarum inscribendarum regimen, ex quibus creditorum indemnitati satis consultum est, abrogatum fuit ntile Salvianum Interdictum, quod inutile, invectis hypothecariis inscriptionibus, evadebat. Devium eutem a jnre fuisset, post inductas hypothecarum inscriptiones, una cum Salviano Interdicto remedium quoque associationis evertere, quod nihil commune habet cnm hypotheca, quodque incolume serveri rei publicæ intererat, cum ad continendos in Officio suo debitores idoneum maxime sit. Consnlatur prima Decis. § 4.

In hac autem judicii sede, in qua 4
dumtaxat de associatione disputatur, inepte exceptiones proferrentur ad probandum, neque pecuniam inter stipnlandum fuisse numeratam, neque recte fuisse fundi censiti descripta confinie. Exigunt enim hæc objecta separatam, et distinctam actionem cnm præsenti judicio minime commiscendam. Etiamsi vero exceptio non numeratæ inter stipulandum pecuniæ in præsens rite proponeretur, eam ettsmen funditus subverteret Rescriptum Pontificium ante motam litem e Seminarii cnratore impetratum, ex quo vitium ipsum non numeratæ inter stipulendum pecuniæ Summus Pontifex auctoritate sua sanavit. Solent namqne Summi Pontifices veniam hujusmodi facile largiri, si constet de præexistentia crediti, ac si pa-

teat insuper fructus, ante petitam sanctionem a debitore solutas, haud æquare æstimationem capitis census, veluti allatis exemplis, superior Causæ decisio revincit §. 5. Utrumque porro requisitum in subjecta specie concurrit. De præexistentia enim crediti dubitare non sinunt, tum instrumentorum tabulæ, tum ingenua præterea debitoris confessio de recepta ante initam stipulationem pecunia. Ad solutorum vero fructuum quantitatem quod spectat adeo distat fructus a debitore numeratos absorbere sortem census, ut pacificum sit, per sex tantum annorum spatium, neque usque ad Annum 1803, fructuum solutioni Fratinium satisfecisse. Æquum ergo erat, ut Rescripto Pontificio, quod nemini fecit injuriam, et nomini præjudicium intulit, vitium non numeratæ inter stipulandum pecuniæ sanaretur.

5 Neque secus censendum est de emissa descriptione confinium. Enim vero, quam vis cursim fuerint in instrumento census confinia fundi censiti designata, cuilibet attamen omissioni supplet clausula = *Salvis* = instrumenti tabulis adjecta; salvis nimirum verioribus confiniis, a publicis cæteroquin libris fusius eruendis. Cum imo in ea regione, in qua jacet prædium censitum, nullum aliud vocabulum occurrat illi simile, quo prædium ipsum pollet, a loco fundum abunde designari consequitur; quin necessaria admodum videatur descriptio confinium, uti arguit prima *Decis.* §. 6. Nihil namque refert, an rei certitudo descendat ex designatione materiali confinium, vel ex aliis loci demonstrationibus, quæ tantundem præstent, et ex quibus æque certitudo, et identitas rei probari possit, adeout impleta maneat sanctio Pianæ Constitutionis *Rot. in Perusina seu Nocerien. Census* 11 *Decembris* 1820 §. 2 *coram Zinannii*, *in Cæsenaten. Graduationis* 8 *Maii* 1826 §. 9 *coram Reverendissimo P. D. Panetti*, *et in Confirmatorio* 18 *Aprilis* 1828 §. 4 *coram R. P. D. Meo Ruspoli*. Inepteque vitio curatoris Seminarii verteretur, quod steterit coram Judice concursus, siveritque sese in ultimas rejici sedes pro credito fructuum census. Duas siquidem actiones experiri poterat Seminarium ad fructuum satisfactionem obtinendam; *personalem* alteram in debitorem, alteram vero *realem* in tertium censiti fundi possessorem. Quod si actio personalis ob inopiam debitoris, et anteriorum creditorum numerum, frustranea reddebatur, ipsa vis, et auctoritas Fiscalis obligationis, quæ instromento census adjecta fuerat; facultatem creditori tribuebat de una ad alteram actionem convolandi.

Quapropter, suum de fructibus insolutis creditum in judicio protopraxiæ, et coram concursus Judice proponens patrimonii curator, prævertere visus est excussionis exceptionem, qua secus uti tertii potuissent possessores ad removendas creditoris molestias, donec nihil extare demonstraretur de bonis debitoris, et quibus fructuum nomen dimitteretur. Rem ergo gratam tertiis possessoribus fecit patrimonii curator, dum nominis satisfactionem a patrimonio debitoris obtinendam curavit, quamvis nullo onere premeretur excutiendi debitoris, tam ex ipso privilegio Fiscalis obligationis, ex qua remittitur onus excussionis; ut animadvertis Sacer Ordo *in Forolivien. Dotis* 8 *Martii* 1819 §. 3 *coram Reverendissimo P. D. Meo Spada*, *in Confirmatoria* 13 *Decembris ejusdem anni* §. 2 *cor. Eodem*, *in Romana*, *seu Verulana Pecuniaria* 18 *Junii* 1821 §. 4. *cor. bo. me. Martinez*; *in Callien. Census* 18 *Junii* 1827 §. 5 *cor. R: P. D. Meo Bufondi*, *et in Bononien. Actionis hypothecariæ* 12 *Maii* 1838 §. 8 *coram R. P. D. Meo Muzzarelli*, quam etiam ex difficultate obtinendi satisfactionem a patrimonio debitoris, quod multis nominibus ac anterioribus hypothecis implicabatur. Nam æris alieni quantitas, et ipsa convocatio concursus cum implicatam reddant difficilem, et non profuturam excussionem, ita etiam creditorem eximunt ab obligatione eam præmittendi, antequam in tertium possessorem convertatur, ut firmat *Sacro* 6

Rota in prædicta Callien. Census 18 *Junii* 1827 §. 5 *coram R. P. D. Meo Bofondi*, *et in Confirmatoria* 7 *Martii* 1828 §. 4 cor. *Eodem*.

7 Nihil vero refert, quod Judex concursus validum Sententia sua in Rem Judicatam prolapsa declaraverit emptionis venditionis contractum ab Aloysio Dinio cum Anastasio Fratino gestum de ipso prædio antea censui subjecto. Res quippe Judicata nil aliud præstitit Dinio, nisi ut fundus eximeretur a molestiis creditorum, ipsi emptionis venditionis contractui posteriorum, et res ad Annum 1802 revocaretur, quo inita fuerat stipulatio. Nihil tamen Res Judicata juribus detraxit creditoribus census, nec fundum a census onere liberavit. Uti itaque potuisset Seminarii curator Anno 1802 ante Rem Judicatam associationem ad fundum censitum pro fructibus insolutis postulare, ita hoc idem jus experiri ei fas est post Rem Judicatam. Non poterat quidem creditor census præpedire, ut fundus censitus a debitore distraheretur; sed æque non potuit efficere Res Judicata, ut fundus censitus a census onere redimeretur. Videtis præteritam *Decis*. §. 8

8 Qua re perducta, inutile fuisset jactare, quod stato tempore non fuerit a creditore census hypothecaria inscriptio renovata, nec nominatim in eo descripta prædii confinia. Non enim actio hypothecaria a Seminarii curatore proponitur, qui imo ex clausulis *constituti*, *et precarii* associationis remedium exercet. Neminem insuper latet, edictalibus legibus, eaque præsertim diei 22 Septembris 1820 decennalis renovationis terminum pro inscriptionibus minorum mulierum, Piorumque Locorum, incolumi servata inscriptione præcedenti, usque ad Kalendas Januarias anni 1821 fuisse prorogatum, quo tempore extra controversiam est inscriptionem hypothecariam Seminarii moderatores renovasse. Quo ad confinia tandem redit animadversio, ex sola loci designatione certitudinem identitatemque prædii constare. Vitium imo quodcumque, quod in confiniis designandis occurrerit, ex auctoritate legis, de qua meminit prima *Decis*. §. *ultim.*, nullam parit nullitatem, nisi adeo sit luculentum, et personas, fundos, quantitates omnino reddat incertas. Planum est ergo, nullis exceptionibus remorari tertios possessores posso remedium associationis a Seminarii curatore ad fundum censitum imploratum, ut de insolutis fructibus census satisfiat.

Et ita, relatione habita ad primam Decisionem ab universa Aula jus dictum est altera tantum etc.

FAVENTINA IMMISSIONIS

Veneris 17 *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCXXXVI. -

SUMMARIUM

1. *Mortuo patre, hereditariae res pertinent ad filios, sive ad eos quibus tantummoda facet jus paternae successionis.*
2. *Filiam ab hereditate patris repellere arfas est, ut successionis jus in remotos collaterales agnatos conferatur.*
3. *Onus dotandi filiam, patri et fratribus impositum, statutaria lex componsare vult cum emolumenta successionis quod ipsi filiae praeripiat.*
4. *Deficientibus masculis ex masculis familiae* effectivae, *successio ad faeminas agnatas convertitur.*
5. *Magis praedilecta esse debet familia* effectiva, *quam* contentiva, *et naturalis.*
6. *Error et falsitas caussae finalis quamcumque dispositionem irritam reddit.*
7. *Quando transactionis nullitas ab ipso instrumenta contextu depromitur, tunc is, qui transactionem impugnat, haud eget separate judicio, sed ejus nullitatem etiam per exceptionem proponere valet.*
8. *Fructus mala fide percepti a die successionis apertae restituendi sunt.*

DECISIO CCCXCII.

Vix mortem obiit Matthæus Azzarolius ex humili Pago S. Agathæ in Fer-

rariæ Provincia, qui superstitem post se reliquit uxorem suem Mariam Cinthiam foetum gerentem, prodierunt illico consanguinei quidam de gente Azzarolia, a communi stipite Francisci descendentes, quintoquo gradu a defuncto remoti, qui substantias hæreditarias occuparunt, filia posthuma, cui nomen Julia Matthias, omnino post habita. Arbitrium hujusmodi, quod fratres Azzarolii sub præsidio Municipalis legis, foeminas a successione paterna propter masculos repellentis, in postbumam Matthæi filiam exercuèrunt, caussam quoque præbuit renunciationibus a Julia-Matthia juribus omnibus, quæ sibi forent ab bæreditate qualibet obventura, conscriptis, tam in nuptialibus tabulis, quam in nonnullis transactionibus deinde stipuletis. Do rerum iniquitate certior tandem facta Julia-Matthias, jam materfamilias, e re sua censuit usurpata bona vindicare penes Judicem Episcopalis Curiæ Feventinæ: sed ei res male cessit. Quod autem jus succedendi ad parentis hæreditatem Judex ille negavit, in gradu provocationis ab illius Sententia Juliæ Matthiæ feliciter concessit Sacer Ordo, qui immissionem decrevit, fructuumque restitutionem e die apertæ successionis, quin ullum præberent obstaculum transactiones, et renunciationes, veluti ostendit Decisio a me edita anno 1828 ad diem *decimam* Maii, accedentibus *Quinti et Sexti* suffragiis. Potestate hinc facta Presbytero Josepho; et Stephano fratribus Azzaroliis prædictam Decisionem impugnandi, multa quidem protulerunt, ut eam convellerent; inimicam attamen sortem experti sunt, reddito hodie de more responso = *In Decisis* =.

1 Nec immerito sane. Nam naturæ primum, post civiles leges jubent, mortuo patre, bæreditarias res pertinere ad filiam posthumam Juliam-Matthiam, cui tantummodo favet in paternæ successionis. remotioribus rejectis consanguineis. Hunc succedeadi ordinem a jure Communi traditum io discrimen non revocabant Azzarolii: sed ei prævalere contendebant obsolotam quamdam Statutariam legem bumilis Pagi S. Agatæ, quæ vires suas oblinere dicebatur ad diem apertæ successionis. Præterita Decisio inter alias caussas, ex quibus extreneum a subjecta specie putavit jus illud Municipale, eam quoque maximi fecit, quod Azzarolii non demonstrabant Statutum ipsum *in forma*, uti dicunt, *specifica* fuisse a Supremo Principe probatum, quemadmodum necessum erat, ut vim legis assequeretur, jurique Communi derogaret. Hodie vero, qnamvis, post adductas Apostolicas Literas a S. M. Gregorii XV anno 1621 die 17 Julii subscriptas, dubitari amplius de approbatione in *forma specifica* nequeat, non inepte nihilominus, aut nunquam in honore Statutum fuisse, ant in desuetudinem abiisse contenderetur. Nulla siquidem de Municipali illa sanctione memoria extat in elbo rubricarum cujuslibet Statuti, in Pontificia Ditione vigentis olim, quoad foeminarum exclusionem, cnjus auctor fuit celebri *Cardinalis Delura*, qui sane de cæteris aliorum Oppidorum Statutariis legibus meminit, sed illam Oppiduli S. Agathæ omnino præteriit. Recolatur prima *Decis.* § 3.

Utcumque tamen res sit, nihil obstare Juliæ-Mattbiæ Statutum illud, quominus jus successionis ad paternam bæreditatem sibi vindicet, planissimum est, etiamsi Statutum ipsum ad diem obitus patris in eo Pago religiose servaretur. Verbe Statuti, barbarismo illius ævi non insulito scripta, ita concepta sunt = *Volemo, che do mente che* (donec) *in la casata sia fratelli di alcuna donna maritata, delli beni paterni non possa succedere in la eredità del padre, fratelli, o altri de dicta casata, ss non è da essi instiiuita erede, s lassata legataria, ma sia contenta della dote sua.* = *E similmente s'intenda della donna non maritata, la quals se diea maritars, s darglis la dote non de minor somma, che sia lo consueto dellu casa, et de quello stia contenta ut supra* = Jam vero cuique legenti verba Statuti apprime constat, nunquam Statutum illud propinasso tantum absurdum, nt jus sanguinis, et naturalem amorem deleret, sincretque repelli filiam ab bæreditate patris, ut successionis 2

jus in remotos collaterales agnatos conferatur. Quin imo sub dictione illa = *casata* = familiam dumtaxat *effectivam*, quæ filios nepotes, aliosque ab eodem stipite descendentes complectitur, non vero *contentivam*, quæ ad collaterales quoque porrigitur, Statutariam legem S. Agathæ comprehendere, et intelligere voluisse, ex eo primum patet, quod Statuti rubrica de patris familias hæreditate loquitur; quod sane descendentium, haud vero collateralium ideam excitat.

3 Accedit deinde, quod in legis ventre nunquam collaterales, exceptis fratribus, nominantur. Nec levis est ratio dotis, ob quam filiæ extorres declaratæ sunt a successione paterna, vel aliorum *de dieta casata*. Onus enim dotandi filiam, patri, et fratribus impositum, Statutaria lex compensare quodammodo voluit cum emolumento successionis, quod ipsi filiæ præripuit. Cum igitur successionis emolumentum eis fuerit tributum, qui onus dotandi in bonis propriis ferre debuissent, necessario sequitur, ad unam lineam *effectivam* emolumentum successionis coercitum a lege Statutaria fuisse, quia uni masculi lineæ *effectivæ* onere dotandi foeminas de familia premuntur. Quod si imo congruitatem dotis, filiabus exclusis a paterna hæreditate constituendæ, ex dotibus = *della casata* = deduci statutum jubet, de familia *effectiva* dumtaxat Statutum ipsum intellexisse plane arguendum est, cum secus admodum foret incerta mensura dotis, si inspiciendum esset, quid in familia tam *effectiva*, quam *contentiva*, hac de re consueverit. Idque certius retineri debet, quia agitur de Statuto juris Communis correctorio, quod naturæ leges, et charitatis ordinem, ut masculis gratificaretur, post habere videtur, adeo ut strictim sit interpretandum, nec de casu ad casum, de persona ad personam ampliandum.

4 Quod itaque foemina a successione rejiciatur, donec adsint fratres, aut filii masculi fratrum aut filii masculi recta ab eis descendentes, plane intelligitur. At, deficientibus masculis familiæ *effectivæ*, nunquam Statutaria lex voluit, ut successio deferretur collateralibus agnatis de familia *contentiva*, posthabitis omnino fæminis agnatis de familia *effectiva*: sed imo ad eas ipsas foeminas agnatas convertitur, easque ad successionem vocavit, ut plane colligitur ex his verbis = *Item voleto, che non restando alcuno della casata, esse donne possa succedere ab intestato alli morti della casata* = Et revera quod de masculis foeminæ præponendis in acquirenda patris familias hæreditate Statutum disposuit, non de masculis quibuscumque sentiendum esse, sed de his tantum, qui unam eamdemque familiam cum foemina exclusa constituunt, manifestum est ex relativo illo = *quella* =, quod nuncupationi = *casata* = Statutum adjecit, quodque dispositionem coercet ad lineam dumtaxat *effectivam*, veluti de pronomine *ipsius*, et *ejusdem*, quibus in subjecta specie æquiparatur relativum = *quella* = testantur. *Mantic. de conject. ult. volunt. lib* 8 *tit.* 12 *num.* 20, *Menoch. de præsumpt*, 88 *num.* 2 *lib.* 4, *Rot. in Rec. decis.* 707 *num.* 2 *part.* 2, *et Decis.* 362 *num.* 7, *et* 8 *part.* 5 *tom.* 1.

Cum igitur ad tempus obitus Matthæi nulli amplius extarent masculi de *effectiva* ipsius familia, nemini dubium, quin ad Statuti tramites deferenda esset hæreditas filiæ posthumæ Juliæ Matthiæ, remotis prorsus agnatis collateralibus, qui quinto gradu distant a defuncto: cum præcipue magis prædilecta sit familia *effectiva*, quam *contentiva* naturalis. Neque ulla ratio erat, cur ad Statutum Ferrariæ provocaretur, quod observari jussit Dux Ferrariæ Hercules II. Atestinus, si quod dubium occurreret quoad Municipales leges singulorum Oppidorum Provinciæ Ferrariensis. Nullum si quidem dubium involvit Statutum S. Agathæ, sed apertis imo verbis exclusionem foeminarum coarctat ad masculos *effectivæ* familiæ, quibus omnibus tandem peremptis, ambignum non est, ad successionem vocari foeminas agnatas ejusdem *effectivæ familiæ*, post habitis collateralibus familiæ *contentivæ*, ut fusius animadvertit præterita *Decis.* n § 5 *ad* 8. Post eversum autem Atestinorum Ducum impe- 5

rium, et Ferrariæ Provinciam cum Sacro Priocipatu conjunctam, nullo amplius in pretio habenda sunt edita ab Atestinis Decreta, utcnmque ad rem præsentem facere viderentur.

6 Restitota itaque ad germanam suam intelligentiam, veramque interpretationem litera Statuti S. Agathæ, perperam confugiebant Azzarolii ad transactiones, et renunciationes, casque adhibitis solemniis initas fuisse contendebant. Non solum enim ex eo quod in stipulatione horum contractuum omissa sollemnia fuerint, quæ obærvanda jubet in minorum, mulierumqne contractibus Benedicti XIV. Constitutio; sed ex eo potissimum, quod ex falsa caussa, et ex errore initium duxerint suum, palam est, eas non officere juri successionis od paternam hæreditatem. Reque vera si ideo juribns suis valedixit Julia Matthias, ideoque cum consanguineis transegit, quia reputavit, in vim Statuti S. Agatbæ sese repelli in gratiam consanguineornm, utcumque do familia *contentiva*, a successiune paterna, nemo non intelligit, qnod corruente dispositione Statuti, eaque ad solos tantum masculos *effectivæ* familiæ cohibita, corruit etiam reuunciatio quælibet, atqne transactio. Docti si quidem indoctique sciunt, quod error, et falsitas caussæ finalis omnem actum, et quamcumque vitiat dispositionem, irritamque eam reddit perinde ac si numquam extitisset. *Leg. Qui testomento* 40 *ff de excusot. tutor. leg. Si per ercorem* 15 *ff de jurisdict. oma. judic., Cyriac. coatrov. forens.* 65 *aum.* 21, *Constontin. Vot. decis.* 500 *aum.* 9, *et* 10, *Rot. Dec.* 282 *num.* 0 *corom Buratto.* Videris quoque primam *Decis.* §. 8 et 9.

7 Noc dicendum, in implicito validitatis statu remanentibus transactionibus, nefas esse eas obiter, et perfunctorie revocare, sed imo oportero de earum nullitate in distincto judicio antea disputare. Quidquid enim sit, quando nullitas transactionis ex caussis eruitur maturo Judicis consilio pensandis; attamen, quando transactionis nullitas ab ipso instrumenti contextn depromitur, tunc is, qui transactionem impugnat, haud eget separato judicio, sed ejus nullitatem etiam per exceptionein proponere valet juxta distinctionem, quam exoroat præterita *Decisio* § 10. Ita pariter abs re est in hoc, de quo agitur, jndicio dotem jactare, potis auctorium, et alimenta Juliæ-Mattbiæ præbita, antequam nuberet Petro Jacobo Finio, perindo ac si hæc omnia sint ab ea re restituenda, antequam agat ad patria assequendam hæreditatem. Istis exceptionibus haud distinetur judicinm immissionis in genere, de quo in præsena laborat Julias Matthias. *Rot. in Brictinoniea. Immissionis* 20 *Februorii* 1739 § 11 *cor. Vicecomite, et in Romona Immissionis* 2 *Juaii* 1755 § *ult. cor. Fladioa.* Qui ab ea restituendum sit videbnnt Azzarolii in judicio immissionis in specie, in quo aptius revera exceptiones istæ proferuntur. Quæ vero do absolutoria ab observatione jndicii objiciebantur, nullius momenti sunt. Absolutoriam etenim a perjnrio Julia Matthias impetrare ad summum tenebitur, cum adversus juratam aget transactionem, et quæstionem appositam instituet de illius nullitatis, quæ tamen ex demonstratis necessaria ei non est ad paternam hæreditatem vindicandam; non autem hoc in judicio, quo ab exceptione renunciationis, et transactionis se ipsam tuetur. Consulatur prima *Decis.* § 11, et 12.

Nunc diluenda superest exceptio de 8
præscriptione adversns Juliam Matthiam opposita: ac nonnulla sunt dicenda de fructuum restitutione. At ad præscriptionem quod pertinet, expungendum est totum illud tempus, quo Julia Matthias in minori versabatur ætate, et quo agere propter ipsam minorem ætatem non potesat. Subducto autem hoc temporo, vix restant anni *octo* supsa *viginti*, qui impares sunt *triceaariæ* præscriptioni inducendæ, quæ una petitioni hæreditatis obstaculum præbet. De fructibus tandem, sublato discrimine inter universale, ac peculiare judicium petitionis hæreditatis, certum est a die apertæ successionis eos esse restituendos, si fuerint mala fide percepti, ut probat superior *Cousæ Decis.* § *ult.* At

vero de mala fide fratrum Azzaroli dubitari non licet post expensam censuram Statuti S. Agathæ, et ad evidentiam probatam nullitatem renunciationum, et transactionum, ex quibus Azzarolii jus succedendi Juliæ Matthiæ injuria prorsus intervertere voluerunt.

Et ita, probata priori Decisione; jus dictum est *vid.* 5, et 6 et utraque etc.

FOROLIVIEN CONSUCCESSIONIS

Lunae 13 *Junii* 1831

ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCLXXIX. -

SUMMARIUM

1. *Non licet amplius in discrimen adducere rem judicatam quam partes remiserunt ad arbitrium eorum procuratorum, ei isti munere suo satisfecerint, ideoque ipsorum factum religiose observandum est.* - Et num. 4. -
2. *Quando contra remjudicatam, restitutio in integrum concessa sit, et postea de consensu partium facta sit transactio; Beneficium restitutionis nullius est roburis,*
3. *Non tantum a nomine quod contrahentibus arriserit stipulationibus apponere, quantum ex re ipsa, et pactis conventis eruenda est vera indoles et natura contractuum.*

   Imminentis pignoris periculum, justum metum non incutit, nec rationabilem praebet caussam, cur a conventione inita recedatur - ibid -
5. *Renunciatio porrigenda non est ad ea jura quae ad diem renunciationis concipi mente non poterant, quaeque ex nova incognita, et penitus non praesumenda lege, renuncianti acquiri potuissent.*

   Renunciatio bonis maternis et paternis intelligitur pro eo jure, quod in praesenti, et ex causa probabili sperari licuisset, non autem pro jure penitus novo, insperato, incogitato - ibid. -

. *Renunciatio cohiberi debet ad suam causam et stricte est interpetranda.*

   Quando renunciatur juribus non competentibus, haec renunciatio non comprehendit jura ex nova et inexpectata lege quaesita - ibid. -

7. *Renunciatio non subsistit si non constat de causa, de praemio, et pretio renunciationis.*

   Eo magis renunciatio nulla dicenda, si facta sit a muliere sine solemnitatibus a Benedictina praescriptis - ibid.
8. *Adprobatio judicis causa non cognita, nihil valet ad validitatem mulieris contractus inducendam.*

   Dotis constitutio a parente facta, causam justam renunciationis non inducit, quia tali actu Pater obligationi suae satisfacit. Ex L. fin. C. de jure dot. - *Ibid.* -
9. *Dos quae vires non excedit hereditarias, et congrua tantum est, pretium non constituit renunciationis.*

   Nullius momenti est ea renunciatio, quae renunciantem privat juribus suis absque ullo emolumento - ibidem. -

10 *renunciatio absque correspectivitate facta perinde est ac si nunquam extitisset.*

DECISIO CCCXCVIII.

Obstaculum nullum, quominus consuccessionem contra tabulas exposceret, in quibus fuerat simplici legato dumtaxat honorata, Mariæ Guerrieræ Merliniæ, ex eo parari, quod in nuptialibus tabulis diei 6 Februarii 1772 nuncium, accepta dote, miserit juribus omnibus, quæ in posterum forte potuisset experiri adversus parentum et consanguineorum hæreditates, constituit Res-Judicata, Gallis obtinentibus, edita, quam exequutioni litigantes ipsi mandarunt ex privata apocha anno 1814 celebrata. Id ipsum, revocata priori *contumaciali* Decisione a clar. mem. Serlupi evulgata, definivit alia Decisio a me edita ad diem 14 Maii superioris anni, in judicio sistentibus Philippo, Paulo aliisque de nobili Familia Merlinia Forolivii Patricia, qua filiis et hæredibus interim defunctæ Mariæ Guerrieræ. Obloquendi autem adversus prædictam meam Decisionem potestate facta filiis pariter et hæredibus Marchionis Francisci Pauluccii, qui etiam, lite fervente, desideratus est, de viribus illius Decisionis hodie oportuit disputari, quam tamen adeo solidis innixam juris, et facti monumentis Domini Mei *usque ad Sextum* rogati noverunt, ut omnino perstiterint *in secundo loco Decisis.*

1 Non licebat amplius profecto Rem Judicatam, quæ consuccessionis jus ad quadrantem paternæ hæreditatis Mariæ Guerrieræ concessit, in discrimen adducere, postquam tam ipsi Mariæ Guerrieræ, quam ejus præsertim fratri Marchioni Francisco placuit a lite diuturna recedere, et procuratores eligere, qui absque judicii strepitu ad liquidum perducerent paternum patrimonium, ex eoque quotam detraherent Mariæ Guerrieræ debitam ex Re Judicata. Atqui muneri suo satisfecerunt procuratores utrinque electi, quippe qui, conscripta prædicto anno 1814 die 31 Julii apocha in plures articulos divisa, prædia nonnulla Mariæ Guerrieræ in solutum addixerunt, quorum æstimatio cum quadrantem excederet maternæ hæreditatis, ad quam illa jus habebat, cautum idcirco fuit, ut nobilis matrona teneretur intra certum tempus nummos argenteos *mille*, quanti æstimabatur prædiorum excessus, fratri persolvere, data ei interim super ipsis bonis hypotheca ad indemnem eum a quolibet futuro eventu reddendum. Quocirca, si Maria Guerriera, et Franciscus, arbitrio procuratorum sese permiserunt, si expressis verbis voluerunt, ut firmum ratumque haberetur quidquid procuratores inter se convenissent; si procuratores ipsi, patrimonio materno ad liquidum perducto, quotam hæreditariam Mariæ Guerrieræ præfinierunt, eique bona quædam in solutum hoc nomine dederunt; si demum constituerunt, ut ex interposito eorum arbitrio et judicio litigans uterque obligaretur, quin unquam eis foret permissum redditum ipsum judicium in discrimen revovare: aut nihil amplius est certum in rerum natura: aut certe religiose servandum est procuratorum factum, quin debeant lites jam consepultæ et extinctæ, iterum excitari.

2 Ludicrum hinc erat jactare restitutionem in integrum a supremo Signaturæ Ordine defuncto Marchioni Francisco concessam adversus Rem Judicatam Gallorum Tribunalium, quasi exinde remotum sublatumque censeri debeat initæ conventionis impedimentum. Signaturæ quippe Ordo non ipsam largitur in integrum restitutionem, sed veniam tantummodo illam petenti indulget disputandi, utrum de Re Judicata constet, seu potius de causis restitutionis in integrum, quemadmodum solemnia rogationis verba clare demonstrant, ut idcirco Tribunal, ad quod postea rei cognitio defertur, non vero Signatura, restitutionem in integrum tribuat, vel neget. Hoc itaque posito, dubitari nequit, quin etiam *ex post facto* fieri valeat, ut in integrum restitutio locum amplius habere non possit: veluti, exempli gratia, accideret, si partes, cum Res Judicata restitutionem in integrum aliqua ratione mereri potuisset, satius attamen censuerint amica concordia negotium omne componere. Hoc porro in casu restitutio in integrum nullo jure peteretur. Sed hoc punctim accidit in subjecta specie, in qua, cum per æquam transactionem litigantibus rem omnem dirimere libuerit, illud adamussim evenit, ut *ex post facto* res amplius integra non sit ac beneficio restitutionis in integrum is valedixerit, qui eo uti potuisset ad Rem Judicatam infrigendam.

Utut vero conventioni, anno 1814 ad 3
exitum Mensis Julii initæ, nomen transactionis non fuerit appositum, in veram nihilosecius transactionem ea resolvitur, semelac, ad longum et sumptuosum effugiendum judicium de viribus hæreditariis communis parentis, placuit rem omnem de bono, et æquo, et curis interpositis consanguineorum, componere ex procurationum mandatis, et ex ipsa apocha anni 1814, in qua validam agnovit Maria Guerriera dispositionem a patre erga filios masculos scriptam, et æstimationem quoque probavit ab eodem patre in elogio suo appictam fundis nonnullis hæreditariis. Scitum enim est, non tantum a nomine, quod contrahentibus arriserit stipulationibus apponere, quantum ex re ipsa, et pactis conventis, eruendam esse veram indolem naturamque contractuum. Qua de re si, transactione celebrata, Res Judicata quodammodo exequutioni commissa fuit, ne.lum

ipsa Res Judicata, sed transactio quoque non patitur, ut amplius de jure Mariæ Guerrieræ ad assequendum paternæ hæreditatis quadrantem ambigendum sit. Ineptum quippe erat, quod reponebatur non ultro, nec sponte, sed metu coactum imminentis exequutionis conciliationi operam dedisse Franciscum. Mandatum siquidem Judicis, et imminentis pignoris periculum, nec justum metum incutit, nec rationabilem præbet causam, cur a conventione inita recedatur, ut arguit prima mea *Decisio* § 5.

4 Neque refert, quod ad evertendam Rem Judicatam sibi inimicam palam, et publice Franciscus animum suum aperuerit adeundi supremam Aulam = *di Cassazione* = quæ sub Gallis de restitutionibus in integrum cognoscebat, et quam, fertur, ipsum Franciscum revera adiisse, ut beneficium restitutionis in [integrum experiretur. Procurationis enim mandatum, cui erga Filium suum Franciscus subscripsit, ut una cum procuratore a Maria Guerriera constituto negocium omne componeret, posterius est istis Francisci jactationibus, qui idcirco a proposito suo deinde recessisse præsumendus est. Quamvis vero medio Julio ad Aulam illam Franciscus confugisset, quod cæteroquin non satis liquet, cum nihilominus ultimo ejusdem mensis die ejus filius, uti procurator et mandatarius patris, conventionem amplissimam cum mulieris procuratore concluserit, satis apparet a consilio suo iterum recedere Franciscum voluisse, quia secus, vel mandatum revocasset, vel, aliqua adhibita reservatione, ita cohibuisset, ut nullo modo sibi foret nociturum factum procuratoris. Adeoque abest a vero conventionem illam, quæ non ad materialem tantum Rei Judicatæ executionem, sed ad omnem controversiam prorsus tollendam inita fuit, merum præseferre tractatum, a quo cuilibet ex contrahentibus resilire licuisset, ut non modo procurationum mandatis sese disertissime partes obligaverint sartam et incolume servare quidquid procuratoribus hac de re statuere placuisset; sed ipse, quod magis est, Franciscus in judicio observantiam et præsidium conventionis imploravit, ut in officio suo contineretur Maria Guerriera, quæ quæstionem movere de rebus nonnullis, jam in conventione compositis, adnitebatur.

Probant hæc restitutionem in integrum nullo jure competere, etiamsi probaretur fundamenta nutare Rei Judicatæ. At accedit etiam justissimam fuisse. Latissimis utique verbis concepta est renunciatio tabulis nuptialibus adjecta, eaque amplitudine sua complectitur jura omnia, quæ exercere renuncians potuisset = *ex causa de præterito, de presenti, et de futuro sopra tutti e singoli beni paterni, materni, degl'avi, avie, e di qualsivoglia altro ascendente, degli Zii, Zie, e di qualsivoglia altro agnato, cognato, e transversale di prossimo o remotissimo grado* =. Non porrigitur tamen renunciatio ad jura futura ex causa de futuro, quæ, nisi palam in renunciatione fuerint nominata, numquam sub generali vocabulo jurium futurorum continentur, ut ex receptissima distinctione inter jura futura tantum, et jura futura ex causa de futuro monet *Rota Decis.* 46 *num.* 2 *tit. de Miscellan. cor. Falconerio*. Quapropter renunciatio Mariæ Guerrieriæ porrigenda non est ad ea jura, quæ ad diem renunciationis concipi mente non poterant, quæque ex nova, incogoita, et penitus non præsumenda lege renuncianti acquiri potuissent. Porro ad tempus initæ renunciationis nemo reputare potuisset diem extiturum, quo uno ictu deletis statutariis legibus, fueminæ maribus exæquarentur, omnesque æquis partibus ad patris successionem vocarentur. Omnis autem renunciatio bonis maternis, et paternis intelligitur pro eo jure, quod in præsenti, et ex causa probabili sperari licuisset, non autem pro jure penitus novo, insperato, incogitato, ut arguit *dicta Decisio cor. Falconerio n.* 7. 5

Hoc jus novum, hanc inter masculos et fœminas æqualitatem, hoc ferme portentum invexit Gallorum invasio, eorumque jurisprudentia nostris etiam Re- 6

gionibus introducta, quam ne suspicari quidem ad tempus renunciationis improvida mulier potuisset. Cohiberi itaque ad suam Causam debet renunciatio: cum præcipue in renunciationibus stricta utamur interpretatione, quam eo magis in themate exigit reservatio, quam renuncians adhibuit, et ex qua salva sibi voluit successionis jura eo casu, quo prorsus exaresceret agnatio masculorum de Gente Paluccia. Non inepte quippe ex hac reservatione contenderetur, ex analogiæ argumento, quod multi ponderis est in interpretatione contractuum, et ultimarum voluntatum, eam fuisse renunciantis mentem, ut nullam quoque vim exereret renunciatio eo in casu, quo, remoto Municipalium legum obstaculo, maribus æque ac fæminis jus succedendi paternæ hæreditati daretur. Videtis *primam Decisionem* § 7. Reque vera, si ex Municipali sanctione a jure succedendi paternæ hæreditati repellebatur Maria Guerriera, inutilis profecto dici debet, et ad pompam emissa renunciatio quoad saltem ipsam patris hæreditatem. Si hinc fæmina renunciabat ea jura, quæ sibi non competebant, eo minus ex renunciatione colligi potest, intelligere renunciantem, et compræhendere in renunciatione sua voluisse jura ex nova, et inexpectata lege sibi quærenda.

7 Etiamsi vero tuto posset affirmari, jura quoque futura ex causa de futuro continere renunciationem, de qua quæritur, adhuc tamen renunciatio ipsa corrueret inspecta sanctione *Thermidorianæ* Legis a Gallis anno 1797 latæ, quam jugiter retinuit in hisce quæstionibus dirimendis Sac. Nostrum Auditorium, utcumque de renunciationibus ageretur ante editam legem, et sub Pontificio nostro Regimine, quod Galli ausu nefario subverterant, emissis. Atqui dicta lex Termidoriana non aliter sinebat viribus suis consistere renunciationes, quam si constaret aliquid in pretium renunciationis renunciantem accepisse, perinde ac si res sit de contractu innominato: *do ut facias*; *facio, ut des*; deque contractu ultro citroque obligatario. Juxta hanc vero regulam animadversa renunciatione, cui nubens dedit operam Maria Guerriera, corruit ea quidem, quia defuit renunciandi caussa, defuitque præmium et pretium renunciationis, quod eo magis justum sit oportet, quo magis compertum est rem esse de contractu cum muliere gesto, quod non sustinetur, nisi forma, et substantia Constitutionis Benedectinæ servatis.

Haud ambigendum, quin in renunciatione, de qua agitur, impleta fuerint extrinseca solemnia, quæ ipsa præscribit Constitutio, proximiorum scilicet interventus, et Prætoris auctoritas. At forma dumtaxat servata fuit; substantia autem penitus omissa, et neglecta. Nam Judex renunciationem probavit, non modo caussa non cognita, sed ea prorsus deficiente, quia nulla revera aderat caussa, cur juribus suis fæmina valediceret. Neque enim accepta dos caussam renunciandi præbere poterat, semel ac perspectum est obligationi suæ parentem satisfecisse, dum dotem filiæ constituit: onus quippe constituendarum dotium ad parentes primo pertinet *ex leg. fin. Cod. de jure dotium*. Præterea, dotem constituens, Clementis XIV. jussionibus parens obtemperavit, qui auctoritatem et imperium suum interposuit, ne nova nupta amplius dote sua fraudaretur. Quod si demum, nec in precibus Pontifici porrectis, nec in Pontificio Rescripto ulla excidit de renunciatione vocula, eo magis defuit caussa renunciandi, et renunciatio ipsa contra Rescripti legem exarata, vel a severitate parentis, vel a nimia loquacitate tabellionis, vel a quadam consuetudine repetenda est, quin vere adscribenda sit voluntati renunciantis. 8

Reque vera defensores ipsi fratrum de Paluncciis ideo mentionem de emittenda renunciatione in precibus expressam minime fuisse, quia agebatur de re prorsus *consuetudinaria*. At, si de consuetudine erat, ut juribus successionum a dotata muliere renunciaretur, eo minus dici potest mulierem ipsam determinato consilio renunciasse. Sed ex eo quoque labitur renunciatio, quia nihil fæmina recepit in pretium 9

renunciationis. Dos autem, quæ vires non excedit hereditarias, et congrua tantum est pretium non constituit renunciationis. Neque erat, cur sollicitos sese præberent Pauluccii probandi dotem fuisse congruam. Quæstio enim hodie non est, utrum congrua, necne, fuerit dos scutor. *septemillium* una cum mundo muliebri aliorum argenteorum *millium*. Quæstio in eo vertitur, ut inquiratur, an aliquid præter dotem fæmina a patrimonio paterno retulerit, quod damnum compensaret ex renunciatione obventum. Si vero constat nihil revera habuisse renunciantem in pretium renunciationis, planum est renunciationem ipsam corruere, quia, quemadmodum venditio sine pretio non sustinetur, ita nullius momenti est ea renunciatio, quæ renunciantem privat juribus suis absque ullo emolumento, veluti probat *prima mea Decisio* § 9. Nec extollendus dotis excessus exemplo Lucianæ, quæ amita fuit Mariæ Guerrieræ, quæque dotem obtinuit in longe minori summa scutor. *quatuormillium.*

10 Quo enim tempore Lucianæ dos constituta fuit, non adeo divitiæ excreverant patrimonii, quales postea superaccesserunt ex hæreditate Cardinalis Fabritii Paoluccii, et ex aliis acquisitionibus dein obventis. His missis, adeo constat imparem fuisse viribus hæreditariis dotem Lucianæ constitotam, ut actuarium scutorum *trium millium* in testamento suo ei persolvi jusserit Cosmus Pauluccius ejus pater, avusque Mariæ Guerrieræ. Inutilis autem est quælibet alia disquisitio de congruitate dotis, semelac Francisci parens in precibus suis, quas Clementi XIV porrexit, ut Cosmus adigeretur ad dotem constituendam, disertissime professus est dotes congruas Familiae Paulucciæ non alias, inspectis viribus haereditariis, esse, nisi illas, quae scuta *decem* aut *duodecim millia* conficerent. Ex hac ingenua confessione etiam patet, quam pessime Pauluccii peterent, ut vires haereditariae expenderentur. Petunt enim quod intus habent ex avi confessione. Quapropter nihil certe accepit Maria Guerriera in pretium renunciationis; quod tanto magis erat necessarium, quo certius est renunciata ejus jura ad maternam haereditatem, ut docuit eventus, vim attigisse scutorum 3333. Deest itaque aequi et justi fundamentum, quod invicem inesse debet renunciationi, ut sustineatur qua contractus ultro citroque obligatorius; Deest uno verbo *correspectivitas*, cujus defectus ita contractum vitiat, perinde ac si numquam extitisset.

Et ita, priori decisione in caeteris confirmata, jus dictum est, *viden.* 5 *et* 6, et utraque etc.

FOROLIVIEN CONSUCCESSIONIS

SUPER CONVENTIONE

Lunae 13. *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. Nefas est contra id quod olim placuit, insurgere. Et num. 2. -

Filii patris haeredes factum auctoris sui evertere non possunt - ibidem. -

Quando resjudicata juris et justitiae consona undique sit, firma quoque esse debet conventio quae rem judicatam ipsam exequutioni commisit - ibidem. -

3. Magna vis est et auctoritas transactionis, quae sine causa, sine ratione impune violari non potest.

DECISIO CCCXCIX.

Præter judicium consuccessionis, de quo agit mea contemporanea Decisio, ut facilius obtinerent confirmari Gallorum Rem Judicatam, quæ jus fecit Mariæ Guerrieræ Meridianæ consequendi quadrantem paternæ hæreditatis, placuit quoque Merliniis peculiarem instituere quæstionem de viribus conventionis anno 1814 initæ, ut ipsa Res Judicata exequutioni committeretur. Hac de re ob continentiam cum alia controversia super consuccessione ad Sa-

crum Auditorium jam delata, de conventione quoque quæsitum est tamquam in prima in Comitiis habitis ad diem 14. Maii superioris anni, in quibus proponenti mihi rogationem = *An et quo modo sit locus exequutioni conventionis in casu etc.* = Responsum datum est, = *Affirmative* in *omnibus* =, prout liquet ex Decisione a me tunc temporis edita. Hodie vero, renovato ex Novæ Audientiæ venia periculo, quemadmodum albus calculus adjectus est alteri Decisioni super *consuccessione*, ita quoquo confirmari promeruit Decisio altera super *Conventione*, reddito Responso = *In Decisis* =.

1 Nam revera judicium super conventione Anni 1814 ab judicio alio pendet super consuccessione, in quo, cum jus Mariæ Guerrieræ fectum fuerit assequendi quadrantem hæreditatis paternæ, necessario proinde sequitur conventionem probari oportere, quæ quadrantem hæreditatis ad liquidum perduxit, effecitque, ut bona quædam in solutum Mariæ Guerrieræ darentur, ut de ipso quadrante maternæ hæreditatis satisfieret. Non potest itaque judicium unum ab alio discrepare. Verum conventionis litera satis superque per se docet religiose servandum esse quidquid prudenti consilio conventum in ea fuit, cum stipolatio non simplicis tractatus, ut perperam Paulucci contendebant, speciem exhibeat, sed mutuam certamque præseferat obligationem peculiari conditione numquam in discrimen revocandum. Quot autem sunt verba stipulationis, tot monumenta sunt rei perfectæ, et numeris omnibus absolutæ, Agitur in ea siquidem de modo exequendi Rem Judicatam, quæ jus percipiendi ex hæreditate paterna quadrantem Mariæ Guerrieræ constituit. Conventum insuper, ut singula pacta forent irrevocabilia, obligatoria, firma, et numquam impugnanda, adjecta etiam renunciatione exceptioni cuilibet, quæ proponi adversus apocham potuisset.

2 Nefas est igitur contra id, quod olim placuit, tantaque animorum consensione constitutum fuit, insurgere. Longe enim abest idea quælibet simplicis tractatus, violentiæ, metus, quibus ex caussis initam insimulabant Paulucci conventionem Anni 1814. Nam criminationes istae refelluntur ipso facto, et confessione Francisci, actorum patris, qui observantiam et præsidium apochæ Anni 1824 mordicus inculcavit, eamque in judicio sustinuit adversus Sororem Mariam Guerrieram, quæ de nonnullis in ea conventis injuria forte querebatur. Si ergo non simplicem tractatum, neque contractum metu extortum imminentis pignoris, sed perfectam stipulationem omnino exequendam assuerit et professus est actorum parens Apocam anno 1814 celebratam, ipsi sane, qui filii sunt et hæredes eorum patris, id ipsum fateri necessario debent, cum actoris sui factum efiertere non possint. Nec audienda erat inanis exceptio de conventione per Rescriptum Signaturæ Justitiæ circumducta. Uti enim animadvertit ipsa hujus diei Decisio *super Consuccessionis* § 3. Patres Signaturæ suffragantes neque poterant restitutionem in integrum Paulucci concedere, neque revera concesserunt, sed solum hanc facultatem impertiti sunt Sacro Nostro Auditorio de viribus Rei Judicatæ inquirendi, quæ, cum juris, et Justitiæ consona undique sit, firma quoque esse debet conventio, quæ Rem judicatam ipsam exequutioni commisit, quæque veluti accessorium naturam sequitur controversiæ principis.

Quin imo eo magis plenissima exequutione donanda conventio est, qua, non solum exequutioni commisit Rem Judicatum, sed quia præterea de medio sustulit secundarias reliquas contentiones de viribus patrimonii, deque firmando statu hæreditario Fabritii Paulucci, ut exinde erueretur, ad quam summam perveniret quarta pars Mariæ Guerrieræ ex lege debita. Has omnes salebrosas, difficiles et sumptuosas quæstiones apocha prævertit anni 1814, quæ idcirco transactionem, et concordiam maxime præsefert nullo modo convellendam. Nemo siquidem ignorat, quanta vis sit et auctoritas transactio- 3

nis, quam sine caussa, sine ratione impune non violari rei publicæ interest. Idque firmius retinendum, quia nullum errorem ostendebant Pauluccii, in quem lapsi fuerint Procuratores hinc inde electi ad res componendas. Tanto magis itaque digna transactio erat, ut religiose servaretur, quemadmodum animadvertii præterita mea Decisio § 2, ad quam in cæteris habenda relatio est.

Et ita, cum suffragio *quinti*, et *sexti* decisum est. Utraque etc.

MACERATEN ASSIGNAMENTI

SUPER APERITIONE ORIS

Lunae 14. *Martii* 1831.

ARGUMENTUM

Qui falsum narrando veniam a Pontifice impetravit nihil agit et impetratis caret, praesertim in materia gratiosa, in qua vitium omne sive per incuriam sive data opera patratum sit, ipso jure actum vitiat efficitque, ut rescriptum redoleat rapinam, et non gratiam.

SUMMARIUM

1. *Obreptitium et Subreptitium Pontificis rescriptum renunciandum, quod falsis praecibus obtentum.*
2. *Rescriptum Pontificis vitiosum omni effectu caret* - 3. *ibidem.* -

DECISIO CCCC.

Alia inter bona, quæ in hæreditate claræ memor. Cardinalis Guillelmi Pallotta reperta fuerunt tres aderant census in capite scutorum in totum *septem millium quingentorum*, quorum debitores extiterant fratres germani, Desiderius, Perfectus, ac Venantius Pallotta, veluti narrat coeva mea *Decisio super Credito*. Ut primum administrationem hæreditatis defuncti Cardinalis suscepit Desiderius, nihil magis omisit quam a se debitos solvere fructus, et reliquos a fratribus exigere. Factum exinde est, ut fructuum horum nomen ad ingentem eveheretur quantitatem, quam cum rependere aut nollent, aut non possent ipsi fratres Pallotta, supplices fuere apud Sanctæ Memoriæ Pontificem Leonem XII, et ab ipso facile obtinuerunt per Rescriptum editum exeunte Majo anni 1826, ut debitum omnium fructuum, tam eorum scilicet, qui decursi, ac insoluti fuerunt, quam cæterorum, qui in posterum solvendi fuissent, eis omnino remitteretur. Hujusce Rescripti notitia a Cardinali Antonio Pallotta accepta, nil is potius habuit, quam ut venia condonationis, se inaudito, Desiderio, aliisque concessa, ad juris tramites revocaretur; idque ei præstitit Decreto suo Pontificius Auditor, qui controversiam super Aperitione Oris adversus prædictum Pontificium Rescriptum ex ratione continentiæ cum aliis quæstionibus, ad Sacrum Nostrum Ordinem remisit. De more hinc quæsitum hodie est = *An sit locus Aperitioni Oris in casu etc.* =, ac, dilationem frustra postulante Desiderio, responsum fuit = *Pro Informante* = nempe = *Affirmative* =.

Canon enim jurisprudentiæ est, quo 1
non vulgatior alter, ut obloquendi copia adversus Pontificium Rescriptum tribuenda sit, si illud falsis in prece suppositis innitatur, et Pontifici vera rei conditio fuit reticita, seu vitio obreptionis, subreptionisque laboret; ita etiam si jus alteri quæsitum læserit. Præsumendum quippe non est, quod Summus Ecclesiæ Antistes, justitiæ, et æquitatis cultor, et vindex, nocere cuiquam voluisset, si genuinam rerum veritatem non ignorasset. *Cop. super literis de Rescriptis*; *Leg.* 7 *Cod. de Precibus Jov. de Controct. minorum Gloss.* 16 § 7 *num.* 99; *Marchesan. de commiss. aperit. oris. part.* 2 § *unic. numer.* 2; *Rota Decis.* 578 *num.* 23 *coram Ansaldo*; *in Romana Aperitionis Oris* 2 *Decembris* 1776 § 3 *coram Origo, et in Romana Aperitionis Oris quoad Decretum* 30 *Maii* 1804 *diei* 21 *Aprilis* 1828 § 4 *coram Me*, et alibi passim. His omnibus vitiis inficitur Rescriptum, ex quo absoluti a solutione fructuum censuum fratres Pallotta fuerunt. Nam obreptio, seu suppositi fal-

sitas, ex eo primum depromitur, quod expositum in precibus fuerit eam fuisse Cardinalis Guillelmi voluntatem, ut post obitum eorum, qui pensionibus ad vitam fruebantur, reditus omnes hæreditarii in levamen consanguineorum erogarentur. Contra vero testator non alios de Familia prædilexit, nisi illos, qui Romae operam studio literarum, bonorumque artium darent, uti patet ex alia mea *Decisione super Credito* § 1. Cum igitur Comites Pallotta Maceratæ semper morati fuerint, nullo modo inter eos poterunt recenseri, erga quos voluit testator liberalitatem suam exercere.

2 Nec minus falsum est aliud, quod pariter in precibus suis exposuerunt Comites Pallotta, jamdiu nempe onus desiisse pensionum ad vitam, satisque redituum hæreditatis Cardinalis Guillelmi superesse ad cætera onera implenda, utcumque trium censuum fructus deficerent. Porro ex eadem redditione rationum, per Desiderium exhibita, constat pensiones ad vitam famulis fuisse solutas etiam post annum 1826. Tantum vero abest, omissis fructibus trium censuum, tot adhuc extare reditus, quot cæteris oneribus implendis sufficiant, ut Cardinalis Antonius per *viginti trium* annorum spatium ex ipsis debitis argenteis nummis annuis *septingentis*, vix consequi scuta circiter *biscenta* in singulos annos potuerit. Quicumque autem falsum in precibus narrando, veniam aliquam a Pontifice impetraverit nil agit, et impetratis caret, præsertim in materia gratiosa, in qua vitium omne obreptionis, et subreptionis, sive per incuriam, sive data opera patratum, ipso jure actum vitiat, efficitque ut Rescriptum redoleat rapinam, et non gratiam uti sunt verba Sacri Tribunalis *in Balneoregien. Reintegrationis super Aperitione Oris* 2 *Aprilis* 1824 § *ultimo coram nunc Emo Marco.*

3 At non falsum dumtaxat narrarunt, sed verum quoque, quod magis inficit gratiam, fratres Pallotta Pontifici reticuerunt. Enim vero nullam mentionem fecerunt, nisi de testamentaris schedula Cardinalis Guillelmi, nihilque dictum fuit de posteriori Pontificis Pii VI Chirographo, ac Rescripto, ex quo testatoris voluntas interpretata fuit, ejusque exequutio commissa: nihil de imminutione redituum hæreditatis, quam temporum vices secum tulerunt: nihil denique de litibus, et controversiis, quæ non solum coram Judice extra ordinem dato, nempe Præsule Tiberj, sed etiam coram Sacro Nostro Auditorio diu ferbuerunt. Quod si Leo XII recolendæ memoriæ Pontifex, novisset jus ex prædicto Chirographo, et Rescripto Pii VI quæsitum Cardinalis Antonio jus fuisse consequendi ex Pii Operis reditibus anniversaria scuta *septingenta*, quorum vix tenuem partem acceperat, indubium habendum esset, quod numquam voluisse precibus fratrum Pallotta annuere. Ex quo fit, ut venia ipsa Cardinali Antonio perniciem gravissimam attulerit. Demptis enim fructibus trium censuum, nihil fere superest, ex quo Vir Eminentissimus de annuis præstationibus valeat satisfieri. Atqui irritæ sunt gratiæ, quæ in alterius vergunt præjudicium, proot post *Cap. Postquam de Praebend. in* 6 statuit etiam notissima regula Cancellariæ, *de jure quaesito non tollendo.* Quocirca, cum jurent Pontifices omnes sese jura alicui quæsita servaturos fore, ideo paliter ferunt *si non fuerit factum quod prava eis fuerit insinuatione suggestum*, ut scriptum est in *Cap. Si quando* § *de Rescriptis.*

Et ita, videntibus *Quinto*, et *Sexto* definitum est, altera tantum etc.

MACERATEN ASSIGNAMENTI

SUPER APERITIONE ORIS

Veneris 3 *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCC. -

SUMMARIUM

1. *Obreptitium et subreptitium rescriptum dicitur, ubi falsitas in petitione enerrata fuit Principi.* = Et num. 2. =
3. *Quando injustitia rescripti aperte apparet, obreptitium ac subreptitium declarandum est ex juris praesumptione, quod princeps justitiae et aequitatis cultor si veritatem cognovisset illud non concessisset.*
4. *Revocanda sunt rescripta quae falsis precibus innituntur, et juribus alteri quaesitis officiant.*

DECISIO CCCCI.

Obreptionis, subreptionisque labe inquinatum esse Rescriptum Pontificium S. M. Leonis XII cujus ope Comes Desiderius, aliique Pallotta ab ingenti debito fructuum trium censuum, quibus erga hæreditatem Cardinalis Guillelmi Pallotta tenentur, liberationem obtinuerunt, statuit Sacrum Auditorium in Comitiis diei 14 Martii proxime elapsi, causam tantum contra nepotes orante Viro Eminentissimo Cardinali Antonio Pallotta. Ita patet ex Decisione a me prædicto tempore vulgata, quæ, cum prodiisset dum Picenum sub seditioso gravissimorum hominum imperio jacebat, absque novæ audientiæ venia novo nunc subest examini ex Edictali Lege, quam, oraculo Sacratissimi Principis accepto, publici juris fecit Cardinalis Amplissimus, qui ab ejus est intimo consilio. Sed, quamvis præsentiam sui fecerit Comes Desiderius Pii Operis Administrator, nil tamen boni attulit ad evincendam porrectarum precum veritatem, et vitium abstergendum obreptionis et subreptionis Rescripti, quod probe denuo noscens Sacer Ordo confirmationis robur adjecit editæ Decisioni ex Responso, quod assuetæ rogationi reddidit = *In Decisis* =

1 Non modo obreptionis ac subreptionis vitio infici Pontificium Rescriptum, sed illud obesse præterea juri alteri quæsito planissimum est. Nam obreptio, seu falsitas earum rerum, quæ in præcibus expositæ fuerunt, ex eo primum eruitur, quod authumaverit Comes Desiderius voluntatem testatoris in eo præcipue versari, ut post obitum eorum, qui pensionibus ad vitam fruebantur, omnes hæreditarii redditus in levamen consanguineorum converterentur. Sed non alios Cardinalis Guillelmus prædilexit, nisi illos de familia, qui Romam sese conferrent studiorum causa, ibique muneribus, et honoribus cumularentur. Hoc potissimum propositum testatoris fuit, ex quo ad Pium Opus instituendum facile sese induxit, quin ad pauperes respiceret, nisi postquam eorum exhibitioni, qui bonarum artium studio in Urbe vacassent, satis consultum fuisset. Si itaque Comes Desiderius, aliique Pallotta, præter unum spectatissimum Cardinalem Antonium, Maceratæ domicilium continuo retinuerunt nec unquam operam dederunt in Urbe Roma studio literarum, aut jurisprudentiæ, aut Sacræ Theologiæ, nec honoribus ibi cumulati fuere, in eorum certe numero non continentur, in quos sese liberalem ostendere voluit Pii Operis institutor.

Gravius etiam est obreptionis vitium 2
si consideretur temere in supplici libello asseruisses fratres Pallotta, quod desierat onus pensionum ad vitam erga famulos testatoris satisque insuper in hæreditate superarat ad cæterorum onerum implementum, quamvis fructus trium censuum deficeret. Ipsa siquidem redditio rationum in Comite Desiderio recens exposita palam facit, ad annum 1826 quo Pontificium prodiit Rescriptum, extare adhuc onus pensionum ad vitam. Adeo vero falsum est, deficientibus etiam fructibus censuum, tantum in hæreditate, superesse, quantum satis esset reliquis implendis oneribus, solvendæque Cardinali Antonio anniversariæ pensioni, ut hic imo per annos *viginti* nil aliud, aut ab hæreditate, aut ex officiis vacalibus sibi assignatis a Præsule Tiberio eruere potuerit, nisi annua scuta *biscentum*. Verum, præter obreptionem Pontifici propinatam, retinuerunt ei quoque verum libelli supplicis auctores. Nec vola enim, nec vestigium in

ea patet de Chirographo, et posteriori Pontificio Rescripto S. M. Pii VI., ex quo anniversaria pensio Cardinali Antonio, quousque foret in humanis, aucta fuit ad annuos nummos *septingentos*.

3 Unam testamentariam Schedulam Cardinalis Guillelmi, et reditus solum hæreditarios magnificare solliciti fratres Pallotta, nihil præterea dixerunt de prædictis Chirographo, atque Rescripto executioni commissis: nullam mentionem fecere de redituum decremento, quod publicarum rerum vicissitudines secumtulerant: prorsus denique præterierunt diuturnas lites, et controversias, quæ non solum coram laudato Præsule Tiberio, qua Judice extra ordinem a Pontifice delegato, verum etiam penes Sacrum Auditorium magnia animis actæ fuerunt, ut jura Cardinalis Antonii super hæreditate patrui vindicarentur. Quocirca si Leo XII., a quo Rescriptum liberationis Comes Desiderius extorsit, hæc omnia novisset, quæ injustitiam precum Rescriptiquo aperte demunstrant, firmiter tenendum est imploratam veniam Pontificem illum, æquitatis, et justitiæ cultorem et vindicem, nunquam esse concessurum. Multum quippe abest a religione, et justitia Pontificum, ut concessionibus suis aliorum juribus velint ipsi nocere. Atqui Leonis XII. Rescriptum maximam intulit perniciem Cardinali Antonio, qui nihil, aut certe parum, deductis censuum fructibus, habet, ex quo præcipere annuam præstationem scutorum septingentorum valeat.

4 Nedum igitur obreptionis, subreptionisque vitio inficitur, sed jus altori quæsitum, quod magis est intollerabile, sustulit Rescriptum, de quo quæritur, et contra quod obloquendi veniam Cardinali Antonio Sacer Ordo largitur. Nihil namque magis in jure notum est, quam quod revocanda sint, et irrita renuncianda Supremi Principis Rescripta, quæ falsis precibus innitantur, et juribus alteri quæsitis officiant, ut late probat Decisio, quæ confirmatur, §. 2. Quodcumque hinc vitium obreptionis, ac subreptionis, et labes quæcumque læsionis alienorum jurium ita Rescriptum vitiant, ut rapinam, et non gratiam præseferre videatur, veluti prosequitur prædicta *Decis.* §. 3. Si e contra sarta tecta manerent Rescripta ista, summa fieret injuria æquanimitati, et justitia Pontificum, qui, cum tam ex subditorum pravitate et malitia, quam ex negociorum, quibus implicantur, gravitate, et multitudine, sæpe sint alienis decipulis obnoxii, ita haud reputant læsam majestatem suam, si non fuerit factum, quod prava eis fuit insinuatione suggestum, quodque rectissimis eorum consiliis prorsus adversatur. Videtis Superiorem Decisionem §. *ult.*, ad quam sese in cæteris Domini retulerunt.

Et ita cum suffragio *quinti*, *et sexti* jus redditum est, utraque etc.

MACERATEN ASSIGNAMENTI

SUPER CREDITO

Lunae 14 *Martii* 1831.

ARGUMENTUM

Diminutio assignamenti cujuspiam rite peragenda est; ita ut omnes qui jure hæreditario pollent ad contributum vocentur. Nulla in calculo est habenda redditio rationum, quae necessariis documentis non fulcietur.

SUMMARIUM

1. *Semel ac conceditur alieni oris aperitio adversus Pontificium Rescriptum, ex quo quivis authumet sibi fructus quosdam remissos esse, hujus debito eorumdem fructuum nomen adscribendum.*
2. *Diminutio redituum ex re judicata; per contributum ab omnibus qui jus habeant ad hereditatem, facienda.*
3. *Antequam quidquam certi constituatur quoad fructus Officiorum vacabilium, videndum est quae sit eorum quantitas, quae sint assignamenta, quae administratori reservata.*
4. *Fidendum non est rationibus quae nullis innituntur documentis.*

DECISIO CCCCII.

Privilegiariis testamenti Schedulis, quibus, usque ad *sex*, obsignatis decessit anno 1796 claræ memoriæ Cardinalis Guillelmus a prænubili Gente Pallotta, plura disposuerat, favore præsertim Nepotis Comitis Antonii Pallotta, nunc præ meritis in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ amplissimum Cardinalium Cœtum jamdiu a San. Mem. Pontifice Pio VII adscripti, ac favore binorum adolescentium, e prælaudata Gente, qui studio bonarum artium Romæ operam darent; altera autem ex iis Schedulis, die 18 Maii anni 1789 scripta, de bonis suis ita legem dixerat, ut, firmis legatis jam relictis, ac relinquendis, heredem sibi fecerit Pium Opus instituendum, statim ac ex ejus hereditatis reditibus investiendis, ac cumulandis, caput conficeretur, quæ annua redderet scuta *millia*, eroganda in subsidium eorum præcipue Familiæ Pallotta, qui literarum studio in Urbe vacarent, ac Romanæ Curiæ ministerio addici optarent, tributa cumuli perficiendi, ac Pii Operis instituendi administratione filio primunato ipsius fratris Evangelistæ, et successoribus, æque primogenitis, cum menstruo compendio scutorum *sex*, ac onere exhibendi quotannis Archiepiscopi Camertino rationes gestæ administrationis. Iis vere omnibus inspectis Schedulis, Pontifex Pius Sextus San. Mem. defuncti voluntatem justis de causis, ac spectata præcipue ipsius erga benemeritum Nepotem Comitem Antonium quam maxima benevolentia, interpretatus est, atque constituit, et exequutioni mandari jussit Chirographo subscripto die *duodecima* Februarii ejusdem anni, declarato deinceps, ac confirmato ejusdem Pontificis Rescripto diei 24 Aprilis illius anni 1796, quibus inter cætera præscriptum fuit, ut prædicto Comiti Antonio, quem honoribus Romanæ Curiæ destinaverat, loco scutorum *centum*, quæ ei fuerant ad sexennium a patruo Cardinali legata, annua *septingenta* ex illius hereditate persolverentur, quousque in humanis versaretur, et quibuscumque bonis ditari posset; ac fuit jussum ut annua scuta *tercentum* e reditibus hereditariis sumerentur, ut bini adolescentes a Gente Pallotta ad literarias disciplinas instituerentur.

Cuncta juxta Pontificis jussum exequutioni commissa fuere. Verum, imminutis ob publicas calamitates hereditariis reditibus, plures, deinceps excitatæ fuerunt inter illius Gentis consanguineos controversiæ, quibus definiendis delegatus a Pontifice fuit Præsul Tiberi, dein S. N. Auditorio adscriptus, et nunc Athenarum Archiepiscopus, et Apostolicæ S. Sedis apud Hyspaniarum Regem Orator. Tria hic spectatissimus Judex protulit decreta, quorum altero, edito die 27 Augusti 1802, creditum Comitis Antonii Pallotta, tunc temporis jam Romanæ Curiæ Præsulis; pro annuis præstationibus insolutis, ac solvendis ad totum mensem Septembris illius anni, præfinivit in scutis 2203 97, alio vero sub eodem die lato tot reditus ab hereditate deduxit, eique assignavit, quot annuam summam scutorum *septingentorum* conficerent: tertio denique, quod protulit die 5 Aprilis 1805; integram præstationem ejus favore a Pontifice Pio VI præscriptam, haud obstante redituum decremento, eidem Præsuli pensitandam esse, eumque cæteris omnibus præferendum esse constituit. At S. N. Ordo, ad quem deducta rei cognitio fuit in gradu restitutionis in integrum, postremum hoc Decretum revocavit, et redituum imminutionem ab omnibus esse *per contributam* ferendam pluribus statuit Decisionibus, quas deinde excepit Rotalis Sententia, anno 1807 a bo. me. Tassoni subscripta, et postea etiam, rebus publicis subversis, a Gallorum Tribunali confirmata, ac in rem judicatam transacta. Dum hæc agebantur, licet pluries eoram Præsule Tiberi lacessitus, numquam tamen rationes reddidit Comes Desiderius, qui bona Pii Operis interim administraverat. Imo vero rejudicata fretus, quæ redituum decrementum, proportione servata, dividendum inter omnes legatarios fore sanciverat, judiciario ritu Præsuli Antonio

inhibuit, quominus bæreditarios exigeret fructus, ex altero a Decretis Præsulis Tiberi ei assignatos, ut de anniversaria præstatione scutorum *septingentum* satis fieret.

Ita sese res babuerunt usque ad annum superiorem 1830; quo ægra ferens, nunc Emus Cardinalis, Antonius sibi tenuem dumtaxat redditum quorumdam *Officiorum* vacabilium fuisse reservatum, et reliquos omnes redditus hereditarias a Comite Desiderio nepote impune contrectari, silentium tandem rupit, eumque traduxit ad S. Nostrum Ordinem, redditionem rationum, ac præstationum annuarum solutionem expostulans. Justitiam petitionis agnoscens, fasces facile submisit Comes Desiderius, seque promptum rationibus exhibendis professus fuit: quod tamen non præstitit, nisi post rescriptum S. Tribunalis diei 19 Aprilis superioris anni, quo bimestre tempus ad dati, acceptique tabulas exponendas præstitutum ei fuit. Cum autem probe noverit Cardinalis Antonius vitiis pluribus, et mandis infici rationes a nepote expositas, de credito præstationum sollicitum se præbuit, ideoque disceptari Dubii formulam curavit hisce verbis conceptam = *An, et pro qua summa in exequutionem diminutionis assignamenti constet de credito, ita ut sint relaxanda mandata in casu etc.* =, cui Patres Domini, dilationem perperam flagitante Comite Desiderio, bodie responderunt = *Affirmative, et constare de credito pro nunc in scutis* 3780, *et esse relaxandum mandatum contra bona fratrum Pallotta; in reliquis dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti ratiocinatoris; ad effectum examinandi redditionem rationum, et cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis* =.

1 Ne dum enim ex Pontificio Chirographo diei 12 Februarii anni 1796 et subsequenti Rescripto diei 24 Aprilis ejusdem anni a S. M. Pio VI. amissis, verum etiam ex ipsa S. Auditorii rejudicata eruitur creditum in genere Amplissimi Cardinalis Antonii Pallotta. Quandoquidem Pontificium Chirographum, ac subsequens Rescriptum, Cardinalis Guillalmi voluntate perspecta, anniversariam præstationem ejus Nepoti, nunc Emo Cardinali Antonio, constituit in scutis *septingentis*, eaque ipsi persolvi voluit quousque viveret, ac quibuscumque bonis ditari possat. Res autem judicata, quamvis decrementum redituum pro rata portione capitis, quo quisque e legatariis frui debuisset, ab unoquoque ferendum esse constituerit, nihil tamen de credito Actoris, ad tramites prædicti Chirographi, ac Rescripti Pontificii, detraxit. In specie vero, ad creditum ipsum præfiniendum in prædicta summa scutorum 3780 satis erat præ oculis habere redditionem rationum a Comite Desiderio exhibitam, eique adiicare certissimum nomen fructuum trium censuum, quorum erga hereditatem claræ Memoriæ Cardinalis Guillalmi debitores sunt Desiderius, Perfectus, et Venantius Pallatta, sive horum filii, et heredes. Semelac namque alia mea hujusce diei Decisione, ad quam relatio habenda est, concessa fuit Cardinali Antonio oris aperitio adversus Pontificium Rescriptum Sanctæ Memoriæ Leonis XII, ex quo autumabat Desiderius sibi, ac ipsius fratribus, sive harum heredibus, condonatos, et remissos fuisse fructus decursos, et non solutos, atque decurrendos, trium horum censuum, sponte sua sequitur eorumdem fructuum nomen debito Desiderii adscribendum esse, atque ita rem esse habendam, perinde ac si ipse Desiderius eorumdem fructuum debitorem in præfata rationum redditione sese renunciasset.

Jam vero extra controversiam est 2 debitum fructuum censuum, qui statis temporibus solvendi a debitoribus fuissent, summam attingere argentearum nummorum *quinque millium quatuorcentum.* Cum igitur ex rejudicata S. N. Auditorii præscriptum fuerit diminutionem redituum per contributum ab omnibus, qui jus habent ad Cardinalis Guillalmi hereditatem, esse ferendam, babita nimirum ratione, tam ad scuta *septingenta*, quæ debebantur quotannis Cardinali Antonio, quam etiam ad scuta annua *tercenta*, quæ pertinent ad fratres Pallotta, nemo proinde non intelli-

git reditus omnes, qui modo supersunt, satisfactis oneribus, in *decem* partes esse dividendos, ac *septem* ex iis Cardinali Antonio, reliquas vero *tres* fratribus Pallotta omninino esse tradendas. Atqui *septem* partes scutorum *quinque millium quatuorcentum* summam efficiunt argenteorum nummorum 3780 summa est pro nunc Cardinali Antonio solvenda. Neque erat cur comperendinari judicium deberet, ut interim cæteri omnes de illustri Familia Pallotta, quorum interest huic adesse judicio ad causam vocarentur. Utcumque enim id initio hujusce litis prætermissum fuisse probaretur, nihil tamen turbaret omissio, quia Desiderius tamquam Pii operis administrator, eos omnes repræsentat in Opere Pio contemplatos. Neque igitur de credito in specie, nimirum in summa pro nunc scutorum 3780 ulla moveri quæstio poterat.

3 Quousque autem Peritus ratiocinator relationem non ediderit suam de rationibus a Desiderio expositis, abstinendum Domini Mei censuerunt a judicio ferendo quoad duo alia credita a Cardinali Antonio pariter proposita; fructuum nempe *Officiorum* vacabilium, aliorumque fructuum census a defuncto Duce Torlonia debiti. Nam quoad fructus *Officiorum* vacabilium animadversum est Cardinalem Antonium præ religione sua fateri sese fructus bujusce generis usque ad scuta *biscenta* in annos singulos exegisse, in vim alterius e tribus superius relatis Decretis a Præsule Tiberio latis. Antequam itaque quidquam certi hac in re constitui valeat, videndum pernecesse est quæ fuerit *Officiorum* vacabilium qoantitas in hereditate Cardinalis Guilielmi reperta: quæ rursus ex iis fuerint Cardinali Antonio assignata; quæ demum Pii Operis administratori reservata: Hec omnia, quæ desiderari visa sunt in hodierno jurium experimento, quæque cognoscenda erant ad rectum proferendum judicium, omnino reposabant, ut supersedendum judicio ipsi interea foret. Nec secus dicendum de fructibus census, quos solvere tenebatur ejus debitor Dux Torlonius. Cum enim constet censum ipsum a debitore fuissse redemptum, inquirendum a rationario erit. quam in causam fuerit impensum pæcuniæ caput occasione retrovenditionis census acceptum.

Hæc igitur duo nomina, quæ Cardinalis in præsens sibi adscribit, cum minus probata sint, ad judicium redditionis rationum amandanda sunt. Fieri autem non poterat, quominus redditarum rationum examen perito ratiocinatori committeretur. Nedum namque utraque Pars id postulabat, sed necesse etiam omnino erat, ut prescriberetur, quia fidendum non est expositis a Desiderio rationibus, quæ nullis innituntur docmentis quæ etiam a logographo, extra judicii ritum quæsito, inventæ sunt multis erroribus, mendis, omissionibus, et adnotationibus indebitarum sumptuum inquinatæ. Quapropter, constituto interim Cardinalis Antonii credito in scutis 3780. in reliquis exquirenda est rationarii Sententia. Et, quamvis hujusce relationis expensæ a Comite Desiderio ferendæ videantur, quippe qui eisdem caussam dedit, ob socordiam, et negligentiam in computis quotannis ineundis, attamen nihil ea de re definiendum in præsens esse Patres censuere. 4

Et ita, dilatione Desiderio, litisque consortibus negata, decisum est, videntibus *Quinto, et Sexto.*

PERUSINA GRADUATIONIS

QUOAD

IMPUTATIONEM SUMMAE 2024. 67

Lunae 4. *Julii* 1831.

ARGUMENTUM

In graduationis judicio Creditores juxta temporis, et juris praerogativam dimittendi sunt: et si adsunt credita sortis, et fructuum, solutiones factae sine causa expressa, imputari debent prius in causam fructuum et deinceps in causam sortis.

SUMMARIUM

1. *Ubi adsunt duo credita alterum sortis, fructuum alterum, nec in causam expressam solutio facta fuerit., Solutae summae imputari debent prius in causam fructuum quae gravior est et deinceps in causam sortis* - Et num. 5. -
2. *Quando convocatus sit concursus creditorum non potest exerceri associationis judicium a Creditore census.*
3. *In judicio concursus ex venditione totius patrimonii, singuli creditores juxta temporis, et juris praerogativam dimittendi sunt.*
4. *Creditor census non tenetur sortem per partes et minutatim recipere.*
6. *Quando agitur de lucro captando aut damno evitando, huic potius, quam alteri succurrendum.*

DECISIO CCCCIII.

Non solum super bonis universis, quæ in Gallia Subalpina, Regnoque Pedemontano possidebat, verum etiam in subsidium super prædiis quibusdam in Agro Perusiæ jacentibus, censum argenteorum nummorum *septem millium* Hetruscæ monetæ cum anno fructu *scutorum tercentum octoginta quinque* ejusdem pecuniæ Marchio Jacobus-Philippus Piazza Perusinus imposuit ex publicis tabulis anno 1797, initis, et ab ejus fratribus deinde probatis. Hunc censum sibi, hæredibusque suis, comparavit Joannes Angelus De Magistris, natione Sardus, qui tunc temporis Aretii in Hetruria morabatur, ubi data fuit opera stipulationi contractus. Sed cum longam in solutione fructuum moram debitores fecissent, eorum hinc quantitas ad ingentem excrevit summam scutorum *quinquemillium centum sexaginta*, pro quibus, tum judiciale mandatum (ut Decisiones ostendunt a bo. me. Zinanni sub titulo: *Perusina Census*: anni 1817 1818 et 1819 editæ) a Sacro Ordine creditor obtinuit, tum hypothecariam inscriptionem una cum capite super ipsis prædiis censui subjectis suscepit. Interea foro bonisque cessit Jacobus Philippus, indictoque super ejus patrimonio protopraxiæ judicio, creditores in unum coacti deliberarunt, ut pars bonorum in Sardinia positorum distraherentur.

Ad emendum accessit Joannes-Antonius Cornelius, Sardus et ipse, qui procuratori hanc in rem a creditoribus constituto summam obtulit libellorum Mediolanensium *quindecim millium*, quæ scutis 2250. Romanæ monetæ respondent. Accepta a creditoribus oblatione, brevi stipulatio perficitur sub lege ab ipsis creditoribus dicta, ut pretium, intra annum ab emente solvendum, prioribus et potioribus traderetur creditoribus hypothecaria super iisdem fundis divenditis inscriptione pollentibus. Quoniam vero jure anterioris hypothecæ per inscriptionem rite servatæ potiebantur Anna Maria, et Maria Margarita sorores De Magistris, defuncti interim Jacobi Philippi filiæ, et hæredes, decisum hinc a creditoribus fuit, ut detracto quodam annuo Legato favore Municipii Vocogni in Regione Pedemontana, reliqua pretii summam scut. 2024 67 eis rependeretur in eam caussam imputanda, quam deinceps Judex creditorum coetui præpositus declarasset. Sed cum hic contra votum sororum De Magistris, quæ pecuniam receptam volebant in caussam fructuum imputaro, Sententia sua jusserit, ut creditores contendebant, in sortem census vertendam esse pecuniam ab illius Sententia statim victæ sorores provocarunt: reique cognitione ad Sacrum Ordinem deducta, quæsitum hodie est, rogatione constituta = *An, et in quam caussam sit locus imputationi in casu etc.*, cui responsum Domini Mei dederunt: *Pro informantibus*; nimirum *Affirmative in caussam Fructuum*:, rejecta creditorum petitione, qui de protelando *post aquas* judicio sese sollicitos unice in hoc jurium experimento præbuerunt.

1 Responsum a Sacro Auditorio redditum optime convenit in primis dispositioni juris, ex qua compertum est, quod ubi adsint duo credita, alterum sortis, fructuum alterum, nec in caussam expressam solutio facta fuerit, solutæ summæ imputari debeant prius

in caussam fructuum, quæ gravior est et deinceps in caussam sortis. *Leg. In potestate s. §. Si neuter Cod. de solut., et liberat.*, *Voet. in Pandect. lib.* 46 *tit.* 3 § 16., *Rot. cor. Celso Dec.* 95. *num.* 12., *cor. Olivatio Dec.* 263 *n.* 7 *et Dec.* 855 *num.* 2 *et seqq. cor. Molines.* Cum vero in subjecta specie non modo non declaraverint contrahentes in quam caussam vellent solutionem imputare, sed imo hanc ipsam quæstionem sub dispositione juris reservaverint, et a Judice definiendam esse constituerint, nihil magis manifestum esse potest, quam quod revera solutio a sororibus De Magistris recepta in caussam fructuum omnino sit imputanda. Tam claram juris dispositionem ne ipsi quidem creditores coram Perusiao Praetore denegabant, sed eam dicebant [locum sibi in hoc themate vindicare non posse, cum de censu agatur, cujus fructus ex redditibus censiti fundi percipiuntur, et ad quos assequendos, mora a debitore interposita, creditori praesto est remedium associationis.

2 Sed tunc propositum consisteret objectum, si fundus censitus in debitoris patrimonio adhuc reperietur cum tamen censitum praedium a creditoribus fuerit distractum, et certo sub pretio, ab omnibus vinculis et hypothecis exemptum, in tertium possessorem fuerit translatum; facto ipso, et culpa creditorum præpediuntur sorores De Magistris remedium associationis exercere, ut de fructibus insolutis satisfiant: Perempta autem ex inita venditione, fructuum perceptione nulla alio modo satisfactionem eorumdem fructuum insolutorum obtinere valent sorores De Magistris, quam super ipso pretio ab emente soluto. Ex quo redit iterum regula, ut solutio fructuum super pretio fundi recepta, nulla expressa causa, in quam foret imputanda, adscribi debet ad causam fructuum, qui et graviores sunt, et magis privilegiarii. Quod si etiam censitus fundus penes debitoris patrimonium in praesens extaret, adhuc tamen ab exercendo associationis judicium impune possent abstinere sorores De Magistris ex judicio concursus, quod convocatum fuit super bonis, et patrimonio debitoris.

Hac siquidem de caussa creditorum concursu indicitur, ut ope alienationis bonorum patrimonii aes alienum dimittatur. Scopo igitur ac indoli judicii concursus omnino repugnat, ut bona aliqua communis debitoris invendita maneant, usquedum ex eorum fructibus creditor censos, associationis ope, satisfactionem acceperit. Quoties hinc de bonis agatur, super quibus creditorum concursus fuerit indictus, recepti juris est, cessare remedium associationis, et ex venditione totius patrimonii singulos creditores juxta temporis et juris praerogativam admittendos esse *Salgad. Labyr. credit. p.* 1 *c.* 4 *num.* 20, *Rot. in Rec. dec.* 503 *num.* 1 *p.* 14, *dec.* 76 *num.* 1 *p.* 17 *et in Nuperim. t.* 5 *p.* 1 *dec.* 64, *num.* 1 *et seq.* Idque eo magis vires obtinet suas ex alia aeque comperlissima regula juris, ex qua nemo ignorat sortem census, ut ut natura sua a debitore non condicendam, repeti tamen posse una cum fructibus insolutis, ut primum super patrimonio communis debitoris universalis creditorum concursus fuerit convocatus. *Card. de Luc. de Censib. disc.* 21 *n.* 5., *Salgad. Labyr. credit. part.* 1 *c.* 19 *num.* 15., *Olea de Cess. jur. tit.* 4 *quaest.* 2 *num. ult.*, *Constantin. Vot. dec.* 77 *num.*10, *Rot. dec.* 1159 *num.* 9 *cor, Emerix jun.*, *dec.* 220 *num.* 2 *cor. Molines. Dec.* 142 *num.* 3 *cor. Lancetta*, *et in Firmana Censuum* 11 *Decembris* 1793 § 4 *cor. Priolo.* 3

Verum ex ea etiam ratione solutio a sororibus De Magistris recepta in caussam fructuum debet imputari, quia ea quidem longo est etiam infra dimidium capitis census, qui ad scutata *septem millia* Hetruscæ monetæ pertingit. At creditor census invitus haud cogitur ad retrovenditionem census, nisi uno eodemque actu, atque unica solutione de integro capite, fructibusque insolutis satisfiat. Neque id ratione caret. Cum enim in constituendo censu 4

emptor unico contextu pretium integrum solvat : cumque insuper extinctio census fieri debeat per actum retrosimilem , sponte sequitur pretium ipsum integrum, atque una vice esse reddendum , cum creditor sortem per partes, et minutatim recipere non teneatur. *Cenc. de Censib. qu.* 60 *num.* 27., *qu.* 72 *num.* 12., *et qu.* 88 *num.* 6., *Leonell. post eumdem Cenc. gloss.* 23 *sup. Bull. Pii V circ. med., Rot. post eumd. Cenc. dec.* 272 *num.* 1., *in Rec. dec.* 367 *num.* 2 *et* 3 *p.* 3., *dec.* 278 *numer.* 10 *p.* 5., *cor. Bichio Dec.* 333 *num.* 12, *cor. Crescen. dec.* 459 *numer.* 2 *cor. Molines dec.* 763 *num.* 12., *et in Fulginaten. Repetitionis census* 20 *Junii* 1804 § 4 *cor. Tassoni.* Censuram demum juris compertissimam pactum confirmat inter creditores conventum, ut pretium ab emptore solvendum traderetur = *ai primi creditori , quali si troveranno iscritti per somme , e crediti esigibili fino al giorno del contratto.*

5 Quo posito, firmissimum in creditores urgebat argumentum. Aut enim caput census repeti poterat : aut non. Si primum , multo magis ex bactenus deductis condicendi erant fructus insoluti : cumque de duobus creditis ageretur, de capite scilicet ac fructibus census, juris disciplina non patiebatur, ut solutio , nulla expressa caussa , in sortem potius , quam in fructus imputaretur. Si autem repeti caput non poterat, tunc multo magis , et imo necessario, fructibus adscribenda solutio erat , quia de unico res erat credito; quod æque fundis censitis inhærebat , et cæteris omnibus anterioritate temporis præferendum erat, Nec obstat, post acceptam a sororibus De Magistris pecuniam , haud amplius in earum esse potestate declarare , in quam caussam velint solutionem imputare in præjudicium creditorum. Receperunt enim pecuniam sub ea lege, ut a Judice fuisset declarandum in quam caussam solutio cedere deberet. Cum res igitur sub dispositione juris reservaretur recipiebant quidem pecuniam sorores De Magistris, sed æque sciebant jus suum esse salvum , et, salva justitia non aliter Judicem potuisse decernere imputationem solutionis , quam in caussam fructuum.

Demum æquitas ipsa suadebat , ut solutionis imputatio fieret in caussam fructuum. Nam non alio fine a creditoribus proponebatur cor. Perusiæ Prætore imputatio pecuniæ in caussam sortis, nisi ut hoc modo cætera prædia, tam in Sardinia , quam in Agro Perusiæ posita, et æque censui subjecta, ab onere census quoad saltem eam partem eximerentur , atque ita partem Fructuum impune perciperent cum jactura sororum De Magistris. Quare agunt illi quidem de lucro captando : hæ vero certant de damno vitando. Diversa porro est conditio ejus, qui agit de lucro captando , ab illius conditione , qui de damno vitando laborat : atque huic potius , quam alteri succurrendum esse tradunt. *Cost. de Jur. et fact. ignoran. Inspect.* 38 *num.* 6 , *Zanck. de Prælat. credit. exercit.* 2 § 1 *num.* 128 , *et Rot. dec.* 47 *num.* 24 *tit. de Fideicomm. cor. Falconerio.* Sive igitur jus , sive pactum, sive tandem spectes æquitatem , cuncta revincunt acceptam a sororibus De Magistris solutionem in caussam fructuum esse imputandam. 6

Et ita , creditoribus frustra dilationem postulantibus , jus dictum est.

ROMANA

NUNCIATIONIS NOVI OPERIS

Lunae 4 *Julii* 1831.

ARGUMENTUM

Non est locus nunciationi novi operis, quando ille qui aedificat jure suo utitur, et damnum intollerabile non inferat vicino. Vicinus autem et condominus possunt petere tantum ut de damno inferendo sibi caveantur.

SUMMARIUM

1. *Cuilibet privato, etiam sine Principis auctoritate in re propria licet opus facere novum,*

nisi vel aedificantis aemulatio intercedat, vel legittima servitus constituta sit, vel damnum denique intollerabile vicino afferatur L. Opus 1100: ff. 3. de Op: pub:

Aedes per Solaria divisae tot domus, et tot separata dominia reputantur, quot sunt partes divisae, adeout cujusque partis proprietarii, non quidem condomini, sed vicini potius sint existimandi - ibidem. -

2. *Dominus partis superioris domus, non potest impedire, quominus dominus inferior pariete propria utatur, solum reposcere potest, ut de damno infecto et inferendo sibi caveatur.* - Et num. 6. -

Quando pars inferior, et superior sit ejusdem domini cessat regula ex qua in re communi melior est conditio prohibentis ac nemini licet unus, et servitutem imponere altero inuito condomino. L. Sab: 8 ff; Commun: divid: - ibidem. -

3. *Pactum reparationes sumptibus communibus peragendi, liberum dominium portionis suae non immutat,*

Diversa est enim causa conservationis et reparationis, a causa communionis - ibid. -

4. *Non spiritu et libidine aemulationis neque malo in vicinum animo factum praesumitur. quod ex angustia loci, et necessitate impellente fit, ex qua omnis suspicio aemulationis removetur.*

Res sua nemini servit, neque servitus datur in re propria L. Si quis ff. com praed. - ibidem. -

5. *Judiciaria relatio praevalere debet cuilibet peritorum hominum opinioni extra judicii emissae.*

7. *Non est impediendum novum opus, quae aedificanti commoditatem parit, condomino autem aut nullum aut levem et tollerabile praejudicium affert.*

Qui utitur jure suo nemini injuriam facit - ibidem. -

DECISIO CCCCIV.

Aedes loco amplitudine, structura non ignobiles, et in frequentissima positas Urbis via, quæ a Templo Nomini Jesu dicato recta ducit ad Templum Sacrorum Stigmatum, pro indiviso possidebat Sorores Cuti cum avunculo suo Canonico Alexandro Vulpo, quum anno 1818 communionem dirimere, et divisionem inire per solaria placuit. Sortibus ductis, obtigit sororibus Cuti prima diæta una cum pullorum receptaculo, equili; et officina quadam, arabico num. 87 signata, cum superiore mansione. Vulpius autem diætam alteram cum lacunaribus, cubiculum quoddam in cavædio, officinam aliam, arabica nota 89 distinctam, cum infimis habitationibus adnexis accepit. Paullo post peractam divisionem sorores Cuti portionem ædium, quam sibi communis dividendi negocio adscriverant, in Raymundum Ciampium ex vendito translulerunt, qui rem sibi ex empto quæsitam deinceps Alexandro Palmiero distraxit. Locavit hic primo apothecam sub num. 87 sarcinatori cuidam: mox cum vidisset inutilem fori conductori diætulam apochæ superiorem ob angustiam cochleæ, per qnam dumtaxat ad diætulam ipsam aditus inquilino patebat, instigante forte condutore, novum commodioremque aditum construxit in parte postica cavædi, scalasque erexit in vacua mansione ad usum gallinarii.

At statim, ne quid innovaretur in præjudicium libertatis, et communionis cavædii, Præsbyter Vulpius interdictum nunciationis nuvi operis imploravit, atque omnia in pristinum restitui petiit coram Judice Innocentiano, qui ex interlocutorio Decreto peritum Architectum Aloysium Brandolinium misit in rem præsentem, ut in scriptis referret, jure ne, an injuria, Palmerius aperitioni januæ, et scalarum constructioni manus admovisset. Accessit ille in faciem loci una cum fabro murario, ædibusque perlustratis, tandem respondit novum opus rite legitimeque factum a Palmerio fuisse, quin, vel servitus inducta, vel damnum Vulpio illatum videretur. Attamen, ad majorem paranJam novæ ædificationis firmitatem, Palmerium censuit obligandum ad structoria quædam opera conficienda, quæ bic statim incepit, absolvitque A. C. Juridicus reductionem quidem in pristinum negavit; sed januam receptaculi gallinarum duabus seris et clavibus jussit custodiri, quarum altera a Palmerio, altera a Vulpio retineretur. Provocationem bac Sententia Palmerius interjecit, effecitque, ut controversia definienda conscenderet ad Sa-

crum Ordinem; quare quæsiti hodie Domini = *An sii locus repositioni in pristinum, seu potius, et quomoda sit locus prosequutioni novi operis in casu etc* = illico responderunt = *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam juxta modum in decisione exprimendum* = nempe ad tramites judiciariæ architecti Brandolinii relationis.

1 Principium est in jurisprudentia notissimum, cuilibet privato, etiam sine Principis auctoritate, in re propria licere opus facere novum, nisi vel ædificantis æmulatio intercedat, vel legitima servitus constituta sit, vel damnum denique intollerabile vicino afferatur. *Leg. Opus novum* 3 *ff de Op. publ. Caepoll. cap.* 62 *n.* 4 *Maschard. de Probat. cons.* 630 *n.* 13 *Rot. Decis.* 195 *n.* 2 *coram De Veris.* Cum igitur Palmerius sit dominus muri, quo diætula apothecæ superior cingitur, planum fit, eum potuisse impune ibi januam aperire, ut rem commodiorem curaret. Erant quidem ante divisionem tam ædes, quam singulæ ædium partes sororibus Cuti, et Vulpio communes; sed semel divisione, per publicas tabulas diei 15 Junii 1818 inita, quisque portionis suæ ita dominus evasit, ut libere possit in ea facere quidquid magis velit, cum unusquisque sit rei suae moderator, et arbiter. Aedibus siquidem per solaria divisis, tot domus, et tot separata reputantur dominia, quot sunt partes divisæ, adeout cujusque partis proprietarii, non quidem condomini, sed vicini potius sint existimandi. *Carpan. ad Stat. Mediolanen. tom.* 1 *cap.* 134 *n.* 32 *Card. de Luc. de Servit. disc.* 10 *n.* 3 *Rot. cor. Merlin. Decis.* 411 *n.* 1 *et* 5 *cor Eodem.*

2 Quod autem in pariete suo januam aperuit Palmerius testatur cognitor judiciarius, et res ipsa suadet. Neque enim ex eo, quod paries substinet etiam partem domus ad Vulpium pertinentis ideo recte ad condominium sustentatorii parietis infertur. Dominus quippe ædium superiorum nullum jus babet impediendi, quominus dominus ædium inferiorum utatur pariete ad sui libitum, sed unum tantum reposcere potest, ut de damno infecto, et inferendo sibi caveatur *Card. de Luc. loc. cit. dict. Disc.* 10 *n.* 6 *et* 8. Qua de re si paries, de quo agitur, quamvis ædes superiores complectitur, ad dominum ædium inferiorum, exulat in subjecta materia regula illa juris, ex qua in re communi melior est conditio prohibentis, ac nemini licet onus et servitutem imponere, altero invito condominio. *Leg. Sabinus* 28 *ff Commun. divid. Leg. Unus ex dominis* 2 *ff de Servit. et Leg. Unus ex sociis* 34 *ff de Servit. præd. rust.* Idque certius, quia ex mente ipsa dividentium condominium, et communio corruit. Quæ enim communia relinquere voluerunt apertis verbis contrahentes declararunt; puteum, nempe, scalas, cavædia atria fores. De aliis aedium membris nihil cautum fuit: cumque exclusio unius sit inclusio alterius, necessario sequitur nihil aliud inter condominos fuisse commune, præter puteum, scalas cavædia, atria, fores quoad caetera omnia plenum absolutumque dominium dividentibus fuisse quæsitum.

Nec obstat, pacto constitutum fuisse, ut sumptibus communibus occurreretur reparationibus tectorum, majorum parietum, putei, et aliorum id genus, quasi exinde sequatur haec omnia communia mansisse, etiam post initam divisionem. Est enim longe diversa conditio reparationis, et conservationis sumptibus communibus a conditione communionis. Non alia autem de causa cautum fuit, ut tecta, majores parietes, silices subjectæ viæ, fores ære communi reparentur, nisi quia omnium intererat eorum reparatio, ne ob vetustatem fatiscerent, atque ità majori damno dividentes in posterum afficerentur. Pactum tamen reparationis sumptibus communibus nequit liberum dominium immutare, semelac quisque ex dividentibus dominus portionis suæ post divisionem extitit: nec alter in alterum insorgere valet, ubi ad parandam commoditatem novum opus in re propria construatur, quemadmodum in re propria construxit Palmerius, ad quem ex judicio archi- 3

tecti ab Judice Innoccutiano electi pertinebat, tam paries, et gallinarium a pariete circumdatum, quam etiam area ubi extructa fuit janua = *In qual luogo il muro è di sua piena ed assoluta proprietà: L'ambiente è di assoluta proprietà del Signor Palmieri* = Corruit igitur exceptio condominii.

4 Sed corruit æque æmulationis, et servitutis objectum. Non enim spiritu et libidine æmulationis, neque malo in vicinum animo factum præsumitur, quod ex angustia loci, et necessitate impellente fit, et qua omnis suspicio æmulationis removeretur. *Rot. Dec.* 599 *n.* 22 *p.* 5 *et dec.* 31 n. 1 *et seq. p.* 17 *Rec.* De servitute autem inutile est disputare, semelac opus novum in pullulorum receptaculo continetur, idenque in eo tantum inducta servitus dici posset. Jam vero gallinarium pertinet ad Palmerium, ad eum scilicet, qui novum opus construxit. Non constat ergo de servitute, quia res sua, ut notissimum est, nemini servit, neque servitus datur in re propria. *Leg. Si quis odeo ff commun. praed. et leg. Uti frui ff usufr. pet.* Et injuria Vulpius conqueritur servitutem induci in cavædiis per januam nuper apertam. Proprietas enim utriusque cavædii pro indiviso spectat ad Vulpium aeque ac ad Palmerium = *Si dichiara* (ita divisionis tabulæ) *che restano in comune il portone, la scala, i due Cortili, ed il pozzo, de quali i condividenti dovranno godere reciprocamente l' uso, senza che uno possa impedirlo all'altro* = Non itaque Palmerius servitutem imponit in re aliena; sed de re communi utitur: quod sane condominus ei impedire minime potest.

5 Nulla tandem quæstio servitutis excitari valet, quia, ut animadvertit in relatione sua cognitor judiciarius = *non per dritto di servitù, ma per dritto di condominio il Palmieri usa e può usare del portone, cortile, e pozzo suddetti: e siccome l' uso di queste cose non si vede in alcun modo limitato nell' Istromento di divisione; così, quante volte il Sig. Palmieri continua a servirsi ed usare di queste cose comuni secondo la naturale loro destinazione, tale maggior uso non gli può essere ragionevolmente contrastato, non essendo certamente tale da impedirne, o restringerne l'uso del condomino.* Certum autem est, quod cuilibet alii peritorum hominum opinioni, extra judicii ritum et pro re nata in litis actu quæsitæ, prævalere debet judiciaria relatio. Accedit ipsum Vulpium in sua ædium parte similem januam habere, qua itur ad cavædium. Nec refert a longo tempore januam Vulpii omnibus patere, apertamque relinqui. Haud enim hæc animadversio proponebatur, ut jus Vulpii retinendi eam januam in dubium revocaretur: sed ut demonstretur Palmerium portam aperiendo nil aliud fecisse, quam conditionem suam æqualem reddere cum alterius condomini conditione.

Quibus animadversis, restat nunc de 6 damno quærere, si quod ex novo opere in Vulpium veniat: qua in re distinguendum est damnum, quod ex vitio constructionis, et foramine ipso sentire possit major paries ædes superiores et inferiores sustinens, a damno alio, quo pariter pati potest Vulpius ex aperitione januæ, quæ aditum præbet in cavædium, quod ideo pervium redditur cuique de populo. Utrumque damnum timebat, et causabatur Vulpius ad obtinendum, ut cuncta in pristinum restituerentur: sed perperam. Nam architectus ea de re rogatus respondit = *Il lavoro eseguito per l'apertura della porta è fatto a dovere: nel muro non si è rilevato segno di aver minimamente sofferto: e fatta riflesso, che la pressione del muro soprapposto alla porta si riparte nel rimanente muro, e che la porticella è piccola, ed il muro pieno, e quadruplo dell'apertura stessa, per cui l'aumento di pressione è assai tenue; così non credo esservi ragionevolmente da dubitare un danno.* = Utcumque res sit, nil aliud ex damni periculo jus quæritur Vulpio, quam ut sibi caveatur de damno infecto, et inferendo; cui sane cautioni quodammodo per æquipollens Sacer Ordo supplevit, dum novum opus probavit ad tramites judiciariae architecti Brandolinii relationis, qui ad omne fu-

turi damni periculum amovendum, indemnemque reddendam Vulpii conditionem; proposuit structuarium opus a Palmerio jam absolutum = *Tutto al più* (ita architectus in relatione sua) *si potrebbe obbligare il Palmieri a munire la porta di un' arco di tre teste a tutta grossezza del muro con spalletta proporzionata a sinistra sortendo dal mezzanino, ed a ridurre il muro nel gallinaro tutto della stessa grossezza, rimettendo le parti che vi sono mancanti.*

7 Quod si bis omnibus parandae securitatis ergo satisfecit Palmerius, nil est, quod metuendum sit Vulpio, ut ex novo opere debilitetur firmitas parietis majoris, aedes Palmerii, aeque ac suas, sustinentis. Neque pariter constat de damno alio ex aperitione portae, quae aditum in cavaedium praebet, quod pervium fit cuique de populo. In primis hoc damnum, ut novum opus impediat, oportet esse intollerabile: de minimo enim levique damno non curat Praetor. Quidquid vero damni futurum est, quod caeteroquin, aut nullum, aut levissimum sit, ex aedium conditione proficiscitur, eique subsunt aedes omnes et proprietarii, qui simili modo eas possident, et rem communem diviserunt. Neque novum est mutua incommoda teneri perferre pro rerum conditione vicinos, quin ideo jus oriatur impediendi factum illius, qui, dum utitur jure suo, nemini facit injuriam, etsi leve aliquod detrimentum alteri afferat. Quod si hi, quorum opera sarcinator in consuendis vestibus conduxit, et quibus pervium est cavaedium ex aperitione januae, molestos sese ludis, clamoribus, sordibus praebent inutilis, sat erit Praesidis Regionis auctoritatem implorare, ut in officio contineatur, et ab inquietandis vicinis, et inquilinis abstineant. Non ideo tamen impediendum est novum opus, quod aedificanti commoditatem parit; condomino autem aut nullum, aut levem, et tolerabile praejudicium affert.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA

REDDITIONIS RATIONUM ET QUIETANTIAE

Veneris 29. *Aprilis* 1831.

ARGUMENTUM

Administentar jaxta legem praescripta rationes reddere debet. Sibi autem, pro laboribus, expensis justum pretium adscribere potest.

SUMMARIUM

1. *Redditis ab administratore monumentis cunctis, librisque ad gestam spectantibus administrationem, legitima semper praesumenda est redditio rationum.*

   Nemo praesumitur jactare suum - ibidem. -
2. *Divexatio adversus probum hominem adhibita, suspicionem mali juris inducit.*
3. *Administratione suscepta, vitium codicis mercaturae tabernae, ex aliquibus debitorum nominibus dimissis, patet.*
4. *Damnum extraordinarium patrimonio illatum, administrator emendare debet.*
5. *Judicis est aestimare cujus generis quaestio sit, et num excusabilem caussam quis habuerit aleam judicii periclitandi.*
6. *Non de bono vel malo litis initio tenetur administrator, qui sumptus, quos projecit pro negocio ipso, quod non bene successit, merito repetit, deducitque ab administrato patrimonio, nisi negocia ab initio reprobandum demonstraretur, aut culpa administratoris intersa factum sit, ut male cesserit.* - Et num. 7. -
8. *Venditio rei alicujus haud vertenda administratoris vitio, si eam jubet consentiente curatore patrimonio praepositus.*
9. *Omnis labor praemium optat.*

DECISIO CCCCV.

Celebris in Urbe erat, multumquo decantata pannorum taberna prope Romanum Athenæum sub cognomento = *Negozio Tritonio* =. Post obitum Antoniæ Cerrutæ, quæ uxor fuerat prædefuncti Joannis-Caroli Tritonii, possideri quidem cæpit eadem taberna ab Josephio-Maria, Agatha, et Maria Maggi; illius attamen administrationem unus communi nomine retinuit Joannes-Maria, cum quo deinde plures ortæ

sunt controversiæ a parente Josepho-Maria, ejusque filiabus ad Sacrum Auditorium deductæ, ubi, nedum de successione ad hæreditatem Antoniæ Cerrutæ disputatum fuit, sed de redditione quoque rationum ab Joanne-Maria exhibenda gestæ administrationis. Interim vero, uti narrant Sacri Nostri Ordinis Decisiones, illæque præsertim, quæ de redditione rationum agunt, anno 1824 ad dies 20 Februarii, et 18 Junii a me editæ, idem Joannes-Maria, non bene cæteroquin de gestione sua meritus, potiusquam cautionem præstaret, et in administratione negociationis permaneret, veluti a Sacro Ordine ei præscriptum fuerat, expilata taberna, et mercium valore in scutis *quindecim millibus* abducto, ab Urbe improviso discessit. Qua de re, ne deterior fieret mercaturiæ tabernæ conditio, Sacri Ordinis jussu præpositus ei fuit administrator Petrus-Paulus Barghiglioni, telarum, pannorumque mercator optimi nominis, integræque fidei in quolibet negocio ab eo gesto, qui administrationem illam suscepit, eaque nonnullos per annos pergente, nomina debitorum exegit, æs alienum dimisit, lites sustinuit, tabernam denique mercatoriam, ita jubente Præsule Grimaldio, Judice patrimonii, distraxit.

Absoluta hoc modo administratione, rationes statim, opera adhibita peritissimi logographi, exhibuit administrator, et monumenta omnia, libros, codices, et Kalendaria, ex quibus redditarum rationum justitia cognosceretur, primum penes me, qua Causarum Ponente ex Sacri Nostri Ordinis rescripto, id Joanne-Maria petente, deposuit: atque hæc deinceps, ulla absque ejusdem Joannis-Mariæ impensa, diligentissime translata fuere apud Sacri Tribunalis Notarium Dominum Gadotti, eique tradita. Probarunt quidem redditionem rationum, tam Josephus-Maria, quam ejus filia (altera enim interim decesserat) Agatha; unus tamen semper renuit redditis rationibus assentiri Joannes-Maria. Sed postquam ei pluries copia facta fuit libros, et codices invisendi, ut vitia depreheuderet, quæ adversus redditionem rationum objiciebat, cum adhuc nihilominus negaret bene redditas rationes fuisse, dies ei dicta fuit coram me, ut intra certum tempus cogeretur acceptilationem erga administratorem exarare, redditasque rationes approbare. Rei cognitione, ut par erat, ad Sacrum Auditorium *per memoriale* delata, placuit Ei decernere, ut de redditione rationum, deque liberatione per administratorem petita, constituta rogatione, disputaretur. Hinc Dubii formulam in hæc verba conceptam = *An constet de legitimo redditione rationum, ita ut sit locus stipulationi instrumenti quietantiæ in casu etc.* = definiendam Aulæ Universæ hodie proposui, et responsum habuit = *affirmative in omnibus* =.

1 Postquam enim ab administratore redditu fuere monumenta cuncta, librique ad gestam spectantes administrationem, legitima semper præsumenda est redditio rationum, nisi vel inventario vitium, vel calculi errores inesse doceatur. *Cap.* 1 *de restit. in integr. et Leg. fin. Cod. si advers. temp. jud.* Augetur autem in præsens præsumptio rationum bene redditarum, quia Joseph-Maria, ejusque filia Agatha, quorum pariter intererat errores, et vitia rationum exhibitarum cognoscere, et palam facere, nihil adversus eas opposuerunt, seque solum sollicitos præbuerunt, ut scuta *centum* de administratoris honorario detraherentur, ac in ejusdem honorarii computum administrator ipse nomina quædam debitorum acciperet: quod sane Decreto meo facile obtinuerunt, quia ne idem quidem administrator hisce petitionibus refragabatur, res omnes de bono, et æquo cupiens conciliare. In reliquis vero omnibus redditionem rationum plenissime probarunt, amplamque, et disertam ei scripserunt liberationis apocham, cui numquam dedissent operam si erroneam, et vitiosam vidissent redditionem rationum: siquidem ex notissima regula, quæ eruitur ex textu in *Cap. Quia verisimile de præsumpt., et in Leg. Cum de indebito ff de probat.*, nemo præsumitur jactare suum, veluti

Joseph-Maria atque Agatha jactassent, si administratorem absolvissent, cum infidam redditionem rationum, seque posse credita in eum experiri, novissent.

2 Satis ex hoc ipso patet, quam suspiciosa sit, et ad æmulationem, et molestiam in probum hominem dumtaxat exercendam adhibita a Joanne-Maria contumacia in probandis rationibus ab administratore exhibitis, et liberatione exaranda. Eoque magis suspiciosa videtur illius contumacia, quod is redditis rationibus sese objiciat, qui existimationis suæ specimen nuo bonum præbuit, dum in præcedenti ejusdem tabernæ administratione ita male versatus est, ut ea mercibus expilata usque ad vim argenteorum nummorum *quindecim millium*, ab Urbe evaserit, ad effugiendas suorum molestias. Recolantur Decisiones a me vulgatæ *in Romana Successionis* 4 *Februarii* 1824, *et in Romana Redditionis rationum dierum* 20 *Februarii*, *et* 18 *Junii ejusdem anni*. Verum, re intrinsecus expensa, incivile, calumniæque proximum visum est quidquid Joannes-Maria adversus redditas rationes objiciebat. Nam primo animadverti debet, quo tempore Petrus-Paulus Barghiglioni administrationis provinciam aggressus est, non aliud caput fuisse mercatoriæ tabernæ, nisi scutorum 16587 46, veluti constat ex mercium inventario, quod tunc temporis confectum fuit. Sed ab hac æstimatione detrahendum est æs alienum, quod ipsam mercatoriam tabernam premebat, ac in eodem inventario descriptum extat in scutis 7862 79; quæ a capite deducta valorem mercatoriæ tabernæ imminuunt, ut calculanti patet, ad scuta 8724 67.

3 Hic erat tabernæ mercatoriæ status, quo tempore illius administrationem suscepit Petrus-Paulus. Administratione vero suscepta, statim patuit vitiosos esse codices mercatoriæ tabernæ, ac nonnulla proinde debitorum nomina, quæ Joannes-Maria ab Urbe profugus inscripta reliquerat, aut dimissa penitus fuisse, aut in minori summa consistere. Vim scutorum 944 68 nomina ista conficiebant, quæ ideo subducta ab æstimatione mercium caput mercatoriæ tabernæ imminuebant usque ad scuta 7779 99. Inconsulta tamen administratio ab Joanne-Maria antea gesta effecerat, ut quemadmodum tabernæ libri peccabant quoad nomina debitorum, quæ, aut jam fuerant satisfacta, aut ad minorem evehebantur quantitatem, ita quoque redarguendi erant quoad æs alienum, quod in minori summa repertum fuit. Sic honestate, et cura administratoris factum est, ut mercatoriæ tabernæ caput, quod ex ære alieno ad scuta usque 7779 99 decrementum pertulit, tum ex minoris detecta æris alieni summa, tum ex novis accessionibus postea supervenlis, et ab administratore recuperatis, pervenerit ad scuta 8515 76. Huic augmento addenda sunt lucra, quæ ex dimissis præsenti pecunia creditoribus, ac ex venditione mercium obvenerunt in scutis 2009 83, quæque caput ipsum augent ad sc. 10525 59.

Quemadmodum vero habita ratio est de lucris, cura, consilioque administratoris, obventis; ita pariter omitti non debent sumptus ab eo facti administrationis caussa in scutis 1210 71 $\frac{1}{2}$, eique debitum pro trieonali gestione salarium, quod Decreto meo probatum, præfinitumque fuit in scutis 650. Quocirco, nominibus hisce deductis, reliquum superfuit mercatoriæ tabernæ caput in scutis 8664 87 $\frac{1}{2}$. Ductis tali pacto rationibus pro eo tempore, quod acceptum, et impensum administrationis respicit, æquum etiam erat, ut in calculo poneretur damnum extraordinarium patrimonio illatum tam occasione litis cum nummulario Sculthojo actæ, quam ob passam in venditione tabernæ jacturam. Unum, alterumque nomen conficit summam scutorum 3468 19, quæ a supradicto capite dispuncta scutorum 8664 87 $\frac{1}{2}$ reliquum illud faciunt in scutis 5196 68 $\frac{1}{2}$. Addita vero huic quantitati summa scutorum 83 01 ob debita patrimonii nullo modo dimittenda, permanet caput ipsum in scutis 5276 69 $\frac{1}{2}$, quæ administrator, non eum ex meis, sed ex Pontificii quoque Auditoris Decretis, partim tra- 4

ditione nominum debitorum, partim numerata pecunia Josepho-Mariæ, atque Agathæ ejus filiæ persolvit, adeo ut nil aliud supersit, quod administrationis nomine ab eo rependendum sit.

5 Hæc summa rationum est, quas administrator exhibuit, et quas convellere Joannes-Maria nitebatur, esquisito extra judicii ritum perito ratiocinatore qui primo loco administratori succensebat, quod improvidam, injustamque litem contra nummularium Scultbejum egerit ad vitandam solutionem collybisticarum litterarum, quibus ad vim usque scutorum 3500 Joannes Maria subscripsit. Hinc totum damnum, quod tam ex fructibus, pergente judicio, solutis, quam ab ipsius judicii sumptibus, patrimonio obvenit, ab uno administratore ferendum esse contendebat. Sed non omnis lis, nec omne jurium experimentum, quod male censerit, imputandum est illius auctori. Cum enim multa sint adeo dubia, et ambigua, ut judicis officium reposcant, cumque nemo prohiberi alioquin debeat, quin jura sua utut dubia, et ambigua, procul a proterviæ nota apud judices experiatur; probari idcirco generalis ea regola non potest, quod is, qui lite cecidit, veluti culposus, ac temerarius existimandus sit litigator, qui ad damna reficienda teneatur. Judicis imo est æstimare, et decernere, cujus generis quæstio fuerit, et num excusabilem, probabilemque caussam quis habuerit aleam judicii periclitandi. *Rota in Romana fructuum* 12 *Martii* 1823 § 9 *et* 10 *cor. me.* Atqui hujusmodi lis ita fuit ab administratore acta, ut nullo modo illius damno vertendum sit, quod contra patrimonium a Sacro Nostro Ordine fuerit judicata.

6 Nam primo instructum judicium fuit de jurisconsultorum consilio, qui de sententia sua ab administratore rogati impugnari solutionem literarum collybisticarum oportere responderunt. Jurisperitorum vero consilio sententia accessit ab abrogatis A. C. Triumviris in figura Commercii lata, quæ argentario solutionem denegavit. Hanc utique Sententiam Sacrum Auditorium postea revocavit; sed id accidit tamen, postquam anceps hæserat Patrum judicium, qui deputandum ratiocinatorem censuerunt, ut referret, libris inspectis, an in utilitatem mercatoriæ tabernæ cessisset, nec ne, pecunia ab argentario Joanni-Mariæ tradita. Quod si, licet ratiocinator ab Ordine Nostro delectus pecuniam in utilitatem tabernæ minime cessisse retulerit, demandata nihilominus collybisticarum literarum solutio fuit, quia favor, et privilegia commercii ita suadebant; non ideo cessat rem dubiam ab initio fuisse, et probabilem administratorem habuisse caussam judicii aleam tentandi, ut arguit *cit. Decis. dict.* § 10. Quapropter litis infortunium, et ejus exitus votis inimicus administratoria, ejus culpæ verti non debet. Non enim de bono, vel malo illius initio tenetur administrator, qui sumptos, quos projecit pro negocio ipso, quod non bene successit, merito repetit, deducitque ab administrato patrimonio, nisi negocium ab initio reprobandum demonstretur, aut culpa administratoris interea factum sit, ut male cesserit. *Leg. etiamsi* 4 *Cod. mandati, Leg.* 1 § *Si pupillus vers. item sumptus ff de tut., et ration. distrahen. Leg. Quid ergo* 3 § *contrarium vers. sufficit ff de contr., et util. action. tutel., Escobar. de ratiocin. cap.* 25 *num.* 52, *et cap.* 26 *num.* 8, *Garzias de expensis cap.* 20 *num.* 17, *Rota Dec.* 608 *n.* 17, *et* 18 *cor. Molines.*

Cæterum bono animo ferri non poterat, ut damnum ex lite cum Scultbejo acta administratori objurgaretur 7 ab eo, qui institorio nomine, dum literis collybi subscripsit, abusus fuit, pessimaque fide in administratione tabernæ versatus est, ut animadvertit Decisio de ea ipsa lite edita *in Romana Litterarum Cambialium in Re Commerc.* 3 *Decembris* 1824 § 8 *cor. Revmo P. D. Meo Decano.* Administratorem pariter criminabatur Joannes-Maria, quod se debitorem in redditione rationum non fecerit scutorum 664 36 quot Cardinalis Odescalchius debebat pro tot mercibus a se coemptis. Sed ideo se debitorem illius summæ sese non constituit administrator, quia exigere no-

men illud nequiverat ob seqoestrationem, mandanto judico, debitori factam, nu alii solveret, nisi Marchioni Del Gallo, cui nomen ipsum a Juanne-Maria cessum fuerat, antequam ab Urbe discederet. Jure igitur ab accepto deduxit administrator ea scuta 664 36 Verum inter impensum merito quoque recensuit scuta *tercentum* Josepho-Mariæ, atque Agathæ ejus filiæ soluta, Suspiciosa hac etiam de caussa Joanni Mariæ, ejusque ratiocinatori videbatur rationum redditio. At inepta est, et prope calumniosa suspiciu, postquam patet scuta illa *tercentum* ideo soluta ab administratore fuisse, quia ita Decreto meo constat fuisse præscriptum, ut fieri debuit ex Sacri Ordinis jussionibus, qui occassione judiciorum, quæ patrem inter, ac filium agebantur, scuta *tercentum* ab Joanne-Maria ei subministrari in caussam declarandam demandaverat. Latitante hinc Joanne-Maria, nihilmagis æquitati congruebat, ut interim administrator petitæ subministrationi satisfaceret.

8 Nec item vitio administratoris vertenda est venditio tabernæ. Non enim marte proprio ad venditionem istam processit administrator, sed eam jussit, ipso consentiente Joanne-Maria, Præsul Grimaldius, curator nempe, ac judex a Sacratisssimo Principe patrimonio præpositus, qui hac de re duos elegit pannorum mercatores Jacobum Pagani, et Cæsarem Ciampi. Hi revera consultores a Præsule delegati erga alium mercatorem Franciscum Prosperi venditionem curarunt, pretium juxta æstimationem jam initam, deducto ipsius æstimationis *triente*, præfinierunt; rem denique omnem absolverunt, ipso propemodum inconsulto administratore, qui unam recepit pecuniam ab emptore repræsentatam, eamque retinuit ad nutum Præsuli Grimaldi, qui postea de eadem pecunia disposuit. Nihil ergo est, quod ullius culpæ administrator insimuletur ob tabernæ venditionem. Vix antem responsionis bonorem cætera merebantur, quæ adversus redditas rationes Joaannes-Maria proponebat. Si namque, administratione pergente, exteris mercibus officinam mercatoriam non adauxit administrator, factum id est, quia hujusmodi exterarum mercium augmentum nec patrimonii vires, nec temporum circumstantiæ, nec vicissitudines commercii ferebant. Si librum, quem vocant = *Conto di cassa* =, administrator non confecit, ut acceptum, et impensum exercitæ negociationis erueretur, non ideo culpandus videtur, semelac ex aliis monumentis impensum, et acceptum ostendit, tum scilicet pecunias ex mercibus collectas, tum alias, quas impendere debuit.

Nullo antem fulcro nituntur objectæ criminationes aliæ de inventario non rite confecto susceptæ administrationis initio, de expilatione bibliothecæ ad Joannem-Mariam pertinentis, deque aliis id genus, quæ præ injuria manifesta ligua erant, ut impune contemnerentur. Nec refert demum plures chartas rite a Notario descriptas in inventario fuisse, deindeque obsignatas; alias vero in unum fullem, et involucrum conjectas penes administratorem mansisse. Nam id accidit sinentibus non modo Josepho Maria, ejusque filiabus, sed ipso quoque procuratore Joannis Mariæ qui omnes eidem adfuerunt inventario. Quod si, dum resignatæ chartæ fuerunt, non idem adhibitus fuit tabellio, qui inventario præfuerat, hujusce differentiæ ratio repetenda est ex eo, quod in Conclavi agebatur de eligendo Pontifice, dum inventario opera dabatur, ideoque, jurisdictione Sacri Ordinis tunc temporis silente, necessario adhibendus erat tabellio Conclavis; dum e contra resignatæ chartæ fuerant, jam electo Pontifice, rediviva facta fuerat jurisdictio Sacri Auditorii, cujus propterea tabellio chartarum interfuit aperitioni. Nulla itaque in re redarguendus administrator, qui præterea, si mercedem scutorum *sexcentum quinquaginta* pro triennali gestione sibi adscripsit, nil egit quod præmio non responderet laborum suorum, quodque dignum haud videretur, ut ab Ordine Nostro hodie probaretur, veluti jam antea ex meo Decreto probatum fuit, quia omnis labor optat premium. *Cap. Abundanti* 7 *quæst.*

1 *Cap· charitatem* 2 *quæst.* 2 *gloss. in Cap. fin.* 8 *quæst.* 1.

Et ita, collectis Dominorum omninm suffragiis, jus redditum est, Utraque ec,

---

ROMANA SEU FLORENTINA

CONSIGNATIONIS

Lunae 20. *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Actiones non sunt confundendae inter se, et ideo actio expedita et exequutiva retardari non potest ab actione multis difficultatibus obnoxia.

SUMMARIUM

1. *Publicae tabulae manifestam faciunt omnibus probationem, et celerem habent exequutionem.*

   Cessio emptioni venditioni aequiparatur, et ideo uti semel perfecta nullum juris super re vendita venditori superest, sed jus omne omnisque actio in emptorem transfertur; ita et in cessione – ibidem. –

   Quaestio nullitatis actus non potest cum controversia traditionis pecuniae commisceri – ibidem. –

2. *Non licet de eo amplius disputare, quod Signatura reprobavit.*

   Quaestiones non sunt unae cum aliis confundendae – ibidem. –

3. *Exceptio nullitatis turbida, difficilis, et multam requirens indaginem, non potest retardare actionem exequutivam et expeditam quae ex publicis tabulis oritur.*

4. *Juris praesumptio stat pro validitate instrumenti, ita ut qui nullum instrumentum dicere velit luculentissimis monumentis probare debet.*

   Incredibile est judices et affines conspirare quasi voluisse in praejudicium minoris vel mulieris inconsulto contrahentis – ibidem. –

5. *Non potest dici judicem contractum mulieris sine causa approbasse, si hypothecae vinculo ejus indemnitati consuluisset.*

6. *Non adeo porrigendus est rigor Benedectinae Constitutionis, ut ii quoque expetendi sint proximiores, qui extra locum contractus, et apud exteras gentes morantur.*

DECISIO CCCCVI.

Carolinæ Bicchierai Florentinæ, quæ propediem erat nuptura Romano musivi operis artifici Aloysio Puglieschio, conspicuam dotem argenteorum nummorum *quatuor millium biscentum.* Hetruscæ monetæ anno 1821. Carolus Bicchierai pater constituit, quorum partem inter stipulandum numeravit; partem vero aliam intra annum sese soluturum promisit, adjecta conventione, ut integram dotis quantitatem sponsus fœnori collocare teneretur. Advento hinc reliquæ solutionis tempore super scutis *millenis octingentum*, quæ Carolus rite deposuerat, Aloysius vir collybisticum nomen ad sexennium contraxit cum Petro Paulo Oliverio, fructibus ad rationem scutorum *sex cum dimidio* in singula centena quolibet anno conventis. Adhuc a debitore Oliviero restituendum erat collybisticum pecuniæ caput, quum Philippo Puglieschio Aloysii patri, ad ampliandam musivorum operum officinam, eorumque negotiationem, necessitas subest emendi contiguam domum, cujus utile dominium ad Josephum Collium, directum autem ad Græcum Urbis Collegium pertinebat. Brevi stipulatio conficitur, præfinito ædium pretio in nummis argenteis *mille quingentis.* Quoniam vero minima fere hujus pretii pars ab emptore soluta fuit, ad reliquam idcirco repræsentandam, datamqne fidem implendam, quæsivit ille pecuniam a Præsbytero Petro Arancio, qui tamen suppeditare scutata *millia* non aliter voluit, quam facta sibi cessione totidem nummorum collybistici nominis una cum ejus interusuriis.

Facile huic petitioni, quam Arancius, ut indemnitati suæ consuleret, omnino proposuit, annuit Puglieschius. Cum tamen nomen Collybisticum Carolinæ dotem constitueret, consensum tum ipsius Carolinæ, tum ejus viri primum exquisivit Puglieschius: mox rem totam Judici exposuit, qui nihil hæsit quin, causa cognita, ad formam Benedectinæ Constitutionis, contractum auctoritate sua probaret, injecto tamen ad dotis securitatem super aedibus emphiteuticis hypothecae vinculo pro dicta summa scutorum *millium.* Ita videre est ex publicis tabulis, quae anno 1827

die *sexta* Julii initæ fuerunt: ex quo factum est, ut post celebratam cessionem fructus per triennium Arancius exegerit pro ea rata portione scutorum *millium*, cujus cessionem obtinuerat. Accidit deinde, ut collybisticum caput, defuncto interim Oliviero, hæredes ejus restituere sese promptos exbibuerint: cumque Judex Innocentianus scuta *millia octingenta* in Æde Sacra jusserit deponi, institit illico Arancius, petiitque, ut scuta *millia* sibi traderentur, votisque suis consonam Sententiam retulit.

At interim, subortis simultatibus Socerum inter, et nurum, cum Carolina, viri domo relicta, ad patrios lares remeasset, icto foedere cum patre suo Carolo, nullitatis insimulavit cessionem ratæ portionis collybistici nominis erga Arancium absolutam; deque ea re peculiare judicium instruxit, ex quo remorari cupiens pecuniæ traditionem, primo postulavit a Signatura Justitiæ, ut Sententia super ipsa traditione edita circumduceretur, sed vix obtinere potuit, ut rei cognitio Sacro Nostro Ordini committeretur *cum facultate circumscribendi:* postea vero judicium de nullitate cessionis ad Sacrum Nostrum Auditorium, ratione continentiæ cum alia traditionis controversia, deferri rogavit. Attamen petitione rejecta, cum de una traditione quærendum esset cor. Sacro Ordine, quæstionem quoque de nullitate cessionis intermiscere Carolinæ defensores in dubii formula studebant, quam cæteroquin in hæc verba = *An, et cujus, favore sit locus consignationi in casu etc.* = idem Sacer Ordo, partibus dissidentibus constituit. Hæc vero rogatio cum in disquisitionem hodie venerit, responsum ert incunctanter = *Affirmative favore Sacerdotis Petri.*

1 Publicas tabulas manifestam facere probationem, celerique exequutione donandas esse periti æque sciunt ac imperiti. Cum itaque actionem suam ad pecuniæ traditionem assequendam Presbyter Arancius ex publicis tabulis deducat, nulla ratio subest, cur ei sit deneganda traditio. Reque vera scutata *millia* sibi tradi postulat Arancius ex pecunia deposita, quia revera tantumdem summæ, quæ partem collybistici nominis efficiebat, sibi comparavit ex empto. Atqui, emptione, venditione, cui cessio æquiparatur, semel perfecta, nullum juris super re vendita venditori superest, sed jus omne, omnisque actio in emptorem transfertur. Nihil ergo erat, cur traditioni scutorum *millium* Carolina refragaretur. Et perperam Carolina, ejusque parens Carolus traditionem oppugnabaut ea ducti ratione, quod irritæ, et inanes ob prætermissa solemnia renunciandæ sint cessionis tabulæ, quia forte ipse parens, qni ad tempus initæ stipulationis Florentiæ morabatur, accitus non fuerit et vocatus ad sui præsentiam in stipulatione faciendum: nec bene præterea Judex indemnitati foeminæ, portionem ratam collybi cedentis, prospexerit. Verum non hodie de validitate cessionis quæritur: sed una, atque unica disputatio ad traditionem coercetur. Nam planum est intelligere, tum ex facto, tum ex jure, in hac judicii sede nefas esse traditionis controversiam cum quæstione nullitatis commiscere, et inepte confundere.

In facto quidem dubitari nequit, 2
quin tam Signatura Justitiæ, quam Sacer potissimum Ordo præscripserint, ut de objecta nullitate in separato judicio, quod cum præsenti commiscendum non est, omnino quæratur. Cum enim contenderet Carolina coram Signatura Justitiæ judicium super nullitate cessionis Sacro Auditorio deferendum esse una cum altero super traditione, Supremus ille tamen Ordo, plane cognoscens quæstionem unam cum alia non esse confundendam, petitam rejecit *unionem causarum.* Rescripta autem Signaturæ Justitiæ summo semper in honore habuit Sacrum Nostrum Tribunal, neque licere de eo amplius disputare, quod eadem Signatura reprobavit, sæpe definitum est, ac præsertim in *Ariminen. Dotium super liberatione a molestiis* 16 *Januarii* 1758 § 5 *coram Herreros*, in *Ravennaten. Reintegrotionis* 17 *Junii* 1822 § 3 *corom Reverendissimo P. D. Pianetti*, *et in*

Romana Pecuniaria 25 *Junii* 1827 § 3 *coram Reverendissimo P. D. Meo Spada Decano*. Cæterum quod Signatura jussit, idipsum quoque demandare visus est Sacer Noster Ordo, dum restitit petitioni Carolinæ defensorum, qui in Dubii formulam intrudere separatam disputationem de nullitate cessionis conabantur: proptereaque rogationem coercuit ad unam traditionem.

3 Demum adeo certum in facto est ipsam Carolinam, ejusque parentem novisse discrimen unam inter alteramque quæstionem, ut de nullitate cessionis separatum judicium primo instituerint: ad Signaturam deinde confugerint pro obtinenda causarum unione merito aliunde denegata. Probatum itaque est tam ex judiciariis rescriptis, quam ex ipsa, quod magis est, confessione partium, arduam implexamque provinciam de nullitate instrumenti cessionis haud posse, nisi in congruo judicio tractari, neque in hac actione de traditione pecuniæ licere diversam aggredi disputationem, et ad nullitatem ipsam cessionis excurrere. His tamen omnibus adstipulatur dispositio juris. Nam exceptio nullitatis turbida, difficilis, et multam requirens indaginem intercidere nequit actionem claram, exequutivam, expeditam, quæ oritur ex publicis tabulis, veluti statuit Sacer Ordo *in Sutrina Pecuniaria* 25 *Junii* 1807 § 2 *coram Bardaxi*, *in Romana seu Veliterna Reintegrationis* 3 *Martii* 1823 § 2 *coram Rmo P. D. Pianetti*, *et in Romana Pecuniaria* 4 *Februarii* 1824 § *fin. cor. bo. me, Martinez*. Reque vera si de nullitate cessionis peculiare judicium institutum fuit, vetat ipsa actio promota, ne per modum exceptionis id objiciatur, quod in Ordinario ac distinctio judicio propositum est. *Rota in Anconitana Transactionis super exequutione* 23 *Junii* 1817 § 6 *coram Emo Bussi*, *in Urbevetana Pecuniaria quoad partitam scut.* 1169 *die* 24 *Januarii* 1817 § 5 *coram Piccolomini*; *in confirmatoria* 4 *Julii ejusdem anni* § *fin. coram Eodem et in Romana Pecuniaria* 23 *Februarii* 1818 § 8 *coram Eod. Emo Bussi*.

4 Quod si etiam in hac sede exequutivi judicii fas esset de nullitate quærere cessionis, id nil Carolinæ prodesset. Stat enim pro validitate instrumenti praesumptio juris, adeo ut quisquis publicas tabulas de nullitate redarguit, rigoroso prematur onere eam luculentissimis monumentis evincendi. *Rot. in Sabinen. Nullitatis divisionis* 13 *Martii* 1820 § 3 *coram Eminentissimo Bussi*. *in Perusina, seu Veliterna Nullitatis contractus* 18 *Martii* 1813 § 5 *co. bo. me. Martinez*, *et in Firmana Nullitatis contractus* 1 *Junii* 1828 § 5 *cor. Emo Marco*. Stat rursus in facto ad trutinam revocatis tabulis cessionis quibus anno 1827 die sexta Julii data fuit opera, nil in eis, nec quoad extrinseca nec quoad intrinseca sollemnia, desiderari. De contractu siquidem agitur, in quo nec viri uxorisque consensus, nec affinium interventus, nec Judicis Decretum deest. At vero tanti ponderis est, tum affinium praesentia, quum praesertim Judicis auctoritas, ut ex ea solum facile praesumatur justa ad contrahendum causa, sine qua Judex Decretum ad probandum contractum non interposuisset. Nam credibile non est Judicem, et affines conspirare quasi voluisse in praejudicium minoris, vel mulieris inconsulto contrahentis. *Rot. dec.* 47 n. 6 *cor. Malvasia, dec.* 413 n. 2 *cor. Emo Marco*, *et in Ferrarien. Pecuniaria* 21 *Junii* 1822 § 7 *cor. Emo Isoard*.

5 Justam tamen contrahendi causam indigitant satis superque cessionis tabulae, in quibus narratur, in eam adductum durissimam necessitatem fuisse Philippum Puglieschium, ut, vel pensionem aedium, quas incolebat, ad ingentem usque summam augeret, vel a jure conductiunis decederet, quod cum valde ei foret incommodum, et musivorum operum in parte Urbis frequentissima negotiationem interverteret, ideo inductus est ad eas aedes emendas, et ad aurum, praesenti deficiente pecunia suadendam, ut ratam partem dotis obligaret. Neque enim quidquam foeminae deperibat, aut dotalibus illius juribus ex suscepta obligatione detra-

hebatur, semel ac aedes coemptae, quae scuta annua tercentum reddebant, vinculo hypothecae, erga ipsam mulierem et ed indemnitatem ei parandam subjiciebantur. Non igitur cessionis contractum Judex sine Causa probavit. Ipsa quippe naturalis aequitas id fieri sinit, quod uni prodest, et alteri non nocet. Adeo imo abest noxiam mulieri fuisse obligationem suam, ut ex ea majorem securitatem, et pignus magis tutum acquisierit.

6 Nec interest vocatum haud fuisse Carolinae Parentem, ut stipulationi tabularum adesset. Aberat enim ab Urbe, ac Florentiae morabatur Carolinae pater, quo tempore ventum est ad contractus stipulationem. Non oportebat ergo eum arcessiri, ut stipulationi interesset: cum non adeo rigor Benedictinae Constitutionis porrigatur, ut ii quoque expetendi sint proximiores, qui extra locum contractus, et apud exteras gentes, morantur. *Constantin. ad Stat. Urb. annot.* 44 *artic.* 2 *n.* 98 *Rot. in Civitatis Castellanae Manutentionis* 12 *Maii* 1752 § 20 *cor. Molino, in Faventina Nullitatis obligationis* 15 *Maii* 1754 § 4 *cor. Figueroa, in Lauretana Nullitatis donationis* 20 *Novembris* 1758 § 12 *cor. Paracciano, in Setina Census* 13 *Januarii* 1777 § 8 *cor. Riminaldo, et in Firmana Nullitatis contractus* 4 *Julii* 1828 § 10 *cor. Emo Marco.* Caeterum haec, aliaque oppositae nullitatis momenta, quae ad stipulationem convellendam objici possent, sunt reservanda separato judicio, quod fuit a Carolo, et Carolina per viam actionis institutum, et quod ab Innocentiano Judice absolvendum est.

Et ita jus dictum est, utraque etc.

ROMANA SEU FLORENTINA

CONSIGNATIONIS
SUPER CIRCUMSCRIPTIONE

Lunae 20. *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. Ia more Sacri Auditorii positum est, ut numquam quaerelae nullitatis audientia praebeatur, si de justitia sententiae ambigi nequeat; praesertim quando nullitatis cognitio a Signatura Justitiae una cum negocio Sacri Ordini commissa fuerit.

DECISIO CCCCVII.

Ut primum prodiit Sententia A. C. Juridici, ex qua de pecunia deposita demandata fuit traditio scutorum *millium* erga Presbyterum Petrum Arancium, Carolus et Carolina Bicchierai provocationem primum adversus prædictam Sententiam, actione exercendæ nullitatis sibi reservata, interposuerunt, deindeque adierunt Signaturam Justitiæ, ut circumscriptionis ope Sententia ipsa super traditione pecuniæ de medio tolleretur. Cum autem Patres Signaturæ suffragatores petitam circumscriptionem lato rescripto dimiserint = *Eidem Auditori Rotæ cum facultate circumscribendi* », nedum de viribus editæ Sententiæ hodie quæsitum est, veluti patet ex coaeva alia mea Decisione, *super Consignatione*, ubi latius expositam videre est rerum gestarum historiam, verum etiam de circumscriptione disputatum ex proposita Dubii formula » *An sit locus circumscriptioni in casu etc.* = responsum est = *Negative*.

Neque enim opus est de objecta nullitate curiosius inquirere, etiamsi aliquid in judicio consignationis pecuniæ minus recte actum reviceretur. Si namque de bono jure Presbyteri Petri Aranci ad pecuniæ traditionem assequendam indubium præbet testimonium alia mea hujusce diei Decisio *super Consignatione*, consectaria isthæc proinde nullitatis quæstio ab editæ Sententiæ justitia pendet, ejusque sequitur naturam. Id siquidem in more institutoque positum Sacri Auditorii est, ut numquam querelæ nullitatis audientia præbeatur, si de justitia Sententiae ambigi nequeat, præsertim quando nullitatis cognitio a Signatura Justitiæ una cum negocio principe Sacro Ordini commissa fuerit = *Rot. Decis.* 88 1

num. 4 *et* 5 *cor. Emo Marco, Decis.* 166 *num.* 2, *et* 3 *cor. Eodem*, *et in Viterbien. Pecuniaria super Circumscriptione* 11 *Januarii* 1828 §. 2 *coram R. P. D. Meo Bofondi.* Quamobrem uti injuria prorsus Carolus, et Carolina Bicchierai petitæ pecuniarum traditioni restiterunt; ita etiam nullitatem editæ Sententiæ, traditionem ipsam demandantis, inutiliter proponebant.

Et ita decisum utraque etc.

ROMANA SEU FULGINATEN

IMPUTATIONIS FRUCTUUM

Lunae 27. *Junii* 1831.

ARGUMENTUM

In contractu collybistico, ubi promissan fuerint usurae pro certu tempore, et in certa quantitate, et postea cum obligatione negociandi pecuniam per emporia, et nundinae, donec collybisticum nomen redimeretur: si statuta tempora pactum restitutionis observatum non fuerit, possunt contrahentium voluntate fructus augmentari: nec debitor pro augmentu usurarum in posterum conqueeri potest si non *lucrntivas* sed *compensativae* usurae auctae probentur,

SUMMARIUM

1. *Publicae tabulae contractue perhibent fidem in genere de credito sortis, et fructuum.*

   Heredes tenentur in solidum, etiamsi contumaciales, debita hereditaria solverint-ibid.-
2. *Modue seu aestimatio fructuum non est de substantia contractue: qui augeri vel minui possunt arbitrio contrahentium ratione temporum morumque regionis,*

   Quondo agitur de fructibus pensitandis requisitoram Castrensium indictio interponenda est - ibidem. -

   Ad augmentum usurarum sustinendum, duo probanda: justam causam, et idoneum titulum praecto fuisse ad exigendos fructue - ib. -
3. *Qui obligationem trajiciendi negociandique pecuniam per emporia, et nundinas suscepit, donec collybisticum nomen redimatur, jure pollet exigendi fructus in vim ipsius oneris a debitore suscepti pecuniam per nundinas et emporia trajiciendi.*
4. *Modus usurarum, earumque augmentum vel decrementum, prorogatio temporis, aliaquae omnia, quae dicuntur contractus accidentalia spectare, nec laedunt, nec jura minuunt alteri quaesita ex priore obligatione nisi de manifesta voluntate novandi doceatur.*
5. *Faenus improbum haud intelligitur patratum, si aucto aborrios caeue in foro atque emptoriie collibisticae pecuniae fructu, majores usuros conveniantur quae nunquam sunt reprobandae, nisi de earum constet injustitia.*
6. *Alia est prorogatio simpliciter temporie; alia prorogatio temporie, unde creditor subeat detrimentum, in primo casu auctarium fructuum est mere* lucrativum *in altero* compensativum
7. *Usurae* lucrativae *humano et divina jure exacrantur:* compensativae *a legibus probantur.*
8. *Cautio Castrensie suppleri potest per aequipollens.*
9. *Quanda usuras auctas compenentivas sunt non lucrativae, ab omni labe usuraria immunes renunciari debent.* - Et num. 10. -

DECISIO CCCCVIII.

Obliqui collybi contractu, anno 1761 per publicas tabulas inito a Viro Principe Augustino Chisio seniore, fœnebrem pecuniam ad vim usque nummorum argenteorum *bismille quingentum* acceperunt germani fratres Alexander, Petrus, aliique ex Marchionibus Bernabò Fulginates, quorum procurator ad stipulandum Romæ constitutus, promissis interim interusuriis mitissimis in scutis *binis* obulisque *octoginta* in singula centum, et annos, pecuniam per emporia, et nundinas de more trajicere, eamque intra annum, annoque perperam emenso, ad creditoris nutum restituere sese devinxit. Ratione attamen rei, ac propter temporum vices, pecuniæque caritatem, usuræ in exili quantitate conventæ, contractu pergente, primum ad *quadrantem*, mox ad *trientem*, demum ad *septuncem* modum anno 1801, per privatam apocham auctæ fuerunt. Fructuum ad hanc æstimationem conventorum solutioni non modo statis temporibus religiose satisfactum est; sed dimidium quoqua collybistici nominis anno 1813, elato jam parente, restitutum fuisse constat ejus filio viro Principi Augustino juniori. Mortuis hinc Alexandro, Petro, aliisque

de nobili familia Bernabò, qui primum procuratoris ope in solidum cum Augustino seniore contraxerant, vitaque insuper functo ejusdem Petri filio Marchione Henrico, hujus vidua, qua filiorum ab eo relictorum curatrix, contendere cæpit in sortem imputandum esse quidquid usurarum numeratum fuit ultra modum in publicis collybi tabulis præfinitum. Verum reliquum caput una cum fructibus *septuncibus* viro Peincipe Augustino juniore condicente, utrumque ei dedit Sententia sua Juridicum postea abrogatum A. C. Collegium. Nec viduæ matronæ, eodem filiorum nomine, ad Sacrum Ordinem profuit provocasse. Nam quærenti mihi = *An constet de credito. et in qua summa, ita ut sit relaxandum mandatum*; *seu potius sit locus imputationi fructuum solutorum ultra primitivam conventam rationem in casu etc.* = responsio hodie data est in hæc verba = *Affirmative in omnibus ad primam partem juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.*; *negative ad secundam* =.

1 De credito sortis, et fructuum in genere fidem perhibent publicæ Contractus tabulæ celeri exequutioni donandæ: nec ipsa quidem vidua illud impugnabat, quæ hoc unum excipiebat, quoad creditum in genere, injuria integram solutionem postulari adversus patrimonium Henrici, quem non unicum fuisse dicebant, sed alterum ex pluribus filiis, et haeredibus Marchionis Petri Bernabò, qui una cum fratribus suis dedit operam stipulationi contractus, caeterisque fratribus supervixit, atque haeres eis extitit. At omnes Petri haeredes ad causam vocati sunt: adversus omnes signata commissio, indictus libellus, repetita acta fuerunt. Omnes itaque aes alienum auctoris sui luere tenentur. Ludicrum hinc erat authumare de sexta dumtaxat crediti parte in præsens esse quærendum: cum potissimum cuncti Petri filii, hæredesque unum constituerint ad actionem viri Principis oppugnandam procuratorem, qui, si pro unis tantum Henrici filiis defensionem paravit, non idcirco cæteri absolvendi sunt, qui imo pro mali juris conscientia contumaces haberi debent; ideoque magis ad solutionem damnandi; cum adversus contumaces omnia jura clament. Ad creditum autem in specie quod attinet, minus recte vidua urgebat, discrimen illud inter primævas, et posteriores usuras in sortem esse ex ea ratione imputandum, quia minus legitime auctus fuit modus usurarum, semelac non probatur cautionem Castrensem de lucro cessante, damnoque emergenti fuisse interpositam: sed imo exploratum est auctas fuisse usuras in præmium indultæ prorogationis.

Sed nihil inanius objici poterat. In primis enim distinguere necessum est primævam conventionem de fructibus persolvendis a conventione alia, quæ modum respicit, sive incrementum, aut decrementum usurarum. Modus quippe, seu æstimatio fructuum non est de substantia contractus, quæ potissimum spectanda est, ubi de viribus agitur, effectuque conventionum. Substantia omnis in conventionibus pendet ab justa caussa, tituloque legittimo fructuum percipiendorum. Si hæc justa caussa non desit, modus ille, seu æstimatio fructuum, quæ ad contractus accidentalia refertur, augeri pôtest, aut minui pro arbitrio contrahentium, semperque pendet a ratione temporum, moribusque regionis, ubi quisque contraxerit, uti monet *Papinianus in leg.* 1 *ff de usuris*, quam sequitur *Rot. in Romana, seu Florentina Fructuum Censuum* 2 *Junii* 1815 § 7 *et* 10 *cor. cl. me. Serlupi*, *in Ravennaten. seu Imolen.* 4 *Junii* 1819 § 5 *coram Zinanni, et in Romana, seu Tyburtina Cambii* 4 *Maii* 1821 § 13 *coram me.* Nemini dubium, quin in stipulatione primævæ conventionis de fructibus pensitandis requisitorum Castrensium indictio interponenda sit. Sed hic non quæritur de jure percipiendi fructus, quia de modo dumtaxat, et æstimatione fructuum anno 1801 scripta est apocha inter Marchionem Petrum, et virum Principem Augustinum juniorem. Quapropter ut augmentum usurarum sustineatur, duo probanda sunt: primo scilicet, justam caussam, ido- 2

neumque titulum præsto fuisse ad exigendos fructus: deinde vero modum usurarum anno 1801 ex more regionis, ac pecuniæ caritate ad *septuncem* excrevisse æstimationem.

3 In vado utrumque est. Extant siquidem solemnes tabulæ anni 1761 unde jus oriebatur ex interposita Castrensi cautione ad percipiendas usuras, quod incolume, sartumqun manebat, quousque caput integrum Scutorum *bismille quingentum* restitueretur. Obligationem namque trajiciendi, negociandique pecuniam per emporia, et nundinas Alexander, Petrus, aliique de Familia Bernabò susceperunt, donec collybisticum nomen redimeretur, quod primo intra annum, anno autem inutiliter elapso, ad nutum, sive beneplacitum creditoris sese facturos debitores ipsi promiserunt. Efficit vero hæc obligatio, ut, donec pecunia non restituatur, jure polleat creditor exigendi fructus, in vim ipsius oneris a debitore suscepti pecuniam per nundinas, et emporia ad restitutionem usque trajiciendi, *Rot. in Romana Cambii* 6 *Martii* 1747 § 6 *coram Bussio*, *in Sutrina Cambii* 4 *Julii* 1817 § 6 *coram Zinanni*, *in Spoletana Cambii* 12 *Decembris ejusdem anni* § 5 *coram Reverendissimo P. D. Tiberj*, *et in Romana Pecuniaria* 10 *Januarii* 1822 § 2 *coram bo. me. Martinez*. Neque enim quidquam conventio anni 1801 derogavit veteris instrumenti tabulis quoad jus, et titulum gignendis fructibus idoneum. Prorogatum utique fuit tempus ad pecuniam reddendam: Auctæ item usuræ ad æstimationem usque *septuncem*. Quominus tamen novatio fieret, pactum obstabat, et jus.

4 Pacto quippe conventum fuit in Apoca anni 1801, ut nihil instrumento anni 1761 ex conventione illa detraheretur, nullumque censendum esset illatum præjudicium juribus omnibus, quæ ex eodem instrumento viro Principi creditori datum foret experiri. Ex jure autem compertum est, quod modus usurarum, earum augmentum, vel decrementum, prorogatio temporis, aliaque omnia, quæ dicuntur ad contractus accidentalia spectare, nec lædunt, nec jura minuunt alteri quæsita ex priore obligatione, nisi saltem de manifesta voluntate novandi doceatur » *Leg. fin. Cod. de novat.*, *Rot. in Spoletana Cambii* 5 *Julii* 1816 § 8 *coram cl. me. Serlupi*, *in Confirmatoria* 12 *Decembris* 1817 § 3 *coram Reverendissimo P. D. Tiberj*, *et in Romana Graduationis* 6 *Junii* 1825 § 4 *coram R. P. D. Meo Bofondi*. Incolumis hinc mansit vetus caussa fructuum, titulusque ex instrumento legitimus ad percipiendos fructus: incolumis mansit vetus obligatio debitorum trajiciendæ pecuniæ per emporia, et nundinas, ex qua manat qualitas frugifera nominis: incolumis denique mansit ratio, cur debitores non intermitterent pecuniæ trajectionem ad nundinas, ut exinde propositum creditoris impleretur, qui pecuniam suam ociosam retinere haud solere disertis verbis professus.

Hæc porro ratio cum adhuc vigeat, 5 nec unquam defecerit, plane consequitur ne ipsum quidem trajectionis onus unquam defecisse, veluti in re simili arguit *Rot. in Romana Pecuniaria* 6 *Julii* 1821 § 5 *cor. bo. me. Martinez*, *et in Confirmatoria* 10 *Januarii* 1822 § 5 *coram eodem*. His positis, haud insimulanda est illiciti fænoris conventio anni 1801. Fænus enim improbum haud intelligitur patratum, si, aucto ob varios casus in foro, atque emporii collybisticæ pecuniæ fructu, majores usuræ conveniantur, quæ nunquam sunt reprobandæ, nisi de earum constet injustitia. *Rot. in Romana Cambii quoad fructus* 22 *Junii* 1818 § 3 *cor. Rmo P. D. Tiberi*, *et in Romana Imputationis fructuum* 16 *Junii* 1828 § 2 *cor. R. P. D. Meo Marini*. Si secus res esset, neque liceret ex usu regionis fructus jam in certa summa constitutos augere, lucrum impune faceret debitor cum jactura creditoris: quod sane humanissimæ leges, non fuerunt, quæ imo æqualitatem inter contrahentes maxime servari præcipiunt. Quod si itaque patet, procul a Cautione Castrensi augeri posse fructus jam ex legitima conventione præstitutos, nunc aliud superest inquirendum, utrum nempe per id temporis,

quo actum est de augendis fructibus, primum ad *quadrantem*, deinde ad *trientem*, demum ad *septuncem* usque mensuram, incrementum hujusmodi ferret usus regionis, pecuniæque raritas.

6 At certo tristis docet rerum experientia, pluresque Sacri Nostri Auditorii Decisiones testantur, admodum excrevisse pro temporum calamitate pecuniæ fructum, ipsoque anno 1801, quo aucta interusuria ad *septuncem* usque modum fuerunt, *dextantibus* conventis usuris pecunias ab honestissimis quoque patribus familias passim dari absque ulla turpis fœnoris suspicione consuevisse. Insigne itaque moderationis, æquitatisque exemplum præbuit hodiernus vir Princeps Augustinus, qui sane, utut posset sine pravitatis usurariæ labe *dextantes* usuras exigere, solis *septuncibus* contentum sese exhibuit. Inepta est igitur jactatio quælibet de auctis in præmium concessæ dilationis usuris. Patet enim auctos fuisse fructus, quia aucta fuerat ex commercii, et regionis consuetudine pecuniarum æstimatio. Patet rurus auctos fuisse, ne aliter creditor damnum, debitor autem lucrum faceret ex mora sua, et cum jactura creditoris. Cæterum distinguere oportet inducias ab induciis. Aliud profecto est habere præ oculis prorogationem simplicem temporis: aliud vero, et longe aliud prorogationem temporis, unde creditor subeat detrimentum. In primo casu auctarium fructum esset mere *lucrativum*; in altero *compensativum*.

7 At quantum divinum, humanumque jus execratur usuras lucrativas; tantum legibus probantur universis usuræ compensativæ, quas creditor sibi stipulatur ad justam retributionem tam lucri, quod amiserit, quam detrimenti, quod ex debitoris mora patitur. *Reiffenstuel. in Jus Can. univ. Lib.* 5 *Decret. tit.* 19 *numer.* 66 *et seqq. Pirrhing. in jus Can. nov. meth. explic. lib.* 5 *tit.* 19 *Sect.* 2 *num.* 3, *Rot. in Romana, seu Mediolanen. Pecuniaria sup. I. Dubio* 23 *Januarii* 1794 § 5 *cor. Priolo, in Confirmatoria* 3 *Julii* 1797 § 2 *cor. eod., in Cæsenaten. Pecuniaria* 10 *Martii* 1823 § 5 *cor. Emo Marco, in Montis Alti, seu Firmana Dotis super fructibus* 21 *Februarii* 1825 § 7 *coram Me, in Romana Imputationis fructuum* 16 *Junii* 1828 § 4 *cor. R. P. D. Meo Marini, et in Alatrina Imputationis fructuum* 9 *Junii* 1828 § 4 *cor. R. P. D. Meo Celestino.* Augmentum autem fructuum in subjecta specie fuisse compensativum damni emergentis, lucrique cessantis ex ipsa liqueat confessione debitorum, qui in Apocha anni 1801 aperte declararunt non deesse creditori promptam occasionem utiliori fœnori pecuniam suam collocandi. Soleat quidem hujusmodi confessiones in pretio parum haberi, quia plerumque extortæ præsumuntur ad fœnus improbus palliandum. Hæc nihilominus suspicio hac in re locum nequit obtinere, semel ac revera constat per id temporis consuevisse sine labe pravitatis usurariæ fructus etiam *dextantes* impune pacisci. Adeo imo abest a vero ad lucrum potius faciendum, quam ad damnum compensandum auctos fuisse fructus, ut eodem anno 1801 ipse vir Princeps Chisius, ut familiæ suæ necessitatibus occurreret, fœnebrem scutorum *bismillium* pecuniam sibi quæsivisse, eamque ad modum quoque majorem invenisse, *bessalibus* nimirum conventis usuris, compertum sit.

8 At si eo anno 1801 acceptam pecuniam reddidissent fratres Bernabò, aut hoc æs alienum vir Princeps non contraxisset, aut in minori summa contraxisset, quam revera facere ob moram debitorum coactus fuerit. Quocirca augmentum fructuum, quod *septuncem* non excessit modum, ne compensavit quidem damnum, quod viro Principi obveniebat ob fœnebrem pecuniam sub majoribus interusuriis acceptam. Perspectum ergo est, planeque probatum, auctas usuras compensatorias omnino fuisse, minime vero lucrativas. Si imo constat de mora debitorum, de consuetudine creditoris occupandi pecunias utilibus negociationibus; de parata non solum occasione fœnori collocandi pecuniam, sed de damno etiam emergenti, implicite constat etiam de cautione Castrensi, cui suppleri potest per æquipollens. At mora debitoris eruitur ex facto.

Quamvis enim collybisticum nomen anno 1761 initum fuerit, atque intra annum foret restituendum, adhuc tamen in medietato viget, utut creditorem pluries illius restitutionem postulasse doceant iteratum usurarum augmentum. Consuetudo autem fænori collocandi pecuniam apparet ex tabulis anni 1761. Nec de occasione prompta ambigendum est, quoties certum est, aut in totum, aut partim, abstinere potuisse Chisium a fænebri pecunia quærenda, si anno saltem 1801 suæ fratres Bernabò obligationi satisfecissent.

9 Si substantia igitur non deficit Castrensis cautionis, nil interest, formam extrinsecam haud fuisse servatam, cum præsertim opus non esse Castrensibus requisitis, ubi agatur de damno compensando, formiter discusso articulo, contra ipsum virum Principem Augustinum Chisium statuerit Sacer Ordo in *cit. Romana Imputationis fructuum* 17 *Martii* 1828, *et in confirmatorio* 16 *Junii* 1828 § 3 *cor. R. P. D. Meo Mariai.* Ibi quoque res erat de usuris auctis absque cautionis Castrensis solemniis. Cum tamen usuræ compensativæ fuerint, non lucrativæ idcirco merito decisum est viribus suis augmentum consistere, illudque immune esse ab omni labe usurariæ privativis. Quare non debet Chisius ad imparia judicari: ac si in ea contentione repulsam passus fuit, quia probatum erat, non in præmium dilationis, sed ad damnum creditori compensandum usuras auctas fuisse, ex iisdem rationum momenti vincere debet in hac, de qua quæritur, controversia. Quin obsit in casu prædictarum Decisionum rem de pecunia pupillari fuisse, quæ secus utiliter collocari in mercatoria aromatum taberna potuisset. Nam quidquid demum pro coronide animadversum fuerit, ratio decidendi in qualitate compensativi fænoris stetit, quæ una ab usurario vitio augmentum fructuum sine cautione Castrensi conventum excusat.

10 Frustra demum præsidium quærebatur a Sacri Ordinis Responsis *in Romana, seu Joauen. super Fructibus* 21 *Martii* 1750 *coram Molino, in Tiburtina Cambii* 28 *Februarii* 1785 *coram Lancellotto, e in Anconitano, seu Recineten. Cambii* 14 *Maii* 1821 *cor. Emo Bussio,* in quibus imo eadem traditur distinctio inter usuras lucrativas, quæ sine Castrensi cautione conveniri haud possunt, et usuras compensativas, quæ e contra absque etiam prædicta cautione in pactum deduci valent. Cum tamen in casu illarum Decisionum, ac in ea præsertim sub titulo *Anconitana, seu Recinetea. Cambii* 14 *Martii* 1821 *cor. Emo Bussio* de fructibus lucrativis ageretur, absque cautione Castrensi conventis, propterea merito ob usuræ pravitatem, quibus augmentum fructuum inficiebatur, definitum fuit, ut fructus indebite soluti in sortem imputarentur. Quod si in subjecta specie ex demonstratis non de lucrativis, sed de compensativis agitur usuris, eo ipso augmentum, utcumque sine cautione Castrensi conventum, omnino sustinetur, et usurarum exceptio rejicitur, quæ cæteroquin, cum crimen sapiat, non modo præsumenda non est, sed multis, adeoque luculentis ad eam adstruendam indiget probationibus, ut in quolibet dubio contra usuras respondendum sit, ut præ cæteris monet Sacer Ordo in *cit. Romana, seu Mediolanen. Pecuniaria sup.* 1 *Dubio* 3 *Julii* 1795 § 4 *cor. Priolo.*

Et ita, utraque parte dimicante decisum est.

ROMANA

STIPULATIONIS INSTRUMENTI

QUOAD

SUBSTITUTIONEM FIDEICOMMISSARIAM

Lunae 16. *Maii* 1831.

ARGUMENTUM

Substitutio fideicommissaria ultra nepotes coarctatur, vimque ammittit, si de Gallicis legibus agatur. Si nostrates autem inspiciantur, fideicommissa quartum gradum pertingere possunt.

SUMMARIUM

1. *Lex Gallica sivit, ut liceat, filiis non extantibus, vel bona cuncta, vel eorum partem fratri vel sorori legare cum onere restituendi nepotibus natis et nascituris in primo gradu.*
2. *Hujusmodi lex ad pronepotes extendi nequit.*
3. *Idem ex neapolitana lege depromitur.*
4. *Dum defunctus bona relinquit pluribus in ditionibus, successio defertur secundum leges in singulis ditionibus obtinentes.*

   In successionum materia leges spectari debent ad tempus apertae successionis vigentes – ibidem. –
5. *Legibus nostris fideicommissa restituta sunt ad quartum usque gradum si eorum aestimatio ad quindecim millia nummorum argenteorum pertingat.*
6. *Quemadmodum legislatoria potestas intra fines territorii sui coercetur, ita ejus leges territorii limites non egrediuntur.*
7. *Discrimen fideicommissariae substitutionis non efficit, ut a dominio haereditatis exturbentur haeredes.*

DECISIO CCCCIX.

Inter alias caussas, ex quibus apocham cum Duce Aloysio Verzinio die 14 Maii superioris anni conscriptam publicis tradere tabulis renuebat Franciscus Fiorinius, quousque sibi satisdaret, praetexebat quoque substitutionem fideicommissariam super aedibus Ornaniis ad Forum Agonale, impositam ex testamento Marchionissae Cleliae De Cupis, cui una cum matre sua haeres extitit Aloysius. Clelia quippe supremis, quibus decessit, tabulis, dum haeredem ex besso fecit nepotem suum Aloysium, restitutionis onere eum praegravavit, jubens = *che debba egli al tempo di sua morte lasciare, ossia restituire ai suoi figli le predette due terze parti dei miei beni stabili, e nel caso, che esso mio erede non avesse figli, debba restituirli a quel suo fratello, o nipote maschio di fratello, che avrà il luogo di primogenito, il quale pure debba restituirli ai suoi figli.* = Timens propterea Fiorinius futurae evictionis periculum, aliquo modo sibi caveri, et indemnitati suae prospici postulavit. A. C. Juridicus, penes quem primo contestata lis fuit, facultatem tribuit emptori partem pretii retinendi, quousque a venditore doceretur, vel de assensu filiorum, vel de idonea a se praestita cautione. Cum quaestio deinde, provocatione interjecta, dirimenda conscenderit ad Sacrum Auditorium, parvi hodie pensum est substitutionis vinculum, objectumque evictionis discrimen, ac rogationi, quae ita concepta erat = *An substitutio fideicommissaria obstet liberae solutioni residui pretii, et emendationi damnorum, ita ut sit locus assecurationi in casu etc.* = datum responsum = *Negative in omnibus* =.

1 Neque Gallicis, neque Neapolitanis, neque demum Pontificiis legibus sustineri posso substitutionem fideicommissariam, quam erga filios Ducis Verzinii in testamentariis tabulis Marchionissa Clelia praescripsit, facillimum est intelligere. Gallica utique lex in universali fideicommissorum abrogatione, ad libertatem bonorum vindicandam, majusque commercii incrementum indicta, potestatem fecit parentibus eam partem bonorum suorum, de qua libere poterant disponere, alteri ex filiis relinquere cum onere restituendi nepotibus, tam natis, quam nascituris in primo gradu dumtaxat = *I beni, dei quali il padre, e la madre hanno la facoltà di disporre, potranno da essi essere donati in tutto, o in parte ad uno, o più de' loro figli, con atti trà vivi. o di ultima volontà, con l'obbligo di restituire questi beni ai figli nati, e da nascere nel primo grado soltanto* = prout scriptum erat *art.* 1048. Gallici Codicis. Praedicta etiam Gallica lex sinebat, ut liceret, filiis non extantibus, vel bona cuncta, vel eorum partem fratri, vel sorori legare cum onere restituendi nepotibus natis, et nascituris in primo gradu tantum = *In caso di morte senza figli sarà valida la disposizione fatta dal defonto con atto trà vivi, o per testamento, a vantaggio di uno ò più de' suoi fratelli, o sorelle di tutti, o parte de' beni, che non sono riservati dalla legge nella di lui eredità, con obbligo di restituire questi stessi beni ai figli di primo grado soltanto nati, ed a quelli da nascere da essi fratelli, e sorelle donatarie* =.

2 Quocirca ex aperta legis litera constat, permissas solum fuisse a Gallis unius

gradus substitutiones; substituere nempe filiis, vel fratribus, eorum filios, et non ultra. At non hujusce indolis, et naturæ est substitutio a Clelia imperata, quippe quæ, dum jussit « *che debbo egli al tempo di sua morte* (Dux Verzinii) *lasciare ossia restituire a suoi figli le predette due terze parti de' miei beni stabili; e nel caso, che esso mio erede non avesse figli, debbo restituirli a quel suo fratello*, o *nipote moschio di fratello, che avrà il luogo di primogenito, il quale pure debbo restituirli ai suoi figli* », non filium, sed nepotem restitutionis onere gravavit, et non nepotibus, sed adnepotibus gratificata fuit; prætereaque, dum animo suo casum præconcepit, quo nepos absque filiis decederet, hæreditatem suam primonato ex germano fratre, vel sorore Ducis Verzinii restitui voluit, qui etiam primonatus restitutionis onere erga filios suos teneretur. Non itaque legis adhæsit præscripto testatrix, sed ab ea maxime aberravit, et limites prætergressa est substitutionis a prædicta lege permissæ. Qua de re irrita censenda est substitutio fideicommissaria a Clelia imperata, atque ita illius hæres habendus est Verzinius, perinde ac si nullo restitutionis onere premeretur. Ludicrum hinc erat significationem extollere Gallici verbi = *enfans* =, quo utitur Gallicus Civilis Codicis, dum de filiis natis, et nascituris meminit, quibus ab hærede instituto hæreditaria bona restituenda sunt; exindeque conjicere, quod cum verbum istud = *enfans* = verbo nostro latino = *liberi* = respondeat, quod filios æque ac nepotes complectitur, onus propterea restitutionis, a lege permissum, non solum erga filios, verum etiam erga nepotes inductum fuerit. Cum enim de dispositione odiosa res sit, quæ universali fideicommissorum abrogationi, bonorumque libertati adversatur, necessario sequitur filiorum vocabulum stricte esse accipiendum, adeout inter filios revera coerceatur, nec ad nepotes porrigatur. In odiosis siquidem stricta utimur interpretatione. *Rot. decis.* 66 *n.* 22 *cor. Cerro, Decis.* 448 *n.* 5 *cor. Coccino, et Decis.* 163 *n.* 7 *cor. Rezzonico.*

3 Quod dictum est de Gallica lege, idem valet de Neapolitana, quippe quæ legem Gallicam de verbo ad verbum transcripsit, et in eo, quod respicit facultatem parentibus datam instituendi in re propria hæredem, filium, aut, filiis decientibus, fratrem, aut sororem cum onere restitutionis erga nepotes primi dumtaxat gradus, legi Gallicæ est plane conformis. Redit igitur, spectata etiam dispositione Neapolitanæ legis, irritam censendam esse substitutionem fideicommissariam a Clelis præscriptam, quia limites excessit in lege ipsa præfinitos. Quin obsit testatricem in jubenda substitutione fideicommissaria ad dispositionem Gallici Codicis, qui adhuc vigebat, quo tempore scriptum testamentum fuit, sese omnino conformasse = *Il tutto però secondo il disposto del nuovo Codice art.* 1048 *e* 1049 *della cui disposizione in tutto questo mio testamento non intendo appartarmi, e perciò tanto di esso ne debba volere, quanto con detto nuovo legge mi viene accordato a disporne, senzache però moi l'utile venga viziato dall'inutile, onde si osservi il tutto, e quanto del mio disposto si può per legge osservare* =. Nihil siquidem est in testamento Cleliæ, quod ad tramites Gallicæ legis executioni committi valeat, cum ipsa, invita lege, non filium, sed nepotem restitutionis onere gravaverit, non nepotes, sed abnepotes ad emolumentum arcessiverit hæreditatis suæ. Utcumque vero, ut præsumptæ testatricis voluntati serviamus, fingi vellet, loco nepotis, filiam potius restitutionis obligatione onerasse, et nepotes, abnepotum loco, ad compendium hæreditatis vocare post filiæ obitum: adhuc tamen, firma substitutione fideicommissaria, nihil ex ea metuendum emptori est, qui ex contractu non institutum solum, sed substitutum etiam sibi devinctum habet.

Accedit, quod nec Gallica, nec Neapolitana lex in hac dirimenda quæstione ullum sibi vindicant locum, sed omne ferunt punctum Pontificiæ Sanctiones. Quamvis enim, imperantibus adhuc Gallis, testamentum suum scripserit Clelia, Gallis tamen exactis, mortem oppetiit, et bona reliquit, nedum in 4

Neapolitano, sed in Romano quoque Territorio. Jam vero, dum defunctus bona relinquit pluribus in Ditionibus, successio defertur secundum leges in singulis Ditionibus obtinentes, adeo ut tot censeatur hereditates, quot sunt territoria, ubi bona adsunt hæreditaria, *Voet in pandect. lib. 5 tit. de judic. n.* 31, *Vinn. quæst. jur. lib.* 2 *Cap.* 919. *Perez. in Cod. lib.* 6 *tit.* 23 *n.* 24, *Rot. decis.* 353 *n.* 2 *cor. Merlina, in Rec. Decis.* 228 *num.* 31 *part.* 4, *in Asculana, seu Anronit. Consuccessionis* 28 *Aprilis* 1820 *coram Emo Odesralchi, in Confirmat.* 26 *Junii* 1822 *cor. Rmo P. D. meo Spada Decano, et in Florentina, seu Faroliviensis. Testam.* 3 *Junii* 1825 § 10 *cor. R. P. D. meo Ruspoli.* Cum igitur tum ædes, quæ controversiæ subjectum constituunt Romæ jaceant, tum ipsa testatrix, quoad bona in Ditione Pontificia posita, dum mortem obiit, legibus nostris obligaretur, unum superest videndum, qui leges nostræ disponerent de substitutionibus fideicommissariis ad tempus obitus testatricis. Canon quippe est in jure vulgatissimus in successionum materia leges spectari ad tempus apertæ successionis vigentes, quia testamentum, ut antea, et sub diversis legibus conscriptum, vires attamen suas exerit a die obitus testatoris *Peregrin. de Fideicom. art.* 40 *n.* 62, *Fusar. de substit. quæst.* 549 *n.* 10, *Costantin. Vot. dec.* 263 *num.* 21; *Rot. apud Card. de Luc. dec.* 33 *num.* 15 *tom.* 11, *in Rec. der.* 166 *num.* 3 4 *part.* 8, *coram Olivatio dec.* 711 *n.* 1, *in Veliterna Consuccessionis* 16 *Januarii* 1815 § 3 *coram Cesarei, in Confirmat.* 17 *Maii ejusdem anni* § 7 *coram Eodem, in AEsina Consuccessionis* 5 *Maii* 1820 § 16 *cor. Emo Odescalchia, et in Camerinen. Immissionis* 13 *Novembris* 1827 § 2 *coram Eminentissimo Marco.*

5 At legibus nostris quamvis restituta fuerint fideicommissa ad quartum usque gradum, praescriptum nihilominus fuit, ut non aliter valere, et consistere possent, nisi eorum æstimatio, ex rebus soli deducenda, *ad quinderim millia* nummorum argenteorum pertingat, veluti ex expressa lege Motu Proprii S. M. Pii VII *art.* 13'i *et seqq.* sæpe Sacer Ordo definivit, et præsertim in *Assisien. Deletionis hypathecæ* 12 *Decembris* 1823 *cor. bo. me. Martinez*; *in Romana seu Spoletana Deletionis hypothecæ* 6 *Aprilis, et* 6 *Julii* 1824 *cor. Rmo P. D. Meo Decano, et in Ferentina, seu Verulana Successionis* 25 *Junii* 1827 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli.* Huc autem re perducta extra controversiam erat aedes Ornanias, deductis oneribus, et hypothecis, quibus afficiuntur, ne trientem quidem æstimationis attingere, quam Lex Pontificia præfinivit ad sustinendam fideicommissorum institutionem. Reque vera Fiorinii oratores, ut valorem obtinerent a lege præstitutum bona in Urbe sita cum bonis Neapolitanis conjungebant idque attenta congruentia legis Neapolitanæ cum Romana quoad fideicommissariam substitutionem usque saltem ad primum grodum, sine absurdo fieri posse autumabant exemploque petito ab eversis legibus statutariis, thesim suam confirmare conabantur auctoritate *Card. de Luc. de statutar. success. ad Constit. Innocent.* § 14 *n.* 2, *et disr.* 4 *de success. intest. n.* 7., ubi statuit, quod, si statutariæ Leges reperiantur conformes in loco obitus cum loco bonorum, successio deferri, dirigique possit etiam quoad bona in diverso territorio posita cum legibus in obitus loco vigentibus.

Verum opinionem *Card. de Luc.* ut 6 ipse ejus auctor ingenuo fatetur, Sacrum Nostrum Tribunal semper improbavit, jugiterque tenuit bona sita extra territorium non percelli a legibus statutariis, territorii, veluti videre est *dec.* 355 *n.* 1. *et sqq. cor. Ludovisia*, *dec.* 188 *n.* 21 *cor. Baratta*, et præsertim *dec.* 453 *n.* 1 *et seqq. cor. Merlina*, ubi, quamvis lex Municipalis Narniæ, ubi degebat defunctus, cum lege Municipali Urbis, ubi defunctus alia bona reliquerat, conveniret quoad exclusionem foeminarum propter masculos, attamen decisum est successionem quoad bona sita in agro Romano deferendam esse juxta jus commune, masculos, æque, ac fæminas ad successionem patris admittens, quis nec statutum Narniæ percellere poterat bona sita extra Narniæ territorium: nec statutum Ur-

bis afficere poterat hæredes defuncti Narniæ degentes. Cæterum, quemadmodum legislatoris potestas intra fines territorii sui coercetur, ita ejus leges territorii limites non egrediuntur *Cap. tit. animarum* 2. *de Constit.* in 6. *leg. ult. ff. de jurisdict omn. judic. leg. omnes populi ff. de just. et jur.* Quamobrem dicendum necessario est Supremum Principem, dum fideicommissa restituit, eorumque valorem præfinivit in scutis *quindecim millibus*, ad ea tantum bona repexisse quæ in Pontificia Ditione continentur.

Quod tandem dicebatur, deficiente fideicommissaria substitutione, irritum fieri Cleliæ testamentum; et causam testatam in intestatam recidere, id quidem, neque verum erat, spectatis legibus, Neapolitnnis *ort.* 943. cavetur, quod « *lo nullità delle sostituzioni fideicommissarie non recherà alcun pregiudizio ollo validità dell' istituzione* » legibus vero Pontificiis art. 140 præfati Motus Proprii sancitur « *I Fidecommissi, che non saranno istituiti nel valore, e nelle forme prescritte nel precedente articolo, saranno nulli, e i beni si acquisteronno liberamente dal primo chiomato* » Discrimen itaque fideicommissariæ substientionis non effecit, ut a dominio, vel bessis, vel trientis hæreditatis Cleliæ exturbandi sint ejus hæredes qui imo bessem, vel trientem libere possident, et absque ullo onere restitutionis. Quod si etiam testati caussa ob interitum fideicommissariæ substitutionis in intestatam converteretur, nil esset, ex quo de evictionis periculo trepidare Fiorinius debeat: Intestatam enim hæreditatem Aloysia acquireret testatricis filia, quæ cum contractum emptionis venditionis plenissime probaverit in procurationis mandato ad filium transmisso, non posset amplius adversus factum suum insurgere, et contractum emptionis venditionis in discrimen adducere, siquidem quod semel placuit, displicere amplius nequit. Cap. *quod semel de reg. jur.* in 6.

Et ita etc. Utraque etc.

ROMANA

STIPULATIONIS INSTRUMENTI

QUOAD MODUM

Lunoe 16. *Moii* 1831.

ARGUMENTUM

Iostrumentum faciendum est juxta modum inter partes contrahentes sietutum; nec possunt partes nuvas pactiones includere in instrumento non conventes sub fucu quod - *in minuta* - inveniontur: *minuta* enim nihil probat quis est instramenti informatio, et nisi subscripto sit, non obliget.

SUMMARIUM

1. *Post semel conciliatum perfectumque contractum nefas est ob eo resilire, nisi consensus accedot omnium contrahentium L. Sicut 5. Cod. de Act. et Oblig.*
2. Minuta *quae nihil aliud est nisi quoedom instrumenti deinde celebrandi informatio, tomquam charta informis haud potis est ad arguendum partium consensum, nullamque probationem in judicia constituit.*
3. *Scripturae utcumque a partibus approbatoe ac invicem compositae nullam pariunt obligationem, et fit locus paenitentiae, dunec priratis vel publicis tabulis stipulatio tradatur.*
4. *In Contractu bilaterali satis non est unius consensus, nisi alter etiam assentiatur.*
5. *Ex mandato quod executioni commissum non fuerit actio non datur nisi inter mandatum et mondatarium, nullumque jus tertio quaeritur aut contra tertium.*

   Absque solutione pretii Emptio et venditio subsistere nequit - ibidem. -
6. *Transactio quae stricti juris est super uno negociu inita, ad negocium omnino diversum trahi non debet.* - Et num. 7. -

   De substantia transactionis est ut aliquid hinc Inde remittatur L. 38. C. de trans. - ibidem. -
8. *Nefas est, Ambigere de dominio absoluto vendentis, quandu ille qui jus super rem venditam habeat consensum venditioni praebuit.*
9. *Culpa gravis et inexcusabilis requiritur ut quis teneatur actione odiosa emendationis damnorum.*

DECISIO CCCCX.

Nullitatis in simulavit ex defectu solemnium Aloysius De-Vera Dux Verzinii contractum emptionis venditionis portionis palatii Ornanii in Urbe positi ad Circum Agonale, quem anno 1815. ejus avia nonnullis ab hinc annis desiderata, Marchionissa Clelia De Cupis Ornani Neapoli degens inierat cum Francisco Fiorini. Contentione in judicium ab Aloysio deducta, nomine etiam adscito matris suæ, quacum simul hæres extiterat aviæ, eo res pervenerat, ut post geminas Decisiones coram Me editas, et Sententiam Rotalem obsignatam altera Decisio cum R. P. D. meo De Retz confirmatoria Rotalis Sententiæ oppositam nullitatis querelam probaverit. Sed placuit nobili Viro rem omnem cum emptore Fiorinio componere, conscripta in id die 14 Maii superioris anni transactionis apoca, cujus hæc summa est. Tam Aloysius nempe, quam ejus parens Aloysia, nedum ratam habuerunt, planeque probarunt emptionem venditionem partis ædium a procuratore, et mandatario Cleliæ antea gestam, quam hactenus impugnaverant; verum reliquam etiam earumdem ædium partem Fiorinio vendiderunt, constituto pretio argenteorum nummorum *undecim millium quatuorcentum* comprehensis expensis, ac compendio in vim transactionis debito valedicentibus liti, in qua victores extiterant. Quoniam autem Aloysius, seorsim ex matre, tabernas quasdam, vinarias cellas, et inferiora cubicula ipsius palatii nominatim possidebat, ita ea quoque voluit in novo contractu contineri, deque iis distinctum dicere pretium in aliis nummis argenteis *mille sexcentum* sibi uni solvendis. Cum vero cautum fuisset, ut privata transactionis Syngrapha redigenda deinde foret in publicum solemneque instrumentum, cui pacta illa omnia adjicerentur, quæ ad mutuam contrahentium utilitatem conferrent, tum illud præterea constitutum fuit, ut pretium antea conventum, suscepto pretium onere æris alieni luendi, quod hæredibus inhærebat, partim inter stipulandum instrumentum, partim denique intra quadriennium, interusuriis semissibus interim responsis, ab emptore solveretur.

Sed antequam publicarum tabularum stipulationi daretur opera, præscriptionem primam, quam nostrates *minutam* vocant, Fiorinius exaravit, exhibuitque Duci Verzinio, qui plura calami ductu reprobavit, alia vero, reputans expedire contrahentibus, admisit, adnotatione aliaque ad oram scripturæ posita, ex qua assensum suum ostenderet. Hinc orta est quæstio, an celebrandum esset instrumentum ad tramites dumtaxat Apochae, an potius juxta apocam, et posteriorem simul scripturam, cui multa marte suo adjecerat Fiorinius in apocha prorsus omissa. Quamvis autem ad formam apochae iniri instrumentum sententia sua jussit A. C. Manarius, certam attamen summam ab emptore retineri præscripsit, quousque ei a Duce Verzinii satisdaretur ad fideicommissariam erga ipsius Ducis Verzinii filios substitutionem, cui ex Testamento Cleliæ ædes illæ subjiciebantur. Ita factum est, ut scissa fuerit, delata deinceps ad Sacrum Tribunal totius rei cognitione, in duas partes contentio, quarum altero pertinet admodum celebrandi Instrumentum; altera vero a substitutionem fideicommissariam, de qua quæritur in coæva Decisione. Hic agitur de modo stipulandi instrumentum, de quo cum fuerit quaesitum » *An, et quomodo sit locus stipulationi instrumenti solutioni pretii, et emendationi damnorum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = dubii formulam PP. absolverunt edito responso = *Quoad stipulationem, et solutionem pretii affirmative ad formam apochae, in reliquis negative* =.

1 Jure sane merito definitum est celebrari publicas tabulas debere ad formam apochae tantum. Est enim apocha, quae continet transactionem post diuturnam litem, et judiciorum ambages initam, quae contractam exhibet numeris omnibus absolutum; quae pacta amplecitur mutuo contrahentium

placito conventa: quae meruit a contrahentibus ipsis sobscribi; quae demum expressa pactione publicis tabulis committi debet ad perpetuam concordiae memoriam. Non licet igitur novas conventiones inducere, et normam in stipulatione instrumenti servare ab ea diversam, quae in apoca praefinita fuit, tantaquo animorum consensione constituta, ut nullo modo contrahentes voluerint in posterom aliqua in parte violari. Post semel autem conciliatum perfectumque contractum nefas est ab eo resilire, nisi consensus accedat omnium contrahentium *Leg. Sicut. initio* 5 *Cod. de act. et oblig.*, *leg. Perfectam* 2 *Cod. quoad lic. ab empt. disced.*, *leg. Perfecta* 3 *Cod. de donat. leg. Hæc venditio* 7 *ff. de contrahen. empt. et leg. Si quis vina* 4 *ff. de peric. et comm. rei vendit.*, *Gratian. discept. forens.* 514 *num.* 1 *Card. de Luc. de feud. disc.* 37. *num.* 12 *Rot. in Rec. decis.* 108 *num.* 17 *part.* 11., *et decis.* 448 *num.* 14 *coram Molines.* Adeo que certum est ab ipso momento subscriptionis apocbae conclusam extitisse transactionem, ab eaque numeris omnibus absolutum contractum prodisse, ut non aliter publicis tabulis sese fore trad ituros stipulationem professi fuerint paciscentes, nisi ad majorem solemnitatem, non ad perfectionem contractus, quae jam abunde scatebat ex apocha. Ut ut enim fortuito comperendinaretur instrumenti stipulatio, quae intra mensem ineunda erat, expressis nihilosecius verbis conventum fuit, ut vires exereret suas apocha transactionis a Kalendis Junii superioris anni = *L' instrumento solenne dovrà stipolarsi entro un mese, e non potendosi stipolare in questo termine per qualche accidentalità; che sopragiungesse, pur nonostante il cantratto, che fino ad ora s'intende perfezionato, dovrà incominciare a prendere l' effetto dal giorno primo Giugno prossimo futuro* =.

2 Nihil autem Fiorinio profuisset jactare pactum apochæ transactionis adjectum, ex quo copia contrahentibos facta fuit in instrumenti stipulatione constituendi = *tutti quei patti, e condizioni, che occorreranno per garanzia, e sicurezza scambievole* = a quo numquam alieni fuerunt Verzinii Dux ejusque Mater, qui immo constanter professi fuerunt sese esse paratos ad omnes Fiorinio præstandas securitates, quas contractus indoles pro nota contrahentium qualitate exigeret. Pacta siquidem illa, quibus referta est nova scriptura ab uno Fiorinio composita, bujusmodi profecto sunt, ut non mutuæ prospiciant contrahentiom indemnitati, sed unum Fiorinii commodum utilitatemque respiciant. Quod qoidem ipsi probe novisse visi sunt oratores Fiorinii, quippe qui pactum illud silentio dissimulentes, unam scripturam nuperrime a Fiorioio confectam et a Verzinii Ducæ probatam opponebant, eamque dicebant in stipulatione instrumenti pariter esse spectandam, utcumque apochæ contrariam, quia forte tritum est sermone proverbium, posteriora derogare prioribus. Sed hæc omnia nullius esse ponderis Domini Mei cognoverunt. Quantum enim apocha perfectum absolutumque contractum præseferebat: tantum præscriptio prima, seu *minuta*, quæ nihil aliud est nisi quædam instrumenti deinde celebrandi informatio, tamquam charta informis, haud potis est ad arguendum partium consensum, nullumque probationis monumentum in judicio constituit, cum die careat, et consule, a nemine subscripta fuerit, multisque lituris, abrasionibus, superinductionibus, aliisque vitiis referta. *Mascard. probat. conclus.* 790 *num.* 10 *Castill. contror. jur. lib.* 2 *cap.* 16 *num.* 19 *Rot. in Rec. decis.* 816 *num.* 6 *part.* 18 *tom.* 2. *coram Caprara decis.* 4 *num.* 3 *in Ferentina donationis* 11 *Maii* 1792 §. 6. *coram Paracciano, et in Romana seu Ferentina transactionis* 3 *Decembris* 1821. §. 3. *coram Rmo P. D. Meo Decano*,

Nec rem torbat, quod Dux Verzinius in margine vacuo secus scripturam chirographo suo verbuscula de more adjecerit = *rà bene* =, perinde ac si argui possit animus obligationem exinde contrahendi. Cum bujusmodi quippe scripturæ merum præseferant 3

tractatum inter contrahentes susceptum ad contractum ineundum, atque ab iis, qui alicui contractum operam dare volunt, plerumquo conscribantur absque animo seso obligandi usque ud stipulationem instrumenti; cumque insuper multa soleant tractari, quæ non perficiuntur, multumque distet, ut monet jurisconsultus *in leg. Sciendum* 19 §. *Pictum de ædilit. edict.* dictum a promisso, merito propterea in jure cavetur, ut scripturæ ipsæ utcumque a partibus approbatæ, atque invicem compositæ, nullam pariant obligationem, deturque locus poenitentiæ, donec privatis, vel publicis tabulis stipulatio tradatur. *Rot. in Romana, seu Sabinen. societatis* 30 *Martii* 1753 §. 12 *cor. Figueroa, in Romana, seu Spoletana redditionis rationis super stipulatione contractus* 1 *Junii* 1767 § 10 *cor. Paracciano, in Caesenaten. seu Maceraten. Transactionis* 5 *Julii* 1804 §. 7. *coram Resta, et in Romana Associationis super concordia* 5 *Julii* 1804 §. 3. *cor. Strasoldo.*

4 Præterea nullum habuisse animum sese obligandi Ducem Verzinii dum verbuscula illa scripturæ addidit, ex eo potissimum constat, quod, ut multa probavit, ita quoque transverso calamo raspuit improbavitque alia, quæ ad rem non facere visum ei fuit. Quocirca simplicem tractatum, a quo cuique recedere fas est, sese scripturam repulasse, aperte significavit. Eoque magis spernenda est scriptura, quia non modo eam, postquam Duci Verzinio tradita fuerat, ut perpenderetur, ipse ejus auctor Fiorinius recuperavit, multumque penes se servavit, qui ideo potuit, quidquid lubuit addere, variare, delere, et pro arbitrio superimponere, verum etiam quia, si licet Florinio ab ea resilire; quippe qui nullam ei adjecit approbationis notam et tesseram, eadem quoque licentia danda est Verzinio, no ad imparia judicentur, quando e contra compertum est, emptorem, et venditorem habere omnimodam inter se relationem, adeo ut satis non sit unius consensus, nisi alter etiam assentiatur. *Rot. in Recen. Decis.* 567 *num.* 8 *part.* 3 *et in Romana emptionis venditionis Domus* 4 *Julii* 1791 § 5 *coram Resta* —.

Nullam vero majorem auctoritatem 5
acquirit scriptura ex posteriori procurationis mandato, quod diem præsefert 29 *Maii* 1830, et quod matrona lectissima Aloysia Cortese erga filium suum Verzinii Ducem ad stipulandum Neapoli, ubi lares habet, exaravit, et Romam trajecit. Nam primo procurationis mandatum, æque ac prima præscriptio, actum exhibuit mere *præparatorium*, quod non obligat, nisi actus absolvatur, quia interea temporis, re adhuc integra, in facultate mandantis est revocaro mandatum, ex quo nihil ipse egit, sed potestatem tantum faciendi mandatario præbuit *Rot. in Rec. decis.* 178 *num.* 6 *et* 7 *part.* 10. Ex mandato insuper, quod executioni commissum non fuerit, actio non datur, nisi inter mandatum, et mandatarium, nullumque jus tertio quæritur, aut contra tertium. *Perez. in Cod. tit.* 35 *num.* 8. *Heinecc. elem. jur. lib.* 3 *tit,* 37 *ff* 962 *de mandat., Donell. in Comment. jur. civ. tom.* 8 *pag.* 653. *num.* 1 Quidquid ergo dixerit Aloysia ignara nullitatum, de quibus insimulari potest, contractus a Fiorinio celebratus cum Valerianio, in procurationis mandatu compertissimum est, quod nullam nihilominus cum Fiorinio contrahebat obligationem, nisi postquam acceptum mandatum filius implevisset. Tanto minus imo probare voluisse dicenda est matrona scripturam illam a Fiorinio fabrefactam, quo magis certum est eam judicio hodie sistere una cum filio, ut stipulatio instrumenti ad formam apocæ tantummodo peragatur. Quapropter, dispecta prorsus scriptura, ad apochæ tramites unice celebrandum est instrumentum, solvendumque pretium, quod adeo substantiale est in emptione venditione, ut consistere absque eo nequeat emptio venditio *ff. Pretium Instit, de contrahen. empt. leg. Empti* 9. *Cod. eod. tit. leg. Inter patrem* 2 §. *Sine pretio, et leg. Pa-*

cta conventa 72, *vers. an idem ff eodem tit.*

6 Certius ad apochae tramites ineundum est Instrumentum, quia despicienda omnino erant ea omnia, quæ Fiorinius in scriptura adnotavit, ut de iis ratio in stipulatione instrumenti haberetur. Perperam siquidem objiciebat in instrumento ratihabendum esse vetustiorem contractum emptionis venditionis partis nobilium ædium familiæ Ornaniæ, quam primum Valerianus quidam anno 1749 ab Josepho Verzinii Duce auctore defunctæ Marchionissæ Cleliæ coemit, deinde Valerianus ipse eodem emptionis venditionis nomine in Fiorinium traostulit, qui se vereri dicebat, ne nullitatis ob idem vitium solemnium contractus ille in posterum argueretur. Verum intrudi in stipulatione iostrumenti non posse ratihabitationem Valeriani contractus, de quo nulla unquam mentio antea facta fuerat inter contrahentes, cujusque omissio oblivioni dubio procul in re tamdiu tamque mature discussa tribui nequit, ex eo manifestum est, quod nibil habet commune contractus ille usque ab Anno 1749 ab Josepho Verzinii Duce initus cum posteriori contractu emptionis venditionis partis Palatii Ornanii a Fiorinio cum Clelia gesto, quem deinde, elata Clelia, ejus hæredes veluti irritum traduxerunt et litem de nullitate contestati sunt, tam coram A. C. quam Sacro Auditorio, ubi Rotalis prodiit Sententia a posteriori rursus Decisione coram R. P. D. Meo de Retz confirmata nullitatem contractus renuncians, post quam demum litigantibus arrisit quæstionem ipsam in judicium deductam amica transactione dirimere, atque componere,

7 Quod si transactio, et quæ transactionem amplexa est, apocha subsequens, unam, atque unicam respexit litem inter Fiorinium, et Ducem Verzinii, ejusque matrem actam, nihil magis juri, et contrahentium voluntati congruit, quam ut etiam instrumentum, quod non ad perfectionem, sed et majorem solemnitatem partes exoptarunt, de una transacta lite celebretur, bis omnibus rejectis, et repudiatis, de quibus nulla mentio habetur in apocha, quæque ab ea sunt prorsus extranea; Transactio enim, quæ cæteroquin stricti juris est, super uno negocio inita ad negocium omnino diversum trahi non debet. *Rot. dec.* 194 *num.* 94 *part.* 5. *Rec.*, *decis.* 621 *numer.* 7 *coram Buratto*, *et Decis.* 767, *num.* 2 *cor. Ansaldo.* Exceptio proinde Valerianii contractus diversum jus, diversamque actionem Ducis Verzinii, ejusque matris constituit diverso judicio periclitandam, quæ ea quoque de causa in instrumento transactionis comprehendi nequit, quia nibil, aut Verzinius, aut ejus parens, acceperunt, ut compensaretur damnum, quo afficerentur, si huic quoque juri renunciassent. Quapropter leonina, læsionisque vitio infecta hac in parte dicenda foret transactio, si, dum juri experiundæ nullitatis Valerianii contractus Dux Verzinius una cum matre valedicit, nihil accipiat in causam renunciationis, invita indole hujusce contractus, de cujus substantia est, ut aliquid hinc inde remittatur. *Leg. Transactio* 38, *Cod. de transact.*

Petebat pariter Fiorinius, ut a Matre Ducis Verzinii probaretur separata emptio venditio sibi ab eodem Verzinio, seorsim a parente, nomine proprio peracta de tabernis, cellis vinariis, ac inferioribus cubiculis pro pretio scutorum mille sexcentum, quod ambigere videretur de dominio absoluto vendentis. Sed facile hæc quærela removebatur assueto juris adagio = *Frustra petis, quod intus habes* = Nam revera Marchionissa Aloysia in procurationis mandato erga filium subscripto duos probavit contractus, tum illum scilicet, qui ædium partem respiciebat a filio simul, et matre possessam, quam alium, qui fuerat cum Fiorinio conciliatus de tabernis, cellis vinariis, et inferioribus cubiculis ad filium tantum spectantibus. Nec abs re erat animadvertere haud necesse fuisse, ut hic quoque peculiaris contractus ratus a Marchionissa Aloysia haberetur. Quæ- 8

sierat enim sibi dominium Dux Verzinii dum censum redemit, qui tabernis, cubiculis, cellulisque vinariis inhærebat, et cujus caussa creditor *associationem* ad fundum censitum obtinuerat. Mater vero, quæ de eo, quod filius egit, conqueri potuisset, hodie non refragatur, imo adsensum præbet amplissimum, ratumque habet contractum a filio initum in suo Mandato Procuræ, qood extat in actis. Nihil est hinc, quod amplius vereri Fiorinius de acquisitione sua debeat.

9 Cætera vero, quæ dicebantur de hypothecis, sequestrationibus, et legatis eidem palatio inhærentibus, eadem inanitate laborabant. Hypothecas namque, et sequestrationes omnes deleri coravit Dux Verzinii, adeout nihil ex eis metuendom emptori supersit, qui rem liberam omnique onere exemptam acquirit. Quoad vero legata, pro quibus actio hypothecaria legatariis præsto ex jure est super fundis hæreditariis, quamvis nonnulla legata in elogio suo Marchionissa Clelia reliquerit, illud attamen, quod majoris est summæ; quodque testatrix in anniversariis scutis *quatuorcentum* scripsit erga filiam soam Juliam, quousque in humanis versaretur, jamdiu ob legatariæ mortem evanuit, reliqua vero levia admodum sont, aut jam satisfacta aut satis consuli eis potest aliis bonis Neapoli existentibus, quin molestiæ in exterum emptorem palatii Ornanii extra fines Regni Neapolitani convertantur. De substitutione autem fideicommissaria sermo erit in coæva Decisione, ad quam hic habenda est relatio. Cum denique nullum sibi damnum ex retardata stipulatione instrumenti revinceret obvenisse Dux Verzinii, hinc illorum actionem Patres rejecerunt, ea quoque moti ratione, quod forsan excusabilem pro rerum circumstantiis Fiorinius nimis meticulosus et in rebus suis solertissimos habuit caussam licet minus idoneam ad detrectandam stipulationem Instrumenti, quod satis est ad declinandam acerbam, et odiosam actionem pro emendatione damnorum, pro qua sane culpa gravis et inexcusabilis requiritur.

Et ita etc. Utraque etc.

SEPTEMPEDANA

SUPPLEMENTI DOTIS

Lunae 12. *Decembris* 1831.

ARGUMENTUM

Dos Quae a Patre filiabus adsignatur debet esse congrua, congruitas autem ex variis a lege recensitis capitibus dimetitur; quae si attendantur nil interest, quod legitimam dos haud aequiparet.

SUMMARIUM

1. *Dos a fratribus sororibus adsignata congrua est si legitimae portionis aequet aestimationem, a Patre autem constituta, congruitas dimetiotur. ex dignitate, facultate, consuetudine familiae, et liberorum numero* – Et num. 4. –
2. *Dos a Patre constituta haud necesse est, ut portioni legittimae respondeat.*
3. *Praesumptio semper stat ut actus aliquis, magis valeat, quam pereat.*
   A Patris amore doli suspicio exulat. - *ibid.* -
5. *Ad dignoscendum verum germanumque valorem rusticorum praediorum novis census tabulis deferendum est.*
6. *Non potest incongrua dos dici, Quando ex facto calculo patrimonii virium, faemina absumit semissem, qui constituit portionem legitimam, pro filiorum numero.*
7. *Faeminae a patre dotatae prohibentur quominus aliquid petere possint jure suplementi legitimae.*
8. *Ubi in omnibus contractibus laesio dimetiri nunquam solet a futuro rerum eventu, ita hoc ipsum valet in materia dotis.*
9. *Dotis aequalitas a tempore promissionis aestimanda est.*
10. *Pater ex justis causis potest in filiabus suis dotandis plus uni quam alteri tribuere.*
    Ut sit locus additamento dotis laesio adeo magna sit oportet, ut ad trientem attingat illius, quae dari debuisset – *ibidem.* –

DECISIO CCCCXI.

Filiæ suæ Cæciliæ, propediem nupturaa Julio Crescentio, privata apoca, ad exitum Julii anni 1797 conscripta, ejus parens Joannes Nicolaus Noè, et humili Oppido Cesoli in Agro Septempedano, dotem constituit argenteorum nummorum *quingentum* una cum mundo muliebri, cjusdem fere aestimationis. Eadem vero in apoca Julius promisit operam sese omnino daturum, ut nova nupta, recepta dota, quæ infra triennium erat in pacto repraesentanda, latissime valediceret juribus omnibus, si quæ experiri unquam, vel rationa legitimæ portionis, vel alia qualibet de caussa potuisset, sive in paternam, sive in maternam, sive demum in fratrum, aliorumque consanguineorum haereditatem. Octo erant liberi Joanni Nicolao, mas unus, fæminæ septem, quos omnes ab uxore sua Victoria Farria susceperat. Quam autem dotem scutorum *quingentum* Caeciliaa dederat, eique partim numeraverat, eamdem assignavit anno 1802 Mariae Antoniae occasione matrimonii, quod ipsa cum Rocco Pamilio contraxit. Sed hunc modum, dum caeteras filias nuptui collocavit, praetergressus fuit Joannes Nicolaus, post auctum patrimonium uxoris. Eo pariter, accepta dota scutorum *nongentum*, nuncium miserat ex mora reg onis tum omnibus, si quæ ei obvenire potuissent, tum praesertim patris haereditati. Cum tamen pater ipse, absque filiis masculis decendens, hacredem sibi nominasset remotum propinquum, facile admodum faeminae fuit renunciationem erga fratres exaratam impugnare, et contra tabulas, imputata dote, legitimam assequi portionem ex auctor.tata ipsa municipalis legis Æsii, ubi ortum Victoria duxerat tunc temporis obtinentis, quæ mulierem ad renunciandum coegerat.

Ita accidit, ut Joannes Nicolaus geminas alias filias, quæ caeteroquin erant aliquantulum aetate provectae, et pene illocabiles, largius debuerit dotare: Scuta nimirum millia, et amplius anno 1816 in tot censum nominibus doti dixit Mariae. Argenteos vero nummos octingenteos anno 1818 Bernardinae in dotem pariter tradidit. Non leviter rem suam domesticam interea conturbaverat Caeciliae vir Julius Crescentius. Quoeirca, ne caput dotis, cujus reliquum in scutis tercentis adhuc erat solvendum, ullo modo disperderetur, generum una eum filia traduxit Joannes Nicolaus apud Vicarium Septempedanum, diserteque professus, se promptam esse sesiduæ dotis solutioni non modo fundum nullo nexu devinctum, et hypothecao subiiciendum, in ejusdem dotis securitatem sibi designari petiit; sed adigendam quoque esse mulierem ad renunciationem erga dotantem exarandam propugnavit. In has angustias conjecti conjuges Crescentii judicium *reconventionis* adversus Joannem Nicolaum penes ipsum Vicarium instruendum censuarunt, proposita querela de dotis inæqualitate. Utramque actionem cumulare putabat Septempedæ Vicarius. Sed jussu a Signatura Justitiaa unum judicium ab altero secernere, litem adjudicavit Josepho Noè interim defuncti Joannis Nicolai filio, reservato dumtaxat jure conjugibus Crescentiis per separatam actionem de objecta dotis inaequalitate disputandi.

Ne profuit Crescentiis ad Præsulem Alberghinium, tunc jus dicentem in subselliis A. C. provocasse; quippe qui album calculum adjecit Vicarii Septempedani Sententiæ, simulque sarta tecta appellantibus jura reliquit in peculiari judicio disquirendi, congrua ne, an incongrua fuisset dos Caeciliae constituta. Hoc modo solemnis orta est res judicata quoad designationem fundi hypothecae vinculo post integram receptam dotem mancipandi, quoad acceptilationem a viro, et quoad renunciationem denique a Caecilia emittendam. His tandem absolutis, illico Crescentii curarunt, ut nova disputatio coram Eodem A. C. Alberghinio de inæqua-

litate dotis instilueretur. Pronunciavit Judex ille Sententia Sua = *constitisse, et constare de incongruitate dotis, de qua agitur, et fuisse, ac esse locum ejusdem Dotis supplemento in quantitate, sive summa a quo de jure liquidanda* = Sed statim provocatum est ab hac Sententia ad N. Sacrum Ordinem, qui, cum hodie fuisset concepta formula rogatus = *An constet de incongruitate dotis, ita ut et in qua summa sit locus supplemento, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = disputationem omnem sustulit responso = *Negative in omnibus* =

1 Non leve profecto discrimen intercedit inter dotes, quæ fratribus post obitum PatrisSororibus constituuntur,et dotes alias, quæ a patre ipso filiabus assignantur. In primo quidem casu, cum facile præsumatur a parentis pietate longe alienum fuisse; ut filii portione legitima fraudarentur idcirco congrua non dicitur dos, quam fratres Sororibus tribnunt, nisi legitimae portionis aeqnet aestimationem. In altero autem casu, quo pater ipse filiam dotaverit, cum nemini liceat ex filiis, sospite adhuc patre, legitimam portionem urgere, tota res pendet a prudenti parentis arbitrio, qni quantitatem dotis ex dignitate, facultate, consuetudine familiæ, liberorum numero, usu regionis, demetiri valet, satisque officio suo functus censetur, si eam filiæ dotem præstet, qua decorum sibi filia matrimonium cum æqualis conditionis viro potuerit comparare, quamvis legitimae portionis metam dos ipsa non attingat. Nulla siquidem lex extat, quæ patrem cogat ad talem dotem filiae constituendam, qualis vires æquet legitimae portionis, quæ obventura ipsi filiæ foret post obitum patris, cujus patrimonium post filiae nuptias augeri et imminui potest. Quemadmodum hinc, si patrimonium parentis post filiæ nuptias decrescat, haud cogitur filia totum id restituere, quod in dotem accepit, et metam excedit legitimae portionis, ei post patris obitum obventuræ, ita etiam auctuarium nullum, et additamentum petere valet, si auctum post initas nuptias, tam vivo quam mortuo parente comperiatur ejus patrimonium.

Hanc porro distinctionem, quæ juxta 2 receptiorem, et magis constantem jurisprudentiam in foro semper invaluit, communiter docuerunt post *Text. in Leg. Quaero* 61 *ff de jure doi. Leg Cum post* 70 § *Gener. ff eod. tit et lèg. si filiæ pater* 41 *ff de legat.* 3 *Tiraquel. de Primogenit. quae ff* 54 *n.* 2 *Mantic. de Pacit. et ambig. lib.* 12 *tit.* 22 *n.* 27 *Faber in Cod. lib.* 3 *tit.* 12 *Definit.* 20 *Fontanell. de Pact.nupt. Claus.* 5 *gloss.* 8 *part.* 1 *n.* 6 *Boss. de Dote cap.* 18 *n.* 37 *Card. de Luc. de dot. disc.* 2 *n.* 1 *et disc.* 144 *n.* 4 et praesertim tenuit Sacrum Nostrum Auditorium *cor. Lancetta decis.* 559 *n.* 3 *et* 4 *cor. Priolo decis.* 401 *n.* 17 *in Tyburtina Dotium* 15 *Februarii* 1737 § 2 *cor. Canilliac. in Veliterna Immissionis* 26 *Junii* 1756 § 13 *cor. Figueroa, in confirmat.* 25 *Junii* 1753 § 3 *cor. Bussio, in Romana Quartae* 7 *Decembris ejusdem anni* § 9 *cor. Molino, in Faventina renunciatum* 24 *Marrii* 1817 § 10 *cor. cl. me. Serlupi, in confirmat.* 12 *Januarii* 1819 § 5 *cor. Eodem.* Si quando autem Sacer Ordo incongruas renunciavit dotes, utcumque a parentibus constitutas, id quidem non evenit: quia forte visum fuerit dotem a patre quoque assignatam legitimae portionis modum attingere debere, sed quia, libratis patrimonii viribus, conditione familiarum, usuque regionis perpensis, minus congrua apparuit dos a filia recepta. Quidquid vero adjectum Sacri Ordinis Decisionibus legitur de onere æquandi portionem legitimam, quo parentes in filiabus dotandis tenentur, id sane non Sacri Trinunalis menti, neque Patrum suffragiis, sed calamo scribentis, qui extra rem, de qua quæritur, inconsulto vagatur, adscribendum omnino est. Nam ea semper, uti animadversum est, S. Ordinis Nostri Sententia fuit, ut quando dos a patre constituitur, haud necessum sit, ut portioni legitimae respondeat, sed sufficit, quemadmodum ajunt forenses, ut sit de paragio, et ex dotantis patrimonio

ex familiæ consuetudine, conditione viri aliisque adjunctis aestimetur, veluti ipsa vox incondita paragii significat.

3 Quibus in jure positis, si actorès sunt in hoc judicio Crescentii, ipsi uni onere premuntur luculenter evincendi dotem, de qua agitur, incongruam fuisse. Nisi enim probationes, et argumenta numeris omnibus absoluta proferantur, quæ nullam relinquant ambigendi simulam, cum omnis praesumptio pugnet, ut actus magis valeat, quam pereat sat est rem quodammodo in ancipiti versari, ut pro dotis æqualitate judicandum sit. Idque potissimum, quia res est de patre, cujus amor in filias alios non vincitur, et a quo omnis proinde exulat doli deceptionisque suspicio. *Rot. decis.* 245 *n.* 28 *part.* 8 *decis.* 150 *n.* 1 *et* 2 *part.* 9 *tom.* 1 *dec.* 66 *n.* 5 *part.* 18 *et dec.* 236 *num.* 11 *part.* 18 *Recent.* Atqui dum nihil afferunt Crescentii, ut inæqualitatem dotis ostendant, cuncta contra ipsos faciunt, congruamque fuisse dotem Cæciliæ constitutam revincunt. Nam, præter scuta quingenta, habuit quoque Cæcilia mundum muliebrem scutis quingentis æstimatum prout moris esse tum omnium familiarum conditione parium, quæ in iis viciniis morantur, tum præsertim gentis Noè, ex testimonio Parochorum eruebatur. Quapropter ex utroque titulo dotis, mundique muliebris accepit Cæcilia ex patris substantia scuta in totum millia, quæ apprime respondent patrimonio dotantis familiæ consuetudini, viri conditioni, numeroque demum filiorum, quos uxor ejus Victoria Ferria procreaverat quique omnes anno 1797 vitæ fruebantur usura, et ad paternam mensam accumbebant.

4 Constat quippe censum universum Joanni Nicolai, cui erant octo filii, mas unus, fœminæ septem, vix *ad quatuordecim millia*, et paullo amplius nummorum, constitutæ dotis tempore, pervenisse. Nihil præterea detractum etiam tum fuerat consuetudini familiæ dotantis, ex qua numquam dos scutis *quingentis* major fœminis nubentibus fuerat assignata. Quotquod imo erant in iis viciniis familiæ, fortunis ac conditione cum dotantis familia pares, dotem quidem longe minorem, non vero scutis *quingentis* majorem filiabus nuptiarum occasione, dare consueverant. Familia demum Julii Crescentii ejusdem ordinie, generis, et furtunarum erat, quibus præstabat familia dotantis Joannis Nicolai. Præ his autem circumstantiis nemo dixerit incongruam fuisse dotem quam a patre suo Caecilia retulit. Neque enim ad augendas paterni patrimonii vires licet ad veteres provocare census tabulas, quas S. M. Pontifex Pius VI vix ad Sacri pincipatus Imperium evectus fuit, ob mendas, et errores multos improbavit, ex eisque contendere totum Joannis Nicolai patrimonium scutis *viginti millibus* æstimari. Ad dignoscendum porro verum, germanumque valorem rusticorum prædiorum Joannis Nicolai nullo in calculo haberi possunt veteres census tabulæ, sed confugiendum est ad censum alium, qui ex summi, qui illum imperavit, Antistitia nomine Pianus caepit appellari et apud Picentes quoque vocatur census Devoti, ex nomine Apostolici Delegati, qui in Piceno anno 1783 censum ipsum ex Summi Pontificis auctoritate publici juris fecit.

Neque id devium a recta ratione videri debet. Cum enim censuales tabulæ renovari soleant ad corrigendos errores, quibus sæpe ex vetustate temporis subjiciuntur; ita omnis æqui, et justi ratio postulat, ut non veteribus, et obsoletis, sed novis census tabulis deferendum sit. *Rota Decis.* 14 *num.* 9 *coram Crescentio, et Decis.* 931 *num.* 10 *coram Lancetta.* Nec interest censum Pianum non prius, quam ineunte sæculo XIX, idest anno 1800, vires suas exerere cæpisse; anno antem 1797, quo data fuit opera constitutioni dotis in honore veteres, quas postea Pius VI abrogavit, adhuc fuisse tabulas, ad quarum tramites vectigalia solvebantur. Nihil siquidem refert, quod anno 1797 intributiones adhuc rependerentur juxta veteres tabulas; si comper- 5

tum aliunde est per id temporis jam confectum, absolutumque fuisse censum Pianum, qui innumeros veterum tabularum errores patefecerat. Hic quæritur de justo prædiorum pretio, non vero de modo vectigalium tuno Fisco solvendorum. Si igitur ex Piano censu, qui jam inde ab anno 1783 probari meruerat, certa et indubia norma desumitur valoris rusticis prædiis addicendi, hic unus census, non vero antecedens, et antiquatus attendi debet ad eruendam æstimationem prædiorum rusticorum, quibus Juannes-Nicolaus ditabatur. Jam vero ex Piano censu patet non majoris æstimari prædia rustica Joannis-Nicolai, quam scutis 5991 94; quibus si ex more regionis augmentum trientis addatur, quod attamen propter montuosam, sterilemque agri naturam immodicum est, æstimatio rusticorum prædiorum erit in scutis 8987 91.

Præter rustica prædia habebat uti-
6 que Josnnes-Nicolaus peculium quoddam ex censuum nominibus constans, quorum valor evehebatur ad sc. 4431. Possidebat etiam Septempedæ ædem unam valoris scutorum 750, cui perperam Crescentii adjiciebant domum rusticam in Oppido *Cesoli* positam, eamque scutis *quingentis* æstimabant. Non enim agebatur de altero prædio urbano, sed de ædificio, quod continens est agro, quodque ideo, non secus ac arbores, et fundi instrumenta, valori ipsius agri accedit, et tamquam quid accessorium nullo in pretio habetur, nec seorsim ab agro æstimatur, quamvis fundum, et pretiosiorem, et commodiorem reddat. *Rota Decis.* 1377 a. 2 et 3 *coram Seraphino*, *et Decis.* 457 a. 3 *part.* 2 *Recent.* Ductis itaque calculis si universum Joannis-Nicolai patrimonium ad annum 1797 cumulum implebat scutorum 14169 41, nemini videri poterit incongrua dos Cæciliæ constituta. Cum namque septem essent filiæ Joannis-Nicolai, tradita cuique dote scutorum *quingentum* præter mundum mulierem ejusdem valoris, captu suo quisque intelligit, fæminas absumere patrimonii semissem, qui pro filiorum numero constituisset portionem legitimam inter octo filios partibus æquis, elato parente, dividendam.

Quæ si ita se habent, illud etiam 7
liquet dotem ipsam Cæciliæ assignatam non modo æquare, sed vires etiam legitimæ portionis excedere. Posito siquidem, quod præ numero filiorum portio legitima erat in semisse, nimirum in scutis *septem millibus octuaginta quatuor, et obul.* 70 ½, quodque rursus scuta ea circiter *septem millia* dividenda ex æquo fuissent inter *octo* filios; facile supputanti patebit, non plus quam scuta 880, aut paullo amplius, Cæciliæ competere legitimæ portionis nomine potuisse. At vero sive dotis, sive mundi muliebris titulo, ipsa habuit scuta *millia*. Habuit ergo scuta fere *centum viginti* supra portionis legitimæ mensuram. Multum hinc abest, quod post tricennariam observantiam Cæcilia valeat dotis additamentum exposcere; inspecto præsertim jure Municipali, quod Septempedæ obtinebat anno 1797. Nam ex Statuti *Rubrica* 58 *Lib.* 2, quæ non minus Septempedæ Civitatem, quam illius territorium ideoque Oppidum *Cesoli* vi sua complectebatur, fæminæ a patre dotatæ, non modo ab illius testata vel intestata successione, existentibus masculis, arcebantur, verum prohibebantur etiam, quominus aliquid petere possent jure naturæ, hoc est jure supplementi legitimæ, quæ jure naturæ debetur, prout explicat *Card. De Luca in Comment. de Statut. Success. Civitatis Sancti Severini partic.* 149 § 2.

Nec rectius Cæcilia invocabat exem- 8
plum matris suæ Victoriæ Ferri, quæ, licet dotem a parente retulisset in scutis *nongentis*, amplamque in nuptialis tabulis scripsisset renunciationem hæreditati paternæ, defuncto nihilominus patre, animum ad petendum legitimæ supplementum advertit, quam statim ex transactione anni 1809 in libellis Italicis 15143 60 integram obtinuit, quæ scutis ferme *termillibus* respondent. Si enim Victoria supplemen-

tum legitimæ portionis contra tabulas postulavit, non quidem id fecit jure dotis, quasi ea, quam in scutis *nongentis* receperat, incongrua videretur, vel nullo ei foret obstaculo amplissima renunciatio, quam occasione receptæ dotis exaraverat: sed fecit imo, uti testantur transactionis tabulæ, ex patrio Æsii Statuto, quod foeminas, propter masculos a successione paterna rejectas, his deficientibus, ad jura successionis redintegrabat. Obstat ergo Crescentiis censura juris, quæ non patitur, ut a diversis fiat illatio. *Leg. Papinianus ff de Minorib.* Quisquis vero fuerit titulus, ex quo aucta fuit Victoriæ dos, hujusmodi certe incrementum, haud efficit, ut exinde dos Cæciliæ incongrua dicatur. Uti namque in omnibus contractibus læsio dimitiri numquam solet a futuro rerum eventu; ita hoc ipsum valet in materia dotis, cujus æqualitas a promissionis tempore deducitur, quia secus in incerto continuo manerent dominia rerum cum parentum detrimento, et ipsa dotis caussa perpetua fluctuatione versaretur.

9 Quemadmodum quippe augenda foret dos, si paternum patrimonium auctum post constitutam dotem fuisset; ita quoque imminuenda dos esset, si decrementum aliquod passa interim fuisset patris substantia. Ad hoc itaque periculum incrementi, vel decrementi vitandum, quod cæteroquin esset dotis caussæ, et familiarum tranquillitati maxime noxium, receptum inter jurisprudentes est dotis æqualitatem non a futuro eventu pendere, sed a tempore promissionis æstimandam esse. *Fontanell. de pact. nupt. Claus.* 9 *gloss. unic. sub. num.* 6 *Rota in Recent. Decis.* 245 *num.* 24 *part.* 8 *Decis.* 366 *num.* 17 *cor. Bichio, et in Faventina Renunciationum* 24 *Martii* 1817 § 13 *cor. cl. me. Card. Serlupi.* Nihil demum ad inæqualitatem dotis probandam confert factum Joannis-Nicolai, sive dum uxorem duxit Victoriam Ferriam cum dote scutorum *nongentorum*, sive dum geminis filiabus, quas post Cæciliam nuptui collocavit, dotem assignavit paullo majorem. Exemplum siquidem Victoriæ, præterquam quod proferri poterit, et statum facere quoad eas tantum foeminas, quæ a familia Ferria descendunt, in Cæciliam ipsam retorquetur. Nam, si Victoriæ, quæ tamen unica erat agnata in familia Francisci Ferri, cujus patrimonium *decem millia* nummorum argenteorum conficiebat, dos data fuit in scutis *nongentis* dumtaxat, eaque adeo congrua habita est, ut solemni ritu valedixerit juribus omnibus, quæ in patris hæreditatem exercere potuisset; potiori jure congrua debet existimari dos in scutis *quingentis* cum mundi muliebris auctario Cæciliæ constituta: quoniam, si Joannis-Nicolai facultates paulisper superabat Ferri patrimonium, erat nihilominus Victoria filia unica Francisci Ferri, cum e converso, non una, sed septem filiæ essent, præter alterum masculum Joanni-Nicolao.

Dotem quidem paullo majorem idem Joannes-Nicolaus cæteris filiabus, quæ post Cæciliam matrimonium celebrarunt, revera constituit. At necessario id agere debuit, nedum quia auctum foerat ex additamento legitimæ portionis, quod Victoria ejus uxor a patrimonio patris assequuta fuerat, ejus patrimonium, sed quia insuper filiæ ipsæ quæ, post Cæciliam nupserunt, domi pene consenuerant, ideoque dote majori ad alliciendos viros indigebant. Patris autem arbitrium in filiabus suis dotandis non arctis adeo vinculis circumscribitur, ut nequeat plus uni, quam alteri tribuere. Potest imo unam, vel alteram ex filiabus majori dote donare, sive quod melius de parente meruerit; sivu quod ultra propriam conditionem sese viro nobili desponderit; sive quod denique pater compensare ætatis injuriam teneatur, ut facilius possit adulta filia viro sociari. *Rota Dec.* 63 *n.* 24 *cor. Gregorio in Rec. Dec.* 48 *num.* 31 *part.* 12 *Decis.* 1076 *num.* 10 *cor. Lancetta, et in Romana Dotis, et fructuum* 21 *Junii* 1734 § 13 *coram Vicecomite.* Quoad cæteras filias, quæ non adeo liberalem patrem expertæ sunt, sat est eam recepisse dotem, quæ ex familiæ, regionisque 10

consuetudine dari consueverit, quæque occasionem eis præbuerit ut viro paris conditionis matrimonio conjungerentur, quin in patris factum valeant insurgere eumque inæqualitatis arguere, quod ampliore dote alicui filiæ, justa impellente caussa voluerit gratificari. Illud denique in hac materia retinendum est, non aliter incongruam renunciari posse dotem a patre assignatam, quam si læsio accesserit enormissima, et parentis dolus evidenter appareat. Ut enim sit locus additamento dotis, læsio adeo magna sit oportet, ut ne trientem quidem attingat illius, quæ dari debuisset. *Mans. Consult. forens.* 640 *num.* 11 *et seq. tom.* 7 *et Constantin. ad Stat. Urb. Annot.* 35 *Art.* 1 *num.* 33 *tom.* 2. Id vero adeo abest a Subjecta Specie, ut nunquam auserint Crescenti hæc proponere.

Et ita, me quoque Suffragante, decisum est, Utraque etc.

VELITERNA

CONTRACTUS

Lunae 5. *Decembris* 1831

ARGUMENTUM

Ubi de iis agitur, quae contractus accidentalia respiciunt, utcumque non conveniant inter se contrahentes, nihil id tamen detrahit contractus perfectioni. Nam cum de re et pretio in venditione emptione constet, perfectus habetur contractus, utut aestimatio, et mensura facta non fuerit.

SUMMARIUM

1. *De perfectione contractus ambigi non potest semel ac tria illa requisita consensus nimirum res et pretium minime desiderantur.*
2. *Testis mediator omnem sibi vindicat in judicio fidem.*
3. *In contractu consensuali scriptum non est ad substantiam sed ad probationem quae suppleri potest testibus aut instrumentis.*

Distinctio inter venditionem et promissionem de vendendo vera est logomachia. Quia pollicitatio vendendi a venditione nomine tenus differt.

4. *Quando ex factis pluribus contractum perfectum comprobetur non licet ab eo recedere nisi plaudente utroque contrahente.*
5. *Ex juris censura non patitur quemquam in damno esse.*

Quando pretium de re vendita commissum sit viro perito, si persona a contrahentibus electa nullam protulerit arbitrium, per arbitrium boni viri aut per officium judicis aeque suppletur. - ibidem -

6. *In venditione rei quae pondere numero mensurave constant imperfecta intelligitur venditio quoad translationem dominii, et periculum rei quod ad venditionem interim pertinet donec admensa appensa et numerata fuerit res vendita vel locata, non vero quoad effectum ut recedi possit a contractu.*
7. *Quando res sit quisquiliae et levissimi valoris quae partem pretii haud faciunt, ideoque pertinent ad accidentalia contractus, hae vitiantur quidem, sed contractum non vitiant.*

DECISIO CCCCXII.

Quo tempore, superioribus nimirum annis, Antonius Galletti saltus omnes hybernos, et æstivos Municipii Veliterni, una cum exactione vectigalium, quæ a civibus Municipio ipsi solvebantur, conductionis nomine retinebat, plagam illam pascuorum, quam rustici nuncupant: *il Quarto delle Cornici*, se subconducendam per triennium proposuit Joannes Graziosi, nobilis, ac dives Velitrarum negotiator, ut pecus illuc pastum propelleret. Tota res acta fuit cum Vincentio Crescentio, qui amplissimo præditus procurationis mandato rationes et negocia Antonii Galletti in ea Civitate procurabat. Officio suo non defuit Crescentius, qui statim mandantem monuit de proposita subconductione, quam inire paratus erat Gratiosus, dummodo negocium iis conditionibus absolveretur, quibus paullo ante idem pascuum obtinuerat opilio quidam Franciscus Fanella, pretio scilicet argenteo-

rum nummorum *quatuor* cum *dimidio* in singula agri jugera constituto, præter esculenta quædam munuscula, diobus festis Nativitatis, et Paschatis Jesus Christi de more tradenda. Annuit huic contractui Gallettus, qui eidem idcirco Crescentio procuratori suo dedit in mandatis, ut subconductionis, nomine mandantis, signatam apocham exararet, quam revera ille conscripsit, deindeque absente Gratioso tradidit Thomæ Magnanentio ejus logographo, ut ei pariter a subconductore subscriberetur. Ex quo factum est, ut pecus, vidente, et silentio suo annuente Galletto, in pascuum fuerit immissum.

In patriam regressus post dies aliquot Gratiosus, apochas accepit, perlegit, perpendit, subscripsitque demum, adjecta nota, qua cautum voluit, ut si forte sublocatoris Agrimensor in metiendo pascuo errasset, iterum mensuræ opus alteri committendum foret decempedatori, mutuo consensu contrahentium eligendo, ne quis eorum in damno versaretur. Fertur etiam, deletum a Gratioso fuisse pactum de munusculis casei, hædi et agni stato tempore præstandis. Ut primum autem apochas recuperavit Galettus, et adjectum vidit scholium, adeo ea res transversum eum egit, ut, subita ira correptus, utramque apocham laceraverit. Mox diem Gratioso dixit apud Præsidem Velitrarum, ac, præeunte periti viri deputatione, qui pascua metiretur, pretium herbarum, non ad tramites contractus, cujus perfectionem impugnabat, sed juxta leges Edictales cl. me. Cardinalis Spinellii, recens a cl. me. Cardinali de Sumaglia probatas, postulavit ad rationem scutorum *quinque* in singulos agri modios. In actoris vota concessit Præses Velitrarum, a cujus Sententia, facto interim, ex Decreto Auditoris Eminentissimi Antistis, et Principis Velitrarum, pretii deposito ad formam contractus, cum fuerit statim provocatum, rei cognitio ad Sacrum N. Ordinem delata fuit, cui Dubii formulam hodie dirimendam proposui in hæc verba « *An, et quomodo sit locus solutioni pretii herbarum in casu etc.* », et Responsum, meo quoque accedente suffragio, retuli: *Affirmative ad formam apochæ Fanella.*

1 Quod in genere solvendum esset pretium herbarum, nulla erat controversia, probatque insuper illius depositum, quod Gratiosus confecit ad tramites Decreti, ex quo sub ea lege conficiendi depositi pretii ad formam contractus suspensiva concessa ei fuit appellatio adversus Præsidis Veliterni Sententiam. Omnis quæstio in eo vertitur, utrum ad formam contractus pretium ipsum herbarum solvendum sit. Quoniam vero silent leges, ubi pacta loquuntur, idcirco videndum est, an contractus subconductionis pascui, quod Gratiosus cum Crescentio conciliavit, uti perfectus, et numeris omnibus absolutus existimari possit, qui ideo deroget legibus Edictalibus. Sed de perfectione contractus ambigi non posse, semel ac tria illa requisita, consensus nimirum, res, et pretium, minime desiderantur, absoluti juris est *Andreol. Controv. jur. par.* 2 *controv.* 12 *num.* 11, *Mantic. de Tacit. et Ambig. lib.* 4 *tit.* 3 *num.* 14, *Corradin. de Jur. Prælat. Quæst.* 20 *num.* 24, *Vinn. in Instit. lib.* 3 *tit.* 84 *num.* 1, *Eot. Decis.* 834 *num.* 2 *coram Cerro, Decis.* 1 *num.* 4 *tit. de Empt. coram Falconerio, et Decis.* 85 *n.* 1 *cor. Riminaldo*: Quod vero tria hæc extrema in subjecta specie concurrant, nemo negabit, cui sit exploratum, promptum sese exhibuisse Gratiosum subconducendis per triennium herbis « *del Quarto delle Cornici* » sub iisdem conditionibus, quibus antea pascuum retinebat opilio Franciscus Fanella; rem totam insuper actam cum Crescentio fuisse, qui erat negociorum gestor Antonii Galletti; hunc demum a suo negociorum gestore de proposita subconductione certiorem factum, assentitum plenissime subconductioni fuisse, suoque imo procuratori in mandatis dedisse, ut duplicem apocham ab utroque contrahente servandam exararet.

De his omnibus porro factis, circumstantiis, et rerum adjunctis, quæ sane, cum procul ab animo contrahendi eve- 2

niro non soleant, tum maxime perfectum contractum evincunt, late testatur ipse Crescentius, dum veritatis ergo inquit « *Si diresse da me il Signor Graziosi per avere in subaffitto l'erbatico del Quarto chiamato le Cornici, progettandomi pei termini di riportarsi a quello ultimo passato col Pecoraro Fanella, e soltanto la durata di fissarlo a tre stagioni, da incominciare il primo Ottobre* 1828. *Io ne portai la parola al Galletti, il quale lo trovai disposto a condiscendere, non curando nemmeno di andare incontra a disgustare il Fanella solito pecoraro, che si sarebbe lusingato di tornare nel godimento di quel Quarto. Fù mio dovere di tornare dal Signor Graziosi, cui riferii quanto sopra, ed io, autorizzato dal Sig. Galletti, mi caricai dell'estensione dell'apoca* ». Constat igitur de perfecta stipulatione, quæ semper intervenisse dicitur, quoties alicui postulanti responsum detur petitioni consentaneum. *Leg. stipulatio* 1 *et tot. tit. ff de verb. obligat.* Constat etiam de mutuo contrahentium in idem placitum consensu, ex testimonio Crescentii, qui, cum testis sit mediator, omnem sibi ideo vindicat in judicio fidem. *Episc. Rocc. disput. Jur. select. Cap.* 133 *n.* 1 *Gobb. Consult.* 140 *n.* 12 *Rot. Decis.* 1 *n.* 11 *coram Ratto.* Idque certius, quia depositioni mediatoris famulantur aliorum testimonia, qui domi aderant Joannis Graziosi, quo tempore de futura subconductione cum Crescentio ipse loquebatur, quique pariter fidem de perfectione contractus perhibent « *Detto contratto fù in tal circostanza pienamente concluso* ». Cum autem testes secum conveniant quoad rem in contractum deductam, quoad tempus quoad pretium, quoad modum, et conditiones, multum propterea conferunt ad eruendam perfectionem contractus, ac ad majorem fidem mediatoris depositioni conciliandam, *Rota in Rec. Decis.* 729 *n.* 7 *Part.* 18; *Decis.* 316 *n.* 19 *coram Ratta, cit. Decis.* 85 *num.* 8 *coram Riminaldo, et in Romana Executionis Contractus* 2 *Julii* 1742. § 12 *coram De Vais.*

3 Quod si hæc omnia maximi essent ponderis ad conjiciendam contractus perfectionem, etiamsi scriptura deficeret, quia de contractibus agitur, ut inquiunt, *consensualibus*, qui illico perficiuntur, statim ac de contrahentium consensu super certa re et pretio certo constet, sive per nuncium, sive per epistolam, sive verbo tenus præstitutus consensus fuerit; multo sane magis de perfectione contractus ferendum est judicium, postquam certum est, extitisse jam ejusdem contractus apocham, utut postea ex alterius contrahentis arbitrio laceratam, quæ rem certam pro certo pretio venditam præseferi, quæ a venditore signata, quæ ad emptorem transmissa, et ab eodem subscriptione sua munita fuit, ut in re simili arguit *Sacer Ordo in Firmana Venditionis, et attentatorum* 28 *Januarii* 1754 § 6, *et* 7 *coram Vicecomite.* Quin officiat, ex testium dumtaxat dictis de contractus perfectione constare. Si enim, at ait *Imp. Constantinus in leg. In exercendis* 15 *Cod. de Fid. Instrum.*; in exercendis litibus eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium; jam nemo non intelligit, auctoritatem testium haud posse repudiari, ac locationis conductionis contractum, quemadmodum etiam cæteri alii contractus, qui solo consensu perficiuntur, testibus quoque, ac instrumentis optime probari *Constantin. Vot. Decis.* 370 *num.* 1 *et* 14. *Rot. in Recent. Decis.*37 *num.* 1 2 7. *Part.* 4 *tom.* 2, *et in Veliterna Executionis contractus* 21 *Martii* 1825 § 6, *et* 7 *coram Emo Marco.* Quamvis autem ex adductis huc usque argumentis non vera, et perfecta sublocatio, sed simplex pollicitatio de sublocando deduceretur, non melior exinde fieret impugnantis contractum conditio. Distinctio siquidem inter venditionem et promissionem de vendendo vera est logomachia, quia pollicitatio vendendi a venditione nomine tenus differt, ideoque non minus a jurisprudentibus, quam potissimum a Nostro Sacro Auditorio posthaberi solet, qui ideo ad inanes evitandos circuitus pro-

missionem de vendendo perfectum absolutumque contractum constantissime judicavit. *Oleo de cess. jur. tit.* 1 *quæst.* 6 *num.* 47. *Urceol, de Transact. quæst.* 10 *num.* 5, *Rot. Decis.* 190 *num.* 6 *coram Buratto*, *Decis.* 41 *num.* 5 *cor. Celso*, *et Decis.* 1 *num.* 14, 15 *et* 16 *cor. Ratto.*

4 Longe ex his abest, quod de mero simplicique tractatu res fuerit, qui neminem obligat, et a quo datur pœnitentiæ locus. Dicto testium hunc tractatum simplicem tantum nedum excludunt, sed ei insuper refragantur facta, et confessio Antonii Galletti. Is siquidem facile passus est primo, ut pecus in pascuum immitteretur, ibique diu maneret, et pasceretur, quin ullam unquam querelam excitasset, ut facere certo debuisset, si nullus unquam subconductionis contractus cum inter et Gratiosum initus antea fuisset. Is rursus agrimensori suo pascui mensuram committens aperte professus est. = *il quarto delle Coraici* = Gratioso sublorasse. Is denique pluribus aliis, agrum ipsum pascui flagitantibus, respondit, assentiri se non posse contractui ob præcedentem sublocationem cum Gratioso conventam. At vero hæc agendi ratio, quin aliundo argumenta quærantur, herbarum subconductionis contractum non modo perfectum et absolutum, sed executioni quoque commissum adeo revincit, ut nefas sit ab eo recedere, nisi plaudente utroque contrahente *Vinn. in* § *Emptio Instit. de empt. et vendit. Andreol. Controv.*112 *num.* 17, *Rot. cit. Decis.* 83 *num.* 12 *coram Riminaldo*, *et in dicta Firmana Venditionis*, *et Attentatorum* 28 *Januarii* 1754 § 9 *coram Vicecomite*. Non enim competitores istos Gallettus rejecisset, neque promptam abjecisset quæstum faciendi occasionem, si a contractu resiliendo, pœnitentiæ locus fuisset.

5 Perfectioni autem contractus nihil detrahit additio quædam a Gratioso proprio marto facta, ex quo, cum depactum in apocha fuisset, ut quoad pascui mensuram deferendum esse judicio Agrimensoris, qui operam suam Galletto præstabat, addidit e converso Gratiosus in apochæ calce, ut liceret, detectis hujus agrimensoris erroribus, alterius viri in re agraria periti, et ab utroque contrahente eligendi, opinionem exquirere. Id enim, etiamsi additum apochæ non fuisset, ex juris censura omnino profluebat, quæ non patitur, quemquam in damno esse: cum præcipuo pretium pascuorum non *per modum unius*, sed pro agri quantitate ad rationem scutorum *quatuor* cum *dimidio* in singulos agri modios constitutum fuisset: ex quo omnes erant adhibendæ diligentiæ, ut vera quantitas pascuorum sine damno cujusquam apprime cognosceretur. Præterea additio illa non substantiam contractus afficiebat, quæ ex tribus tantum rei, pretii, et consensus elementis conficiuntur, sed ad contractus accidentalia pertinebat, de quibus utcumque non conveniant inter se contrahentes, adhuc tamen nihil deperit perfectioni contractus. Non modo enim, cum de pretio aliunde constet, perfectus habetur contractus, utut æstimatione, et mensura non facta; verum etiam æstimatio, mensura, atque alia id genus accidentalia, recte in alterius arbitrium conferuntur, absque ullo contractus detrimento, cujus substantia ab hisce circumstantiis non pendet, ac viribus suis imo consistit, etiam si persona a contrahentibus electa nullum protulerit arbitrium, cujus defectui per arbitrium boni viri, aut per officium Judicis æque suppletur. *Mantic. de Tacit. et ambig. lib.* 2 *tit.* 1 *num*, 34., *Rot. Decis.* 134 *num.* 5 *tom.* 1., *Decis.* 279 *num.* 5 *tom.* 2, *Decis.* 143 *numer.* 2 *et seq. tom.* 3. *Nuperrim.*, *et Decis.* 567 *numer.* 22 *coram Merlino.*

Imperfectam putabat Gallettus pascui subconductionem, quia adhuc erat explenda agri mensura, eamque in rem implorabat sanctionem *leg. quod sæpe* 35 §. *In iis ff de contrah. Empt.* ubi statuit Jurisconsultus in iis, quæ pondere, numero, mensurave constant, 6

veluti frumento, vino, oleo, argento, non aliter videri perfectam venditionem, quam si admensa, et appensa, vel adnumerata sint. Sed, quæstionu posthabita, an pascuum recenseri possit inter res fungibiles, quæ numero, pondere, et mensura constant, hoc unum rem conficit, quod in hisce casibus imperfecta tantum intelligitur venditio quoad translationem dominii, et periculum rei, quod ad venditorem interim pertinet, donec admensa, appensa, et numerata fuerit res vendita, vel locata; non vero quoad effectum, ut recedi possit a contractu, et detur locus medio tempore pœnitentiæ, quæ ne in contractu quidem, qui a futuro eventu, et ab alicujus conditionis existentia pendet, unquam consuevit. *Gustiers Pract. quæst. lib.* 5 *quæst.* 47 *num.* 8. *Voet. in Pandect. lib.* 18 *tit.* 1 *de Contrah. Empt. numer.* 24, *Oinot, in Instit. lib.* 3 *tit.* 24 *in princip. num.* 3. *Mans. Consult. Forens. Consult.* 4 *num.* 14, *et Consult.* 5 *num.* 15, *Mantic. de Tacit. et Ambig. lib.* 4 *tit.* 17 *num.* 5, *Covarruv. Practic. quæst. cap.* 3 *numer.* 6 *Pacion. de Locat. cap.* 24 *num.* 24, *Rot. cit. Decis.* 85 *num.* 14 *cor. Riminaldo.* In contractibus quidem, cum conditione degustandi, aut periculum faciendi, initis, datur pœnitentiæ locus; sed degustatio, et experimentum in hoc casu sunt de substantia contractus cum non intelligatur emptor consentire, antequam rei emendæ qualitatem experiatur, et probet. Contra vero non eadem est vis conditionis rei dimentiendæ. Mensura siquidem non adhibetur, ut, ea demum expleta, quæratur, an expediat contractum inire, sed ut, perfecto jam contractu, pateat dumtaxat, quantum emptum venditum quantum conductum locatumque sit, veluti, discrimine facto inter degustationem, et mensuram, explicat *Paulus in Leg. si in emptione* 34 § *Alia caussa ff de Contrahend. empt.*

His positis, nil turbat, vel quod Gratiosus amovendum pecus a pascuo curaverit post inimicam Sententiam Præsidis Velitrarum, vel quod demum renuerit pensitare exculenta munuscula, ideoque pactum de iis præstandis apoche adjectum superinductis lineis obliteravit. Amovit enim pecus, ne majora damna pateretur, si eamdem sortem in judicio provocationis expertus fuisset: non vero ut plausum faceret Sententiæ Præsidis, a qua statim appellavit, et magnis animis super impugnavit. Amovit etiam pecus, quia prope erat Majus, quo tempore abeundum erat a pascuis, cum hybernos tantum, non autem æstivos saltus, per triennium, sive per tres trienni tempestates, ipse conduxisset. Semelac vero constat, subconductionem pepigisse Gratiosum sub iis conditionibus, quibus pascuum retinuerat opilio Franciscus Fanella, tuto affirmari nequit, et præsumi imo nequit, quod præstanda pensitare recusaverit munuscula, ad quæ opilio ille tenebatur. Post laceratas imo apochas probari nequit, utrum revera pactum de præstandis munusculis deletum ab eo fuerit. Utut res sit, quisquiliæ illæ levissimi valoris de caseo, hædo, et agno haud partem pretii facere potuerunt, ideoque pertinent ad accidentalia contractus, quæ vitiantur quidem, sed contractum non vitiant *Card. Tusch. Conclus.* 82 *numer.* 1. Nec quidquam præterea detractum est indemnitati sublocatoris, quoties jussit, ut pretium herbarum locovatur *ad formam apochæ Fanella.* 7

Et ita utraque etc.

FINIS TOMI TERTII